Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 07438867 3

Digitized by Google

Digitized by Google

Mnemosyne

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. HARTMAN, H. VAN HERWERDEN, A. E. J. HOLWERDA, H. T. KARSTEN,
J. C. NABER, H. J. POLAK, K. G. P. SCHWARTZ, M. C. VALETON,
J. VAN DER VLIET, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.
VOLUMEN UNDETRICESIMUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1901.

Digitized by Google

	Pag.
Ad Catulli Carm. LXIIII vs. 178, scripsit J. WOLTJER .	219—220.
Homerica (*contin. e pag.* 140), scripsit J. VAN LEEUWEN J.F.	221—243.
De Regia observatiuncula, scripsit J. J. HARTMAN . . .	244—246.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	246.
Observationes criticae ad Lucianum (*contin. e pag.* 196), scripsit S. A. NABER	247—280.
Ad Tacitum, scripsit J. J. H..	280.
Ad titulos Acraephienses, scripsit H. VAN GELDER . . .	281—303.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	303.
Deorum coronae, scripsit S. A. NABER.	304—306.
Observationes criticae ad Dionysii Halicarnassensis Antiquitates Romanas, scripsit S. A. NABER.	307—340.
De Crantoris fragmentis moralibus, scripsit K. KUIPER .	341—362.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H..	362.
De compositione Poenuli, scripsit H. T. KARSTEN . . .	363—387.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	387.
De Aetolorum institutis publicis, scripsit J. BREEN. . .	388—412.
Paralipomena Lysiaca, scripsit H. J. POLAK	413—443.
Ad Aristophanis Aves, scripsit J. VAN LEEUWEN J. F.. .	444—460.

Digitized by Google

OBSERVATIONES CRITICAE

AD

LUCIANUM.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

Studia mea Lucianea per multorum annorum decursum saepe intermissa, nec tamen umquam prorsus neglecta, nunc resumo et videbo numquid in meis commentariolis insit non plane indignum quod Mnemosynes lectores cognoscant.

Hic omnium primum ante oculos meos obversatur imago Eugenii Mehleri. Quorum in nostris literis aliquod nomen ac fama fuit, eorum memoria doctis viris solet renovari scriptione, in qua unus alterve ex studiorum sociis, sive brevius, sive copiosius si fors ita tulerit, enarrat qua ratione quove eventu amicus Musas coluerit. Nil tale contigit Mehlero, qui ante quinquennium obiit, credo, quia duriore fortuna conflictatus, postremis vitae annis latitare maluit in angulo quam famae consulere et studiorum fructus in medium proferre. Ego autem, dum memoria repeto annum 1852, quo Kiehlius mecum Mehlerum in societatem adscivit et Mnemosynen in lucem produximus, non committendum puto ut meritissimi viri parentalia frustra anquirantur; eoque magis hoc a me officium postulari videtur, quum de Kiehlio et breviter dixi *Mnem.* 1874 p. 223 et vitam plenius enarravi vernaculo sermone in peculiari libello, in quo feci quod potui ut tum Cobeti et duorum aliorum carissimorum capitum, tum Kiehlii imaginem vere ac fideliter depingerem. Restat iam ut de Mehlero dicam.

Digitized by Google

Eugenius Mehlerus Embricensis venit Leidam ad nos anno 1846. Vixdum vigesimum aetatis annum egressus erat et Bonnae studia iam absolverat, nactus celeberrimos praeceptores Welckerum et Ritschelium, amicos autem, de quibus statim omnes optima quaeque sperabant, Leopoldum Schmidtium et Iacobum Bernaysium. Welckero duce animum imprimis applicarat ad mythologiae studium; hinc etiam sibi elegerat dissertationis argumentum, in qua ad publicam commilitonum disputationem exhibuerat priorem partem eorum quae de Mnasea Patarensi collegerat. Sed quo primum die Septimontio relicto in hanc palustrem terram delatus est, captus fuit amore Athenarum Batavarum decrevitque patria relicta nobiscum manere. Cito moribus nostris assuefactus est et brevi tempore Hollandice ita fabulabatur, ut in paucissimis proderet peregrinam originem. Quotidie una erat cum studiosis iuvenibus qui ducibus Bakio et Cobeto antiquis literis operam dabant; mox Cobetus, Geelius, alii professores eum in familiaritatem receperunt; verbo, erat quod sibi plauderet, nam omnes augurabantur mox fore ut in aliqua honorifica statione collocaretur; sed doctoris Bonnensis titulus non sufficiebat ac prorsus necesse erat ut Regio decreto convenienter legitimis examinibus peractis apud nos literarum doctor renunciaretur.

Antequam ad novum opus se accingeret, absolvere voluit quod Bonnae incohaverat et anno 1847 edidit quotquot Mnaseae fragmenta reperire potuit cum docto commentario, in quo post Prellerum multo plenius explicavit quae strictim attigerat in dissertatione Academica. Deinde hac cura profligata, quamquam ad extremum gloriabatur fuisse se duumvirum Bonnensium discipulum, Cobeti assiduus auditor factus cum reliquis commilitonibus ad illustre exemplum quod intuebatur, se effinxit. His studiis intentus unum et alterum annum transegit et anno 1850 in lucem emisit Xenophontis Convivium cum criticis adnotationibus, in quibus ipsum textum saepe feliciter emendavit omniaque severissime exegit ad normam Atticae dialecti. Adulescentis opera est multaque, uti opinor, postea aliter administravisset; sed in adnotationibus haud pauca inerant quae veterum literarum amantes allicere poterant, nam post Orationem Inauguralem Cobetus non amplius ad scribendum animum appulerat

Digitized by Google

necdum cogitarat de *Variis Lectionibus* colligendis. Mehlerus autem primus fuit, qui exemplo ostendit, quantos progressus ingeniosus adulescens brevi tempore facere posset in schola Cobeti, qui nescio quomodo studiosos iuvenes secum rapiebat omnesque antiquitatis amore incendebat. Ipse Mehlerus hoc testatus est in Epistula ad Ritschelium, quam Xenophontis editioni praemisit.

Tandem, anno 1851, Academia Lugduno-Batava Mehlerum cinxit laurea doctorali. Argumentum dissertationis Cobetus dederat. Sunt Heracliti Allegoriae Homericae, quae quinquies prelum iam exercuerant; sed in operis calce aliquot paginae desiderabantur. Cobetus in Vaticana Bibliotheca tres codices invenerat: erat Codex 951, in fine mutilus, ex quo derivatae erant omnes quae eousque prodierant editiones; erat Codex 871, qui paulo quidem plura continet, nec tamen integer est; erat denique Codex 305, in quo servatur posterior pars Allegoriarum, inde a capite 41, pag. est 86 Mehleri, usque ad finem. Horum codicum collationes Cobetus insigni liberalitate Mehlero ultro obtulit eique auctor fuit ut accurate conferret et enotaret scripturarum discrepantias in Homeri Scholiis, in quibus multa insunt ex Heraclito excerpta. Omne hoc Mehlerus laudabiliter praestitit ac praeterea corruptum textum haud vulgari acumine passim emendavit itaque haec Batava editio principis editionis instar est. Aliquot annis post fuit Teubnerus, qui Mehlerum rogavit ut novam Heracliti recensionem adornaret, quae cum aliis quibusdam opusculis mythologicis locum inveniret in *Bibliotheca Teubneriana*. Nescio quomodo res eventu caruit, sed per complures annos nos de Heraclito per epistulas egimus multaque amicus iam collegerat, quibus existeret altera editio haud parum emendatior quam prior. Auctor fui Mehleri filio, qui veterum linguas docet in Gymnasio Amstelodamensi, ut aliquando paterna adversaria excuteret et cum Mnemosynes lectoribus communicaret, si quid etiam hodie inesset quod docti viri libenter legerent. Non omnia certe Mehlerus exhausit *Mnem.* 1878 p. 402 sqq.

Insequens annus, 1852, natalis fuit Mnemosynes. Grave onus erat quod in nos receperamus necdum Cobeto potueramus persuadere ut ipse scribendo nos adiuvaret, etiamsi nobis bene

Digitized by Google

vellet ipsaque re, non modo verbis, suam ostendisset erga nos propensam voluntatem. Primum Mehleri σύμβολον fuit *de Io. Steph. Bernardi Commercio Litterario*, quod Leidae in Bibliotheca asservatur. Insunt ad Bernardum epistolae Ruhnkenii, Valckenaerii, Reiskii, Piersoni, aliorum, quas editor brevi sed docto commentario illustravit.

Non omnia enumerabo quae Mehlerus sub *Mnemosynes* tutela esse voluit et post unum et alterum annum eius nomen in scriptorum indice rarescit. Nempe fortuna longe parcius quam amici optabant, blando vultu eum adspexit. Primum haud ita firma valetudo erat, quae aetate ad senectutem vergente in dies fiebat deterior. Edito Heraclito vocatus est Campaniam ad Isalam (*Kampen*), ubi ad certum tempus pueros docuit, donec ad penates suos rediret praeceptor qui stationem tenebat. Deinde post aliquod intervallum Helium (*Brielle*) profectus est, ubi conrectoris munere fungeretur. Haud ita multo post Snecenses ei scholam commiserunt regendam ibique mansit, donec anno 1871 mihi successit, qui Zwolla Amstelodamum evocatus fueram. Itaque mense Ianuario anni 1896 eodem ferme die nostra quinivicennalia celebravimus, quibus Zwollana iuventus certis indiciis significavit quanti suum Rectorem faceret ipsaque Reginae mater propter singularia merita eum virtute nobilitatum esse pronunciavit. Sed hic festus dies debilitato seni fere postremus illuxit, nam brevi post ingruentis morbi vi oppressus fuit. Ipse veni Zwollam ad exsequias meisque oculis vidi quanto honore cives Rectorem Gymnasii prosequerentur.

Numquam destitit colere literas, sed nostras Musas severiores non nisi parce et infrequenter poterat adorare. In causa erat, uti dixi, valetudo; deinde fere obruebatur scholastico munere, nam nova lege lata discipulorum in Gymnasio numerus insigniter creverat. Accedebat privata institutio; quin etiam, ut rem familiarem sustentaret, deesse non poterat parentibus, qui rogabant ut filii apud Rectorem domestica educatione et disciplina continerentur. Saepe miratus sum, qui fieri posset ut inter tot tantaque negotia satis superesset otii ad edendos tot libros et libellos in usum tironum. Sunt grammaticae utriusque linguae, sunt lexica, sunt historiae literariae, sunt versionum libelli — *themata* appellant — alia fortasse. Inter haec multa erant Ger-

Digitized by Google

manica quae convertit in nostrum sermonem; semel et iterum fecit ut Germani cognoscere possent quae populares nostri Belgice scripsissent. Verbo ut dicam, tota vita incredibiliter laboriosa fuit.

Inter tam multiplices occupationes quum Mehlerus districtus esset, iamdudum iacebat mythologiae et mythologorum studium; sed identidem redibat ad Lucianum, veteres suas delicias, ut dicere solebat. Itaque anno 1882 in usum scholarum prodiere Luciani Dialogi Quatuor, cum praefatione multarum paginarum, ex qua luculenter apparet quid senex etiamtum praestare potuisset, si omne otium contulisset ad philologiae studium. Posthac nil tale componere aggressus est et iacebant collectanea quae ad Lucianum undecumque corraserat. Anno 1895 inter discipulos meos erat Hermannus Otto de Jong, qui hodie in gymnasio Harlemensi praeceptoris munere fungitur. Hic quum circumspiceret dissertationis Academicae argumentum, tandem de Luciano aliquid constituit conscribere. Ego autem quum nossem Jongio nullum ducem fore meliorem, eum Mehlero commendavi isque eo libentius nobis morem gessit, quum animadverteret amicitiam esse inter Jongium et filium, qui tunc itidem studiorum causa Amstelodami commorabatur et brevi post pariter ex paterna disciplina profectus disputavit de Plutarchi Vita Homeri. Itaque rector Zwollanus magis quam ego Jongii et Mehleri iunioris promotor fuit et utraque dissertatio documento est quid amicus meus potuisset praestare, si faventibus Musis in ampliore theatro spectatus fuisset. Sed paucis diebus antequam *Exercitationes Criticae in Lucianum* critico doctorum examini summissae fuerunt, meritissimus senex misero fato extinctus est.

Haec habui quae praefarer antequam novo operi manus admoverem. Itaque honoris causa initium sumam a quatuor dialogis quos Mehlerus edidit. Sunt autem Timon, Philopseudes, Verae Historiae et Gallus.

Timon.

§ 7: ὁ κεκραγὼς ἐκ τῆς Ἀττικῆς παρὰ τὸν Τιμηττὸν ἐν τῇ ὑπωρείᾳ. Dele praepositionem ἐκ. Etiam Lucianus sic solet ge-

Digitized by Google

netivum eleganter praemittere, cf. Deor. Dial. XX. 1: *τῆς Ἴδης ἐν τῷ Γαργάρῳ.*

§ 29: *ὡς δὲ λεῖος εἶ καὶ ὀλισθηρός, ὦ Πλοῦτε.* Teneo quod olim correxeram: *ὡς δόλιος εἶ*, cf. Mehl. Praef. p. XVI. Certe particula *δέ* male abundat, cf. Hermotim. 59: *ὡς ὀλισθηρὸς εἶ.*

§ 40. Mercurii verba sunt: *ἐγὼ δὲ ὑπὲρ τὴν Αἴτνην ἐς τὸν οὐρανὸν ἀναπτήσομαι.* Itane ex Attica supra Aetnam in Olympum? Malim: *ὑπὲρ τὴν Ἀττικήν.* Qui locum corrupit, intempestive memor fuit eorum quae leguntur § 19: *σὺ δὲ μέμνησο, ὦ Ἑρμῆ, ἐπανιὼν πρὸς ἡμᾶς ἄγειν τοὺς Κύκλωπας ἐκ τῆς Αἴτνης.* Contra § 6: *ἐκ τῆς Οἴτης ἐναυσάμενος μεγάλην ποιήσας φλόγα*, miror quod Fritzschius reiecit elegantem Fabri correctionem: *ἐκ τῆς Αἴτνης.*

§ 56: *οἶσθα γὰρ ὡς μᾶζα μὲν ἐμοὶ δεῖπνον ἱκανόν, ὄψον δὲ ἥδιστον θύμον ἢ κάρδαμον ἢ εἴποτε τρυφῴην, ὀλίγον τῶν ἁλῶν.* At sal minimo pretio prostat. Hom. Odyss. ρ 455: *οὐ σύ γέ κ' ἐξ οἴκου σῷ ἐπισάτῃ οὐδ' ἅλα δοίης.* Secundum Horatium cum sale panis latrantem stomachum bene leniet. *Κινδυνεύουσιν οἱ ἅλες τῶν ἄλλων ὄψων ὄψον εἶναι καὶ ἥδυσμα*, ut scribit Plutarchus Quaest. Conviv. p. 685 A. Etiam in tenui victu sal suppetit, sed, uti aequum est, parce utuntur omnes. Sunt longe dissiti mortales *οἳ οὐ ἴσασι θάλασσαν ἀνέρες οὐδέ θ' ἅλεσσι μεμιγμένον εἶδαρ ἔδουσι.* Itaque si Thrasycles ille — cuius sunt apud Lucianum verba ad Timonem — salem ad mensam adhibet, nondum *τρυφᾷ*, sed facit quod omnes divites et pauperes semper faciunt et nemo prorsus est, cui non *ὀλίγον τῶν ἁλῶν* satis sit; nam diuturno tempore, opinor, opus est ut *τὸν θρυλούμενον τῶν ἁλῶν μέδιμνον* comedas. Praeterea hoc certe apparet ex Arist. Eccl. 813 cavisse aliquando Athenienses ne sal carius veniret: hoc enim condimento omnes quotidie fruebantur. Item Romanos summa ope hoc cavisse videmus Liv. II. 9. Quid autem Thrasycles? *Εἴ ποτε τρυφῴη*, ad mensam adhibebat non *ὀλίγον τῶν ἁλῶν*, sed *ὀλίγον τῶν ἐλαῶν*. Etiam olivae, quamquam sale sine dubio cariores, exiguo tamen pretio Athenis prostabant. Notissimum est quod Plutarchus tradit Moral. p.

Digitized by Google

470 F: Socrates amico cuidam qui questus fuerat Athenis non nisi divitibus vitam vitalem esse, olivas ostendit: *δυεῖν χαλκοῖν ἡ χοῖνιξ· εὐτελὴς ἡ πόλις.* Capit autem *χοῖνιξ* tantundem fere quantum hodie *litra*. De olivis multa iucunda cognitu invenies apud Neumannum et Partschium, *Physik. Geogr. v. Griechenland*, qui vere p. 421 ita scribunt: „die Olive gehörte zur gewöhnlichsten Nahrung des armen Mannes und durfte auch auf einer besser besetzten Tafel nicht fehlen." Hinc pauperes queruntur apud Lucianum Epist. Saturn. 21: *ἀφόρητον ἡγούμεθα τὸ πρᾶγμα, τὸν μὲν ἐφ' ἁλουργίδων κατακείμενον τοσούτοις ἀγαθοῖς ἐντρυφᾶν ἐρυγγάνοντα καὶ ὑπὸ τῶν συνόντων εὐδαιμονιζόμενον ἀεὶ ἑορτάζοντα, ἐμὲ δὲ καὶ τοὺς ὁμοίους ὀνειροπολεῖν, εἴ ποθεν ὀβολοὶ τέτταρες γένοιντο, ὡς ἔχοιμεν ἄρτων γοῦν ἢ ἁλφίτων ἐμπεπλησμένοι καθεύδειν κάρδαμον ἢ θύμον ἢ κρόμμυον ἐπιτρώγοντες.* Uti vides, hi ne olivam quidem habent, nam haec iam est quaedam *τρυφή*, ut Thrasycli videbatur. Panis autem semper cum sale comedebatur: hinc, ut hoc utar, Dial. Meretr. IV. 4 est mulier magicas artes edocta, quae exigua mercedula contenta est: poscit drachmam et panem: *ἐπικεῖσθαι δὲ δεῖ μετὰ τῶν ἁλῶν καὶ ὀβολοὺς ἑπτά*, ubi tirones velim attendant ad additum articulum *μετὰ τῶν ἁλῶν*, nam quemadmodum hodie si quis ovum poposcit, simul sal praebetur, sic sal perpetuum erat panis condimentum.

Idem vitium quod in Timone notavimus, recurrit de Merced. Conduct. 19: *ἥδιον ἐκεῖνο δεῖπνον, οὐκ ἔμοιγε τοῦ θύμου καὶ τῶν λευκῶν ἁλῶν ἥδιον, ὁπηνίκα βούλομαι καὶ ὁπόσον, ἐλευθέρως ἐσθιομένων.* Scio quidem sal condiri odoribus additis, ut scribit Plin. H. Nat. XXXI. 7. 41 et memini *ἅλας θυμίτας* memorari, scil. *μετὰ θύμου τετριμμένους*, cf. Schol. Aristoph. Acharn. 771 et 1099 poteruntque *λευκοὶ ἅλες* videri, quibus nil quidquam erat additum; sed thymum et sal numquam coenam facient: condimentum est, *ὄψον* est, *οὗ χωρὶς*, ut scribit Plutarchus Moral. p. 668 F, *οὐδὲν ὡς ἔπος εἰπεῖν ἐστὶν ἐδώδιμον*, sed nemo salem delinget — ita enim solebant, cf. Plaut. Curc. IV 4. 5 et Pers. III 3. 23 — ad famem sedandam. Sed quid plura cum aperta res sit? Vera lectio est: *τοῦ θύμου καὶ τῶν λευκῶν ἐλαῶν.* Sunt autem *λευκαὶ ἐλᾶαι* secundum Hesychium quae etiam *Φαυλίαι* dicuntur, reliquis olivis minores, si quidem satis fidei est in grammaticis. Habet vocabulum Alciphron I 21,

Digitized by Google

ubi nescio quis σιτεῖται οὐδὲν τῶν πολυτελῶν ἀλλ' ἄρτον ἐξ ἀγορᾶς καὶ ὄψον, εἴποτε εὐημερίας ἡμέραν ἐπιτελοίη, δρυπετεῖς ἢ φαυλίας. Vilem hanc speciem fuisse dixeris, quocirca erravit Lexiphanes § 5, quum facit adulescentem luxuriae deditum ἐσθίοντα φαυλίας. Obiter notabimus haud dissimilem corruptelam in Lysiae Oratione περὶ τοῦ σηκοῦ § 18: ἐμοὶ τοίνυν τούτων οἱ μὲν φίλοι, οἱ δὲ διάφοροι περὶ τῶν ἐμῶν τυγχάνουσιν ὄντες. In nupera editione Herwerdenus retinuit verba περὶ τῶν ἐμῶν quae olim deleverat; Weidnerus autem commendavit: περὶ τῶν ὁμόρων. Si quidem verba corrupta videbuntur, longe facilius rescribere poteris: περὶ τῶν ἐλαῶν (ΕΛΑΩΝ — ΕΜΩΝ). Cf. etiam Vollgraffius Mnem. 1899 p. 223.

Philopseudes.

§ 1: πολλά, ὦ Τυχιάδη, ἐστὶν ἃ τοὺς ἀνθρώπους ἐνίους ἀναγκάζει τὰ ψευδῆ λέγειν. Olim correxeram ἐνίοτε idque Mehlero probavi.

§ 3: τὸ δὲ καὶ πόλεις ἤδη καὶ ἔθνη πολλὰ κοινῇ καὶ δημοσίᾳ ψεύδεσθαι, πῶς οὐ γέλοιον; Malo: ἔθνη ὅλα.

§ 7: εἰ τοίνυν — τὸν ὀδόντα τῆς μυγαλῆς — ἐνδήσειεν εἰς δέρμα λέοντος ἄρτι ἀποδαρέντος — αὐτίκα παύεται τὸ ἄλγημα. Commendo: ἀποδαρέν et παύσεται.

§ 20. Primo obtutu mira videntur illa: πολλοὶ ἔκειντο ὀβολοὶ πρὸς τοῖν ποδοῖν αὐτοῦ καὶ ἄλλα νομισμάτια ἀργυρᾶ πρὸς τὸν μηρὸν κηρῷ κεκολλημένα καὶ πέταλα ἐξ ἀργύρου itaque hic haesit Herwerdenus et in *Mnem.* 1879 p. 94 commendavit πρὸς τὸν μῆνα vel μηνίσκον. Mehlerus ei de corruptela assensus est, reiecit autem correctionem. Scilicet neuter memor fuit Rutgersii in *Variis Lectionibus* p. 461, qui *incerandi* morem copiose illustravit itidemque Luciani rationem habuit. Quoniam hodie multi sunt quibus non est aditus ad doctissimos Rutgersii commentarios, lubet potiora quaedam excerpere. Veteres ubi vota concepissent, concepta tabellis inscribebant. Festus: Vota nuncupata dicuntur quae consules, praetores cum in provinciam proficiscuntur, faciunt; ea in tabulas praesentibus multis referuntur. Suetonius Augusto c. 97: Vota quae in proximum lustrum

Digitized by Google

suscipi mos est, collegam suum Tiberium nuncupare iussit. Nam se, quamquam conscriptis paratisque iam tabulis, negavit suscepturum quae non esset soluturus. — Ita conscripta signabant. Plinius Epist. X 44 ad Traianum: Solemnia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, et suscepimus, Domine, pariter et solvimus, precati Deos ut velint ea semper solvi, semper signari. — Obsignata *affigebant* deorum statuis. Apuleius Apologia: Votum in alicuius statuae *femore* assignasti. — Hinc liquet quid sit apud Iuvenalem Sat. IX 139:

Quando ego figam aliquid, quo sit mihi tuta senectus?

Idem Sat. XII. 100:

Legitime fixis vestitur tota tabellis — Porticus.

Affigebant autem plerumque Deorum genibus; ea enim, ut ait Plinius, misericordiae sedes consecrata est. Iuvenalis Sat. X. 55:

Propter quae fas est genua *incerare* Deorum.

Compotes autem votorum eas tabellas *solvebant* ac Diis reddebant ea quae daturos se promiserant. — Omitto alia multa, quae vide apud Rutgersium ipsum; sed nunc etiam intelliges quod de Polemone traditur apud Diogenem Laertium IV. 16: *καὶ ἐν Ἀκαδημείᾳ πρὸς κίονι τινὶ τριώβολον εὑρέθη προσπεπλασμένον αὐτοῦ διὰ τὴν ὁμοίαν τῇ προειρημένῃ πρόφασιν.* Sed quam est stulta narratiuncula!

§ 25: *ἐν γειτόνων δὲ ὑμῖν ᾤκει νοσῶν τι καὶ αὐτός, ὡς ἀπηγγέλλετο.* Malo fere: *ἀπήγγελτο.*

Verar. Histor. I.

§ 9: *ἀνήχθημεν οὐ σφόδρα βιαίῳ πνεύματι.* Inseram articulum: *βιαίῳ (τῷ) πνεύματι*, nam, quod multi iam observarunt, Lucianus ita loqui amat. Pariter II § 2 corrigo: *ἐπλέομεν εὐκράτῳ (τῷ) ἀέρι χρώμενοι.*

§ 13: *ἐλέγοντο δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ὑπὲρ τὴν Καππαδοκίαν ἀστέρων ἥξειν Στρουθοβάλανοι.* Absurda, uti vides, scriptura est; recte legimus Icaromenipp. 26: *τῆς χαλάζης ὅσον μέδιμνοι χίλιοι διασκεδασθήτωσαν ὑπὲρ Καππαδοκίας*, sed supra Cappadociam fixa et immota sidera nulla sunt. In ea mirifica pugna quam Lucianus describit, referuntur omnia ad stellatum coelum: ar-

Digitized by Google

cessuntur funditores ἀπὸ τοῦ Γαλαξίου § 16. Alibi copiis praeest ὁ ἐκ τοῦ Ζῳδιακοῦ τοξότης, § 18. Urbs est § 29 μεταξὺ τοῦ Πλειάδων καὶ τοῦ Ὑάδων ἀέρος. Similiter, uti coniicio, bellatores illi adveniunt ἀπὸ τῶν ὑπὲρ τὴν Κασσιέπειαν ἀερων. Quod ad veterem nominis formam attinet, itidem pro Imag. 7 Κασσιέπεια appellatur, non Κασσιόπη. Sic duplices formae sunt Ἰφιγόνη et Ἰφιγένεια, Ἠριγόνη et Ἠριγένεια· quocirca saepe suspicatus sum Penelopen dictam fuisse Πηνελόπην et Πηνελέπειαν. Ἀντιγένης est, sed Ἀντίγονος et Ἀντιγόνη· analogia late patet.

§ 17: ὥςε με εἰκάζειν μὴ ἄρα τοιούτου τινὸς καὶ πάλαι ἄνω (ἀγῶνος) γενομένου Ὅμηρος ὑπέλαβεν αἵματι ὗσαι τὸν Δία. Haec sufficiunt et languent verba quae sciolus inseruit: ἐπὶ τῷ τοῦ Σαρπηδόνος θανάτῳ.

§ 21: εὐθὺς δὲ τὸ τεῖχος καθῃρεῖτο καὶ ἡμᾶς τοὺς αἰχμαλώτους ἀπέδοσαν. In Graecorum narrationibus omnia fiunt mira celeritate, θᾶττον νοήματος. Valckenaerius ea de re egit ad Eurip. Hippol. vs. 1186, Boissonadius ad Eunapium p. 210, Cobetus ad Charitonem in *Mnem.* 1859; ipse quoque idem argumentum attigi in *Mnem.* 1873 p. 149. Hinc commendo: καθήρητο. Similiter habemus Tyrannic. 8: ἡ μὲν τυραννὶς ἤδη καθήρητο.

§ 30: ἔοικε δ' ἀρχὴ κακῶν μειζόνων γίγνεσθαι πολλάκις ἡ πρὸς τὸ βέλτιον μεταβολή. In talibus Graeci particulam addunt: ἔοικε δ' (ἄρα) ἀρχὴ κακῶν μειζόνων γίγνεσθαι.

§ 32: εἴ ποτε ἀναχάνοι τὸ κῆτος. Bellua hoc certis intervallis faciebat, unde apparet verum esse: ὁπότε ἀναχάνοι, i. e. *quotiescumque*. Sed recte II. 1, dum flamma iam viscera consumebat, ἀργότερον ἀνέχασκε καὶ εἴποτε ἀναχάνοι, ταχὺ συνέμυε.

Verar. Histor. II.

§ 25: ἐδόκει δὲ κἀκείνῃ ταῦτα, οἴχεσθαι ἀπιόντας ἔς τινα τῶν ἐπικειμένων νήσων. Immo: περικειμένων.

Digitized by Google

§ 25: *ἐγὼ μὲν οὐ παρήμην· ἐτύγχανον γὰρ ἐν τῷ συμποσίῳ κοιμώμενος.* Vix intelligitur, verba Mehleri sunt, qui fieri potuerit, ut in cenatione obdormiverit et ut dormientem in ea reliquerint convivae: nox erat et fecit quod reliqui omnes, dormiebat in suo lecto nimirum, ut Menelaus qui *περὶ τὸ μεσονύκτιον ἀνέγρετο.* Fieri potest ut recte Mehlerus viderit sintque verba *ἐν τῷ συμποσίῳ* perperam repetita ex proxime praecedentibus; mihi tamen tunc placuit et nunc quoque placet: *ἐν τῷ σκιμποδίῳ.* Cf. Philopseud. 11: *τὸν Μίδαν ἑωρῶμεν αὐτὸν ἐπὶ σκίμποδος ὑπὸ τῶν ὁμοδούλων προσκομιζόμενον.* Etiam Gellius, Noct. Att. XIX. 10, offendit aliquando Frontonem meum cubantem in scimpodio Graeciensi. Idem vitium recurrit Dial. Meretr. XV. 1: *τὸν Γόργον ἀπὸ τοῦ συμποσίου κατασπάσας τῶν τριχῶν,* ubi omnino legendum: *ἀπὸ τοῦ σκιμποδίου.* Cf. Dial. Meretr. III. 1: *ἐπὶ τοῦ πλησίον σκίμποδος κατέκειτο ᾄδουσα καὶ λυποῦσα ἐκεῖνον.* Ebrii tantum *ἐν τῷ συμποσίῳ* quiescunt, cf. Deor. Dial. XXIII. 2 et Navig. 13.

Somnium s. Gallus.

§ 1. Gallus gallinaceus *ἐφ' ἑσπέρας εὐθὺς ᾖδεν.* Necessarium duco: *ἀφ' ἑσπέρας.* Pariter apud Aristophanem Vesp. 100: *ὃς ᾖδ' ἐφ' ἑσπέρας,* Leeuwenius primus intellexit verum id esse quod in Cod. Rav. et Ven. invenitur: *ἀφ' ἑσπέρας,* h. e. statim post solis occasum.

§ 1: *νῦν γάρ μοι πράγματα παρέξεις μεταπηδῶν ἐν τῷ σκότῳ.* Uter verosimiliter *μεταπηδήσεται,* gallus an Micylus? Si gallus, recte se habet *μεταπηδῶν,* sin autem Micylus, quod equidem malo, necessarium erit rescribere *μεταπηδᾶν.* Quo sensu *πράγματα παρέχειν* cum infinitivo construatur, Cobetus ostendit *Mnem.* 1857 p. 300. In Vespis 312 est: *ἵν' ἐμοὶ πράγματα βόσκειν παρέχῃς,* quem locum felicissime expedivit ut sibi ipse plauderet, sicuti apparet *Praef. Nov. Lect.* p. XXI. Eodem modo est in Xen. Cyrop. IV. 4. 46: *πράγματα παρέξουσιν ἐπιμέλεσθαι,* Anab. III. 2. 27: *ὄχλον παρέχουσιν ἄγειν,* Plat. Phaed. p. 115 A: *πράγματα ταῖς γυναιξὶ παρέχειν νεκρὸν λούειν,* neque hic usus hodie obscurus est. Μεταπηδᾶν autem usurpatum est, quemadmodum *μετατρέχειν, μετιέναι, μεταπέμπεσθαι* et in omni-

Digitized by Google

bus hisce compositis eadem cernitur vis praepositionis *μετά*. Vide modo Appian. Hannib. 23: *πᾶσιν ἐνέπιπτον καὶ μετεπήδων ἀφειδῶς*, quem locum Passovio debeo.

§ 5: *ἔτι γὰρ σὺ ἀναπεμπάζῃ τὸν ὄνειρον*; Requiro: *ἔτι γὰρ νῦν* eademque utar correctione § 32: *ἔτι γὰρ σὺ ὀνειρώττεις τὸν πλοῦτον*;

§ 11: *εἰσῄειν οὖν μάτην λύκος χανὼν παρὰ μικρόν*. Novimus proverbium *λύκος ἔχανεν*, quod usurpatur *ἐπὶ τῶν τῆς ἐλπίδος ἀποτυγχανόντων*, uti scribit Diogenianus Prov. 520. Idem proverbium Photius quoque enotavit et vide quos ad illum locum laudavi. Apparet quod nescio quomodo doctos viros hucusque videtur latuisse, interpolatum esse id quod est *μάτην*. Lupus in fabula *χάσκων* semper frustra est. Recte legitur *μάτην ἐπιχανόντες* Dial. Mort. V. 1.

§ 14: *τὸν γείτονα γοῦν μοι τὸν ὁμότεχνον οἶσθα τὸν Σίμωνα, (τὸν) οὐ πρὸ πολλοῦ δειπνήσαντα παρ' ἐμοί*. Vides quid exciderit.

Abhinc sequar vulgarem dialogorum ordinem.

Somnium s. Vita Luciani.

§ 2: *βόας ἢ ἵππους ἢ καὶ νὴ Δί' ἀνθρώπους ἀνέπλαττον εἰκότως, ὡς ἐδόκουν τῷ πατρί*. Contuli Piscat. 38: *ἔδειξε τοὺς ἄνδρας ἐναργῶς καθάπερ ἐπί τινος γραφῆς τὰ πάντα ἐοικότας*, nec potui non suspicari praestare: *εἰκότας* eademque illa forma etiam altero loco fortasse reponenda est pro *ἐοικότας*. Hic convenit mihi cum Hartmanno p. 52.

§ 6: *ἄρτι δ' ἂν αὖθις ὑπὸ τῆς ἑτέρας εἰχόμην*. Malo: *εἰλκόμην*.

§ 7: *οὔποτε ἄπει ἐπὶ τὴν ἀλλοδαπὴν, τὴν πατρίδα καὶ τοὺς οἰκέτας καταλιπών, οὐδὲ ἐπὶ λόγοις ἐπαινέσονταί σε πάντες*. Hic interpretes iam olim haeserunt et lacunam agnoscere sibi visi sunt itaque quae deerant sunt supplere conati: *οὐδ' ἐπὶ λόγοις (ἀλλ' ἐπ' ἔργοις)*. Fritzschius commendavit: *οὐδ' ἐπὶ λό-*

Digitized by Google

γοις (γέλωτα ὀφλήσεις ἀλλ' ἐπ' ἔργοις) ἐπαινέσονταί σε. Neque haec supplementa mihi magno opere placent, nec tamen Hemsterhusium sequar, cui „oratio est morata, quae, sicut in dramaticis usu venit, ipso gestu et vultu ad irridendum composito iuvari debet." Vitii sedes alibi quaerenda est: commendo: οὐδ' ἐπὶ λόγοις ἀνιάσονταί σοι πάντες, quae verba ut intelligas gestu vel vultu nihil opus est.

§ 14: ταῦτα ἔτι λεγούσης αὐτῆς οὐ περιμείνας ἐγὼ τὸ τέλος τῶν λόγων ἀνασὰς ἀπεφηνάμην καὶ — μετέβαινον πρὸς τὴν Παιδείαν. Quid hoc est ἀπεφηνάμην? Correctio ἀφηλάμην satis semet ipsam tuebitur.

§ 17. Apparet quid sic χειμερινὸς ὄνειρος, qui scilicet multum differt ab *a Midsummer Night's Dream*, sed prorsus otiosum est quod additur: ὅτε μήκιστα εἰσιν αἱ νύκτες. Certe non persuasit Fritzschius Quaest. Lucian. p. 33. Vide quoque Hartmannum p. 52.

Prometheus es in verbis.

§ 5: δέδοικα μὴ καὶ τοὐμὸν κάμηλος ἐν Αἰγυπτίοις ᾖ, οἱ δ' ἄνθρωποι τὸν χαλινὸν ἔτι αὐτῆς θαυμάζωσι. Correxit Fritzschius ἀντ' αὐτῆς, sed simplicius erit ἐπ' αὐτῆς.

Nigrinus.

Epistulam ad Nigrinum Lucianus ita orditur: ἡ μὲν παροιμία φησί· γλαῦξ' εἰς Ἀθήνας, ὡς γέλοιον ὂν εἴ τις ἐκεῖ κομίζοι γλαῦκας. Satis hoc est, nec feram in textu quod interpretationis causa adscriptum fuit: ὅτι πολλαὶ παρ' αὐτοῖς εἰσίν.

§ 3. Nigrinus eloquii dulcedine Lucianum devinxit ut iam non pateretur se abripi et τοσαύτην τινά μου τῶν λόγων ἀμβροσίαν κατεσκέδασεν ὥστε καὶ τὰς Σειρῆνας ἐκείνας καὶ τάς ἀηδόνας καὶ τὸν Ὁμήρου λωτὸν ἀρχαῖον ἀποδεῖξαι· οὕτω θεσπέσια ἐφθέγξατο. Quorsum hic pertinet lusciniarum mentio? Hoc nemo facile dixerit itaque fuerunt qui corrigerent τὰς Κηληδόνας· sed Fritzschius recte reponit apud Homerum, de quo hic uno quaeratur, neque luscinias fabulosas neque Κηληδόνας exstare. Minime

Digitized by Google

tamen sequar eundem, cum contendit expuncta coniunctione καί ipsas Sirenes luscinias fuisse dictas; quod enim eo nomine appellantur apud Lycophronem, id nihil ad rem et inepta propemodum appositio est: τὰς Σειρῆνας καὶ ἀηδόνας. Sed rem apud animum tuum reputa. Sirenes retinent cantus dulcedine praeternavigantes; lotus facit ut iidem patriae obliviscantur: estne apud Homerum tertium exemplum rei tam firmiter adhaerentis ut avelli nequeat? Est: nempe Odyss. ε 432:

ὡς δ' ὅτε πουλύποδος θαλάμης ἐξελκομένοιο
πρὸς κοτυληδονόφιν πυκινὰ λάϊγγες ἔχονται.

Itaque corrigendum est: καὶ τὰς κοτυληδόνας (κοτυΛΗΔΟΝΑΣ — ΑΗΔΟΝΑΣ). Quid ἀρχαῖον sit Hemsterhusius docet, quem praeterea conferre poteris ad Dial. Marin. 4. 3, ubi codices κοτύλας habent, Cobetus autem κοτυληδόνας reposuit, de qua correctione Fritzschius haud sine causa ambigit quid pronunciet.

§ 7: τοὺς λόγους οὓς τότε ἤκουσα, συναγείρων καὶ πρὸς ἐμαυτὸν ἀνατυλίττων οὐ μικρὰν ἔχω παραμυθίαν. Hic sciendum est in optimo codice Φ legi συνεγείρων eaque lectionis varietas manu ducit ad συνείρων. Λόγους εἴρειν et συνείρειν idem fere est quod λέγειν· ostendit hoc Cobetus ad Philostratum in *Mnem.* 1859 p. 122. Pellucet tamen ubique primitiva *nectendi* significatio. Affert Cobetus Demosthenis locum ex Orat. de Corona p. 328. 12 πεφωνασκηκὼς καὶ συνειλοχὼς ῥήματα καὶ λόγους συνείρει τούτους σαφῶς καὶ ἀπνευσί, qui locus itidem Polluci obversabatur IV 27: λόγον διαπεράνασθαι, εἶραι, συνεῖραι ἀπνευσὶ περιόδους, ἀντίθετα κτἑ. Ita Lucianus quoque loquitur; Piscat. 22: ξυνείρετε τὴν κατηγορίαν καὶ διελέγχετε. Timon. 9: λήρους μεγάλῃ τῇ φωνῇ ξυνειρόντων. Prometh. s. Caucas. 5: σὺ μὲν περὶ τῆς κλοπῆς ἤδη σύνειρε. Latet, nisi fallor, mendum Vitar. Auct. 23: λεπτογράφοις βιβλίοις παραθήγοντα τὴν ὄψιν καὶ σχόλια συναγείροντα καὶ σολοικισμῶν ἐμπιμπλάμενον καὶ ἀτόπων ῥημάτων, malo enim συνείροντα scribere. Imprimis perfectum passivum calamitosum est milleque modis corrumpitur; veluti in Toxar. 43 recte legitur: διὰ τῶν ὀδόντων μεταξὺ διείρων τοὺς δακτύλους, sed § 33: ἀποπρίει τὴν ἅλυσιν ᾗ ἐδέδεντο ἐξῆς, τῶν κλοιῶν εἰς αὐτὴν διειρομένων, prorsus necessarium est διειρμένων. Apud Ammonium in voce λαλεῖν· τὸ μὲν διεξιέναι λόγον

Digitized by Google

συναίροντα λέγειν φασί, miror Valckenaerium non attendisse animum nec correxisse: συνείροντα. Unum praeterea Euripidis locum enotabo: is legitur Troad. 1039: χὴ Κύπρις κόμπου χάριν — λόγοις ἐνεῖται, sed elegantius duco ἐνεῖρται, sicuti Romani suum *inserere* usurpant. Cff. praeterea Fritzschii Quaest. Lucian. p. 41.

§ 9. Sine sensu editur: ἐκεῖνο μὲν ἔςω πρόχειρον, ὡς ἄμεινον ἦν καὶ ἄλλως ὁ ποιητὴς ἴσως διεξῄει. Ipse contextus evidenter flagitat: ὡς ἄμεινον ἂν καὶ αὐτὸς ὁ ποιητής.

§ 13: ἡσυχῇ τις ἂν ὑπεφθέγξατο προσποιούμενος λανθάνειν. Otiosa particula est; reponam: ἡσυχῇ τις ἀνθυπεφθέγξατο.

§ 14: φωνὴν ἀκοῦσαι πάντων ἔφη κοινῇ προεμένων. Stultum hoc est pro προϊεμένων. Nec dissimile vitium est § 35 καθίκετο pro καθῖκτο.

§ 38. In libris est sine sensu: οὐκοῦν καὶ αὐτὸς ἡμῖν ἐρᾶν ὁμολογεῖς; Fritzschius post αὐτὸς inseruit τῶν αὐτῶν· recte ad sententiam, sed parum eleganter; quodsi in tempore meminisset confundi solere ὡς et καί, non dubito quin maluisset: οὐκοῦν ὡσαύτως ἡμῖν ἐρᾶν ὁμολογεῖς; Itidem Hemsterhusius conferendus p. 294 Ed. Bip.

Iudicium Vocalium.

§ 2. Leve est reponere neutrum genus φυλάσσον et ἀγαγόν, uti et § 6 ἀπελάσαν et ἐκδιῶξαν· de ea re iam Hemsterhusius dixit itemque Schwarzius *Mnem.* 1885 p. 91. Verum quid illud est quod sequitur? Sigma dicit: ὡς ὀλίγου δεῖν ἡσυχίαν ἀγαγόντα (ἀγαγόν?) μηδὲ ἐν γράμμασιν ἀριθμεῖσθαι, ἐν ἴσῳ δὲ κεῖσθαι τοῦ ψόφου. Postremus qui quantum novi hunc locum attigit Herwerdenus est *Mnem.* 1879 p. 211, qui ita disputat: „Recte quidem editores repudiarunt alteram lectionem τοῦ φόβου, sed tamen valde suspectum habeo genetivum cum Hemsterhusio et Lehmanno, quorum hic τοῖς ψόφοις, ille τῷ ψόφῳ corrigebat. Mihi prae utrovis placet: ἐν ἴσῳ δὲ κεῖσθαι τῷ ψόφῳ".

Digitized by Google

Nimirum Lucianus ei respicere visus est Plat. Theaet. p. 174 E: *τό τε σίγμα τῶν ἀφώνων ἐστί, ψόφος τις μόνον*, neque Hemsterhusius huius loci immemor fuit; desidero tamen equidem iocum paulo salsiorem. Aut omnia me fallunt, aut *ψόφου* malesana correctio est; proficiscendum est a lectione *τοῦ Φόβου*, quae per se spectata absurda est, sed quo magis est absurda, eo verisimilius videbitur intus celare id quod verum est. Sed quid cesso meam suspicionem expromere? *ἐν ἴσῳ δὲ κεῖσθαι τῷ Κόππα*. Etenim inter *τὸ κόππα* et *τὸ Φῖ* exiguum discrimen est; alibi abiit in syllabam *σί*· cf. Bast. ad Greg. Corinth. p. 82.

§ 3: *δίκαιον οὖν οὐχ ὑμᾶς οἳ δικάζετε νῦν, ἀλλὰ καὶ τὰ λοιπὰ γράμματα τῆς πείρας ἔχειν τινὰ Φυλακήν*. Lege: *μόνον*.

(*Ad Timonem* vide supra p. 5.)

Prometheus s. Caucasus.

§ 3. Exclamat Prometheus: *οἷα πέπονθα ὁ κακοδαίμων οὐδὲν δεινὸν ἐργασάμενος*. Cui Mercurius: *οὐδὲν δεινὸν εἰργάσω*; Ita Iacobitzius edidit, quum olim recte legeretur *εἰργασμένος*· itidem requiritur perfertum *εἴργασαι*, sicuti in paragraphi fine recte scribitur: *δεινὰ εἰργασμένος φῆς μηδὲν ἀδικήσας δεδέσθαι*, non *ἐργασάμενος*.

§ 7: *πειράσομαι διαλύσασθαι τὰ ἐγκλήματα*. Dicitur hoc magis *ἀπολύσασθαι*.

§ 21: *εἴη δ' ἤδη σοι τὸν Θηβαῖον ὃν φῂς τοξότην ἐπιφανῆναι, ὡς παύσειεν ἀνατεμνόμενον ὑπὸ τοῦ ὀρνέου*. Scripsit Lucianus, scribere certe debuit: *ὃς παύσει σ' ἀνατεμνόμενον*.

Deorum Dialogi.

IV. 2: *τὰ δὲ πρόβατα ἴσως οἱ λύκοι διαρπάσονται ἤδη*. Non diripient, sed discerpent, dilacerabunt; scribam igitur *διασπάσονται*. Vide modo XII. 1: *δέδια μὴ κελεύσῃ τοὺς Κορύβαντας συλλαβόντας σε διασπάσασθαι*, XVIII. 1: *διασπασθῆναι ποιήσας ὑπὸ τῆς μητρός*, XIX. 1: *ἐς τὸν Τάρταρον ἐμβαλοῦσα ἡ αὐτὴ διεσπασμένη*, alibi. Ceterum quod olim edebatur *διηρπάσαντο*, etiam alio nomine vitiosum est.

Digitized by Google

V. 1. In colloquio cum Iunone Iovis verba sunt: καὶ τοῦτο γὰρ (scil. τὸ μειράκιον), ὦ Ἥρα, ζηλοτυπεῖς ἤδη ἀφελὲς οὕτω καὶ ἀλυπότατον. Ultimum vocabulum in mendo cubat; quaesivi quid lateret nihilque se mihi obtulit verisimilius quam: ἀνύποπτον.

V. 3: οὑτοσὶ γὰρ — ἡδίων καὶ ποθεινότερος — οὐ βούλομαι δ' εἰπεῖν, μή σε παροξύνω ἐπὶ πλέον. Haec quoque Iupiter loquitur, sed supplendum: οὐ βούλομαι δ' εἰπεῖν (ὅτου).

VI. 3: οἶδα καθ' ὅ τι συγγνώμην ἀπονέμεις τῷ Ἰξίονι. Postulatur futurum: ἀπονεμεῖς.

VIII. 1: ἔχων τὸν πέλεκυν ὀξύτατον. Dicendum utique fuit: τὸν πελέκεων ὀξύτατον. Sic Dial. Marin. VI. 2 legitur: δελφίνων ὁ ὠκύτατος.

IX. 1: Neptunus Mercurium rogat liceatne convenire Iovem. Negat Mercurius; tum Neptunus: ὅμως προσάγγειλον αὐτῷ. Scribe: εἰσάγγειλον, ut perpetuo loqui amant.

IX. 2: ταύτῃ συνελθὼν ἐγκύμονα ἐποίησεν. Necessarium est ταύτην· si dativus servabitur, in fine addendum erit αὐτήν, parum eleganter.

XII. 1: ὅρα οἷα ποιεῖς. Dele: ὅρα. Idem vitium Cobetus sustulit XXII. 4.

XII. 1: δέδια τοίνυν ἅπαντα, δέδια κτέ. Molestum illud ἅπαντα Fritzschius delevit; equidem corrigam: ὦ παῖ.

XII. 2: πότ' ἂν ἐκείνη σχολὴν ἀγάγοι ἐπ' ἐμὲ ὅλη οὖσα ἐν τῷ Ἄττῃ. Mire hoc dictum; praeferam: ἐπὶ τῷ Ἄττῃ.

XV. 3: εὐξαίμην δ' ἂν αὐτὸς ὁ ξυλληφθησόμενος εἶναι. Immo: δεξαίμην δ' ἄν. Dial. Mort. XV. 3: οὐκ ἂν δέξαιντο ἀνελθεῖν. Merc. Cond. 9: οὐδὲ βασιλεῖ συνὼν ὁρᾶσθαι μηδὲν χρηστὸν ἀπολαύων τῆς ξυνουσίας δεξαίμην ἄν. Navig. 46: οὐκ ἂν δεξαίμην πλουτή-

Digitized by Google

σας ἐπ' ὀλίγον ἀνιᾶσθαι μετ' ὀλίγον. Aliter usurpatum est verbum εὐξαίμην ἄν Hermotim. 25, Harm. 1, Eun. 13 et Amor. 50.

XX. 2: δεχόμεθα καὶ τοῦτον ὅσις ἂν ᾖ. Quam est otiose additum: τὸν Πάριν.

XX. 4: ἄλλως ἐπελθὸν [οὐκ ἐξεπίτηδες] ἤρετο. Vides quid suspicer.

XX. 11: ὡς δὲ ὁρᾷ ἥδε ἡδέως, καὶ γλαφυρόν τι καὶ προσαγωγὸν ἐμειδίασεν, Malim: ὡς δ' ὡραία, ὡς δ' ἡδέως. — Similiter, ut nunc demum video, Leeuwenius in *Mnem.* 1893 p. 288.

Dialogi Marini.

VII. 2. Mercurius μεταβέβληκεν ἑαυτὸν καὶ ἀντὶ νεανίου κυνοπρόσωπος γεγένηται. Supple: ἀντὶ νεανίου (γενναίου), cf. XIV. 1.

XI. 1: κατάσβεσόν μου τὰ τραύματα. Scamandri sunt verba ad Θάλατταν, quae deinde eum interrogat: τίς σε κατέκαυσεν· unde rescribere malim ἐγκαύματα, sicuti infra legitur: ὅπως διάκειμαι ὑπὸ τῶν ἐγκαυμάτων et Catapl. 24.

XI. 1: ἐπεὶ γὰρ Φονεύοντα τοὺς Φρύγας ἱκετεύσας οὐκ ἔπαυσα τῆς ὀργῆς, ἀλλ' ὑπὸ τῶν νεκρῶν ἐνέφραττέ μοι τὸν ῥοῦν. Commendabo: ἐνεφραττόμην.

XII. 2: τοῖς ἁλιεῦσι τούτοις ἐμβαλοῦσαι εἰς τὰ δίκτυα. Perperam adhaeret τοῖς Σεριφίοις. Interpolatio ipsa sede arguitur.

XIV. 4: ἡ μήτηρ ἐμεγαλαυχεῖτο καὶ ἠξίου καλλίων εἶναι. Supplendum: (ἡμῶν) καλλίων.

Dialogi Mortuorum.

I. 2: κέρατα Φύουσιν ἀλλήλοις καὶ κροκοδείλους ποιοῦσι. Intelligam: προτείνουσι. Cf. Vitar. Auct. 22.

Digitized by Google

III. 1: τὰ μέλλοντα προειδότες καὶ προειπεῖν δυνάμενοι τοῖς ἐρομένοις. Melius est, credo, quod in uno codice invenitur: δεομένοις.

XIII. 6: καὶ γὰρ Κλεῖτον ἐκεῖνον ὁρῶ καὶ Καλλισθένην. Lege: ἐκεῖ. Item XXIII. 3 malim rescribere ἐκεῖ quam cum Fritzschio delere ἐκείνῃ. Recurrit idem vitium Necyom. 10; de quo tamen loco aliter iudicat Fritzschius Quaest. Lucian. p. 69.

XXI. 1. Narrat Cerberus quomodo animatus Socrates ad inferos descenderit: κἀγὼ ἔτι διαμέλλοντα αὐτὸν δακὼν τῷ κωνείῳ κατέσπασα τοῦ ποδός. Hic nemo non haerebit et quaeret quo tandem pertineant verba τῷ κωνείῳ· sed primum expendamus Fritzschii adnotationem: „δακὼν τῷ κωνείῳ· haec verba cohaerent. Cerberus (sive ut in Demon. 45 Charon) mordere dicitur moribundos i. e. mori cogere. ergo Socratem cicuta mortuum non dente (ut alios) momordit sed cicuta. talis verborum lusus frequens Aristophani." Poterunt fortasse haud dissimiles ioci ex Aristophane excitari; sed quid hoc ad rem? Unice quaero quid deceat, quo nihil est Ἀττικώτερον. Ipse carnifex recte fortasse dici poterit Socratem τῷ κωνείῳ δακεῖν· quid hoc ad Cerberum? Sed locus ubi descensus est ad inferos τὸ σόμιον appellatur; veluti XXVII. 8 philosophi eo conveniunt spectatum: hinc Diogenes: ἤδη ἐπὶ τῷ σομίῳ ἐσμέν et § 9: ἀπίωμεν ἤδη, μὴ καί τις ἡμᾶς ὑπίδηται ὡς ἀπόδρασιν βουλεύοντας, ὁρῶν περὶ τὸ σόμιον εἱλουμένους. Ibidem Socratem Cerberus momordit. Vide etiam verba quae proxime praecedunt: ἐπεὶ δὲ κατέκυψεν εἴσω τοῦ χάσματος καὶ εἶδε τὸν ζόφον, κἀγὼ ἔτι διαμέλλοντα αὐτὸν δακὼν ἐπὶ τῷ σομίῳ κατέσπασα τοῦ ποδός, κτέ. Quam belle haec concinunt.

XXII. 3. Charon minitatur Menippo: καὶ μὴν ἄν σε λάβω ποτέ. Cui Menippus: ἂν λάβῃς, ὦ βέλτιστε. Et hoc quidem recte, sed languide additur: ὡς δ' οὐκ ἂν λάβοις.

XXIII. 3. Plutonis verba sunt ad Protesilaum: σὺ δὲ μέμνησο μίαν λαβὼν ἡμέραν, sed praeferam λαχών.

XXVI. 1. Exsequitur Chiron cur mori decreverit: οὐ γὰρ ἐν

Digitized by Google

τῷ αὐτῷ ἀεὶ ἀλλ' ἐν τῷ μετασχεῖν ὅλως τὸ τερπνὸν ἦν. Hic omnes interpretes haeserunt, sed Guyeto et Hemsterhusio p. 531 Ed. Bip. emendatio non successit. Wetsteinius scripserat: ἐν τῷ μετασχεῖν ἄλλων, Fritzschius ἐν τῷ μετασχεῖν πολλῶν, sed in ea lectione desidero iustam oppositionem. Eo nomine multum praestat quod Herwerdenus excogitavit *Mnem.* 1879 p. 220: οὐ γὰρ ἐν τῷ ἀεὶ ἀλλὰ καὶ ἐνίοτε μὴ μετασχεῖν ὅλως τὸ τερπνὸν ἦν, sed nimis operosa ratio videtur. Mihi plurimum arridet, ut in incerta re: ἐν τῷ μὴ ἡσυχάζειν ὅλως τὸ τερπνὸν ἦν.

XXVIII. 2. Rogat Menippus Tiresiam qui ex muliere in marem conversus fuerat: χρόνῳ δέ σοι ἡ μήτρα ἠφανίσθη καὶ τὸ γυναικεῖον ἀπεφράγη καὶ οἱ μαζοὶ ἀπεσπάσθησαν καὶ τὸ ἀνδρεῖον ἀνέφυ καὶ πώγωνα ἐξήνεγκας ἢ αὐτίκα ἐκ γυναικὸς ἀνὴρ ἀνεφάνης; Hic haeret Fritzschius: lectio ἀπεσπάσθησαν aperte falsa est, nec sunt meliores scripturae ἀπεσάθησαν, ἀπεσάτησαν vel ἀπετάθησαν· itaque tanquam ad incitas redactus edidit συνεσπάσθησαν quod tolerabile est; sed non sunt peiores coniecturae ἀνεσάλησαν et ἀπετάκησαν. Aliud quaerere certum est. Verbum est scarificandi medicis fere proprium σχᾶν vel σχάζειν, de quo verbo nuper Leeuwenius luculenter egit *Mnem.* 1898 p. 223. Forte fortuna vocabulum satis rarum Aristophanes ter usurpavit in Nubibus et primitiva significatio imprimis apparet vs. 409:

ὤπτων γαστέρα τοῖς ξυγγενέσιν κἄτ' οὐκ ἔσχων ἀμελήσας.

De hoc verbo σχᾶν vel σχάζειν cum compositis ἀποσχάζειν et κατασχάζειν, multa contulit Lobeckius ad Phryn. p. 219. Iubet Hippocrates p. 545. 15, quem locum Stephano debeo, ut tumores subsidant, ἢν οἰδήσῃ τὰ αἰδοῖα καὶ τοὺς μηροὺς θαρσέως κατασχᾶν. Hinc scribam apud Lucianum ἀπεσχάσθησαν vel fortasse melius κατεσχάσθησαν; scil. per papillas misso sanguine. Eadem corruptela recurrit apud Hippocr. p. 57 C ἀπόσασις βραχίονος pro ἀπόσχασις.

Menippus s. Necyomantia.

§ 7: ἐκάθηρέ τε με καὶ ἀπέμαξε καὶ περιήγνισε δᾳδὶ καὶ σκίλλῃ. Malo: περιέμαξε, quod compositum in lustrationibus certum locum habet.

Digitized by Google

§ 13: *τὸν γὰρ Σικελιώτην Διονύσιον πολλὰ καὶ ἀνόσια ὑπό τε Δίωνος κατηγορηθέντα καὶ ὑπὸ τῆς σκιᾶς καταμαρτυρηθέντα, παρελθὼν Ἀρίστιππος — μικροῦ δεῖν τῇ Χιμαίρᾳ προτεθέντα παρέλυσε τῆς καταδίκης.* Syntaxis laborat, cui subvenies scribendo: (*πρὸς*) *πολλά*. Praeterea miror cur Fritzschius *προτεθέντα* ediderit; libri habent *προσδεθέντα*, quod equidem cum Solano scribam: *παραδοθέντα*.

§ 19: *ἐπεὶ γὰρ αὐτῶν κατηγόρητο πολλὰ καὶ δεινά, βία καὶ ἀλαζονεία καὶ ὑπεροψία καὶ ἀδικία*. Quater reponam pluralem numerum *βίαι*, cet.

Charon s. Contemplantes.

§ 6. Invitatus ad coenam nescio quis respondet: *μάλιστα· ἥξω*. Satis certum est reponendum esse *κάλλιστα*. Hoc est gratias agentis; deinde addit *ἥξω* ut significet se adfuturum; nam quo sensu *κάλλιστα* dicamus, quum oblata occasione nolumus uti, id nuper ad Plutarchum me dicere memini. Hinc necesse fuit addere *ἥξω*.

§ 20: *εἰ ταῦτα ἐμβοήσαιμι αὐτοῖς, οὐκ ἂν οἴει μεγάλα ὠφεληθῆναι τὸν βίον καὶ σωφρονεστέρους ἂν γενέσθαι*; Minime dubium est quodnam subiectum verbi *ὠφεληθῆναι* esse debeat itaque corrigendum: (*πρὸς*) *τὸν βίον*.

§ 21: *τοσούτῳ κηρῷ ἔβυσαν αὐτά·* hoc quidem recte, sed languet interpolatio: *οἷόνπερ Ὀδυσσεὺς τοὺς ἑταίρους ἔδρασε δέει τῆς Σειρήνων ἀκροάσεως*.

§ 22: *οἶσθ' οὖν εἰ δύναιντ' ἂν ἔτι ἀνελθεῖν ἅπαξ ὑποχθόνιοι γενόμενοι. Redire*, ut opinor, est *ἐπανελθεῖν*.

De Sacrificiis.

§ 2: *εἰκάζειν δὲ χρὴ πολλὰ εἶναι καὶ ἀλεκτρυόνος καὶ σεφάνου καὶ λιβανωτοῦ μόνου παρ' αὐτοῖς ὤνια*. Corrigam: *λιβανωτοῦ καὶ ποπάνου*, coll. § 12: *ὁ δέ τις λιβανωτὸν ἢ πόπανον*.

Digitized by Google

§ 3: κατετόξευσε [τῷ λοιμῷ] τοὺς Ἀχαιοὺς αὐταῖς ἡμιόνοις. Vides quid eiiciendum esse censeam.

§ 5: ταῦτα σεμνολογοῦσιν οἱ ποιηταὶ περὶ τῶν θεῶν καὶ πολὺ τούτων ἱερώτερα περί τε Ἡφαίστου καὶ Προμηθέως. Immo: μιαρώτερα· sed Madvigius hoc iam occupavit emendare.

§ 7. De Rhea ita legimus: πῶς οὐκ ἀσχημονεῖ καὶ δεινὰ ποιεῖ, γραῦς μὲν ἤδη καὶ ἔξωρος οὖσα; Revocat mihi in memoriam hic locus verba quae leguntur Deor. Dial. XXII. 1. Colloquuntur Mercurius et Pan filius, quem antea numquam viderat. Interrogat pater: πῶς υἱὸς ἐμὸς εἶ. Pan respondet: μοιχιδιός εἰμι, ἐξαίρετός σοι γενόμενος. Hic codices in diversa abeunt, nam alii hoc ipsum ἐξαίρετος habent, alii ἐξ ἔρωτος. Cobetus in adnot. ad Orat. Inaug. p. 122 uno verbo significat sibi placere lectionem ἐξ ἔρωτος. Contradicit Fritzschius et reponit omnes mortales ἐξ ἔρωτος nec sane ἐκ μίσους nasci. Assentior, nec tamen propterea veram esse concesserim alteram lectionem ἐξαίρετος. Secundum Fritzschium, sicut Agamemnon Casandrae amator ἔρωτ' ἐξαίρετον μαινάδος ὑπέρη, Eur. Troad. 416, ita liberi in pellicatu nati recte dici possunt ἐξαίρετοι. Ego vero plane non assequor quid faciat Euripidis locus ad vexati loci intelligentiam satisque apud me constat utramque lectionem improbandam esse. Quid si verum est: ἔξωρός σοι γενόμενος? iam adulta aetate est et grandis natu barbatus Pan, qui nunc primum in patris conspectum venit. Est tamen cur dubitem.

(*Continuabuntur*).

Digitized by Google

DE EUGAMMONIS CYRENAEI TELEGONIA.

SCRIPSIT

J. VÜRTHEIM.

Rampsinitus rex Aegypti cum tantas divitias coacervasset quantae nulli post eum contigerunt principi, ut ingentem illam vim argenti tutam a praedonibus servaret, cellam lapideam a perito architecto aedificari curavit. Hic autem vafer homo parietem externum ita exstruxit, ut unus lapis facile extrahi posset, quo remoto introitus clandestinus in thesaurum regalem pateret. Cum in eo esset ut moreretur, duobus filiis aditum secretum indicavit, quo prudenter usi reliquam vitam curis vacuam degerent, quippe qui essent *ταμίαι τῶν βασιλέος χρημάτων*. Rex vero, cum cottidie opes suas imminui videret et quomodo surripi possent miraretur, decipulam posuit, qua mox alter frater haesit. Qui cum expedire se nequiret, fratrem caput sibi praecidere iussit, ne ipse agnosceretur illumque simul perderet. Quo tristi officio functus frater aufugit caput amputatum secum portans. Cetera huius historiae ab Herodoto (II, 121) lepide narratae cum minus ad rem meam faciant mitto, paucis modo verbis de narrationis fine adiectis; nempe regem filiam suam uxorem dedisse furi, qui cum Aegyptii ceteros mortales astutia superarent, Aegyptiorum omnium vaferrimus esset repertus.

Similis narratio invenitur apud Pausaniam (IX, 37, 4 sqq.), qui Callippum Orchomenium auctorem adhibuit secundum Robertsium (Commentat. Momms. 145). Legimus enim Trophonium et Agamedem, *filios Ergini regis* Orchomeniorum, architectos celeberrimos regi vicino Hyrieo thesaurum aedificasse, et eum eodemmodo esse depeculatos; tandem Agamedem decipula vel

Digitized by Google

alia quadam machina (πάγας ἤ τι καὶ ἄλλο) captum esse; deinde Trophonium *proprio motu* fratri caput praecidisse, ne hic ignominia afficeretur ipse vero conscius appareret; quo facto prope Lebadeam terra scissa devoratum esse.

Tertium mythum subsimilem tradidit Charax sacerdos Pergamenus, qui non multo ante Pausaniam sed post Neronem vixit. Traduntur enim in Schol. ad Nub. vs. 508 haec: „Agamedes *archon Stymphali* Arcadiae urbis in matrimonium ducit Epicasten, cui filius σκότιος erat Trophonius. Hic cum vitrico thesaurum aedificat regi Elidis Augiae, quem deinde eo quem vidimus dolo usi despoliant, comite adhibito Cercyone iuvene ex Epicastes et Agamedis iustis nuptiis nato. Sed Daedali auxilio, qui forte ad Augiam deverterat, illaqueatus est Agamedes, Trophonius autem mortuo caput desecuit et cum Cercyone fugit Orchomenum. Quos cum Augias Daedalo monente persequeretur πρὸς τὴν τῶν αἱμάτων ἔκλυσιν, Cercyon Athenas evasit, Trophonius Lebadeam, ubi in spelunca usque ad mortem vixit; mortuus quasi deus colitur."

Quid sibi velint verba πρὸς τὴν τῶν αἱμάτων ἔκλυσιν, non video; nam Augias rex spoliatus non erat is, qui mortem praedonis vindicare deberet vel interemptorem ad piaculum lustrandum cogeret. Offendit quoque plurale αἱμάτων; quare propono πρὸς τὴν τῶν χρημάτων ἔκδοσιν.

Fuit haud dubie eiusmodi fabula quam insculptam fuisse craterae qua Polyxenus Augiae nepos Ulixem donavit legimus apud Proclum in Chrestomathia; sunt verba haec:

Τηλεγονίας βιβλία δύο Εὐγάμμωνος Κυρηναίου περιέχοντα τάδε· οἱ μνηστῆρες ὑπὸ τῶν προσηκόντων θάπτονται, καὶ Ὀδυσσεὺς θύσας Νύμφαις εἰς Ἦλιν ἀποπλεῖ ἐπισκεψόμενος τὰ βουκόλια, καὶ ξενίζεται παρὰ Πολυξένῳ δῶρον τε λαμβάνει κρατῆρα, καὶ ἐπὶ τούτῳ τὰ περὶ Τροφώνιον καὶ Ἀγαμήδην καὶ Αὐγέαν κ.τ.λ. [1]).

E tribus his narrationibus quae prima sit orta atque apud quem populum, utrum ex Aegypto in Graeciam sit importata an e Graecia profecta late vagans in Aegyptum penetrarit, dubia res est et varie varii de ea disputarunt viri docti et disputant. Sunt etiam qui orientalis originis indicia in fabula

1) Vide infra pag. 14 (Annot.).

Digitized by Google

Herodotea inveniri perhibeant; historiam enim versuti architecti in literis Sanscriticis, apud Turcas, apud Russos esse notam. Nos hanc partem quaestionis certis terminis circumscribemus; mittimus rogare e quanam longinquiore fortasse regione sive in Aegyptum sive in Graeciam venerit fabula, hoc modo scire cupientes sitne per Aegyptum invecta in Graeciam an per Graeciam in Aegyptum, an — nam tertium quoque datur — similes in Graecia et in Aegypto notae fuerint narrationes, sive ex Oriente et huc et illuc illatae sive in ipsis illis regionibus sponte exortae.

Nam licet libenter concedam K. O. Muellero (Orchom. I p. 88), nihil obstare quominus haec fabula origine indo-germanica fuerit, tamen non video cur Masperonem ducem sequi recusemus suo iure originem aegyptiacam ei tribuentem (Cont. XXXIX sqq.). Neque nescio Steinium Herod. I³ p. 136 annotasse fabellam origine non aegyptiacam videri, lepidum enim illum furem militibus qui fratris corpus custodirent barbam dextram rasisse dici, Aegyptios vero barbam non aluisse; sed adversarium idoneum hic invenit A. Wiedemannum (Herodots zweites Buch mit sachlichen Erläuterungen 1890), qui annotavit iam regem Amenophim IV milites barbatos habuisse stipendiarios, Libyes vero conducticios inde a dynastia XIX^{a} barbatos in imaginibus apparere, necnon Herodoti tempore hunc morem in exercitu Aegyptiorum valuisse. Idem Aegyptologus alia quoque docet, quibus uti potest, qui originem Aegyptiacam nostrae fabulae defendere studeat. Nam cellae occultae, quales depingit Herodotus, ibi plurimae sunt repertae, quas intrare nisi lapide remoto nemo poterat; vetus quoque textus superest cuius est interpretatio haec: „Krypta profanis est ignota; qui ianuam quaeret non inveniet praeter deorum prophetas." Mos quoque obsignandorum locorum, quae inire non licebat, per Aegyptum erat vulgatus. Fures autem, ut de rege Amasi taceamus, magno ibi in honore fuisse vel hinc patet, quod usque ad medium hoc saeculum in Aegypto exstitit certus ordo praedonum cui praefectus praeerat, qui bona surrepta possessoribus redderet si quartam pretii partem furibus solvissent.

Sed hac de re iam satis est; nunc videamus et perpendamus quae ab auctoribus praesertim recentioribus de nostra fabula

Digitized by Google

sint prolata. Inter quos, qui primarium locum occupat, K. O. Mueller sic ratiocinatur (Gesch. Hellen. Stämme u. St. I p. 98): „antiquissimo tempore colonia Minyarum Orchomeno profecta in Triphylia consedit ibique septem urbes occupavit Eleis vicinas nec dubitari potest quin ab hisce colonis historia de furto a Trophonio et Agamede in *Hyricum* commisso translata sit in *Elidis regem Augiam*. Quae colonia cum in Triphylia consederit uno alterove saeculo post immigrationem doricam, fabula quoque *tunc temporis* translata fuerit necesse est; unde sequitur hanc narrationem Graecis notam fuisse antequam melius iis innotuerit Aegyptus."

Pergit v. d. p. 101: „statuamus igitur lepidam fabellam tunc demum in Aegyptum esse transvectam, cum regio illa sub regibus Saiticis graecis moribus imbueretur; cum vero semel in annales regios irrepsisset, esse pervulgatam a sacerdotibus interpretibusque qui coram peregrinis Aegypti gloriam quoquomodo augere cuperent." Deinde p. 103: „Psammetichus Iones stipendiarios in intimam partem imperii duxit, qui pueros aegyptios linguam graecam docerent; ex his pueris genus illud interpretum est ortum a quibus peregrini mythos aegyptios acceperunt. Ducentis annis post Herodotus venit in Aegyptum; quid mirum si fabellae graecae, quas milites illi discipulos suos docuissent, tunc penitus in Aegyptiorum mentes penetrarant atque a sacerdotibus bono Herodoto pro meris Aegyptiacis sunt venditae."

Muelleri opinio, quam alii v. d. [1]) pro maiore parte sunt amplexi, cum ob ipsum auctorem tum ob argumenta, digna est quae accuratius perpendatur. Minyarum coloniam Orchomeno profectam in Triphylia consedisse docet vel nomen fluvii Minyei (Λ 722), quod Strabo (VIII, 347) probabiliter admodum deducit a Minyis, qui ex Orchomeno Minyeio cum Chloride Nestoris matre in Peloponnesum immigrarunt. Nestoris vero patriam fuisse Pylum *Triphyliae*, nemo negabit qui in Muelleri libro (p. 364) disputationem de bello cum Epeis e libro undecimo Iliadis noto perlegerit. Quis, ut unum argumentum afferam, credat pecus, quod in Elide coegerant Pylii, *una* nocte in urbem Messeniacam agi potuisse (cf. Λ 683 sq.)?

1) V. Gutschmid Philol. X p. 654; Dümmler Ann. d. Instit. 1885 p. 130 sqq.; Studniczka Kyrene p. 6; Svoronos Gaz. Arch. 1888 XIV p. 257 sqq.

Digitized by Google

Hi igitur Minyae narrationemne de rege Hyrieo secum e patria attulerunt et in Triphylia pro nomine Hyriei illud Augiae posuerunt? Esto. Sed cur fecerunt? Cur in Triphylia potius volebant narrare quomodo Augias quam quî Hyrieus esset spoliatus? Nemo non respondebit: quoniam in Elide easdem partes adversus eos agebat Augias quibus Hyrieus in Boeotia semper erat functus. Erat enim uterque Minyarum hostis perpetuus, hostis opibus abundans. Significare igitur hoc mytho volebant Minyae Augiam licet opibus praevaleret, ingenio certe ipsis esse imparem, quemadmodum furtum a Trophonio in Hyrieum commissum celebrarat maius ingenium, acriorem sagacitatem Orchomeniorum. Nam fabula de astutia Trophonii magis reconditum quidem primitus habuerat sensum, qui in tenebris temporis ante-historici pro parte adhuc latet, sed iuxta hanc significationem quam ipsa naturae phaenomena praebuerunt inventa est alia quae populo pedetemptim a mythis physicis alienato et ad rationalismum propenso satisfacere posset. Qui enim erant architecti illi Orchomenii; quid sibi volebat Hyriei illa gaza? Thesauri e cella subterranea protracti proprio sensu erant fruges quas mortales arte ac labore terrae e gremio sibi parant; Trophonius vel Trephonius ab origine erat deus aliquis χθόνιος, qui post longam siccitatem ut pluviam mitteret ab hominibus — τὸν οὐράνιον et τὸν χθόνιον θεόν unum eundemque habentibus — rite orabatur. Sed indigetando ex uno hoc Iove (vel Mercurio) [1]) dii tres sunt facti, e quibus unus Clymenus (i. e. Ζεὺς Κλύμενος vel Περικλύμενος) avum repraesentabat, secundus Trophonius antiquo nomine servato vates fiebat, tertius Agamedes (i. e. sagacissimus) indolem prudentem τοῦ χθονίου θεοῦ indicabat; deinde e dis mutati in reges mythicos (ut Amphiaraus ille) a poeta quodam seriei regum Orchomeniorum sunt inserti, ut apparet inspecto Pausania IX, 37, 4. Narrat enim periegetes regem Orchomenum Minyae filium *progeniem non reliquisse, imperium igitur transisse* in Clymenum oriundum ex Athama Laphystii rege; post mortem vero Trophonii et Agamedis *iterum transisse regnum in novum genus* ortum

1) Preller Gr. Myth. II p. 346; Cic. de Nat. Deor. III, 22; Arnob. adv. Nat. IV, 14, 1.

Digitized by Google

e Marte deo. Idem fortasse poeta quartum heroem invenit Erginum, patrem Trophonii et Agamedis, nec obscurum videtur quare eum crearit. Qua de re paulo fusius mihi agendum est, cum ipsum huius quaestionis cardinem tangat.

Inde a tempore antiquissimo Trophonius et frater structores periti videntur esse habiti: scriptores tamen qui ante Pausaniam vixerunt mirum de ea re servant silentium. Hymn. Apoll. vs. 296 legimus quidem:

λάϊνον οὐδὸν ἔθηκε Τροφώνιος ἠδ' Ἀγαμήδης
υἱεῖς Ἐργίνου, φίλοι ἀθανάτοισι θεοῖσιν,

ubi de solo lapideo in Apollinis Delphici sacro sermo fit, sed neque Herodotus, licet duobus locis (I, 46, 12; VIII, 134, 3) oraculum Trophonii commemoret, licet uberrimus sit in narratione de thesauro Rhampsiniti, quae homini vel maxime oblivioso historiam de *architecto* Trophonio in memoriam revocare deberet, neque tragici ullum verbum de *hac* Trophonii Agamedisque peritia dicunt. Euripides tantummodo loquitur (Ion. vs. 300) de σηκοῖς Τροφωνίου, i. e. de sacro loco. Comici quoque, qui vehementer in vanitatem huius superstitionis invecti sunt [1]), de arte aedificandi σὐδένα λόγον. Suspiceris fere totam antiquitatem versuum Apollinis Hymni fuisse oblitam usque ad scholiastam, qui Nub. 508 observat: [Τρ. καὶ Α.] τὸν ἐν Δελφοῖς Ἀπόλλωνος ναὸν ἠργολάβησαν. Dixeris Trophonium Graecis Periclis aetatis merum vatem fuisse, quinimo audacius conieceris versus laudatos sero in hymnum esse illatos vel totam hymni partem, quae de deo pythico agat Cynaetho (Κύναιθος Χῖος ὃς τὸν εἰς Ἀπόλλωνα γεγραμμένον ὕμνον λέγεται πεποιηκέναι Schol. Pind. Nem. II, 2) esse recentiorem [2]). Sed scholium quoddam recentissimo tempore inventum tantam audaciam repellit. Scripsit enim E. Rohde in Philologo XXXV p. 199 haec: „Im Codex Palatinus 73 der vaticanischen bibliothek findet sich zu Lucians Dial. Mort. III zuerst ein Scholion, welches mit Schol. G. bei Reitz I, p. 338, 11 übereinstimmt. Dann heiszt es aber im Palatinus weiter: τοῦτον γὰρ τὸν Τροφώνιον καὶ τὸν ἄλλον (ec-

1) Vid. ap. Meinekium fragm. Cratini, Cephisodori, Alexidis, Menandri s. v. Trophonius.

2) Vid. Die Homerischen Hymnen Gemoll p. 114: „Oder sollte der sogenannte pythische Hymnus erst nach Thucydides fallen?"

Digitized by Google

quid καὶ τὸν Ἀγαμήδην?) μέμνηται Πίνδαρος ἐν τῇ ᾠδῇ τῶν Ἰσθμιονικῶν τῇ εἰς Κασμύλον Ῥόδιον πύκτην· ἱστορεῖ δὲ οὕτως· ὁ δ' ἐθέλων τε καὶ δυνάμενος ἁβρὰ πάσχειν τὰν Ἀγαμήδεϊ Τροφωνίῳ θ' ἑκαταβόλου συμβουλίαν λαβών· ὁ δὲ τὴν περὶ ταῦτα φράσιν συντάξας λέγει οὕτως . . . cetera desunt."

Optimo iure Rohdius observavit verba ὁ δ' ἐθέλων — λαβών ipsius Pindari fuisse, confert autem Plutarchi verba in Cons. ad Apoll. 14: καὶ περὶ Ἀγαμήδους δὲ καὶ Τροφωνίου φησὶ Πίνδαρος, τὸν νεὼν τὸν ἐν Δελφοῖς οἰκοδομήσαντας αἰτεῖν παρὰ τοῦ Ἀπόλλωνος μισθόν· τὸν δ' αὐτοῖς ἐπαγγείλασθαι εἰς ἑβδόμην ἡμέραν ἀποδώσειν, ἐν τοσούτῳ δ' εὐωχεῖσθαι παρακελεύσασθαι, τοὺς δὲ, ποιήσαντας τὸ προσταχθὲν, τῇ ἑβδόμῃ νυκτὶ κατακοιμηθέντας τελευτῆσαι. (Cf. Cic. Tusc. I, 47, 114).

Apparet igitur Pindaro fabulam de primo Apollinis Delphici templo vel adyto a fratribus Trophonio Agamedeque constructo fuisse notam, sive ex hymno, sive ex ampliore mytho, sive ex ambobus; deinde eum hunc mythum cecinisse in oda Isthmiaca, non ut putabat Bergk Lyr. p. 295 in Θρήνοις. Sed oda illa parum, quantum quidem scimus, profuit Trophonii famae; certe Euripides, qui in Ione Delphicum templum fuse describit, de Trophonii opera in eo condendo allata plane silet, licet Trophonium *vatem* ter (vs. 300, 393, 405) in ea fabula nominet. Primi qui post Pindarum in literis superstitibus nomina amborum Orchomeniorum cum sacro Apollinis coniunxerunt hymnique versus in memoriam revocarunt; sunt scholiasta Alexandrinus in Aristophanem, Strabo (IX, 421), Plutarchus l.l., Pausanias (X, 5, 13), Steph. Byz. s. v. Δελφοί; admodum igitur seri auctores.

Sed fama deorum architectorum licet Herodoti Platonisque temporibus in tenebras recessisse videatur, floruit ante Pindarum, *non tamen per totam Graeciam*, sed in vallibus absconditis Boeotiae, in Arcadiae loco remoto montibusque saepto. Thebis exstabat Amphitryonis domus cum Alcmenes thalamo, quem ἐποίησε Τροφώνιος ἠδ' Ἀγαμήδης (Paus. IX, 11, 1); in vicinia Mantineae Ποσειδῶνός ἐστι τοῦ ἱππίου τὸ ἱερόν quod Ἀγαμήδης λέγονται καὶ Τροφώνιος ποιῆσαι, δρυῶν ξύλα ἐργασάμενοι καὶ ἁρμόσαντες πρὸς ἄλληλα (Paus. VIII, 10, 2); antiquissimum igitur exemplum delubri e trabibus confecti, quod Hadriani cura nova templo

Digitized by Google

lapideo circumdatum seris saeculis speciem praebuit vetustissimae aedificandi artis.

Quae fama Trophonio unde venerit, quis dixerit; fortasse originem duxit e singulari structura speluncae quam deus Lebadeae non modo habitasse sed etiam construxisse dicebatur. Nam *subterranearum* praesertim cellarum aedificandarum peritus esse ferebatur. Utut id est — et nunc tandem ad propositum revertimur — nomen patris Ἐργίνου sive *architecti* tunc demum inventum et seriei regum Orchomeniorum insertum esse videtur, cum Trophonius iam vulgo ut architectus celebraretur; e qua peritia Agamedem quoque nomen suum duxisse iure fortasse aliquis contenderit. Tunc Daedali cum iis coniunctum est nomen, quem prope antrum Lebadeae statuam posuisse — priscae religionis documentum — apud Pausaniam (IX, 39, 8) legimus.

Vidimus igitur Iovem τροφώνιον χθόνιον e spelunca sua in lucem quasi protractum in duos heroas abiisse, quemadmodum Amphiaraus est natus e Iove Amphiarao et subterraneus Iuppiter plurimis locis *cognominibus variis* invocabatur, qualia sunt Ζεὺς Εὔβουλος vel Εὐβουλεύς, Βουλαῖος, Κλύμενος; quae nomina ex euphemismo nata licet in propria non transierint, fieri tamen id potuisse docet nos Dionysi exemplum, qui solo cognomine (Εὔιος, Βρόμιος) saepius advocatur, vel Orci qui apud Nicand. Al. 14 brevi Εὐβουλεύς appellatur. Observavimus deinde deum frugum altorem [1]) praeditum fuisse arte futura praedicendi incitatum vi illa terrae quae Pythiae quoque mentem divino afflatu concitabat [2]). Nam sicut ceteri dii chthonii oracula edebant vel potius sopitis insusurrabant, sic Delphis ipsis ante Apollinis adventum fuit μαντεῖον χθόνιον, quod

ποικιλόνωτος οἰνωπὸς δράκων
σκιερᾷ κατάχαλκος εὐφύλλῳ δάφνᾳ
γᾶς πελώριον τέρας ἄμφεπε [3]).

Trophonii autem oraculum mansit quod initio fuerat ac per omnia saecula *incubatione* futura praesagiebat, Apollinis vero

1) τρέφειν. Memoriam huius dei servat Pausanias IX, 40, 1: cum enim Boeotia diu pluvia caruisset et incolae Apollinem remedium rogarent, προσέταξεν ἡ Πυθία παρὰ Τροφώνιον ἐς Λεβάδειαν ἐλθοῦσιν εὑρέσθαι παρὰ ἐκείνου τὸ ἴαμα.

2) Cicero, de Divin. I § 38.

3) Iphig. Taur. 1245.

Digitized by Google

sacrum Dionysi cultum ecstaticum in se recepit et responsa dabat *vigilantibus* per sacerdotem instinctu divino furentem [1]). Unde statuere licet oraculum Lebadiaeum, quod iam tempore Aristophanis irridebatur, utpote obsoletum et hac de causa — ut fit — puerile habitum, antiquius fuisse Pythico oraculo ecstatico, licet et huius origo in tenebris mythologicis lateat. Admirationem certe movet constantia Trophonii cultus; nam fuerat aequalis illius Aesculapii quem Thessali Triccae locis subterraneis implorabant, saeculo autem Hadriani immutatus imminutus etiam apud Graecos et barbaros vixit floruitque [2]). Agamedem autem et Trophonium heroas factos et ob artem aedificandi apud Orchomenios celebratos a Minyis in Triphylia quoque esse cultos nihil obstat quominus credamus. Neque aliam ob causam cum Augiae nomine in nota fabula coniunctos esse arbitror, quam ut illustraretur Minyarum ingenium magis acutum, quo invisus ille Augias lepidissime esset fraudatus et ludificatus. Quae enim alia causa Minyas permovere potuit ut nomen Hyriei cum Augiae mutarent? Facile igitur Muellero assentirer perhibenti Orchomenios fabulam de Hyriei thesauro in Triphyliam introduxisse atque ibi cum Augiae nomine coniunxisse, si revera Agamedes et Trophonius illi, qui Augiam deceperunt, fuissent *idem* heroes Orchomenii *qui deluserunt Hyrieum*. Sed non fuerunt. Teste enim Charace [3]) Ἀγαμήδης ἄρχων Στυμφήλου τῆς Ἀρκαδίας ἐγάμει Ἐπικάστην, ἧς παῖς ἦν Τροφώνιος σκότιος. οὗτοι ἐν Ἥλιδι ταμιεῖον χρυσοῦν (?) κατεσκεύασαν Αὐγείᾳ — ἔκλεπτον τῶν χρημάτων ἅμα Κερκυόνι ὃς ἦν γνήσιος Ἀγαμήδους καὶ Ἐπικάστης υἱός. Agamedes igitur *Stymphalius* cum *privigno* Trophonio et Cercyone, noto praedone quem Theseus ἐν Ἐλευσῖνι καταπαλαίσας ἀνεῖλε [4]), scelus commiserunt. Quid autem Minyis cum rege Stymphali, urbis procul a Tri-

1) Cf. E. Rohde Psyche II 59.

2) Neque comicorum insectationes ad vim huius religionis minuendam quidquam valuisse, neque Dicaearchi κατάβασιν εἰς Τροφωνίου eius auctoritati nocuisse, docet K. O. Mueller Orch. I p. 151, qui laudat oracula data de exitu pugnae Leuctricae, de morte Philippi, de victoriis Sullae; necnon commemorat ludos publicos aetate Hadriani Lebadeae habitos, et oracula de civitate romana quae Eutychides in unum volumen collecta a Tr. accepisse dicebatur.

3) Nub. 508 in Schol

4) Plut. Thes. 11.

Digitized by Google

phylia in Arcadiae parte orientali sitae? Quid Minyis cum Cercyone, quid cum Trophonio illo *non legitimo coniugio orto?* Equidem certe minime credo Minyas *Triphyliam* incolentes finxisse mythum in quo *Stymphalius* rex, *alienae* igitur gentis homo e regione quam maxime remota *regi Elidis* thesaurum aedificasse diceretur. Nam quo consilio *suum* Trophonium cum filio spurio obscurae cuiusdam reginae, Agamedem *suum* cum ignoto rege urbis procul absconditae mutassent? Gloria autem quanam *Minyae* poterant affici si *Arcas* quidam *Eleum* spoliaret? Immo omnes hae mutationes, nomen Cercyonis perperam introductum, mentio Daedali forte fortuna apud Augiam degentis, produnt imitatorem, qui hoc episodium finxit ad exemplum sive narrationis aegyptiacae sive fabulae Hyriei — siquidem haec iam exstabat, qua de re mox videbimus.

Quis autem fuerit ille imitator dubium esse non potest, cum ex Proclo constet Eugammonem Cyrenaeum in Telegonia hanc fabulam Augiae tractasse; ab hoc igitur Charax postea materiam suam mutuatus est. Antequam vero efficere conemur unde Eugammon argumentum petierit et cur Cyrenae potissimum Trophonii historia sit tractata, praemittendam puto aliam observationem, qua, nisi fallor, Muelleri argumentatio etiam magis debilitatur. Nam quod narrat de Psammetichi stipendiariis, quos mythum Graecum in Aegyptum introduxisse et divulgasse perhibet, nulli credo lectori placere potest. Narrat enim Herodotus II 154: *τοῖσι δὲ Ἴωσι καὶ τοῖσι Καρσὶ τοῖσι συγκατεργασαμένοισι αὐτῷ ὁ Ψαμμήτιχος δίδωσι χώρους ἐνοικῆσαι — καὶ δὴ καὶ παῖδας παρέβαλε αὐτοῖσι Αἰγυπτίους τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν ἐκδιδάσκεσθαι.* Regnavit hic rex ab anno 664° usque ad 610m a. C. n.; stipendiarii eius *Iones et Cares* documentum reliquerunt in colossis templi apud Abul Simbel: notam inscriptionem Ionicam qua antiquior nulla exstat [1]). Aptos igitur fuisse hos milites qui ludimagistrorum vice fungerentur, nemo negabit, nam Ionice loquebantur itemque arte legendi et scribendi valebant. Addit vero Muellerus: „mythos quoque Graecos martiales illos magistros docuisse", quod licet de fabulis Ionicis fortasse sit consentaneum, minime concedere possum de fabula, quam in

1) De aetate vid. A. Kirchhoff Stud. z. Gesch. des Griech. Alph.[4] p. 37.

Digitized by Google

Triphylia vixisse ipse censet Muellerus. Nam Eugammon ille *Augiae* regis non *Hyriei* tractavit historiam, itaque si Muellerus verum vidit, fieri non potest quin milites mythum *Triphyliacum* discipulos docuerint. Meo autem iure rogo unde Iones illi, qui tot annos in Asia, Aegypto, Nubia stipendia fecissent, fabulam e parte occidentali Peloponnesi notam habuerint. Aliter res se haberet si fabula de *Hyriei thesauro* ab Eugammone esset narrata; tunc cum specie aliqua posset contendi nautas Boeotios mythum illum in Ioniam traduxisse, Iones deinde milites eum transtulisse in Aegyptum et Cyrenen. Quod nunc contendi nequit, nisi quis putet iam tunc temporis commercium fuisse inter Triphyliam et Ioniam. Id vero nemo contendet. Reiiciendum igitur puto hoc Muelleri argumentum; quo nihilo validiora sunt quae de affinitate Augiae cum Hyrieo p. 99 protulit. Observat enim matrem Augiae Hyrminen fuisse filiam Nyctei, qui ipse Hyrieo patre uteretur; deinde exclamat: „Was kann offenbarer sein, als dasz zwischen den Sagen von dem Schatze des Hyrieus und dem des Augeias ein tieferer und in alter Stammverwandschaft begründeter Zusammenhang statt finde." Quae affinitas cum non apud antiquiorem auctorem sed in scholio ad Apollod. I 173 referatur, nimiam vim huic argumento tribuisse mihi videtur Muellerus; veri enim similius duco tum demum excogitatam fuisse hanc affinitatem, cum et de Augia rege et de Hyrieo *eadem* narratio esset tradita, quae res poetam aliquem instigavit ut vinculo artiore eos coniungeret. Annon eadem mythologorum antiquorum libido, qua in mythis renovandis, mutandis, amplificandis pro sua voluntate utebantur, Augiam in heroem Minyarum vertit [1]), licet Epeorum regem antiquissimo tempore Minyarum hostem acerrimum fuisse doceat Homerus? Nonne recentior aetas Orionem *Hyriei filium* cum iisdem Minyis coniunxit, perhibens eum ex Euryale Minyae filia ab Apolline esse procreatum? Tales igitur auctores Muelleri causam tueri non possunt.

Nunc eorum argumenta perpendamus, qui licet concedant fabulam de Hyriei thesauro spoliato a Minyis Triphyliae colonis in Augiam fuisse translatam, novam tamen viam quaesiverunt,

1) Apollod. II, 7, 2.

Digitized by Google

qua fabulae tralationem e Triphylia in Cyrenen atque inde in Aegyptum satis apte explicare possent. Legimus apud Franciscum Studniczkam [1]) in libro utilissimo et iucundissimo de urbe Kyrene condita: „Ein deutlicher Zug peloponnesischen Einflusses (sc. in historia tradita de urbis Cyrenes origine) ist es auch, wenn in der Telegonie des Eugammon die altminysche Sage vom Schatzraube des Trophonios und Agamedes nicht auf das Schatzhaus des Hyrieus, sondern auf das des Augeias bezogen wird. Das hat seine Befremdlichkeit verloren, nachdem Svoronos (Gaz. Arch. 1888 XIV p. 257 sqq.) uns belehrt hat, wie ein gut Stück der von Eugammon verarbeiteten Odysseussage in Arkadiën heimisch war, und zwar gerade in Mantinea, woher sich die Kyrenäer eine Generation später ihren Gesetzgeber Demonax und wohl auch den Zeus Lykaios holten." Primum igitur de Svoroni disputatione erit agendum, ac simul occasione oblata utar ut de tota Telegoniae materie et compositione quaedam adiiciam.

„Procos cum interfeceris, inquit Tiresias ad Ulixem λ 119 sqq., remo sumto terram perlustra, donec veneris ad eos, quibus mare, naves, remi plane sint ignota. Dabo tibi certum indicium, nam simulac viator aliquis dixerit ventilabrum humero te gestare, statim remum in terra infige, suovetaurilia Neptuno offer *ac domum redi, ubi sacra facias omnibus diis immortalibus qui coelum incolunt.*"

In Telegoniae autem parte priore — nam Proclo teste erat divisa in libros duos — legimus haec: „Procis interfectis Ὀδυσσεὺς θύσας Νύμφαις εἰς Ἦλιν ἀποπλεῖ ἐπισκεψόμενος τὰ βουκόλια καὶ ξενίζεται παρὰ Πολυξένῳ δῶρον τε λαμβάνει κρατῆρα καὶ ἐπὶ τούτῳ τὰ περὶ Τροφώνιον καὶ Ἀγαμήδην καὶ Αὐγείαν. ἔπειτα εἰς Ἰθάκην καταπλεύσας, τὰς ὑπὸ Τειρεσίου ῥηθείσας τελεῖ θυσίας" i. e.: „Deinde Ithacam reversus sacra facit, quae coelicolis offerre Tiresias eum iusserat." *Quando* vero, rogat Svoronos, domum redire et sacrificare debebat? Scilicet, cum hominem invenisset qui rerum maritimarum prorsus esset ignarus. Quare si iam *nunc* Ithacam reverti et sacra facere potest, necesse est in *Peloponneso* hominem illum invenerit.

Sic igitur Telegoniae priorem partem compositam fuisse Svo-

1) Kyrene eine altgriechische Göttin 1890 p. 120.

Digitized by Google

ronos probare studet: „Ulixes procis interfectis Nymphisque placatis navigat in Elidem ut armenta sua inspiciat; a rege Polyxeno qui crateram ei dono dat comiter exceptus, denuo navem ascendit ut Lebadeae Trophonium consulat ubinam terrarum hominem rerum maritimarum ignarum inventurus sit. Trophonii iussu in Arcadiam ad Agamedem Stymphali regem reversus, invenit ibi hominem quaesitum; Neptuno sacrificat dein Ithacam redit, sed in itinere apud Augiam devertitur. Post haec Tiresiae monitorum bene memor, omnibus diis sacrificia offert."

Ad hanc explicationem stabiliendam affert v. d. nummum quendam Mantineae, cuius imaginem interpretari numismatici hucusque frustra tentarunt. Percy-Gardner [1]) autem sic eum describit: „male figure, bearded, wearing pileus, short chiton girt up and boots with long ends turned up, holds in eather hand javelin. Described as a fisherman by Imhoof [2]). This description cannot be considered as satisfactory, but a better explanation is not yet found."

Svoronus vero asseverat hominem qui in nummo cernitur esse Ulixem; vestem insolitam indicio esse heroem modo in Trophonii antrum descendisse, *κεκοσμημένον ἱερῷ σχήματι* [3]); id quod sinistra manu teneat non telum esse sed remum, quem magna vi in terra infigat; calceos denique recurvos esse *ἐπιχωρίας* illas *κρηπῖδας* quarum Pausanias IX, 39, 8 mentionem facit. Observat deinde Svoronos Epaminondam ante pugnam Leuctricam in concionem militum introduxisse virum *ἀπὸ Τροφονίου προσφάτως ἀναβεβηκότα* qui diceret, *ὅτι νίκην δίδωσι ὁ θεὸς τοῖς ἄρχουσι τῆς μάχης* [4]). Mantineenses igitur, cum Lacedaemonii ad Leuctra essent profligati et ipsorum urbs denuo aedificaretur, haud dubie novum nummum cudisse, in quo gratos se Trophonio significarent. Hanc ob rem imaginem Ulixis illo nummo expressam qui et ipse — ut a maioribus accepissent — antiquitus eodem deo monente in Arcadiam venisset.

Specie acutae huius disputationis abreptus Studniczka l. l. pronuntiat: „Svoronum nos *docuisse* Ulixis iter in Peloponnesum

1) Catal. Greek Coins Pelop. p. 184, 6. Exstat exemplar huius nummi Hagae Comitis in pulchra collectione Bibliothecae Regiae.

2) Monnaies Grecques p. 201.

3) Cf. Suid. s. v. *Τροφώνιος*.

4) Diod. Sic. XV, 53; Polyaen. Strat. II, 3, 8.

Digitized by Google

et cum eo historiam Augiae, priorem igitur Telegoniae partem, per Peloponnesum divulgatam ac praecipue Mantineensibus notam fuisse." Ex Herodoto autem (IV, 161) cum appareat commercium fuisse inter Cyrenaeos et Mantineenses, credit v. d. inventam esse viam qua fabula de rege Augia in urbem Cyrenen atque inde in Aegyptum translata fuerit.

Sed multa obstant quominus huic argumentationi fidem habeam equidem. Nam quod Ulixes perhibetur ad Trophonium iter fecisse, in Arcadiam rediisse, commoratus esse apud Agamedem Stymphali regem apudque Augiam Eleum — dudum opinor vita functum, quippe cuius gener Molius a Nestore *adolescente* interfectus esset — provenerunt ea omnia ex infelici interpretatione Procli verborum male distractorum. Verba enim καὶ ξενίζεται παρὰ Πολυξένῳ δῶρον τε λαμβάνει κρατῆρα καὶ ἐπὶ τούτῳ τὰ περὶ Τροφώνιον καὶ Ἀγαμήδην καὶ Αὐγέαν perperam vertit: „Ulixes hospitio Polyxeni utitur, crateram ab eo dono accipit, *deinde* sequuntur (scil. in Telegonia) *itinera ad Trophonium, ad Agamedem.*" Significant autem verba tradita: Ulixem accepisse crateram *in qua* fabula de Trophonio, Agamede, Augia esset *insculpta* [1]); neque aliud quidquam discimus e Procli verbis, quam in priore Telegoniae parte fuisse haec: „proci sepulcro conduntur, sacrificat Ulixes Nymphis, in Elidem proficiscitur ad armenta sua visenda, hospitio excipitur a Polyxeno rege qui Eleorum ad Troiam dux fuerat, dono accipit crateram in qua fabula de Augiae thesauro erat insculpta; denique revertitur Ithacam, ubi Tiresiae mandata exsecutus omnibus caelicolis sacrificat." Plura equidem ex Procli verbis efficere nequeo; nil

1) *Nusquam* in Procli excerptis ex cycli epici carminibus collectis ἐπὶ τούτῳ significat „*deinde*"; vocabula, quibus grammaticus utitur ut indicet narrationem progredi, sunt ἔπειτα vel καὶ μετὰ ταῦτα (Inspice Apollodori bibliothecam I ed. Ric. Wagnerus inde a pag. 238). Nullus igitur dubito quin sit vertendum „*in qua* fuit insculpta fabella etc.", licet et ego pro ἐπὶ τούτῳ exspectaverim ἐν τούτῳ vel ἐπὶ τούτου (sic Dübnerus, alii).

τὰ περὶ Τροφώνιον: siquis forte neget tali modo graece exprimi posse „historiam Trophonii", inspiciat Κυπρίας argumentum, ubi inveniet τὰ περὶ Οἰδίπουν καὶ τὴν Ἡρακλέους μανίαν καὶ τὰ περὶ Θησέα καὶ Ἀριάδνην; i. e. „historia Oedipodis etc."

Apollodori fragmenta Sabbaitica et Vaticana (vid. ed. Wagn. 1894 ap. Teubnerum; Bücheler Mus. Rhen. Vol. XLVI p. 161—192) annis 1887 et 1885 inventa, cum iter in Elidem *non* contineant, hac de quaestione nil nos docere possunt. Iniuria igitur E. Meyer (Hermes XXX p. 260) haec fragmenta testes in iudicium vocavit.

Digitized by Google

ibi invenitur de Ulixis in Arcadiam itinere, nil de navigatione ad Trophonium. Concidit igitur maior pars explicationis quam Svoronos de nummo Mantineensi praebuit. Nam ut explicet cur potissimum *Ulixes* in nummo illo sit depictus, e Telegonia efficit Ulixem iter in Arcadiam ad regem Stymphali fecisse; porro, ut vestis insolitae qua homunculus in nummo est indutus, rationem reddat, ex eadem Telegonia probare studet, Ulixem ad Trophonium profectum esse atque inde sacra veste amictum in Arcadiam venisse. Sed cum iam satis constet Ulixem neque Trophonium consuluisse neque inde rediisse in Arcadiam, fulcra quibus Svoroni explicatio nititur concidunt; sed simul concidit id, quod contendit Studniczka, maiorem partem argumenti Telegoniae in Peloponneso iam ante Eugammonem fuisse vulgatam. Quid enim vulgari ibi potuit? Fabulane de Augiae thesauro? Sed e Svoroni disputatione illa fabula evanuit. Cur igitur credamus Eleam fabulam in cratera insculptam Arcadibus et praesertim Mantineensibus adeo fuisse notam ut e Peloponneso in Aegyptum eam transduxerint? In Telegonia certe nulla sunt indicia quae eo ducant; nummus laudatus imaginem praebet obscuram, mira veste, calceis insolitis, capitis tegumine extraordinario ornatam, quae sine temeritate pro Ulixe accipi nequit [1]). Neque satis intelligo quid Mantineensibus quarti saeculi cum Ulixe esse potuerit; cur eum potissimum post urbem restitutam nummis suis insculpsisse credantur, et praesertim tali veste indutum; nam, ut vidimus, episodium de pugna Leuctrica *οὐδὲν πρὸς Ὀδυσσέα*. Ad quam rem explicandam minime sufficiunt quae refert Pausanias sepulcrum Penelopes Mantineae fuisse [2]), Ulixem autem aliquando

1) Iniuria Percy-Gardner vestem nuncupat „short-chiton girt up"; est minime *tunica succincta*, sed formam praebet illius vestimenti quod saltatrices nostrae in theatris gerunt. Calcei vero iis sunt subsimiles quos Cicero De Nat. Deor. I, 29 *repandos* vocat. (Vid. Chéruel). Remum num sinistra teneat valde dubito; tegumen capitis pileus non est.

2) VIII 12, 9. — E. Meyer Hermes XXX p. 264: „Die Heimath Penelopes ist ja nach der Sage zwar nicht Arkadiën, aber das benachbarte von Arkadischen Culten und Mythen stark durchsetzte Lakoniën. In Sparta ist sie geboren, hier lebt ihr Vater Ikarios, hier freit sie Odysseus (Paus. III, 12, 1—4). In unserer Odyssea ist das verdunkelt, sie nennt zwar Penelopes Vater Ikarios oft genug, aber wo seine Heimath ist sagt sie nicht, oder vielmehr sie denkt sich ihre Eltern auf Ithaka wohnend. Daran haben denn auch schon die Alten Anstoss genommen; sie wundern sich dass Telemach in Sparta seinen Groszvater Ikarios und seinen Oheim nicht besucht, dass Eumaeus ξ 68 der Helena, der Base seiner Herrin flucht."

Digitized by Google

Pheneum venisse et Aseae templum Minervae ac Neptuno sospitatoribus condidisse [1]). Nam Ulixem in Arcadia ut alibi notum fuisse non nego; sed alia res est eum ibi fuisse cognitum, alia „fabulam insculptam in cratera qua donavit Ulixem Polyxenus rex" ibi in ore omnium ita vixisse, ut coloni Mantineenses nihil antiquius haberent, quam ut hanc fabulam in Aegyptum transferrent. Non fuit, si quid video, Augiae fabula ab initio coniuncta cum Ulixis erroribus, non commigravit ex Elide in Arcadiam, ex Arcadia in Africam; sero demum tempore nexu laxiore cum Ulixe est coniuncta et ab eo quidem, qui primus Ulixis in Elidem iter fusius tractavit. Is fuit Eugammon, poeta ut videbimus minime ditis ingenii, sed qui Homerum suum cognorat et eum *more poetarum cyclicorum* ita amplificavit ut e versibus aliquot Odysseae novum episodium fingeret. Iter igitur Ulixis in Elidem ante Eugammonem in Peloponneso celebratum esse non credo; est mera amplificatio Odysseae excogitata a sero poeta, Homeri amatore et imitatore, qui loco quodam Homerico fundamento usus novum carmen superstruxit. Eugammon enim Cyrenaicus bene memor Ulixis verborum ad Penelopen ψ 354:

κτήματα μὲν, τά μοι ἔστι κομιζέμεν' ἐν μεγάροισι,
μῆλα δ' ἅ μοι μνηστῆρες ὑπερφίαλοι κατέκειραν,
πολλὰ μὲν αὐτὸς ἐγὼ λητσσομαι, ἄλλα δ' Ἀχαιοὶ
δώσουσ' εἰς ὅ κε πάντας ἐνιπλήσωσιν ἐπαύλους,

nec oblitus Noemonem δ 635 inter procos dixisse:

χρηὼ δ' ἐμὲ γίγνεται αὐτῆς (navis)
Ἦλιδ' ἐς εὐρύχορον διαβήμεναι, ἔνθα μοι ἵπποι
δώδεκα θήλειαι κ.τ.λ. [2]).

hoc iter Ulixis in Elidem excogitavit [3]), praemissis precationibus ad Nymphas quas heros spoponderat ν 356—360, adiecto hospitio Polyxeni Eleorum ducis e catalogo (B 615—624) noti. Simul

1) VIII, 44, 4. — E. Meyer p. 263: „In Arkadiën besteht überall der Poseidoncult in voller Blüthe. Dass ist so auffallend, dass es auf die Vermutung führt, der Arkadische Poseidon, der rossgestaltige Gott der Stiere und Pferde, der Gemahl der Erdgöttin, sei ursprünglich nicht, oder wenigstens nicht ausschliesslich, der Meergott gewesen."

2) Cf. ω 426.

3) Cf. Paus. VIII, 14, 4.

Digitized by Google

adiunxit descriptionem craterae, quam Polyxenum Ulixi dono dedisse finxit, ut Menelaus Telemacho δ 615 sqq. offert κρητῆρα τετυγμένον ῥέργον Ἡφαίστοιο. Toreumatis vero argumentum selegit furtum Augiae thesauri a Trophonio cum fratre commissum, i. e.: narratiunculam de regis aegyptii Rhampsiniti thesauro a vafro architecto despoliato translatam in praedivitem regem Elidis inque praeclaros Graeciae architectos Trophonium et Agamedem [1]). Immensae opes Augiae ex armentis praesertim agrisque constantes apud omnes Graecos inde ab Homeri temporibus erant notae, labore quoque Herculis in stabulis Augiae purgandis consumpto ubique divitiae Elidis regis inclaruerant. Quis igitur e priscis heroibus prius quam Augias Graeco homini in mentem venire poterat, cui Rhampsiniti partes tribueret? Vel qui architecti *apud Minyas Cyrenes conditores* maiore fama fruebantur quam Agamedes et Trophonius? Cui rei accedit quod iam apud Homerum nomen Agamedis cum Augiae nomine fuit coniunctum; nam filia celeberrimi regis ibi audit „Agamede"; quinimo ut ultima dubitatio tollatur, ne patria quidem regis Agamedis, Augiae inimici, diu erat quaerenda, cum Stymphali in urbe Arcadiae Agamedis nomen in serie regum appareret. Huic autem nulla opera Trophonius filius σκότιος adiungi poterat, certe a poeta sero et neglegentiore. Quid mirum igitur in urbe Cyrene i. e. in ipsis finibus Aegypti Graeciaeque fabellam Aegyptiacam fuisse mutatam in Graecam, architectos Minyas in urbe a Minyis condita in se recepisse partes hucusque ab ignoto

---

1) Cf. A. Welcker Griech. Trag. p. 304: „Vermuthlich war es dieselbe Aegyptische Geschichte vom Schatze des Rhampsinit, die wir aus dem weit späteren Herodot kennen, übergetragen auf diejenigen mythischen Personen des Landes, die als grosze Baumeister schon berühmt waren."

Wilamowitz Hom. Unters. p. 186: „aber das darf man glauben, dass es die novelle vom Schatzhaus des Rhampsinit war."

E. Meyer Hermes XXX p. 262: „auf dem Krater (war) die Erbauung des Schatzhauses des Augias durch Tr. u. A. dargestellt, auf die der Kyrenäische Dichter das Aegyptische Märchen vom Schatzhaus des Rhampsinit übertragen hatte."

J. Boehlau Aus ionischen und italischen Nekropolen 1898 p. 127 tab. X. 4 affert imaginem in vase picto, quae haud dubie Trophonium thesaurum aedificantem repraesentat.

Licet vas repertum sit in necropoli samia, dubium esse non potest quin Cyrenae sit pictum.

Digitized by Google

Aegyptio actas, regem vero Aegyptium cessisse Augiae principi notissimo ac pecuniosissimo.

Quae disputatio maiorem etiam probabilitatem obtinebit si haec pauca subiunxero. Dissidio orto inter Dores et Minyas Theram insulam incolentes, hi Cretensibus nautis ducibus usi circa annum 630 a. C. n. Cyrenen condiderunt. Tertius rex Battus II Eudaemon Hellenas invitavit ut in regione Cyrenaïca considerent, ubi agros se iis assignaturum spopondit; cuius consiliis cum oraculum Delphicum enixe faveret, magna vis colonorum e Peloponneso, Creta, aliis insulis Cyrenen immigravit. Mox ortum est bellum cum Aegypto, quoniam Battus, ut omnibus peregrinis satisfaceret, Libyam spoliabat; sed cum anno 570 Aegyptii essent profligati, milites tumultuantes ducem suum Amasin regem salutarunt. Qui quomodo Cyrenaeis amicis usus sit, quinimo uxorem Cyrenaicam Ladicam nomine duxerit, ex Herodoto (II 181) notum est.

Regnantibus autem Batto II eiusque filio Arcesila II vixit Eugammon, qui quantum scimus, Telegonia carmine τῷ ἐπικῷ κύκλῳ finem fecit; hic enim cyclus continuabatur in Procli chrestomathia μεχρὶ τῆς ἀποβάσεως Ὀδυσσέως τῆς εἰς Ἰθάκην ἐν ᾗ καὶ ὑπὸ παιδὸς Τηλεγόνου ἀγνοοῦντος κτείνεται [1]).

Quod Eugammonis opus a viris doctis cum contemptu tractari solet, utpote carmen sero natum; cui tamen sententiae subscribere nequaquam possum. Non quod Cyrenaeum poetam eum fuisse credam, qui merito inter priscos illos vates locum suum sibi vindicare possit; quid enim pro fragmentorum inopia de eius poesi iudicare licet? Neque quod e parvis Procli indiciis imaginem operis ab omni parte rotundi ac bene compositi pellucere putem; immo, contrarium defendere malim. Neque quod nesciam poetam nostrum dimidio plus totius materiae ab aliis esse mutuatum, ne gravius quid dicam. Sed quemadmodum in eius patria est ortum hominum *mixtum* genus, cum Graeci se coniungerent cum puellis Libycis, quae

οὔθ' ἱστῶν παλιμβάμους ἐφίλησαν ὁδούς,
οὔτε δείπνων οἰκοριᾶν μεθ' ἑταιρᾶν τέρψιας,
ἀλλ' ἀκόντεσσίν τε χαλκέοις

1) Phot 239 p. 319 Bekk.

Digitized by Google

Φασγάνῳ τε μαρνάμεναι κεράϊζον ἀγρίους θῆρας [1])

quemadmodum vasa Cyrenaica, e. g. patera illa Arcesilae quam Welckerus ob singularem picturae festivitatem pro „caricatura" habebat [2]), graeca argumenta libycis mixta praebent, sic ars poetica ibi non sinceros protulit fructus, sed *mixtum* quoddam genus, tam Graeciam quam Aegyptum sapiens. Huius autem speciei exemplum offert Eugammonis Telegonia, carmen quod iure Cyrenaei cultus imaginem voces, magni hanc ob causam aestimandum omnibus, quibus cultus Graecorum non modo in Graecia sed etiam extra eius fines operae pretium esse videatur.

Initium igitur Telegoniae fabellam aegyptiacam ab Eugammone in graecam mutatam continebat; quod vero Herodotus sic lepide in aegyptiacis narravit historiam Rhampsiniti, nullo verbo de simili furto Trophonii adiecto, id satis testatur Eugammonis carmen antiquis hominibus aeque fuisse despicatui ac hodiernis; latuit per multa saecula, donec Boeotus quidam Callippus eundem mythum transtulit in regem Hyrieum, atque ita a Pausania sedulo novorum atque veterum mythorum scrutatore posteritati est traditus. Charax quoque, doctus sacerdos, post Neronis aetatem Telegonia fonte usus eandem materiem tractavit. Hinc apparet fabellam non e Boeotia per Peloponnesum in Aegyptum transisse; immo, in oriente ortam ac primum a poeta semi-graeco tractatam deinde per obscuros auctores seri temporis in Boeotiam viam suam invenisse.

Quod vero ad finem Telegoniae prioris partis adtinet (cratera accepta Ulixes redit in patriam, ubi sacrificia a Tiresia mandata omnibus coelicolis offert), statuimusne cum Svorono Ulixem in Arcadia vel in Elide, certe in Peloponneso invenisse hominem illum rerum maritimarum plane ignarum? Ad hanc quaestionem dirimendam utique opus est ut prius inspiciamus quae Eugammon in parte altera carminis sui narravit. Vocatur haec pars „Thesprotis", cum Ulixis iter in Thesprotiam contineat. Quo de libro mirum testimonium invenimus apud Clementem Alexandrinum Strom. VI, 751: „*Εὐγάμμων ὁ Κυρηναῖος ἐκ Μουσαίου τὸ περὶ Θεσπρώτων βιβλίον ὁλόκληρον ὑφελόμενος ὡς ἴδιον*

1) Pind. Pyth. IX, 18 sqq.

2) Baumeister Denkmäler II p. 1664, 1729. Cf. Kyrene p. 6.

Digitized by Google

ἐξήνεγκεν." Compilavit igitur Cyrenaeus, si fides auctori περὶ κλοπῆς scribenti, Musaei librum de Thesprotis, et licet „Clemens in odorandis veterum scriptorum plagiis nimis videatur sagax" [1]), non video cur nunc quoque Alexandrino omnem fidem derogemus, dummodo caveamus ne hic sicut alibi pro Musaeo Onomacriti nomen substituamus [2]). Eugammon enim circa annum 560 carmen suum panxit; Onomacritum autem, qui sub Pisistrato Musis operam dedit — i. e. intra annos 560 usque ad 527 —, iam tunc aliquid in lucem emisisse parum verisimile est. Sin vero ante annum 560 carmen ediderit, consentaneum non est poetam Cyrenaeum id in usum suum vertere potuisse vel ausum esse. Qua re puto fuisse veterem aliquam Θεσπρωτίδα, quae sub nomine Musaei [3]) circumferretur. Hanc Eugammon compilavit, ut postea videbimus; hanc Pausanias quoque sive fama sive testis oculatus notam habebat [4]).

„Unmöglich, inquit Wilamowitz Hom. Unters. p. 187, kann diese geschichte (loquitur de Thesprotide) in Kyrene entstanden sein. Jedermann sieht, dass sie auf thesprotische localsagen und genealogiën ausläuft. Der dichter der Telegonie muss also seinen stoff, doch vermuthlich in epischer gestalt, aus fremder gegend erhalten haben. Die sage ist offenbar älter als die korinthische besetzung der epirotischen küste. Die Thesproter erhielten die person des Odysseus übermittelt von den vorläufern Korinths: das waren die Chalkidier."

Wilamowitz igitur nucleum Thesprotidis in ipsa Thesprotia natum putat; credit continuisse genealogias i. e. conamina eorum qui Ulixem a Chalcidicis invectum cum Thesprotorum principum genere coniungere vellent. Videamus autem carminis argumentum:

καὶ μετὰ ταῦτα (i. e. postquam in Ithaca insula sacrificavit Ulixes ex Elide reversus) εἰς Θεσπρωτοὺς ἀφικνεῖται καὶ γαμεῖ

1) Verba sunt Lobeckii Agl. p. 310.

2) Cf. Paus. I, 22, 7.

3) Fuisse Musaeum et Orpheum *Athenienses*, Orpheo autem Thraciam originem a recentioribus demum esse tributam, contenderunt alii et nuper Weberus (Platonische Notizen über Orpheus von Fr. Weber Programm des K. Luitpold-Gymnasiums in München 1898/9; cf. Wilam. Hom. Unters. p. 211 sq.).

4) Vid. Paus. VIII, 12, 5.

Digitized by Google

Καλλιδίκην βασιλίδα τῶν Θεσπρωτῶν. ἔπειτα πόλεμος συνίσταται τοῖς Θεσπρωτοῖς πρὸς Βρύγους, Ὀδυσσέως ἡγουμένου· ἐνταῦθα Ἄρης τοὺς περὶ τὸν Ὀδυσσέα τρέπεται, καὶ αὐτῷ εἰς μάχην Ἀθηνᾶ καθίσταται· τούτους μὲν Ἀπόλλων διαλύει. μετὰ δὲ τὴν Καλλιδίκης τελευτὴν τὴν μὲν βασιλείαν διαδέχεται Πολυποίτης Ὀδυσσέως υἱός, αὐτὸς δ' εἰς Ἰθάκην ἀφικνεῖται· κἀν τούτῳ Τηλέγονος ἐπὶ ζήτησιν τοῦ πατρὸς πλέων, ἀποβὰς εἰς Ἰθάκην τέμνει τὴν νῆσον· ἐκβοηθήσας δ' Ὀδυσσεὺς ὑπὸ τοῦ παιδὸς ἀναιρεῖται κατ' ἄγνοιαν. Τηλέγονος δ' ἐπιγνοὺς τὴν ἁμαρτίαν τό τε τοῦ πατρὸς σῶμα καὶ τὸν Τηλέμαχον καὶ τὴν Πηνελόπην πρὸς τὴν μητέρα μεθίστησιν· ἡ δὲ ἀθανάτους ποιεῖ, καὶ συνοικεῖ τῇ μὲν Πηνελόπῃ Τηλέγονος, Κίρκῃ δὲ Τηλέμαχος.

Duas diversas fabulas hic esse coniunctas, quarum altera ipsam Thesprotidem, altera Ulixis mortem contineat, nemo negabit; iunctura autem cernitur ante verba *αὐτὸς δ' εἰς Ἰθάκην κ.τ.λ.* Pro certo igitur constituere possumus antiquum Musaei carmen, quod Eugammon compilasse vel imitatus esse dicitur, priorem modo fabulam continuisse; hanc Cyrenaeus poeta, ut fuit veterum poematum consartor, haud dubie eo consilio inter expeditionem in Elidem et herois mortem interiecit, ut carmen maioris fieret ambitus. Unde sequitur Telegoniae partem principalem non, ut quidam putarunt [1]) fuisse Thesprotidem illam surreptam atque interiectam, sed ut ipsum nomen carminis indicat, *Ulixis mortem a Telegono filio illatam.*

Eugammon, ut supra vidimus, argumentum itineris in Elidem non de suo excogitavit, sed Homeri indicia est secutus neque usquam a duce suo deflexit nisi quod Augiae historiam addidit. Hanc rationem anxie observatam tunc quoque adhibuit cum Thesprotidem interponere vellet. Homerus enim inquit λ 135 sqq.:

θάνατος δέ τοι ἐξ ἁλὸς αὐτῷ
ἀβληχρὸς μάλα τοῖος ἐλεύσεται, ὅς κέ σε πέφνῃ
γήρᾳ ὑπὸ λιπαρῷ ἀρημένον,

i. e: *homine illo invento, sacrisque omnibus deis oblatis mors tibi continget senectute confecto.* Ulixes autem ex Elide reversus nequaquam *senex* nedum *senex confectus* vocari poterat; manebant eum plurimi anni, quos secundum Homerum tranquillus quie-

1) Welcker Ep. Cycl. II 302.

Digitized by Google

tusque in Ithaca usque ad suam mortem degeret. *Hosce annos* i. e. spatium temporis inter hominem ἀθαλάττευτον inventum et Ulixis mortem, Eugammon Thesprotide explevit.

Ubi igitur Ulixes hominem illum secundum Eugammonem invenit? In Elide, ut quivis videt. Quod et hoc modo demonstrari potest: locum huic episodio praebebat vel finis itineris in Elidem vel finis expeditionis in Epirum. Initio vero huius expeditionis aptum non erat, nam homine illo invento Ulixi *statim* Ithacam erat redeundum ut sacrificaret omnibus coelicolis; permultos autem annos, ut Proclus narrat, in Epiro degit heros. Fini igitur itineris Epirotici? Sed neque e Proclo id effici potest neque verisimile videtur regem ventilabro armatum regnum suum perlustrasse. Contra, nisi in Elide hominem illum invenit, non video quomodo Procli verba ἔπειτα (i. e. ex Elide) εἰς Ἰθάκην καταπλεύσας τὰς ὑπὸ Τειρεσίου ῥηθείσας τελεῖ θυσίας explicari possint. Quare statuendum videtur Eugammonem episodium illud in Elide collocasse. Cum vero Telegonia, ut iam supra vidimus minime vulgatum inter Graecos fuerit carmen, mirum non est iam antiquos nescisse ubinam τοῦ ὀδίτου patria esset quaerenda. Homerum autem certam aliquam regionem in animo nunc habuisse veri nihilo similius videtur quam in ceteris Iliadis Odysseaeve partibus, ubi gentes describuntur longinquae et fabulosae.

Eustathius igitur ad λ 122 sqq. rogat: τίνες δ' ἂν εἶεν οἱ μὴ εἰδότες Ποσειδῶνα? et addit: οἱ δὲ παλαιοὶ βαρβαροφώνους τόπους (MSS. δούπους) ἱστοροῦσί, Βουνίμαν λέγοντές τινα ἢ Κελκέαν ἐν οἷς Ὀδυσσεὺς τὸν Ποσειδῶνα ἐτίμησε.

Steph. Byz. s. v. Βούνειμα: πόλις Ἠπείρου οὐδετέρως, κτίσμα Ὀδυσσέως, ἣν ἔκτισε πλησίον Τραμπύας, λαβὼν χρησμόν, ἐλθεῖν πρὸς ἄνδρας οἳ οὐκ ἴσασι θάλασσαν· βοῦν οὖν θύσας, ἔκτισε [1]).

Tzetzes ad Lycophr. Alex. vs. 799: Τράμπυια πόλις Ἠπείρου, ἔνθα μετὰ νόστον Ὀδυσσεὺς ἀπῆλθε, καθὰ καὶ Ὅμηρος γράφει κ.τ.λ. ἐτιμᾶτο δὲ ἐν τῇ Τραμπύῃ καὶ ὁ Ὀδυσσεύς.

Paus. I, 12, 5: Ἠπειρῶται, οἳ μηδὲ ἀλούσης Ἰλίου, θάλασσαν οἱ πολλοί, μηδὲ ἁλσὶν ἠπίσταντό πω χρῆσθαι. μαρτυρεῖ δέ μοι καὶ Ὁμήρου ἔπος ἐν Ὀδυσσείᾳ κ.τ.λ.

---

1) Bunima, ut monet Wilam., apparuit in lapide dodonaeo. Cauer del. 247.

Digitized by Google

Unde discimus plerosque veterum de loco aliquo in Epiro cogitasse; atque id suo iure. Nam cum argumentum Telegoniae notum non haberent, Homerus vero certum locum non indicasset, Epirus prima iis in mentem venire debebat, tam ob nomen „continentis", quam ob singularem famam, qua Ulixis iter in Thesprotiam post Sophoclis tragoediam „Niptra" editam apud antiquos florebat. De qua tragoedia mox plura.

Antiquos autem Telegoniae argumentum ignorasse luce clarius apparet ex Epitoma Sabbaitica Apollodori, ubi de Ulixis in Elidem itinere *nulla* fit mentio. Heros enim procis interfectis *statim* per Epirum ad Thesprotos proficiscitur, ubi de Tiresiae mandatis Neptuno sacrificat. Neque me fugit E. Meyerum l.l. asseverare Apollodorum τὰ ἐν Ἤλιδι fortuito transiisse, sed tale argumentum ex silentio paucos ut spero inveniet admiratores. Apollodorus haud dubie sub oculis habuit non Telegoniam sed Thesprotidem illam, quam Sophocles tragoedia sua divulgavit.

Rectissime igitur Svoronos l. l. e Procli verbis effecit Ulixem antequam τὰς ὑπὸ Τειρεσίου ῥηθείσας θυσίας ἐν Ἰθάκῃ ἐτέλεσε, hominem maritimarum rerum ignarum *iam repperisse*. Hac tamen in re erravit quod in Arcadia id factum esse putabat, nimio scilicet ardore hypothesin suam de nummo Manineensi defendere conatus. Profectus est Ulixes secundum Proclum in Elidem; ex Elide in patriam rediit; invenit hominem suum antequam Ithacam revertit: ergo *in Elide* τὸν ὀδίτην offendit. Ita voluit non Homerus sed Eugammon Cyrenaeus.

Nunc Ulixis iter in Thesprotiam, quod Eugammon non de suo finxit sed Telegoniae amplificandae causa a Musaeo est mutuatus, propius consideremus. „Heros, Proclus refert, in Thesprotiam venit Callidicenque reginam uxorem ducit. Oritur bellum cum Brygis, qui Marte duce Thesprotos repellunt, licet Minerva his opituletur. Apollo demum finem bellandi facit. Callidice mortua Polypoetes filius Ulixis regnum accipit, heros ipse Ithacam revertitur." Sic poetam aliquem antiquum Ulixis iter in Thesprotiam cecinisse non est quod miremur. Meminimus enim versuum ξ 314 sqq., ubi heros fallacissimus, errores suos Eumaeo describens, audacter casus Thesprotios annectit, quos numquam passus erat. Hic igitur campus patebat incultus per quem ingenium cuiusdam epigoni

Digitized by Google

libere vagari posset. Admirationem vero movet quod Ulixis illa expeditio antiquitus sub Musaei nomine circumlata fuerit. Quid Musaeo, ὃς παραλύσεις καὶ τελετὰς καὶ καθαρμοὺς συνέθηκεν (Schol. Ar. Ran. 1030), quid τῷ χρησμολόγῳ, Orphei imitatori (Paus. X, 7, 2) cum Ulixis erroribus, cum carmine epico? Fere semper Musaeus cum Orpheo coniungitur; etiam Platonis tempore (Rep. 364 E) venditabantur βίβλοι Ὀρφέως καὶ Μουσαίου καθ' ἃς θυηπολοῦσι; quid igitur Musaeus ediderit nisi libros rituales, expiationes, initiationes, vel κατάβασιν aliquam εἰς Ἅιδου? Paulisper igitur moremur ut Thesprotidis argumentum exactius consideremus.

Post mortem Callidices, ut legimus, Polypoetes regnum Thesprotiae in se recepit. Quis fuit ille Polypoetes? Respondet Proclus, fuisse filium Ulixis [1]). Nos vero Homeri versuum B 740, M 129 memores scimus eum fuisse Lapitham Pirithoi filium ex Hippodamia ortum [2]); quod confirmat Pausanias (X, 26, 2), qui in Lesches descriptione se vidisse ait Polypoetem Pirithoi filium δεδεμένον τὴν κεφαλὴν ταινίᾳ, καὶ παρ' αὐτὸν Ἀκάμας ἐστὶν ὁ Θησέως. Erat igitur Polypoetes origine *Thessalus* [3]). Quaeritur igitur, quomodo Thessalus in Thesprotiam aberrarit, cur Graecus in Troiani filium sit mutatus.

E loco Pausaniae hucusque, quod sciam, non satis observato huic quaestioni responsum est petendum. Legimus enim Paus. I, 17, 4: ἐς δὲ τὴν τελευτὴν τὴν Θησέως πολλὰ ἤδη καὶ οὐχ ὁμολογοῦντα εἴρηται· δεδέσθαι τε γὰρ αὐτὸν λέγουσι ἐς τόδε ἕως ὑφ' Ἡρακλέους ἀναχθείη. πιθανώτατα δὲ ὧν ἤκουσα· Θησεὺς ἐς Θεσπρωτοὺς ἐμβαλών, τοῦ βασιλέως τῶν Θεσπρωτῶν γυναῖκα ἁρπάσων, τὸ πολὺ τῆς στρατιᾶς οὕτως ἀπόλλυσι, καὶ αὐτός τε καὶ Πειρίθους ἥλωσαν, καὶ σφᾶς ὁ Θεσπρωτὸς δήσας εἶχεν ἐν Κιχύρῳ. Theseus igitur et Pirithous in Thesprotiam invaserunt regis uxorem rapturi; sed a rege capti in vinculis sunt servati donec ab Hercule ἀνήχθησαν. Unusquisque autem recordatus quomodo Theseus quondam cum Pi-

1) e Callidice scilicet, cum postea in regnum eius successerit.

2) Cf. argumentum τῶν Νόστων, ubi Polypoetes Troia reversus cum Calchante et Leonteo (B 745) Tiresiam sepeliunt. (Kinkel Fragm. Epic. Graec. I ad loc.).

3) Wilam. Hom. Unters. p. 212: „Wo ein Heroenname festsitzt in der Genealogie, da hat man den Heros zu suchen."

Digitized by Google

rithoo descenderit ad inferos ut Proserpinam raperet, meminit heroes fuisse vinctos in saxo, ubi Theseus sedisset in aeternum (Verg. Aen. VI, 617) nisi Hercules eum ἐξέσωσε εἰς Φάος νεκρῶν πάρα (Eurip. Herc. 1222). E quibus apparet iter illud in Thesprotiam nil aliud esse quam κατάβασιν εἰς Ἅιδου, vel ut idem aliis verbis dicam, *Thesprotiam* terram fabulosam, remotam, incognitam, antiquissimis Atheniensibus fuisse *regnum Hadis* inferorum regis. Quod si quis adhuc dubitat, evolvat mihi Plut. Vit. Thesei c. 31, ubi leguntur haec: αὐτὸς (Θησεύς) δὲ Πειρίθῳ τὴν ὑπουργίαν ἀποδιδοὺς, εἰς Ἤπειρον συναπεδήμησεν ἐπὶ τὴν Ἀιδωνέως θυγατέρα, τοῦ Μολοσσῶν βασιλέως· ὃς τῇ γυναικὶ Περσεφόνην ὄνομα θέμενος, Κόρην δὲ τῇ θυγατρὶ, τῷ δὲ κυνὶ Κέρβερον, τοὺς περὶ τὸν Πειρίθουν (i. e. Pirithoum cum Theseo) οὐ μνηστῆρας ἥκειν, ἀλλ' ἁρπασομένους πυνθανόμενος συνέλαβε, καὶ τὸν μὲν Πειρίθουν εὐθὺς ἠφάνισε διὰ τοῦ κυνὸς, τὸν δὲ Θησέα καθείρξας ἐφύλαττεν. c. 35: ὁ Ἡρακλῆς τὸν Θησέα παρητεῖτο. συγχωρήσαντος δὲ τοῦ Ἀιδωνέως λυθεὶς ὁ Θησεὺς ἐπανῆλθε εἰς τὰς Ἀθήνας.

Quid quod ipse Homerus nunc ad partes vocari potest; apud quem σ 79 sqq. Antinous Iro minitatur:

πέμψω σ' ἤπειρόνδε βαλὼν ἐν νηὶ μελαίνῃ
εἰς Ἔχετον βασιλῆα, βροτῶν δηλήμονα πάντων,
ὅς κ' ἀπὸ ῥῖνα τάμῃσι καὶ οὔατα νηλέι χαλκῷ
μήδεά τ' ἐκτερύσας δώῃ κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι,

quos versus si conferimus cum l.l. Plutarchi, apparet regem illum *Echetum* (= qui servat nec remittit), viventem in Epiro, perditorem *omnium hominum*, qui mortales *cani* obiicit (ἀφανίζει διὰ τοῦ κυνός), nullum alium fuisse quam Ἀϊδωνέα.

Quinimo nomina quoque fluminum inferorum antiqui transtulerunt in Thesprotiam teste Pausania I, 17, 5: πρὸς δὲ τῇ Κιχύρῳ (Ephyra) λίμνη τέ ἐστιν Ἀχερουσία καλουμένη καὶ ποταμὸς Ἀχέρων, ῥεῖ δὲ καὶ Κωκυτὸς ὕδωρ ἀτερπέστατον. Nam supervacaneum duco ostendere, quomodo intellegi debeant, quae addit bonus periegetes: Ὁμηρός τέ μοι δοκεῖ ταῦτα ἑωρακὼς ἔς τε τὴν ἄλλην ποίησιν ἀποτολμῆσαι τῶν ἐν Ἅιδου, καὶ δὴ καὶ τὰ ὀνόματα τοῖς ποταμοῖς ἀπὸ τῶν ἐν Θεσπρωτίδι θέσθαι.

In Thesprotia igitur, i. e. in *regione occidentali*, iam antiquissimi Graeci inferos quaesiverunt; *hinc intellegimus Eridanum*

Digitized by Google

quoque factum esse flumen infernum [1]); hinc τὴν Λευκάδα πέτρην (ω 11) non solum ob nominis sonum ab antiquis esse quaesitam in πέτρᾳ λευκῇ τὴν χρόαν προκειμένῃ τῆς Λευκάδος [2]). Quod igitur fecit Sertorius sub finem rei publicae romanae, cum τὸ Ἠλύσιον πεδίον quaerebat in mari occidentali [3]), iam multis saeculis ante cogitabant auctores, qui κατάβασιν εἰς Ἅιδου pio animo pangerent [4]). In Thesprotiam igitur, i. e. in regionem *occidentalem*, ut mortuos viserent, missi sunt Theseus et Pirithous vel ab Hesiodo, qui cecinit ὡς Θησεὺς ἐς τὸν Ἅιδην ὁμοῦ Πειρίθῳ καταβαίη [5]), vel ab incerto auctore [6]), qui Minyadem scripsit ἐν ᾗ ἐς Θησέα ἔχοντα καὶ Πειρίθουν [7]). Cum magno exercitu heroes descendisse, ut asseverat Plutarchus l.l., dubium videtur, neque tamen soli ibi erant, nam καταβάσεων numerus semper accrescens multitudinem τῶν ἀδοξοτάτων augebat et vel e paucis Minyadis fragmentis [8]) apparet hoc praesertim carmen copiam descendentium non parum amplificasse [9]). Ideo suspicor tunc temporis Polypoetem quoque, Pirithoi filium, *locum suum inter notos heroes* ἐν Ἅιδου *degentes obtinuisse*, ita ut Musaeus, cum Ulixis iter in Thesprotiam i. e. *descensum ad inferos* componeret et solito more varios heroes novis genealogiis inter se coniungeret, Thessalum invenem cum Ithaco coniungere posset. Cum vero Ulixes Ithacam reverteretur Polypoetes remansit ac remanere debebat, quippe qui certum iam in Orci dicione haberet locum [10]). Nunc quoque intellegimus Callidicen (= *quae bene ius dicit*) [11]) ipsam fuisse Proserpinam.

---

1) Schol. Eurip. Or. 981: εἰς τὸν Ἠριδανὸν ποταμὸν κρέμαται ὁ Τάνταλος. Cf. Verg. Aen. VI, 659.

2) Strab X, 452 A.

3) Plut. Sert. 8. Sall. fr. I, 61 Kritz.

4) Cf. Griechische Volksglaube vom Todenreich in Nekyia Dieterich. p. 19 sqq.

5) Paus. IX, 31, 5.

6) Prodico Phocaeo? Cf. Paus. IV, 33, 7.

7) Paus. X, 28, 2.

K. O. Muellerum Orch.[2] I p. 12 iniuria Minyadem et Ὀρφέως κατάβασιν εἰς Ἅιδου pro uno eodemque opere habuisse contendit E. Rohde Psyche I 302[2].

8) Kinkel I p. 215.

9) Rohde Psyche I 303 sq.

10) Wilamowitzio, qui credit Polypoetem pro Ptoliporthi nomine irrepsisse (Hom. Unters. p. 188), nequaquam assentior.

11) Cf. Eurydice = quae late ius dicit.

Digitized by Google

Bellum denique cum Brygis haud dubie a Musaei opere alienum erat. Sed postquam Orci regnum velut ad auras ascendit et certum locum geographicum occupavit, recentior auctor Eugammon, cum veram vim Musaei carminis non perspiceret, facile adduci potuit ut de perpetuis Thesprotorum cum Thracibus certaminibus aliquid intermisceret; in his quoque Homerum imitatus, qui N 302 describit Martem cum Thracibus Ephyris bellum inferentem. Brygos autem, qui Marte duce pugnant, fuisse Thraciam gentem magna cum probabilitate coniecit Wilamowitz [1]).

Ad summam, vidimus Eugammonem, ut Ulixis annos posteriores rebus gestis expleret, in suum usum vertisse Musaei *κατάβασιν εἰς Ἅιδου*, quae ob causas supra expositas vulgo dicebatur *Θεσπρῶτις*; Clementem autem Alexandrinum optimo iure Eugammonem furti accusasse, nisi quod vocem „*ὁλόκληρον*" melius omisisset. Transeamus igitur ad partem tertiam Telegoniae, ubi Ulixis finis tragicus narratur.

Proclo teste Ulixes Ithacam revertitur. Interea Telegonus patrem quaerens in insulam escendit, ubi Ulixem agros suos a populanti advena defendere conatum inscius interficit. Sceleris autem nefarii conscius factus patris cadaver, Telemachum, Penelopen secum ad matrem abducit, quae immortales eos reddit. Deinde Penelope Telegono nubit, Circe vero Telemacho.

Statim adiiciam e scholio Eustathii ad *π* 118 hasce observationes: „*ὁ δὲ τοὺς Νόστους ποιήσας Κολοφώνιος*(?) [2]) *Τηλέμαχον μέν φησι τὴν Κίρκην ὕστερον γῆμαι, Τηλέγονον δὲ τὸν ἐκ Κίρκης ἀντιγῆμαι Πηνελόπην*", e quibus fortasse efficere licet coniugia illa non esse excogitata ab Eugammone, sed fuisse inventum *prioris* aetatis. Deinde: „*ὁ δὲ τὴν Τηλεγόνειαν γράψας Κυρηναῖος ἐκ μὲν Καλυψοῦς Τηλέγονον υἱὸν Ὀδυσσεῖ ἀναγράφει ἢ Τηλέδαμον, ἐκ δὲ Πηνελόπης Τηλέμαχον καὶ Ἀρκεσίλαον*" [3]).

„Nomen Τηλέδᾱμος epico versu dici nequit, levi manu mutatur in Τηλέδαπος", sic Wilamowitz l.l. p. 183. Sed quid

1) l.l. p. 187.

2) Cf. Proclum: *συνάπτεται δὲ τούτοις τὰ τῶν Νόστων βιβλία ε' Ἀγίου Τροιζηνίου.*

3) Arcesilae nomen addidit Eugammon ut Cyrenaeorum regum genus exquisite honoraret.

Digitized by Google

vetat pronuntiatum esse Τηλέδαμος a radice δαμ = *domare*, ut Ἱππόδαμος Λ 335? An forte Τηλέμαχος formari potest, Τηλέδαμος non potest? Significat utrumque: „is qui eminus dimicat." Accedit quod nomen Teledamus exstat Paus. II, 16, 6, ubi sic vocatur Cassandrae filius, heros ex epico aliquo carmine. Quare nil mutemus. Gravius est quod Telegonus *vel* Teledamus hic vocatur non *Circes* sed Calypsus filius. Cum vero e Procli chrestomathia appareat Telegonum e *Circe* ortum esse, Calypsus autem filium *duo* nomina in epico carmine habuisse non sit verisimile, libenter credo Wilamowitzio contendenti, nomen Telegoni Teledamo esse superscriptum ab homine cui proprium nomen Teledamus ignotum esset.

Restat ut de Ulixis morte nonnulla observemus:

Verba Homeri sunt, λ 134 sqq.:

θάνατος δέ τοι ἐξ ἁλὸς [1]) αὐτῷ
ἀβληχρὸς [2]) μάλα τοῖος ἐλεύσεται, ὅς κέ σε πέφνῃ
γήρᾳ ὕπο λιπαρῷ ἀρημένον· ἀμφὶ δὲ λαοὶ
ὄλβιοι ἔσσονται.

Si Telegonia, si omnes fabulae de Ulixis interitu plane nobis essent ignotae, quale mortis genus expectaremus? Quem finem Homerum heroi suo post tot labores et errores destinasse inter omnes, nisi qui sensu poetico prorsus essent destituti, conveniret? Nulla mora unusquisque exclamaret: „mortem placidam, lenem: cum in ea sola lectoris animus acquiescere possit." Quid si Homerus τὸν πολύτλητον, qui tot pericula et aerumnas exantlasset ut inter suos quietus reliquam vitam degeret, ab ipso filio trucidari cecinisset? Taedii pleni ad unum omnes carmen e manu eiiceremus; nam licet et vita cottidiana et theatrum hodiernum nos doceant, improbum non semper puniri, probum saepe merito praemio privari, carmen epicum, quo describuntur res non ita ut *sunt* sed quomodo poetae imaginatio eas sibi *proponit*, exigit ut ignavus spernatur, fortis celebretur, heros in certamine cadat vel victor merita quiete fruatur, ut iuniores narrandis ac depingendis rebus a se gestis ad facta non minus

1) ἔξαλος una voce Herodianus.

2) ἀβληχρὸς cll. Θ 178 significat „debilis, lenis": sic iam Eustathius ad λ 134: ἀβληχρὸς δὲ θάνατος ὁ ἀσθενὴς καὶ ἠρεμαῖος διὰ τὸ ἄνοσον ὁποῖος ὁ ἐν γήρᾳ μάλιστα λιπαρῷ. Est mors qua senex velut exstinguitur omni dolore et agonia vacuus.

Digitized by Google

fortia excitare possit. Et velut diem laboris et dimicationis plenum sequuntur *ἀναβήματα τῆς δαιτὸς καὶ ὕπνος γλυκύς*, sic tranquilla senectus obitusque placidus finiunt herois vitam laboriosam. Quod si ipsae res gestae dulce illud epici somnium perturbant, herois mortem extra bellum vi nefaria allatam paucis sed *moestis* verbis refert [1]); nam amplae huiusmodi descriptiones tragicorum sunt, adversam hominum fortunam, vanas spes, inanitatem vitae nobis ante oculos ponentium. Cuiusmodi moeroris cum in Homeri verbis laudatis nec vola nec vestigium appareat, statuendum est, Homerum *mortem mitissimam post senectutem curis periculisque solutam inter populum beatum ac prosperum heroi suo destinasse.* Nec secus fecit Goethius, qui Faustum suum post varios casus et labores a populo industrio ac felici circumdatum, dulcem mortem obeuntem pulcherrimis versibus cecinit [2]). Et quis verus poeta aliter fecit unquam?

Libenter igitur mea facio verba F. G. Welckeri (Der Epische Cyclus 1835 p. 302): „ein sanfter Tod auszer dem Meere werde dort ihn im Alter, nachdem er unter sich die Völker glücklich gesehen, beschleichen. Diese Voraussagung verbindet sich mit dem Schlusse des Gedichts selbst, der sich auf das Gegenwärtige beschränkt, zum erfreulichsten Ausgang, und irgend etwas Anders als das Glück der gefahrlosen Ruhe auf dem Land und in der Heimat bis zum Lebensende nach langen Gefahren des Kriegs und der Seefahrten, *wusste oder wollte der Dichter der Odyssea nicht.*"

Haec poeta voluit; expressitne quoque suis verbis? In versibus supra allatis nihil est quod tali sententiae adversetur, nisi fortasse verbum *πέφνῃ*, quod vulgo usurpatur de nece quae vi

---

1) Cf. γ 193, δ 91 sqq., λ 404 sqq.

2) Faust und Helena sub fin.

Solch ein Gewimmel möcht' ich sehn
Auf freiem Grund mit freiem Volke stehn.
Zum Augenblicke dürft' ich sagen:
Verweile doch, du bist so schön!
Es kann die Spur von meinen Erdetagen
Nicht in Aeonen untergehn.

C. Crusius Rhein. Mus. 37 p. 311: „nach Tiresias' Weissagung entschlummert Odysseus eines ruhigen Todes als mächtiger Völkerkönig."

Digitized by Google

infertur [1]). Nam quid obstat quominus ἐξ ἁλός accipiamus pro ἔξω ἁλός, ut iam multi fecerunt, inter quos Nitzsch, Ameis-Henze. Cur *hic* talis interpretandi ratio *contorta* appellatur cum tale quid non audiat Ξ 130:

αὐτοὶ μὲν ἐχώμεθα δηιοτῆτος | ἐκ βελέων?

Significat enim hic versus: ipsi a pugnando abstineamus atque versemur extra arma i. e. laten wij ons bewegen *buiten het strijdgewoel* = terwijl wij buiten het strijdgewoel *zijn*; eodemque modo verba θάνατος δέ τοι ἐξ ἁλὸς αὐτῷ ἐλεύσεται sunt vertenda: mors tibi ipsi veniet cum extra mare versaris = terwijl ge *buiten de zee zijt* [2]).

Quod ad sensum, quid verisimilius quam Tiresiam voluisse „si Neptunum perpetuum adversarium sacrificiis placaris, *nullum e mari periculum* tibi postea erit timendum?" Sin vero intelligimus *e mari* Ulixi mortem esse venturam, primo syntaxis offenditur, cum locus ipse vocabulorum ἐξ ἁλός positorum inter τοι et αὐτῷ indicet ea *non* cum verbo ἐλεύσεται sed cum τοι αὐτῷ esse coniungenda; deinde Homero obtruditur dictio pythica, quae prorsus a lingua eius nativa est aliena, nam *cur* non addidisset quid illud periculum foret; tertio parum apte Ulixi promittitur *lenis mors*, quarto ineptissimum fit sacrificium Neptuno oblatum. Immo, prorsus mente captus fuisset sapiens Tiresias, si ita esset locutus: „si tandem aliquando maris pericula effugeris, iterum tibi erit vagandum, donec in locum ubi Neptunus adhuc est ignotus, cultum eius introduxeris. Quod si feceris et sacra deo placando idonea ei obtuleris ..... nefanda mors ex ipso mari tibi erit exspectanda."

Certissimum igitur habeo Homerum de morte violenta Ulixi a filio illata, nedum de radio raiae pastinacae, omnino non cogitasse. Tunc demum intelligimus quietum responsum Penelopes ψ 285, quae postquam Ulixes Tiresiae dicta ei rettulit, suaviter observat:

---

1) Non tamen urgendum puto hoc verbum; *deus* enim mortem immittit secundum Homerum et de hoc actu divino ἔπεφνε dici potest. Sic e. g. Apollo et Diana ἔπεφνον mortales, quamvis id ἀγανοῖσι βέλεσσι fieret (vid. Ω 605).

2) Cf. annotationem, meo quidem iudicio, minus rectam in editione V. L. et M. d. C. Vocabulum αὐτῷ cur tentarit Herwerdenus non video; sensus est: „mors tibi *ipsi* extra mare adveniet ut olim comitibus in mari advenit."

Digitized by Google

„εἰ μὲν δὴ γῆράς γε θεοὶ τελέουσιν ἄρειον,
τελπωρή τοι ἔπειτα κακῶν ὑπάλυξιν ἔσεσθαι" [1]).

Hactenus de Homero. Apud Eugammonem autem Ulixem a Telegono filio esse interfectum, Proclus tradidit. Nihil quidem in Procli chrestomathia inest de radio raiae pastinacae, sed posteri, Hygino excepto (fab. 127), iuvenem tali telo usum fuisse ad unum omnes asseverant; e. g. schol. ad λ 134: τὸν πατέρα διαχρήσασθαι τρυγόνος κέντρῳ. Ex Aeschyli quoque parodia [2]), qui radium non hastae affixum esse fingit sed per ardeae alvum in Ulixis caput immittit, efficio hoc telum non fuisse additamentum recentiorum, puta Sophoclis, verum genuinam partem antiquae Telegoniae.

Est autem opinio admodum vulgata e verbis ἐξ ἁλός perperam explicatis ortam esse illam fabulam de Ulixe a filio crudeliter necato; Wilamowitz vero iure negat fabulam tam tragicam a recentiore auctore excogitari potuisse. Sunt eius verba haec: „der Sohn im Kampfe mit dem Vater, ahnungslos sein Mörder: das ist der Sage von Hildebrand und Hadubrand von Welcker mit Recht zur Seite gestellt, obwol die Aehnlichkeit keine innerliche ist. Die Gabe der Mutter, der zauberische Rochenstachel, verderblich dem Vater, den der Sohn auf der Mutter Geheiss zu suchen auszog: dass ist ein Motiv von so gewaltiger dramatischer Kraft, dass ein Spätling des Epos es nicht erdacht haben kann. Eben so wenig kann es aus einer Erklärung des ἐξ ἁλός herausgeklügelt sein."

Revera argumentum illud patris a filio inscio trucidati, ab antiquis non tam alienum erat — ut vel docet Oedipodia —, quam a mythis germanicis et celticis [3]). Necnon arbitror nimiam fidem etiamnunc haberi scholiastis asseverantibus, multos mythos, qui tragicis fabularum materiam praebuerint, ex uno

---

1) Optime igitur schol.: „οὐκ οἶδεν ὁ ποιητὴς τὰ κατὰ τὸν Τηλέγονον καὶ τὰ κατὰ τὸ κέντρον τῆς τρυγόνος.

2) Ψυχάγωγοι fr. 275 Wecklein.

3) A Welckero et Wilamowitzio comparatur carmen Hildebrandi; moneo autem ibi non patrem a filio sed a patre filium esse occisum. Insp. Grundriss der Germ. philol. III Band 3e Liefer. Bog. 33. 48 (anni 1898) ubi v. cl. B. Symons p. 630: „Dass das Lied in seiner alten Fassung tragisch mit dem Tode des jungen Helden endete kann nicht bezweifelt werden."

Digitized by Google

vel duobus Homeri verbis male explicatis fuisse ortos. Quae opinio ex errore nata est; scholiastae enim illi putabant Homerum in Iliade vel Odyssea esse complexum *quidquid* de Achille, de Agamemnone, de Ulixe aliisque antiquissimo tempore in arcibus τῶν ἀνάκτων a rhapsodis caneretur. Ab hac autem sententia vel cyclicorum fragmenta nos deterrere debent; fuerunt sane fortes ante Agamemnonem qui vatem suum invenerunt, licet Homerus de iis sileat, sed fuerunt *res quoque ab Agamemnone gestae* quas Homerus non tangit. Sic fabularum, quae de πολυτρόπῳ Ulixe in populi ore vigebant et vivebant, *partem* aliquam in Odyssea sua optimus sed non *unicus* poeta posteritati tradidit.

Qua re et ego puto — nam pro certo aliquid statuere quis in tali re audeat? — Telegoniae argumentum fuisse perantiquum et minime esse ortum e vocabulis ἐξ ἁλός male explicatis, sed duobus hisce vocabulis a posteris data opera significationem „*e mari*" esse attributam, ut Telegonia apte Odysseae adnecti posset [1]). Simul fortasse tunc verbum πέφνῃ pro alio verbo a sciolo est invectum.

Eandem materiem Sophocles tractavit in tragoedia Niptris, quod nomen licet semel tantum apud Suidam et Photium reperiatur, cum alibi tragoedia audiat Ὀδυσσεὺς ἀκανθοπλήξ vel Ὀ. τρυμματίας, vulgo defenditur Ciceronis auctoritate allata, qui Tusc. II 48 docet, Pacuvium Sophoclem imitatum esse in tragoedia *Niptris*. Eugammonis vero Telegoniam tragico ante oculos fuisse mihi quidem vix videtur credibile; argumentum autem tragoediae Sophocleae inspiciamus:

Ulixes prorsus incertus de sensu Tiresiae verborum adiit oraculum Dodonaeum rogaturus, quanam in regione hominem rerum maritimarum ignarum invenire posset. Simul responsum tulit, ut a filio caveret mortem. Homine illo haud dubie in Epiro, fortasse ad montem Oetam, invento Ulixes suis ignotus Ithacam revertitur, sed agnoscitur ab Euryclea, ut in Odyssea est descriptum. Eodem autem die Telegonus missus a matre ut genitorem quaereret tempestate in Ithacam est delatus ibique agros populare coepit. Clamore orto Ulixes cum advena arma confert, qua

1) Sic iam antea Welckerus Griech. Trag. p. 245.

Digitized by Google

in pugna graviter a filio inscio vulneratur; saucius deinde domum translatus increpat oraculum Dodonaeum; se enim semper mortem a Telemachi manu exspectantem laetale vulnus accepisse radio venenato a peregrino pirata in se coniecto; quare nemo tam sit ineptus ut divinis responsis fidem habeat. Advenit Telegonus, fit *ἀναγνωρισμός*, Ulixes caeca fata vitae humanae lamentatus e vita discedit, quo facto filius moestus ad matrem Circen revertitur.

Secutus sum tam fragmenta Sophoclis quam quae tradiderunt Hyginus, Oppianus, Dictys. Addit Hyginus sub finem fabulae apparuisse Minervam, cuius monitu heros mortuus in insulam Aeaeam sit deportatus, ubi sepeliretur. Eiusdem deae iussu Telegonum Penelopen, Telemachum Circen uxorem duxisse.

Talis vero finis mihi magis Euripideus quam e Sophoclis ingenio videtur, quare potius facio cum sero auctore Odysseae periochae a Buttmanno editae, cuius ultima verba sunt: *μαθὼν οὖν Τηλέγονος ὅτι τὸν πατέρα ἀνεῖλε, πενθήσας αὐτὸν πικρῶς ἀνεχώρησε τῆς Ἰθάκης* (Vid. Welcker Gr. Trag. p. 243).

Utut id est, unusquisque iam observavit: de itinere in Elidem nullam fieri mentionem; Sophoclem de suo addidisse vel aliunde desumpsisse *oraculum illud Dodonaeum*, quod ut Pythicum illud in Oedipodea, totius tragoediae cardo factum est. Eadem igitur narratione antiquissima utitur Sophocles ac Eugammon olim erat usus, sed uterque pro suo ingenio datam materiam tractavit. Nam valet hic quoque notissimum illud: „duo cum idem faciunt idem non est."

Welckerus autem quamquam l.l. Pacuvii fragmentis adhibitis fabulae Sophocleae lineamenta ducere est conatus, supervacaneum non duco hac quoque de re pauca disputare, cum Wilamowitz Hom. Unt. p. 195 sqq. quaedam contraria in medium protulerit. Opinatur enim Welckerus Ulixem, qui in initio tragoediae ignotus suis in Ithacam redeat et lavatus ab Euryclea agnoscatur, non *primum* post Troiam captam reverti sed *iterum*. Heroem scilicet post primum in Ithacam reditum, quem Homerus describit, procis interfectis in Epirum esse profectum ut oraculum Dodonaeum consuleret; hinc nunc in patriam redire aeque ignotum eodemque modo agnosci ac antea. Cui obloquitur

Digitized by Google

Wilamowitz nimis frigidum fuisse si Sophocles quae egregie placeant de primo reditu nunc quoque de secundo narraverit. Facit ergo Ulixem reverti non *iterum* sed *primum* post Troiam deletam, ponit primum ἀναγνωρισμόν (cum Penelope) in priore parte fabulae, secundum (cum Telegono) in posteriore ac negat procorum caedem locum suum in hac tragoedia invenisse. Telegoni enim adventum spectatorum mentem ab Odysseae argumento abduxisse.

Negari non potest Eurycleam iterum dominum suum abluentem et agnoscentem hodiernis, quibus in scena bis repetita minime placent, admodum esse molestam vel ridiculam. Sed tragicum τὴν μνηστηροφονίαν prorsus omisisse minus videtur verisimile. Quare etsi Wilamowitzium sequendum ducimus, tamen credimus procorum mortem in fabula fuisse enarratam ῥήσει ἀγγελικῇ. E fragmentis certe Pacuvii minime apparet, licet Welckerus id contendat, fabulam initium sumpsisse a *secundo* Ulixis reditu in Ithacam. Quinimo si Welckero credimus altera quoque difficultas oritur; nam e fragm. Soph. 405, 407, 840 (Dind.) et Pacuvii 6, 7, 5 (Ribb.) v. d. statuerunt Ulixem in hac tragoedia errores suos ex Odyssea notos enarrasse; quod si verum est, statim rogamus, quibusnam hominibus heroem *iterum* redeuntem de Cyclope, de Sirenibus, de introitu ad inferos narrarit, an non sit verisimilius talia Ulixem post *primum* reditum suis exposuisse? Quod autem perhibet Welckerus, Ulixem nunc cum Telegono casus suos communicasse ut antea cum Penelope fecerit, id paucis credo placebit. Sed iam satis est. Welckeri, Ribbeckii, Wilamowitzii opera cui non sunt prae manibus? ineptum igitur foret iterare quae de hisce fragmentis chartae mandarunt.

Restat ut commemorem Sophoclis tragoediam Euryalum, cuius amplum argumentum servavit Parthenius Erot. c. 3 (Περὶ Εὐίππης): Ulixes *oraculi cuiusdam causa* in Epirum profectus violat Euhippen Tyrimmae hospitis filiam, e qua nascitur Euryalus. Hunc adolescentem mater Ithacam mittit symbola quaedam ferentem ἐν δέλτῳ κατεσφραγισμένα (leg. -μένῃ). Ulixe forte absente, Penelope interrogat advenam et de Ulixis adulterio certior facta apud redeuntem maritum Euryalum accusat, ut qui sibi vim afferre voluisset. Tunc pater ignotum filium inter-

Digitized by Google

ficit, sed non multo post *πρὸς τῆς αὐτὸς αὐτοῦ γενεᾶς τρωθεὶς ἀκάνθῃ θαλασσίας τρυγόνος ἐτελεύτησεν* [1]).

Hanc fabulam Niptra praecessisse res ipsa loquitur. Mirum autem exstat scholium Eustathii π 118 p. 1796: *Σοφοκλῆς δὲ ἐκ τῆς αὐτῆς Εὐίππης Εὐρύαλον ἱστορεῖ, ὃν ἀπέκτεινε Τηλέμαχος*, ad cuius auctoritatem servandam Partheniique damnandam omnes v. d. parati esse videntur. Rogamus quo iure; bonum enim Eustathium in tradendis nominibus non semper dignum esse fide indubitata supra vidimus, cum de nomine Teledamo ageremus. Cui accedit, quod nihil est in Parthenii narratione quod offendat, immo omnia procedunt ut procedere debent. Nam laesa uxor sic demum de marito adultero poenas severas sumit si filius ex pellice ortus *ipsius patris* manu trucidatur. Sic demum mors a Telegono patri illata spectatoribus videri potest debita poena pro scelere in filium Euryalum commisso. Agnoscimus enim studium illud poetarum iniquum aliquod oraculum ita supplentium ut spectatorum rationi mentique satisfaciant, quod deprehenditur in Aristophanis grammatici argumento ad Euripidis Phoenissas. Ibi enim, ut lectores Pythico oraculo concilientur, quod quondam Apollo Laio Oedipodis patri dedisset, traduntur haec: „cum Laius in Elidem venisset amore incensus Chrysippi Pelopis filii, adolescentem vi Thebas rapuit ac in deliciis habuit. Quo nuntio accepto Pelops corruptori est imprecatus ut sine prole moreretur, vel si genuisset filii manu interiret." Fatum igitur Oedipodis nunc poena videtur pro contumelia Pelopi olim illata. Credo igitur Parthenium argumentum tragoediae Sophocleae fideliter servasse.

Quod ad Aeschylum, iam supra monuimus eum Telegoniae materiem, quatenus Ulixis mortem tangit, tractasse in *Ψυχαγωγοῖς*. Annotat N. Wecklein [2]): „Non sine probabilitate videntur fabulae *Ψυχαγωγοί*, *Πηνελόπη*, *Ὀστολόγοι* ad eandem trilogiam referri posse Ulixis fata complexam. Argumentum primae fabulae ex Necyia Homerica. *Πηνελόπη* agnitionem Ulixis uxorisque et ut videtur caedem procorum proponebat, in *Ὀστολόγοις* Ulixi res erat cum propinquis procorum ad exemplum Eupithis

1) Verba *τρωθεὶς ἀκάνθῃ τρυγόνος θαλασσίας* senarium efficere observat Meinekius, quem Sophoclis esse posse.

2) Aeschyli fab. Fragm. p. 561.

Digitized by Google

Homerici (ω 422 sqq.) sanguinis poenas ab Ulixe petentibus."

Post omnia quae supra scripsi satis habeo negare argumentum ex Necyia Homerica esse petitum; fons erat vel Eugammonis Telegonia, vel, quod potius credo, antiquus mythus cui et Eugammon argumentum suum debebat. Deinde, licet obloquantur Welckerus et Nitzsch, facio cum Hermanno, qui Opusc. III p. 40 hanc fabulam satyricam fuisse optimo iure effecit e fragm. 180:

ὅδ' ἐστὶν ὅς ποτ' ἀμφ' ἐμοὶ βέλος
γελωτοποιόν, τὴν κάκοσμον οὐράνην
ἔρριψεν οὐδ' ἥμαρτεν e. q. s.

Item e Psychag. fr. 275 egregie a Valckenaerio restituto:

ἐρῳδιὸς γὰρ ὑψόθεν ποτώμενος
ὄνθῳ σε πλήξει νηδύος χιλώμασιν.
ἐκ τοῦδ' ἄκανθα ποντίου βοσκήματος
σήψει παλαιὸν δέρμα καὶ τριχορρυές [1])

efficio et hanc fabulam fuisse *satyricam*. Aeschylus ut monet scholiasta ad λ 134 (ὁ A. ἰδίως λέγει κ.τ.λ.) suum ingenium secutus radium per ardeae alvum in Ulixis caput calvum et senile immittit, ut totam Telegoni fabulam ludibrio habeat. Ardea quae Telegoni vice fungitur aeque est festiva ac ἀμίς qua Eurymachus τὸν πτολίπορθον Ulixem petit. Trilogia igitur a Wecklenio dubitanter proposita utique est reiicienda; pro paucitate autem fragmentorum multum disputare sed nihil ultra pro certo affirmare licet.

---

1) Fabulam de morte Aeschyli (Vita 55) ex hoc dramate satyrico esse ortam coniecerunt O. Crusius (Mus. Rhen. 37) et Leeuwenius (Mnemos. 1890 p. 72). Addidit Crusius (ad verba schol. ὁ Αἰσχύλος ἰδίως λέγει): „vielmehr scheint der Dichter hier wie so oft einen altertümlich-rohen noch aus der vor-epischen Phase der Odysseussage stammenden Zug bewahrt zu haben, denn ganz ähnlich töten die Stymphalische Vögel „chthonische Ungethüme" auf der Todteninsel Aretias (H. D. Müller Ares S. 12. 101 ff.) ihre Opfer. Cf. Serv. Aen. VIII 300. Und an ihre Stelle treten auf dem gleichbedeutenden Eilande des Aresteros Diomedes nach Iuba die ἐρῳδιοί (Klausen Aeneas S. 1177)." Nimia, opinor, doctrina nocuit Crusio; ardeae enim ob alvum numquam non solutam ita iocosae videbantur antiquis ut *sexcenties* in vasis pictis appareant. Minime igitur e mytho perantiquo et abscondito Aeschylus ardeam illam petiit, sed e popelli sermonibus, e figuris quas pueri in muris delineare solebant, in drama satyricum eam transtulit. Tunc enim nascitur vis comica si verbum solitum insolito modo adhibetur, vel si rei cottidianae partes extraordinariae ac solemnes tribuuntur.

Digitized by Google

DE LUCILII SATIRARUM LIBRO PRIMO.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Ribbeckius in nobili de poesi Romana libro primum Lucilii librum sic enarrat:

In jener Satire des ersten Buches nimmt der Dichter an dass der vornehme Sünder Lupus noch lebe, und beschreibt eine Götterversammlung (in den Formen einer Römischen Senatssitzung), in welcher unter dem Vorsitz Iuppiters über Wohl und Wehe der Menschheit, insbesondere über Sein oder Nichtsein des Römischen Volkes beraten wird. Iuppiter will mit einem gewaltigen Ungewitter (wie es in der That im Jahr 628/126 Rom erschreckte) dreinfahren. Dagegen ist der Antrag gestellt, gleichsam zur Sühne den elenden Lupus zu vertilgen, vielleicht von Apollo, der sich über geringschätzige Behandlung von seiten der Sterblichen, d. h. Römer, beklagt. Alle anderen Götter werden von diesen Vater genannt, für ihn habe man das zweideutige Beiwort „der Schöne", welches ihn in die Reihe wollüstiger Zierbengel stelle. Neptun, entrüstet über das treiben der gottlosen Verschwender und Schwelger — Neptunssöhne werden sie auf Erden spöttisch genannt — schlägt vor den nichtigen Gauch bei einem üppigen Mahle von Fischdelicatessen umkommen zu lassen, *wie ihm durch einen Schicksalsspruch vorausgesagt ist. Die Satire hätte keine Spitze, wenn Lupus nicht wirklich an einer Unverdaulichkeit gestorben wäre oder nicht wenigstens dies als Ursache seines Todes gegolten hätte.* Vermutlich wird nicht nur das Ende

Digitized by Google

des Verurteilten, sondern auch das Los, welches seinen Schatten in der Unterwelt erwartete, in den Rahmen des Gedichtes aufgenommen worden sein.

Haec omnia e 10 fere versibus efficit Ribbeckius, nam ceteri, qui huius libri aetatem tulerunt, eiusmodi sunt ut de satirae natura prorsus nihil nos doceant. In tanta testimoniorum inopia cautius videri multis possit nihil de totius libri decursu statuere. Sed quoniam semel vir egregie doctus e ruderibus totum reponere conatus est, videndum an in eius aedificio aliquid sit quod iure displiceat, deinde illo notato vitio opera danda ut aliter inter se iunctis partibus posteritati reddatur opus illo dignum satirico, quem omnes, qui ipsum notum habere potuerunt, summis cumularunt laudibus. Nempe hanc certe utilitatem novum afferet reponendi conamen, habeat modo veri speciem non minorem quam prius illud, quod sic apparebit dubiam esse rem. Id quod hic usu venit; Ribbeckii enim sententia nunc quidem, tamquam certa nullique obnoxia dubitationi, in libros de literarum Latinarum historia recipitur; si altera ei opposita erit non plane absurda, posthac fortasse scriptores cautius hic agent remque lectoribus suis diiudicandam relinquent. Atque in tota Ribbeckii disputatione una certe res est quae plane abiicienda mihi videatur: a poeta hic significari et rideri morbum quo Lupus mortuus est. Ut morbi genus omittam (nam revera quidem piscium caro saepe quoddam celat venenum, quod brevissimo tempore homines conficiat; sed medici hoc norunt, poetae non est eiusmodi rebus in poesi sua uti; et si in pisce illius veneni nihil est, ea esse voracitate hominem ut illa carne abutens subitam sibi consciscat mortem vix est credibile) qui, quaeso, ille iocus est morbum quo adversarius periit vel narrare vel fingere? Lucilione hoc dignum, qui in vivos saevire solebat non in eos

quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina?

At Ribbeckii probata sententia satira haec tota ad *mortuum* pertinuit Lupum. Sed etiamsi insulsum hic fuisse satiricum concedamus, quomodo id quod Ribbeckius vult ullo modo effici potest e versibus Lucilii a Nonio et Gellio allatis:

ad cenam adducam et primum *hisce* abdomina thunni
advenientibus priva dabo cephalaeaque acharnae?

Digitized by Google

Et unde sibi petiit illud de Lupi morte vaticinium Ribbeckius? An apud Varronem (L.L. VII, 47) legit:

occi*dent*, Lupe, saperdae te et iura siluri?

At traditum ibi est occi*dunt*, estque versus medico quam oraculo dignior. Et nescio an rectius huic versui locum assignet Muellerus in Libro IV, quo Lucilius „luxuriam et vitia divitum" castigavit. (Schol. Persii ad III, 1).

Non hoc ergo satirae nostrae acumen, quod suspicatur Ribbeckius. Aliud quid sibi voluisse poeta videtur et fortasse nobis continget ut eius consilium e versibus disiectis eliciamus. Ab initio ergo ad finem quod mihi esse argumentum videatur narrabo; sponte hic lector videbit quibus in rebus cum Ribbeckio faciam, in quibus ab eo dissentiam.

Iam quod primarium est Servius nos docet ad Aen. X, 104:

totus hic locus de primo Lucilii translatus est libro, ubi inducuntur di habere concilium et agere primo de interitu Lupi cuiusdam ducis [1]) in republica, postea sententias dicere.

Lupus hic est L. Cornelius Lentulus Lupus, qui cum consularis lege Caecilia repetundarum crimine oppressus esset, decem annis post censor est creatus (Val. Max. VI, 9, 10).

De eo ergo dei consilium habent:

consilium summis hominum de rebus habebant.

Citatur versus a Servio, cuius haec praecedunt verba (ad Aen. IX, 227):

est Lucili versus uno tantum sermone mutato. nam ille ait (his Ianus Douza addit L. I, recte, Muellero iudice, cui libenter astipulor).

In hoc concilio et alia aguntur et iudicium exercetur. Et nunc quidem fit ampliatio quaedam [2]), sive quod eorum quae

---

1) *ducis* vulgo *iudicis*, quod cur ineptum Muellero videatur non video; nam cum in aliis reipublicae partibus tum in rebus iudicandis iniustum fuisse Lupum apparet e vss. 2 sqq. libri XXVII (M):

hoc cum feceris
cum ceteris reus una tradetur Lupo e. q. s.

2) Lex Calpurnia de repetundis nominatur XX, 10 (M.). Videtur homo Lupi similis de illius legis queri severitate. Cf. Cic. Verr. I, 26.

Digitized by Google

ad priorem actionem pertinuerunt nullum in fragmentis servatur indicium, sive quod sic tulit satirae ratio. Certe deorum unus [1]) sic orditur:

> Vellem concilio vestrum, quod dicitis olim
> caelicolae factum, vellem adfuissemu' priore
> concilio.

Alius quidam deus his verbis conqueritur de sua sorte:

> Nemo ut sit nostrum quin aut pater optimu' divum
> Aut Neptunu' pater, Liber, Saturnu' pater Mars,
> Ianu', Quirinu' pater siet ac dicatur ad unum.

Ex nostro libro haec esse diserte testatur Lact. inst. IV, 3, 12:

> itaque et Iuppiter a precantibus pater vocatur et Saturnus et Ianus et Liber et ceteri deinceps, quod Lucilius *in deorum concilio* irridet.

Hic deus quis sit non est obscurum. Apollo hic se ferre non posse declarat quod, cum ceteri dei honorifico patris nomine appellentur, ipse tamquam imberbis puer pulcher dicatur. Cf. Serv. ad Aen. III, 119:

> pulcher Apollo: quidam [pulcher Apollo, an del.?] epitheton datum Apollini reprehendunt; pulchros enim a veteribus exoletos dici. nam et apud Lucilium Apollo pulcher dici non vult,

quem locum Bouterwek m. Rh. XXI ad hoc deorum concilium retulit, quem recte, ut opinor, Muellerus secutus est. Hic Apollinis questus quid sibi in iudicio de Lupo velit satis probabili coniectura assequi mihi videor. Lupus, ut post eum Verres, aut in provincia fanum Apollinis spoliaverat aut alio modo hunc deum laeserat; nunc accusator ille in eum assurgit et in hunc modum declamat: „sat mihi contumeliarum iam est perferendum, ipsum nomen, quo designari soleo, contemptum significat, nunc hoc etiam accedit." Eiusmodi locos aptissimos esse ad misericordiam indignationemque movendam quivis perspicit. Et omnino probe tenent dei flosculos oratorios, quibus in foro uti consuerunt Romani. Velut hoc est quod tradidit Nonius:

Gangrena est cancer. Lucilius satyrarum Lib. I:

---

1) Non esse Iovem hunc recte statuit Muellerus. Nostro libro versus a Iulio Rufiniano servatos assignat Ianus Douza; vix dubium quin recte

Digitized by Google

serpere uti gangrena malum atque herpestica posset.

Opinor hoc quoque ex Apollinis oratione esse; conquestus erat deus quod Lupus non statim post iniuriam illam sibi illatam poenas dedisset, tum sic fere pergit: „at vos dei (vel „tu Iupiter") ei pepercistis („pepercisti") serpere uti e. q. s."

In deliciis enim est omnibus patronis et oratoribus illa imago de vitiis hominum in dies morborum instar ingravescentibus.

Neque deest Tullianum illud exordium:

Vellem cum primis, fieri si forte potesset

(pseudo-Asconius: incipiebant autem veteres — aut ab invocatione deorum — aut a reprehensione superioris temporis ut ait Lucilius: „vellem e. q. s." Nostri esse libri versum iure statuit Muellerus). Neque dubium est quin orator Lucilianus in hunc modum perrexerit: „sed quoniam e. q. s.".

Agnovimus ergo e verbis, quibus utitur, Apollinem. Neque minus certum est quis sit qui sic loquitur:

porro quicunque et cuicunque, ut diximus ante,
obstiterit, preimo cerebrum huic refert minui re [1]).

Herculem enim hic audimus censentem ut dei omnes, vel quidam ex eorum numero, nefarium hominem digna afficiant poena, eumque, qui alicui hoc peragenti negotium obstiterit, mactent infortunio. Quis hic non de Aristophaneo cogitat Hercule, qui rogatus quid Pisetaero sit faciendum nihil aliud nisi ἄγχειν βούλομαι et ἄγχειν μοι δοκεῖ respondet? Sed alii quidam versus magis perspicue etiam nobis facetissimum illum Aristophanis locum ante oculos ponunt; illos ipsos versus volo, quos in initio huius disputationis a Ribbeckio prave acceptos dicebam:

ad cenam adducam e. q. s.

Equidem certe audire mihi hic videor aliquem Lupi patronum, sive deum sive hominem e terris arcessitum, operam dantem ut Lupum ex instanti eripiat periculo: cenam enim opiparam promittens deos, imprimisque Herculem, mitiores erga reum reddit.

Sed quod vel iocosissimum fuit in nostra satira idem cui

1) E primo libro hosce esse versus testatur qui affert Nonius.

Digitized by Google

Apollinis debemus querimonias servavit Lactantius. Sic enim narrat ille:

> Carneades academicae sectae philosophus, cuius in disserendo quae vis fuerit, quae eloquentia, quod acumen qui nescit ipsum ex praedicatione Ciceronis intelliget aut Lucilii, apud quem disserens Neptunus de re difficillima ostendit non posse id explicari
>
> –⏑⏑ nec si Carneaden ipsum Orcu' remittat

Nam hoc quoque fragmentum Iano Dousae obsecutus iure nostrae esse satirae censet Muellerus. Causa ergo illa contorta et inexplicabilis Lupi causa est.

Iam satis, ut opinor, nunc intelligimus quod fuerit satirae consilium et quantum illa habuerit leporis et urbanitatis. In terris Lupus, licet omnes homines eius iniurias notas haberent et abominarentur, tamen salvus evasit; idem ei in caelo evenit. Omnes dei aeque irati sunt homini scelesto impioque; eorum unus indicta causa et ipsi et defensoribus eius cerebrum vult comminuere, ceteri omnia promunt artificia oratoria reo perdendo idonea; sed iudicum hic spe lautarum epularum corrumpitur, hic „res est difficilis, amplius quaerendum censeo" ait, denique ne apud superos quidem res eo adduci potest ut Lupus dignas det poenas: ea optimatium est potentia!

OVIDIUS.

METAM. V, 85 SQQ.

> Inde Semiramio Polydaemona sanguine cretum
> Sternit (Perseus).

Ineptum, hercle, illud *Polydaemon* nomen regulo datur. Sed aptissimum, quod lenissima correctione restitui potest, *Polydegmon*; cf. vs. 242: te tamen, o parvae rector, *Polydecta* Seriphi.

J. J. H.

Digitized by Google

THUCYDIDEA.

SCRIPSIT

I. C. VOLLGRAFF.

(*Continuantur e T. XXVIII p.* 61.)

THUCYDIDIS HISTORIAE. Recensuit CAROLUS HUDE HAUNIENSIS. Lipsiae 1898.

III c. 3 § 1.

οἱ δ' Ἀθηναῖοι (ἦσαν γὰρ τεταλαιπωρημένοι ὑπό τε τῆς νόσου καὶ τοῦ πολέμου ἄρτι καθισταμένου καὶ ἀκμάζοντος) μέγα μὲν ἔργον ἡγοῦντο εἶναι Λέσβον προσπολεμώσασθαι κτἑ.

Quid est τοῦ πολέμου καθισταμένου? quid nisi *bello oriente, initium capiente*? siquidem καθιστάναι latine audit *constituere, instituere, incipere*, unde κατάστασις *constitutio, institutio, institutum*? nec facile quisquam in principio operis totius — in vv. ἀρξάμενος εὐθὺς καθισταμένου τοῦ πολέμου — contradicet Scholiastae participium per ἀρχὴν λαμβάνοντος interpretanti. Itemque huius libri c. 68 (νομίζοντες ἐς τὸν πόλεμον αὐτοὺς ἄρτι τότε καθισταμένον ὠφελίμους εἶναι) vertendum videtur: *ad bellum quod tum modo gerebatur* et V c. 51 (καὶ εὐθύς τε καθισταμένῃ τῇ πόλει ἠναντιοῦντο): *civitati statim nascenti, urbi simulatque condi coepta est.* Ceterum — quod bona bonorum interpretum pace dictum sit — longum bellum per tot lustra duraturum etiam quarto quintove anno proprie vereque *nuper* (ἄρτι) inchoatum esse dicitur. Quid vero significat ἀκμάζοντος (τοῦ πολέμου)? Nonne ἀκμάζειν omnium consensu dicitur quidquid in ipso flore virium est, quidquid ad summum magnitudinis vigorisve fastigium pervenit? Certo igitur discrimine

Digitized by Google

distant inter se καθίστασθαι et ἀκμάζειν et ita quidem ut illud de primo semper, hoc de summo gradu usurpetur.

Quorsum haec disputo de quibus inter omnes constare debebat? propter ea quae annotata reperio in commentario Classeniano: scilicet manifesto nostro loco, ut et III c. 68 § 4, participium *praesens* καθιστάμενος eandem fere vim habere ac partic. *perfectum* καθεστηκώς: apte componi posse II c. 36 § 3 (ἡμεῖς οἵδε οἱ μάλιστα ἐν τῇ καθεστηκυίᾳ ἡλικίᾳ) itaque vv. καθίστασθαι et ἀκμάζειν quodammodo esse pro synonymis [1]).

Est haec certe, ut vides, interpretatio admodum improbabilis, cui tamen ansam dedit, nisi fallor, leve scribae erratum unam sed necessariam voculam casu praetereuntis.

Restituendum esse coniicio:

τοῦ πολέμου ἄρτι καθισταμένου καὶ ⟨ἤδη⟩ ἀκμάζοντος.

Ibidem § 2.

καὶ πέμπουσιν ἑξαπιναίως τεσσαράκοντα ναῦς, αἱ ἔτυχον περὶ Πελοπόννησον παρεσκευασμέναι πλεῖν.

Mirationem movet quod h. l. legimus, Athenienses subito timore perculsos, ut anteverterent Mytilenaeos, confestim XL naves misisse *quae forte circa Peloponnesum ad navigandum* (quonam navigaturae?) *paratae erant*. Nam aliter vertere vix ac ne vix quidem licet. Equidem crediderim potius hoc voluisse Thucydidem: naves illas forte fortuna tunc temporis in portu Atheniensium ad navigandum circa Peloponnesum paratas fuisse ideoque transponendum esse: αἳ ἔτυχον παρεσκευασμέναι πλεῖν περὶ Πελοπόννησον.

III c. 4 § 4.

καὶ ἀνοκωχὴν ποιησάμενοι πέμπουσιν ἐς τὰς Ἀθήνας οἱ Μυτι-

1) „Etwas derartiges (ἄρτι καθισταμένου) konnte von dem Kriege mit Beziehung auf dessen *viertes* und *fünftes* Jahr *unmöglich* gesagt werden, ganz abgesehen davon dass an unserer Stelle καθισταμένου bei einer solchen Auffassung (d. h. = *sich einstellen, eintreten, ausbrechen*) im entschiedensten Widerspruch zu ἀκμάζοντος stehen würde. Offenbar sind die beiden Stellen (III, 3. 1 und III, 68. 4) mit II, 36. 3, wo Perikles sich und seinen Altersgenossen die καθεστηκυῖα ἡλικία beilegt, zu vergleichen. ..... Der Sache nach unterscheidet sich καθισταμένου an unserer St. *nicht wesentlich* von ἀκμάζοντος, womit ebenfalls auf die *mittlere* Periode des Krieges hingedeutet wird.

Digitized by Google

λῃναῖοι τῶν τε διαβαλλόντων (malim διαβαλόντων) ἕνα ᾧ μετέμελεν ἤδη, καὶ ἄλλους, εἴ πως πείσειαν τὰς ναῦς ἀπελθεῖν ὡς σφῶν οὐδὲν νεωτεριούντων.

Vere Classenius: „die Verbindung von πείθειν mit einem Inf. mit eigenem Subjekt ist *ungewöhnlich*". Non tamen a Cobeto mihi persuaderi patior nimis violenter v. ἀπελθεῖν in ἀπάγειν vel ἀποπέμπειν mutante. Nam salva res est. Integram paene servant scriptoris manum literae ΠΕΙCΘΙΑΝ unde nullo negotio eruimus ΠΟΙΗCΘΙΑΝ.

„Induciis factis Mytilenaei Athenas legatos mittunt, si forte *facere, efficere, impetrare* possent ut naves a se recederent etc.".

Iam, cum de usu dicendi maxima concordia constet inter omnes, ecquid attinet laudare e. g. Oratorem Atticum vel Xenophontem vel ... piam Penelopen Od. XXIII, 257 seqq. sic canentem:

εὐνὴ μὲν δὴ σοί γε τότ' ἔσσεται, ὁππότε θυμῷ
σῷ ἐθέλῃς, ἐπεὶ ἄρ σε θεοὶ ποίησαν ἱκέσθαι
τοῖκον ἐὺ κτίμενον καὶ σὴν εἰς πατρίδα γαῖαν.

Quis enim apud Veteres, quis nostrorum hominum non ita loquitur?

III c. 10 § 1.

Περὶ γὰρ τοῦ δικαίου καὶ ἀρετῆς πρῶτον, ἄλλως τε καὶ ξυμμαχίας δεόμενοι, τοὺς λόγους ποιησόμεθα, εἰδότες οὔτε Φιλίαν ἰδιώταις βέβαιον a) * γιγνομένην οὔτε κοινωνίαν πόλεσιν ἐς οὐδέν, εἰ μὴ μετ' ἀρετῆς δοκήσεως b) ἐς ἀλλήλους [γίγνοιντο] καὶ τἆλλα ὁμοιότροποι εἶεν.

Cf. Stob. Flor. II, 33, 11.

a) βεβαίαν Stobaeus; b) coll. II, 35 med.; IV, 18 ext.; 87 § 1; 126 § 4; VII, 67 § 1 cum Herwerdeno scripsi δοκήσεως; codd. omnes: δοκούσης. A substantivo enim pendere potest ἐς ἀλλήλους, a verbo non item.

Locus paulo impeditior, de quo inde ab Henrico Stephano ambigitur inter Editores necdum composita lis est. Maior pars (Poppo Krüger Goeller Boehme Stahl alii) intelligit:

εἰ μὴ μετ' ἀρ. δοκ. ἐς ἀλλήλους γίγνοιντο (Φιλία καὶ κοινωνία) καὶ τἆλλα ὁμοιότροποι εἶεν.

Inter quos operae pretium est audire Goellerum: „post γίγνοιντο, inquit, cum Poppone cogita Φιλία καὶ κοινωνία vel

Digitized by Google

potius supple φίλοι quod ex φιλία repetendum est". De qua explanatione quomodo iudicandum est? nonne suo arbitratu φίλοι pro φιλία καὶ κοινωνία substituens singulari ac minime licito artificio utitur Goellerus? Quod, credo, non alia de causa excogitavit quam ut ἐς ἀλλήλους illud — nota molestum pronomen *masc. generis!* — haberet quo commode referretur.

Alii contra, veluti Steupius [1]), interpretantur:

εἰ μὴ μετ' ἀρ. δοκ. ἐς ἀλλήλους (ἰδιῶται καὶ πόλεις) γίγνοιντο κτἑ.

Sic vero statim novus scrupulus iniicitur. Namque μετ' ἀρετῆς δοκήσεως γίγνεσθαι ἐς ἀλλήλους, quod Steupio auctore significat: *sich mit der gegenseitigen Voraussetzung der Rechtschaffenheit gegenüber stehen*, id nullo idoneo exemplo confirmatum ne Graecum quidem esse apparet. Quamquam fac probatum scriptorem dicere potuisse: Κῦρος καὶ Κροῖσος μετ' ἀρετῆς δοκήσεως εἰς ἀλλήλους ἐγένοντο vel simile quid: nonne incurrit in oculos nostro certe loco optativum γίγνοιντο pro γένοιντο propter εἶεν quod continuo sequitur, in orationis contextu omnino ferri non posse?

Dicam quid sentiam: ut loci compositio bene Graeca i. e. elegans et perspicua evadat et Thucydide digna, necessario expungendum erit vitiosum istud γίγνοιντο quod orationis fulciendae gratia nimirum temere de suo infersisse videtur corrector Stobaeo aliquanto antiquior non animadvertens sententiae concinnitatem sic funditus everti. Fraudem arguit vel ipsum imperfectum perperam pro aoristo positum.

Si scribimus: εἰ μὴ μετ' ἀρετῆς δοκήσεως ἐς ἀλλήλους καὶ τἆλλα ὁμοιότροποι εἶεν i. e. εἰ μὴ δοκοῖεν ἀλλήλοις ἄνδρες ἀγαθοὶ εἶναι καὶ ἅμα τἆλλα ὁμοιότροποι εἶεν ad orationis sanitatem et perspicuitatem nihil desiderabitur.

Praeterea obiter moneo paulo supra ad *participium* γιγνομένην utique revocandam esse particulam ἄν, cuius tenue adhuc vestigium agnoscere mihi videor apud Stobaeum in mendosa lectione βεβαίαν nata, ut suspicor, ex βέβαιον ἄν.

---

1) „Es muss zu εἰ μὴ ..... γίγνοιντο nicht φιλία καὶ κοινωνία sondern ἰδιῶται καὶ πόλεις verstanden werden, wie das bei εἶεν keinem Zweifel unterliegt."

Digitized by Google

Ibidem § 3.

ξύμμαχοι μέντοι ἐγενόμεθα οὐκ ἐπὶ καταδουλώσει τῶν Ἑλλήνων Ἀθηναίοις, ἀλλ' ἐπ' ἐλευθερώσει ἀπὸ τοῦ Μήδου [τοῖς Ἕλλησιν].

In hac sententia uterque dativus (*Ἀθηναίοις . . . . . τοῖς Ἕλλησιν*) pari modo pendet a vv. *ξύμμαχοι ἐγενόμεθα* nec aliam interpretationem admittit tradita lectio, si quid video, nisi hanc unam:

„(Nos Mytilenaei) tamen, nequaquam ut Graecos in servitutem redigeremus, societatem fecimus *cum Atheniensibus*, verum, ‹Graecorum› a Persarum dominatione liberandorum causa, *cum Graecis*".

Forsitan contenderit quispiam: cum manifesto falsum hoc esse tum mirabiliter dictum: *τοὺς Ἕλληνας* enim necessario significare Graecos *universos* [1]); rerum veritati autem repugnare Mytilenaeos contra Persas cum universa Graecia societatem iniisse: aliud profecto voluisse Thucydidem in hunc fere modum:

„Non eo animo Atheniensium socii facti sumus ut Graeci in servitutem redigerentur, verum ut a Medorum dominatu liberi fierent".

Equidem minime negaverim. Sed enim ut ita loquantur Mytilenaeorum legati, ultima vocabula (*τοῖς Ἕλλησι*) reddenda esse videntur rhetori subinepto qui loci compositioni nonnihil ad absolutionem deesse ratus ut suaviter, quemadmodum apud Isocratem in Panathenaico, omnia omnibus paribus paria responderent similemque in cadendo sonum referrent extrema, verborum evidentiam interpolando obscuravit.

III c. 12 § 1.

τίς οὖν αὕτη ἡ a) Φιλία [ἐγίγνετο] ἢ ἐλευθερία πιστή, ἐν ᾗ παρὰ γνώμην ἀλλήλους ὑπηρχόμεθα b) καὶ οἱ μὲν ἡμᾶς ἐν τῷ πολέμῳ δεδιότες ἐθεράπευον, ἡμεῖς δ' ἐκείνους ἐν τῇ ἡσυχίᾳ ταὐτὸν ἐποιοῦμεν; ὅ τε τοῖς ἄλλοις μάλιστα εὔνοια [πίστιν] c) βεβαιοῖ, ἡμῖν τοῦτο ὁ Φόβος ἐχυρὸν παρεῖχε, δέει τε τὸ πλέον ἡ Φιλία κατεχόμενοι ξύμμαχοι ἦμεν.

a) ἡ scr. L. Dindorfius; in textum recepit Bekkerus b) *ὑπηρχόμεθα* em. Haasius; *ὑπεδεχόμεθα* codd.; (c) *πίστιν* exp. Stahlius.

---

1) Quod in commentario annotatum invenimus: »Unter *οἱ* Ἕλληνες sind ..... hier *nur* die Staaten der delischen Konfederation zu verstehen", est hoc sane, ut Francogalli et Bruxellenses loquuntur, *une explication inventée pour le besoin de la cause*.

Digitized by Google

Utilissimum est contaminatam librorum scripturam, quam alii aliter sublevare conantur, diligenter componere cum DION. HALIC. qui A. R. VI, 78 locum ad verbum fere, ut solet, imitando expressit:

τίς οὖν ἡ τοιαύτη φιλία καὶ πίστις, ἐν ᾗ παρὰ γνώμην ἀλλήλους θεραπεύειν ἀναγκασθησόμεθα;

ex qua comparatione probabile fit:

1) in codice quo utebatur Dionysius, sicuti in omnibus nostris libris, *ἡ* (non *ἥ*) *φιλία* exaratum fuisse;

2) *verbum* in illo codice ad substantivum *φιλία* auditum, non additum fuisse;

3) Dionysium in suo libro *φιλία* repperisse et *πίστις* [1]), non vero *ἐλευθερία*.

Quapropter apud Thucydidem neque *ἡ* cum Dindorfio in *ἥ* mutaverim neque *πιστή* — quam saepe H et IC a librariis inter se confusa sint norunt harum rerum periti — fidenter cum Cobeto expunxerim, verum deleto tum *ἐγίγνετο* (quod vitiose pro *ἦν* [2]) usurpatum ab eodem stipite profectum esse videtur qui similem in modum capitis X initium deformavit), tum *ἐλευθερία* (utpote vocabulum hic minus conveniens quod male pedem intulisse suspicari licet, postquam solemni scribarum errore ΠΙCΤΙC in ΠΙCΤΗ abiit, videlicet ut adiectivum suum sibi qualecumque substantivum haberet), hisce igitur deletis ego loci initium sic constituerim:

τίς οὖν αὕτη ἡ φιλία καὶ πίστις, ἐν ᾗ
παρὰ γνώμην ἀλλήλους ὑπηρχόμεθα καὶ οἱ
μὲν ἡμᾶς ἐν τῷ πολέμῳ δεδιότες ἐθεράπευον,
ἡμεῖς δ' ἐκείνους ἐν τῇ ἡσυχίᾳ κτἑ.

Pro verbo *ὑπεδεχόμεθα* frustra a nonnullis defenso, ex Haasii emendatione quae mihi quidem felicissima videtur, scripsi *ὑπηρχόμεθα*. Haud raro enim et apud probatos scriptores *ὑπέρχεσθαι* et *θεραπεύειν* ut synonyma sic coniuncta invenimus. Veluti apud DEMOSTHENEM, ut hoc utar, Or. *contra Aristocratem* § 8, ubi legimus: *συμβέβηκε γὰρ ἐκ τούτου αὐτοῖς μὲν ἀντιπά-*

1) A lectione *πίστις* quoque in extremis credibile est fluxisse glossema *πίστιν* quod praeeunte Stahlio iure seclusit Steupius.

2) Ingeniosius quam verius Classenius, ut mihi quidem videtur: „*ἐγίγνετο*, nicht *ἦν*, zur Bezeichnung des immer wachsenden Mistrauens".

Digitized by Google

λους εἶναι τούτους (τοὺς Θρᾴκης βασιλέας), ὑμᾶς δὲ ὑπέρχεσθαι καὶ θεραπεύειν. Ceterum dubitantem adhuc confirmare poterit collatio cum Scholiasta, cuius verba haec sunt:

„οἱ μὲν Ἀθηναῖοι ἐφοβοῦντο τοὺς Μυτιληναίους ἐν πολέμῳ, μὴ ἀποστῶσι καὶ ἐθεράπευον αὐτούς· οἱ δὲ Μυτιληναῖοι ἐφοβοῦντο τοὺς Ἀθηναίους ἐν ἡσυχίᾳ, μὴ δουλώσωσιν αὐτούς, καὶ διὰ τοῦτο ὑπεῖκον αὐτοῖς".

More suo vocabulis non suis sed scriptoris, quem explicat, utitur homuncio, nisi quod, ne omnia omnino eadem essent nimirum, pro δεδιέναι maluit dare φοβεῖσθαι verboque θεραπεύειν tamquam synonymon opposuit ὑπείκειν i. e. *honoris causa loco cedere, obsequi alicui.* Fieri potest ut minus recte; verum unde hoc sumsit? quid tu censes eum in exemplari quod ad manum habebat, legisse: utrum ὑπεδεχόμεθα, *recipiebamus*, an multo magis ὑπηρχόμεθα, *colebamus et obsequebamur?* Facillima me quidem iudice est optio.

III c. 19 § 1.

Athenienses quibus ad obsidionem Mytilenae non satis pecuniarum erat ..... ἐξέπεμψαν καὶ ἐπὶ τοὺς ξυμμάχους ἀργυρολόγους ναῦς δώδεκα καὶ Λυσικλέα πέμπτον αὐτὸν στρατηγόν. ὁ δ' ἄλλα τε ἠργυρολόγει [καὶ περιέπλει] καὶ τῆς Καρίας ἐκ Μυοῦντος ἀναβὰς ..... μέχρι τοῦ Σαρδίου λόφου ..... διαφθείρεται κτέ.

Male abundat et verbo antecedenti inepte adhaeret καὶ περιέπλει. Scribere sane potuit Th., si quid addere voluisset: ὁ δ' ἄλλα τε περιπλέων ἠργυρολόγει — Bothius tentabat ὡς περιέπλει — sed nihil opus erat. Cf. II c. 69 in.: Ἀθηναῖοι ναῦς ἔστειλαν εἴκοσι μὲν περὶ Πελοπόννησον ..... ἑτέρας δὲ ἓξ ἐπὶ Καρίας καὶ Λυκίας ..... ὅπως ταῦτά τε ἠργυρολογῶσι κτέ. nec non VIII c. 3 in.: εὐθὺς οὖν Ἄγις ..... τά τε τῶν ξυμμάχων ἠργυρολόγησεν ἐς τὸ ναυτικὸν κτέ.

III c. 21 § 1.

τὸ δὲ τεῖχος ἦν [τῶν Πελοποννησίων] τοιόνδε τῇ οἰκοδομήσει· εἶχε μὲν δύο τοὺς περιβόλους, πρός τε Πλαταιῶν καὶ εἴ τις ἔξωθεν ἀπ' Ἀθηνῶν ἐπίοι· διεῖχον δὲ οἱ περίβολοι ἑκκαίδεκα πόδας μάλιστα ἀπ' ἀλλήλων. τὸ οὖν μεταξὺ τοῦτο [οἱ ἑκκαίδεκα πόδες] τοῖς φύλαξιν οἰκήματα διανενεμημένον a) ὠκοδόμητο κτέ.

a) διανενεμημένον em. Badhamus; διανενεμημένα libri

Digitized by Google

Quantocyus dele emblema τῶν Πελοποννησίων quod olim adscriptum aut suprascriptum inde in textum sese insinuasse ipsa perversa sedes indicio est. Th. certe, si opus fuisset, dedisset: τὸ δὲ τεῖχος τῶν Π. ἦν κτέ. At prorsus supervacaneum erat quandoquidem in praegressis de nullo alio muro agitur nisi de hoc uno: περὶ τοῦ τῶν πολεμίων i. e. Πελοποννησίων τείχους.

In fine sententiae iam Haackius quem merito secuti sunt Editores tantum non omnes, resecuerat οἱ ἑκκαίδεκα πόδες utpote sine ulla utilitate pueriliter repetitum ex iis quae proxime antecedunt. Quocirca satis mirari non possum opinionem Steupii viri eruditissimi: „die Worte *könnten* fehlen, aber eine Notwendigkeit sie zu beseitigen, besteht *keineswegs*".

Quantum operae curaeque in scribendo posuerint veteres, quam saepe stilum verterint, neminem latere potest qui longa consuetudine interiorem cum antiquis Graecis Romanisque scriptoribus familiaritatem contraxerit idque nuper post Blassium in praeclaro libro, qui inscribitur *die antike Kunstprosa*, exquisite demonstravit E. Norden. Num igitur ingratae nescio cui ipsius historici negligentiae deberi et hoc et talia sexcenta censebimus? quibus perit omnis orationis nitor et laeduntur aures tritiores *quarum*, ut scite Cicero, *est iudicium superbissimum* [1]).

Ceterum utique corrigendum erit: τὸ οὖν μεταξὺ τούτων.

III c. 28 § 2.

οἱ δὲ πράξαντες πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους μάλιστα τῶν Μυτιληναίων περιδεεῖς ὄντες, ὡς ἡ στρατιὰ ἐσῆλθεν, οὐκ ἠνέσχοντο (ἠρέσκοντο cit. Herwerdenus scil. τῇ ξυμβάσει) ἀλλ' ἐπὶ τοὺς βωμοὺς [ὅμως] καθίζουσιν.

---

1) Animi causa hic apponere lubet quae *Misc. Crit.* ad *Demosth.* Or. VII περὶ Ἀλοννήσου § 4 annotavit Cobetus:

τί κωλύει καὶ εἴ τινα τῆς Ἀττικῆς λῃσταὶ τόπον καταλάβοιεν .... καί τινες τούτους [τοὺς λῃστὰς] ἐκκόψειαν, εὐθὺς καὶ τὸν τόπον τοῦτον [οὗ ἦσαν οἱ λῃσταί] ..... τῶν τιμωρησαμένων τοὺς λῃστὰς γίγνεσθαι;

„Agnoscisne stilum futilium magistrorum? Audivi virum perelegantis ingenii et Graece perdoctum Parisiensem professorem ita dicentem: le jugement de l'oreille n'a pas d'autorité quand il s'agit d'une langue morte. *Lubenter ex eo quaesiverim nihilne eum in vulgata offendat possitque aequo animo et aure illaesa audire λῃσταί, λῃστάς, λῃσταί, λῃστάς? Hoc quidem scio numquam eum ipsum in scribendo talia commissurum."*

Digitized by Google

Frustra desudant viri docti per longam periphrasin utcumque planum facere conantes quid tandem sit ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ὅμως καθίζουσιν. Veluti Goellerus annotans: „verbis ὅμως καθίζουσι dicit Th.: *(etsi fides data erat ab Atheniensibus incolumitatis, donec legati rediissent) nihilominus supplices ad aras consederunt* et similiter Classenius: *„obgleich ihnen zunächst Sicherheit zugesprochen war u. s. w.*".

Quid tibi videtur mi lector? Unine adverbio perverso loco interposito tot vocabulorum sententiam subiectam esse credibile est? Concisae brevitati studet Th.: nemo hercle infitiabitur. Verum enimvero, quod alicubi dixit Wyttenbachius, verba eius singula fere totidem habere sententias, id sane quodammodo cadit in fictas conciones quas historiae immiscuit: in ipsam rerum gestarum expositionem non item.

Neminem vero animadvertisse monstrum lectionis ὅμως post βωμοὺς natum esse e dittographia! Quo feliciter expulso gaudeo et volupe est mihi videre quanto melius procedat oratio.

III c. 38 § 1.

Ἐγὼ μὲν οὖν ὁ αὐτός a) εἰμι τῇ γνώμῃ καὶ θαυμάζω μὲν τῶν προθέντων αὖθις περὶ Μυτιληναίων λέγειν καὶ χρόνου διατριβὴν ἐμποιησάντων, ὅ ἐστι πρὸς τῶν ἠδικηκότων μᾶλλον — ὁ b) γὰρ παθὼν τῷ δράσαντι ἀμβλυτέρᾳ τῇ ὀργῇ ἐπεξέρχεται, ⟨τὸ⟩ c) ἀμύνασθαι δὲ τῷ παθεῖν ὅτι ἐγγυτάτω κείμενον ἀντίπαλον [ὂν] d) μάλιστα τὴν τιμωρίαν λαμβάνει — θαυμάζω δὲ κτέ.

a) ⟨ἀεὶ⟩ ὁ αὐτὸς corr. Naber; b) οὕτω γὰρ ὁ παθὼν cit. Doederlein; c) add. Naber coll. Plutarchi p. 548 D; d) del. Haase.

Quid tandem significent vv. ὁ γὰρ παθὼν κτέ. et quomodo cum prioribus cohaereant nemodum quod sciam probabiliter explicavit. Causa fuit, ut opinor, quod et in se ad intelligendum paulo minus aperta sunt et scribae errore vitium concepere cuius sedem sagaciter deprehendit Doederlein. Quamquam noli cum D. legere οὕτω γὰρ ὁ. π. verum revocata particula negativa quae sexcenties in libris excidit:

⟨οὐ⟩ γὰρ ὁ παθὼν κτέ.

Quo facto locum difficiliorem in hunc fere modum interpretando explanaverim:

„Ego vero", dicit Cleon, „in mea pristina sententia permaneo

Digitized by Google

et miror qui de Mytilenaeis ad vos iterum retulerunt ac moram interposuerunt. Nam cunctari et cessare iis certe hominibus conducere potest qui alteri iniuriam *intulerunt*; ‹nos vero minime decet, Athenienses!›. *Non* enim vulgo, si quis ‹ut nos nuper› iniuriam *passus est*, languidiore animo de ira in illum qui fecit, ultro remittere solet: ‹non ita fert humana natura›, verum ulciscendi cupido cum acceptae iniuriae dolore arctissime coniuncta pro magnitudine culpae iustas poenas repetit".

III c. 39 § 2.

τί ἄλλο οὗτοι ἢ ἐπεβούλευσάν τε καὶ ἐπανέστησαν μᾶλλον ἢ ἀπέστησαν ..... ἐζήτησάν τε μετὰ τῶν πολεμιωτάτων ἡμᾶς στάντες διαφθεῖραι;

Duo vocabula prope finem a librariis male transposita sunt. Quis admonitus non videt rectum verborum ordinem esse: μετὰ τῶν πολεμιωτάτων στάντες, ἡμᾶς διαφθεῖραι?

III. c. 40 § 1.

οὐκ οὖν δεῖ προτεῖναι a) ἐλπίδα οὔτε λόγῳ πιστὴν οὔτε χρήμασιν ὠνητήν, ὡς ξυγγνώμην ἁμαρτεῖν ἀνθρωπίνως λήψονται.

a) προτεῖναι (*ostentare*) em. Herwerdenus; προθεῖναι et προσθεῖναι codd.

Parum placet quod nonnulli supplent: ‹τοῦ› ἁμαρτεῖν. Ego coll. Schol. ubi legimus: ὁ νοῦς οὕτως· οὐκ ἔστιν ἐλπὶς ὡς συγγνώμην λήψονται πταίσαντες ἀνθρωπίνως, longe praefero mutata terminatione rescribere ἁμαρτόντες vel potius ‹ἅτε› ἁμαρτόντες ἀνθρωπίνως.

III c. 42 § 3.

χαλεπώτατοι δὲ καὶ οἱ a) ἐπὶ χρήμασι προκατηγοροῦντες b) ἐπίδειξίν τινα *. εἰ μὲν γὰρ ἀμαθίαν κατηγοροῦντο, ὁ μὴ πείσας ἀξυνετώτερος ἂν δόξας εἶναι ἢ ἀδικώτερος ἀπεχώρει· ἀδικίας δ' ἐπιφερομένης πείσας τε ὕποπτος γίγνεται καὶ μὴ τυχὼν μετ' ἀξυνεσίας καὶ ἄδικος.

a) δ' ἐκεῖνοι οἱ speciose Badham; b) προκατηγοροῦντες cod. C; προσκατηγοροῦντες ceteri libri; c) ἐπιδείξειν cit. Classen; ἀντίδειξιν cod. G unde ἀντιλέξειν scr. Badham.

Acute observarunt vv. dd. post partic. προκατηγοροῦντες propter sequentia requiri *infinitivum futuri*. Ceterum minime probanda est mutatio ἐπιδείξειν, quandoquidem Oratores facundiae ostentandae gratia verba facientes ab Atheniensibus certo et

Digitized by Google

perpetuo usu non *ἐπιδεικνύναι* dicebantur sed *ἐπιδείκνυσθαι*. Quomodo igitur locus mutilus in integrum restituendus est? Dare potuit Th. *ἐπιδείξεσθαι*, sed tradita lectio facit ut credamus scriptorem hic ut alibi passim praetulisse frequentissimam illam in Graeco sermone periphrasin cum verbo *ποιεῖσθαι* (cf. v. c. III c. 16 § 1). Quamobrem non tangendus esse videtur accusativus *ἐπίδειξιν* sed revocato necessario verbo unde pendeat, reponendum:

χαλεπώτατοι ..... οἱ ἐπὶ χρήμασι προκατηγοροῦντες ἐπίδειξίν τινα ⟨ποιήσεσθαι⟩ κτέ.

„Illi vero in concione populi in paucis molesti sunt, qui, antequam adversario facta sit loquendi copia, ultro insimulant eum pecunia corruptum sane quam pulcherrime dicturum esse."

III c. 49 § 1.

ῥηθεισῶν δὲ τῶν γνωμῶν τούτων μάλιστα ἀντιπάλων πρὸς ἀλλήλας οἱ Ἀθηναῖοι ἦλθον μὲν ἐς ἀγῶνα ὅμως a) *τῆς δόξης καὶ ἐγένοντο ἐν τῇ χειροτονίᾳ ἀγχώμαλοι, ἐκράτησε δὲ ἡ τοῦ Διοδότου.*

a) *ὅμως* codd.; *ὁμοίως* cit. Bredow; *ὅλως* Haack; *ὅλης* Badham; *ὁμόσε* Weidgen.

Neque variae doctorum virorum coniecturae ullam *πειθανάγκην* habent neque admodum feliciter meo quidem iudicio Steupius membranarum scripturam tueri conatur interpretans: *nachdem diese Ansichten so vorgetragen waren, dass sie sich ungefähr die Wage hielten (mit fast gleicher Wirkung sich gegenüber standen), gerieten die Athener zwar dennoch in einen Kampf, Zwiespalt der Meinung.*

Laboranti sententiae, si quid video, non mutando sed transponendo succurrendum est. Commendo:

ῥηθεισῶν δὲ τῶν γνωμῶν τούτων ..... οἱ Ἀθηναῖοι ἦλθον ἐς ἀγῶνα τῆς δόξης καὶ ἐγένοντο μὲν ἐν τῇ χειροτονίᾳ ἀγχώμαλοι, ἐκράτησε δὲ ὅμως ἡ τοῦ Διοδότου.

III c. 56 § 7.

*καίτοι χρὴ * ταὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν* [*ὁμοίως*] a) *φαίνεσθαι γιγνώσκοντας καὶ τὸ ξυμφέρον μὴ ἄλλο τι νομίσαι ἢ * τῶν ξυμμάχων τοῖς ἀγαθοῖς οἷ ἂν* b) *ἀεὶ βέβαιον τὴν χάριν τῆς ἀρετῆς ἔχωσι, κἂν* c) *τὸ παραυτίκα που* [*ὑμῖν*] ⟨*μὴ*⟩ d) *ὠφέλιμον καθιστῆται.*

a) *ὁμοίως* inclusit Herwerdenus; b) *οἷ ἂν* Badhamus; *ὅταν* codd.; *ὅταν ... ἔχουσι* (dat. plur.) perperam Heilmannus cui astipulantur Classenius et Hudius; c) *κἂν* scr. Dobraeus; *καὶ* codd.; d) *μὴ* add. Dobraeus.

Digitized by Google

Egregias Dobraei Badhami Herwerdeni curas alto silentio, ut solet, premit Hudius[1]. Ego contra ambabus manibus amplector.

Praeterea post praeclarum Dobraei inventum inter *που* et ⟨*μη*⟩ fidenti animo resecare licet *ὑμῖν* quod unde ortum sit, iam neminem, credo, latebit: tum loci initio, addita vocula trium literarum quae saepissime in libris MSS intercidit, rescribendum esse puto: ⟨*ἀεὶ*⟩ *ταὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν*; denique post vv. *μὴ ἄλλο τι νομίσαι ἢ* in manifesta lacuna necesse est, id quod flagitat sententia, *adiuvandi* verbum inserere: *βοηθεῖν* vel potius *ξυμμαχεῖν* ad huncce modum:

καὶ τὸ ξυμφέρον μὴ ἄλλο τι νομίσαι ἢ
⟨*ξυμμαχεῖν*⟩ *τῶν ξυμμάχων τοῖς ἀγαθοῖς*
οἳ ἂν ἀεὶ βεβαιον τὴν χάριν τῆς ἀρετῆς
ἔχωσι, κἂν τὸ παραυτίκα που μὴ ὠφέλιμον
καθιστῆται.

i. e. „probis sociis ob perpetuam virtutis laudem ⟨*opem ferre*⟩, etiamsi forte in praesens id bono non esse videatur".

III c. 75 § 1.

Προσσκέψασθέ a) *τε ὅτι νῦν μὲν παραδεῖγμα τοῖς πολλοῖς τῶν Ἑλλήνων ἀνδραγαθίας νομίζεσθε· εἰ δὲ περὶ ἡμῶν γνώσεσθε μὴ τὰ εἰκότα — οὐ γὰρ ἀφανῆ κρινεῖτε τὴν δίκην τήνδε, ἐπαινούμενοι δὲ περὶ οὐδ' ἡμῶν μεμπτῶν — ὁρᾶτε ὅπως μὴ οὐκ ἀποδέξονται* b), *ἀνδρῶν ἀγαθῶν πέρι αὐτοὺς* * *ἀμείνους ὄντας ἀπρεπές τι γνῶναι* c) *κτέ.*

a) *προσσκέψασθε* (*praeterea considerate*) Herwerdenus et Meinekius; *προσκέψασθε* libri; b) *ἀποδέξονται* corr. in cod. C; *ἀποδεξωνται* ceteri omnes; c) *γνῶναι* Hudius; *ἐπιγνῶναι* codd.

Cum Nabero haereo in *ἐπαινούμενοι* ..... *περὶ οὐδ' ἡμῶν μεμπτῶν*. Quamquam quod proponit N. *περὶ οὐδαμῶς μεμπτῶν*, licet bene Graecum sit, quod ad sensum nihil praestare arbitror. Multo gravius ulcus, ut opinor, locum deformat.

---

1) Valde contortam adque intelligendum difficillimam vitiatae periodi explanationem exhibet commentarius Classenianus, ubi legimus:

„Ihr müsst aber doch in eurem Urteil über dieselbe Handlungsweise euch gleich zeigen, und euren wahren Nutzen in nichts anderm erkennen *als wenn sich euch, indem ihr gegen wackere Bundesgenossen die Dankbarkeit für ihr Wohlverhalten stets treu bewahrt, auch der augenblickliche Vorteil einstellt*".

Digitized by Google

ἐπαινούμενοι δὲ περὶ ἡμῶν ⟨ἢ⟩ μεμπτοὶ ⟨γιγνόμενοι⟩ dedisse Thucydidem et hoc fere dixisse Plataeenses suspicor:

„Ad hunc usque diem, Lacedaemonii, vos universae paene Graeciae virtutis et probitatis exemplar videbamini. Quare cavete ne nunc iniqua sententia ferenda in omnium reprehensionem veniatis. Quidquid enim sive iure sive iniuria de nobis statueritis, latere non poterit: aut laudabimini propter nos aut vituperabimini".

Ad vv. αὐτοὺς ἀμείνους ὄντας in fine sententiae scholiasta annotat: ἀντὶ τοῦ ὑμᾶς τοὺς Λακεδαιμονίους. Ὅρα δὲ πῶς κολακεύει λανθανόντως τοὺς Λάκωνας. At in antiquos Plataeensium mores non cadit tam foeda adulatio. Ego longe praetulerim:

αὐτοὺς ⟨οὐκ⟩ ἀμείνους ὄντας.

III c. 62 § 4.

„Gloriantur Plataeenses", aiunt Thebani, „ex omnibus Boeotis se solos cum barbaris non fecisse; nos vero hoc nomine duris verbis increpant nihil tale commeritos. Namque civitas nostra tunc temporis neque legitimo quodam paucorum dominatu neque populari imperio regebatur, sed — quod ad tyrannidem proxime accedit — paucorum virorum potentia (δυναστεία ὀλίγων ἀνδρῶν) reip. gubernacula tenebat": καὶ οὗτοι ἰδίας δυνάμεις ἐλπίσαντες ἔτι μᾶλλον σχήσειν, εἰ τὰ τοῦ Μήδου κρατήσειε, κατέχοντες ἰσχύι τὸ πλῆθος ἐπηγάγοντο αὐτόν· καὶ ἡ ξυμπᾶσα πόλις οὐκ αὐτοκράτωρ οὖσα ἑαυτῆς τοῦτ' ἔπραξεν, οὐδ' ἄξιον αὐτῇ ὀνειδίσαι ὧν μὴ μετὰ νόμων ἥμαρτεν.

Quia omnis culpa tribuitur *solis* δυνάσταις illis, fieri non potest ut Thucydides scripserit: ἡ ξυμπᾶσα πόλις ..... τοῦτ' ἔπραξεν. Quamobrem Herwerdenus emendavit: ⟨οὐχ⟩ ἡ ξ. π. οὐδ' αὐτοκράτωρ οὖσα ἑαυτῆς; Cobetus: ⟨οὐχ⟩ ἡ ξ. π. αὐτοκράτωρ οὖσα ἑαυτῆς; Steupius: ἡ ξ. π. οὔτ' αὐτοκράτωρ οὖσα ἑαυτῆς τοῦτ' ἔπραξεν οὔτ' ἄξιον κτέ.

Mihi in mentem venit transponere:

καὶ οὐκ, αὐτοκράτωρ οὖσα ἑαυτῆς, ἡ ξυμπᾶσα πόλις τοῦτ' ἔπραξεν οὐδ' ἄξιον κτέ.

III c. 66 § 2.

ἐπιθέμενοι δὲ παρὰ τὴν ξύμβασιν, οὓς μὲν ἐν χερσὶν ἀπεκτείνατε

Digitized by Google

Egregias Dobraei Badhami Herwerdeni curas alto silentio, ut solet, premit Hudius [1]). Ego contra ambabus manibus amplector.

Praeterea post praeclarum Dobraei inventum inter *που* et ⟨*μὴ*⟩ fidenti animo resecare licet *ὑμῖν* quod unde ortum sit, iam neminem, credo, latebit; tum loci initio, addita vocula trium literarum quae saepissime in libris MSS intercidit, rescribendum esse puto: ⟨*ἀεὶ*⟩ *ταὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν*; denique post vv. *μὴ ἄλλο τι νομίσαι ἢ* in manifesta lacuna necesse est, id quod flagitat sententia, *adiuvandi* verbum inserere: *βοηθεῖν* vel potius *ξυμμαχεῖν* ad huncce modum:

καὶ τὸ ξυμφέρον μὴ ἄλλο τι νομίσαι ἢ
⟨*ξυμμαχεῖν*⟩ *τῶν ξυμμάχων τοῖς ἀγαθοῖς*
οἳ ἂν ἀεὶ βέβαιον τὴν χάριν τῆς ἀρετῆς
ἔχωσι, κἂν τὸ παραυτίκα που μὴ ὠφέλιμον
καθιστῆται.

i. e. „probis sociis ob perpetuam virtutis laudem ⟨*opem ferre*⟩, etiamsi forte in praesens id bono non esse videatur".

III c. 75 § 1.

Προσσκέψασθέ a) *τε ὅτι νῦν μὲν παραδεῖγμα τοῖς πολλοῖς τῶν Ἑλλήνων ἀνδραγαθίας νομίζεσθε· εἰ δὲ περὶ ἡμῶν γνώσεσθε μὴ τὰ εἰκότα — οὐ γὰρ ἀφανῆ κρινεῖτε τὴν δίκην τήνδε, ἐπαινούμενοι δὲ περὶ οὐδ' ἡμῶν μεμπτῶν — ὁρᾶτε ὅπως μὴ οὐκ ἀποδέξονται* b), *ἀνδρῶν ἀγαθῶν πέρι αὐτοὺς * ἀμείνους ὄντας ἀπρεπές τι γνῶναι* c) *κτἑ.*

a) *προσσκέψασθε* (*praeterea considerate*) Herwerdenus et Meinekius; *προσκέψασθε* libri; b) *ἀποδέξονται* corr. in cod. C; *ἀποδέξωνται* ceteri omnes; c) *γνῶναι* Hudius; *ἐπιγνῶναι* codd.

Cum Nabero haereo in *ἐπαινούμενοι ..... περὶ οὐδ' ἡμῶν μεμπτῶν*. Quamquam quod proponit N. *περὶ οὐδαμῶς μεμπτῶν*, licet bene Graecum sit, quod ad sensum nihil praestare arbitror. Multo gravius ulcus, ut opinor, locum deformat.

---

1) Valde contortam adque intelligendum difficillimam vitiatae periodi explanationem exhibet commentarius Classenianus, ubi legimus:

„Ihr müsst aber doch in eurem Urteil über dieselbe Handlungsweise euch gleich zeigen, und euren wahren Nutzen in nichts anderm erkennen *als wenn sich euch, indem ihr gegen wackere Bundesgenossen die Dankbarkeit für ihr Wohlverhalten stets treu bewahrt, auch der augenblickliche Vorteil einstellt*".

Digitized by Google

ἐπαινούμενοι δὲ περὶ ἡμῶν ⟨ἢ⟩ μεμπτοὶ ⟨γιγνόμενοι⟩ dedisse Thucydidem et hoc fere dixisse Plataeenses suspicor: „Ad hunc usque diem, Lacedaemonii, vos universae paene Graeciae virtutis et probitatis exemplar videbamini. Quare cavete ne nunc iniqua sententia ferenda in omnium reprehensionem veniatis. Quidquid enim sive iure sive iniuria de nobis statueritis, latere non poterit: aut laudabimini propter nos aut vituperabimini".

Ad vv. αὐτοὺς ἀμείνους ὄντας in fine sententiae scholiasta annotat: ἀντὶ τοῦ ὑμᾶς τοὺς Λακεδαιμονίους. Ὅρα δὲ πῶς κολακεύει λανθανόντως τοὺς Λάκωνας. At in antiquos Plataeensium mores non cadit tam foeda adulatio. Ego longe praetulerim:

αὐτοὺς ⟨οὐκ⟩ ἀμείνους ὄντας.

III c. 62 § 4.

„Gloriantur Plataeenses", aiunt Thebani, „ex omnibus Boeotis se solos cum barbaris non fecisse; nos vero hoc nomine duris verbis increpant nihil tale commeritos. Namque civitas nostra tunc temporis neque legitimo quodam paucorum dominatu neque populari imperio regebatur, sed — quod ad tyrannidem proxime accedit — paucorum virorum potentia (δυναστεία ὀλίγων ἀνδρῶν) reip. gubernacula tenebat": καὶ οὗτοι ἰδίας δυνάμεις ἐλπίσαντες ἔτι μᾶλλον σχήσειν, εἰ τὰ τοῦ Μήδου κρατήσειε, κατέχοντες ἰσχύι τὸ πλῆθος ἐπηγάγοντο αὐτόν· καὶ ἡ ξυμπᾶσα πόλις οὐκ αὐτοκράτωρ οὖσα ἑαυτῆς τοῦτ' ἔπραξεν, οὐδ' ἄξιον αὐτῇ ὀνειδίσαι ὧν μὴ μετὰ νόμων ἥμαρτεν.

Quia omnis culpa tribuitur *solis* δυνάσταις illis, fieri non potest ut Thucydides scripserit: ἡ ξυμπᾶσα πόλις ..... τοῦτ' ἔπραξεν. Quamobrem Herwerdenus emendavit: ⟨οὐχ⟩ ἡ ξ. π. οὐδ' αὐτοκράτωρ οὖσα ἑαυτῆς; Cobetus: ⟨οὐχ⟩ ἡ ξ. π. αὐτοκράτωρ οὖσα ἑαυτῆς; Steupius: ἡ ξ. π. οὔτ' αὐτοκράτωρ οὖσα ἑαυτῆς τοῦτ' ἔπραξεν οὔτ' ἄξιον κτέ.

Mihi in mentem venit transponere:

καὶ οὐκ, αὐτοκράτωρ οὖσα ἑαυτῆς, ἡ ξυμπᾶσα πόλις τοῦτ' ἔπραξεν οὐδ' ἄξιον κτέ.

III c. 66 § 2.

ἐπιθέμενοι δὲ παρὰ τὴν ξύμβασιν, οἷς μὲν ἐν χερσὶν ἀπεκτείνατε

Digitized by Google

οὐχ ὁμοίως ἀλγοῦμεν (κατὰ νόμον γὰρ δή τινα ἔπασχον), οὓς δὲ χεῖρας προϊσχομένους [καὶ] ζωγρήσαντες ὑποσχόμενοί τε ἡμῖν μὴ κτενεῖν ὕστερον a) παρανόμως διεφθείρατε, πῶς οὐ δεινὰ εἴργασθε;

a) μὴ κτενεῖν ὕστερον transp. Hudius; ὕστερον μὴ κτενεῖν codd.

Dele καὶ cui coniunctioni inter τοὺς χεῖρας προϊσχομένους et partic. ζωγρήσαντες nullus locus est. Ceterum de totius loci compositione accurate egit Steupius.

III c. 68 § 1.

Non mea facio verba Grotii censentis: *„to construe this passage is very difficult if not impossible; we can only pretend to give what seems its substantial meaning"*.

Si me audis, sufficit leves quosdam et tralaticios scribarum errores corrigere et ineptum emblema inducere ut totus locus, licet paulo longior et intricatior sit, tamen clarus fiat ac perspicuus. Age faciamus periculum.

LIBRORUM SCRIPTURA.	RESTITUTA LECTIO.
τοιαῦτα δὲ οἱ Θηβαῖοι εἶπον. οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι δικασταὶ νομίζοντες τὸ ἐπερώτημα σφίσιν ὀρθῶς ἔξειν [εἴ τι ἐν τῷ πολέμῳ ὑπ' αὐτῶν ἀγαθὸν πεπόνθασι]	τοιαῦτα δὴ a) οἱ Θηβαῖοι εἶπον. οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι δικασταὶ νομίζοντες τὸ ἐπερώτημα σφίσιν ὀρθῶς ἔχειν b), διότι τόν τε ἄλλον χρόνον ⟨Πλαταιῆς οὐκ⟩ c)

a) δὴ Herwerdenus; δὲ codd. praeter G qui habet μέν.

b) ἔχειν scripsi quod res ipsa clamat reponendum esse. Censebant Lacedaemonii omnino recte habere id quod primo statim iudicio (III, 52. 4) quaesiverant itaque ne nunc quidem quidquam addendum aut mutandum esse. *Futuro* igitur non est locus. — Quae inepte repetita e praecedentibus continuo sequuntur: εἴ τι ἐν τῷ πολέμῳ ὑπ' αὐτῶν ἀγαθὸν πεπόνθασι (cf. 52. 4: εἴ τι Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς ξυμμάχους ἐν τῷ πολέμῳ τῷ καθεσθῶτι ἀγαθὸν εἰργασμένοι εἰσίν et 54. 2: εἴ τι Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς ξυμμάχους ἐν τῷ πολέμῳ τῷδε ἀγαθὸν πεποιήκαμεν) impeditam sententiam impeditiorem reddunt lectoribusque non nimis tardis et hebetibus et hoc agentibus — quales sibi proposuisse rerum scriptorem credendum est — taedium movent. Accedit quod eadem fere, ut vides, iterum recurrunt in fine periodi.

c) qui totum locum cum cura perpenderit, ille, sat scio, mihi dabit: 1° vix fieri posse ut verba ἠξίουν et ἐδέξαντο diversum habeant *subiectum*; 2° probabile non videri subiectum illud ab ipso scriptore negligenter omissum esse. Atqui v. ἐδέξαντο subiectum habere *Plataeenses* constat inter omnes; quod idem ut sibi subiectum habeat alter iudicativus, revocasse sufficerit particulam negativam quae casu omissa pepererit pronomen αὐτούς, a correctore — propter II, 71 seq. credo — temere additum ut quodammodo constaret sententia

Digitized by Google

διότι τόν τε ἄλλον χρόνον * ἠξίουν δῆθεν [αὐτοὺς] κατὰ τὰς παλαιὰς Παυσανίου μετὰ τὸν Μῆδον σπονδὰς ἡσυχάζειν καὶ ὅτε ὕστερον [ἃ] πρὸ τοῦ περιτειχίζεσθαι προείχοντο αὐτοῖς κοινοὺς εἶναι κατ' ἐκεῖνα ὡς οὐκ ἐδέξαντο ἡγούμενοι * τῇ ἑαυτῶν δικαίᾳ βουλήσει ἔκσπονδοι ἤδη * ὑπ' αὐτῶν κακῶς πεπονθέναι αὖθις τὸ αὐτὸ ἕνα ἕκαστον παραγαγόντες (παράγοντες codd. GMf) καὶ ἐρωτῶντες εἴ τι Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς ξυμμάχους ἀγαθὸν ἐν τῷ πολέμῳ δεδρακότες εἰσίν, ὁπότε μὴ Φαῖεν ἀπάγοντες ἀπέκτεινον καὶ ἐξαίρετον ἐποίησαν οὐδένα.

ἠξίουν δῆθεν κατὰ τὰς παλαιὰς Παυσανίου μετὰ τὸν Μῆδον σπονδὰς ἡσυχάζειν καὶ — ὃ d) ὕστερον πρὸ τοῦ περιτειχίζεσθαι προείχοντο αὐτοῖς — κοινοὺς εἶναι κατ' ἐκείνας e) οὐκ ἐδέξαντο, ἡγούμενοί ⟨τε⟩ f) τῇ αὐτῶν δικαιώσει g) ἔκσπονδοι ἤδη ⟨γενόμενοι⟩ h) ὑπ' αὐτῶν κακῶς πεπονθέναι, αὖθις ἕνα ἕκαστον παράγοντες i) καὶ ταὐτὸν k) ἐρωτῶντες εἴ τι Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς ξυμμάχους ἀγαθὸν ἐν τῷ πολέμῳ δεδρακότες εἰσίν, ὁπότε μὴ Φαῖεν, ἀπάγοντες ἀπέκτεινον καὶ ἐξαίρετον ἐποίησαν οὐδένα.

d) vv. ὅτε ..... προείχοντο αὐτοῖς, a Thucydide, nisi fallor, in parenthesi posita, leve mendum haud leviter turbavit. Scribae erratum est ὅτε pro ὃ (*id quod*); infelicissime Poppo: ὅτι. Vera lectione restituta sequitur ut ἃ post ὕστερον delendum sit; αὖ scr. Gertzius.

e) Recepi egregiam Badhami emendationem κατ' ἐκείνας (scil. τὰς σπονδάς) pro κατ' ἐκεῖνα ὡς.

f) cum verborum structuram hanc esse appareat: οἱ Λ. δικασταὶ νομίζοντες — ἡγούμενοι κτέ., post alterum participium ante τῇ necessario restituenda est particula coniunctiva τε.

g) τῇ αὐτῶν δικαιώσει praeeunte Stahlio probabiliter coll. Thuc. III, 82. 4 Rauchenstein (Philol. 35. 589).

h) malim quod cum scholiasta supplevi ἔκσπονδοι ..... ⟨γενόμενοι⟩, quamquam fieri potest ut participium omiserit Th.

i) tam ob vv. ἕνα ἕκαστον quam propter sequentia partic. *praesentia* ἐρωτῶντες et ἀπάγοντες minime negligendam esse duxi libr. GMf. lectionem παράγοντες.

k) ⟨εἰς⟩ ταὐτὸν commendat Naberus; καὶ ante ἐρωτῶντες exp. Reiskius; ego transposui: αὖθις ἕνα ἕκαστον παράγοντες καὶ ταὐτὸν ἐρωτῶντες.

„Atque haec quidem Thebani dixerunt. Iudices vero Lacedaemonii, quoniam neque superioribus temporibus Plataeenses aequum duxerant nimirum ex vetere Pausaniae foedere post Medicum bellum icto quiescere neque etiam posthac condicionem accipere voluerant ut ex foederis formula neutrarum partium ac medii forent (id quod ante urbis obsidionem disertis verbis

Digitized by Google

illis obtulerant Lacedaemonii), rati prorsus recte habere interrogationem quam primo statim iudicio fecerant atque illorum arbitrio libidineque se iam a foedere exclusos et violatos existimantes, rursus singulos productos iterumque interrogatos numquid in praesenti bello de Lacedaemoniis eorumque sociis bene meriti essent, ubi negarent abductos interficiebant sine exceptione omnes".

III c. 82 § 1.

οὕτως ὠμὴ ⟨ἡ⟩ a) στάσις προυχώρησε, καὶ ἔδοξε μᾶλλον, διότι ἐν τοῖς πρώτη ἐγένετο, ἐπεὶ ὕστερόν γε καὶ πᾶν ὡς εἰπεῖν τὸ Ἑλληνικὸν ἐκινήθη, διαφορῶν οὐσῶν ἑκασταχοῦ τοῖς τε τῶν δήμων προστάταις τοὺς Ἀθηναίους ἐπάγεσθαι καὶ τοῖς ὀλίγοις τοὺς Λακεδαιμονίους. Καὶ ἐν μὲν εἰρήνῃ οὐκ ἂν ἐχόντων πρόφασιν, οὐδ' ἑτοίμων παρακαλεῖν αὐτούς· πολεμουμένων δέ, καὶ ξυμμαχίας ἅμα ἑκατέροις ⟨οὔσης ἐπὶ⟩ b) τῇ τῶν ἐναντίων κακώσει καὶ σφίσιν αὐτοῖς ἐκ τοῦ αὐτοῦ προσποιήσει, ῥᾳδίως αἱ ἐπαγωγαὶ τοῖς νεωτερίζειν τι βουλομένοις ἐπορίζοντο.

a) ἡ add. Kruegerus; b) οὔσης ἐπὶ suppl. Herwerdenus.

Docet me apparatus criticus Hudianus pro corrupto adiectivo ἑτοίμων Classenium proposuisse „ἑτόλμων vel ἑτοῖμ' ἦν". Equidem vero iam *Mnemos. N. S. Vol. X* p. 418 seq. ante Classenium, ut opinor, dedita opera explicavi unice verum esse ἑτόλμων.

Sententia quae incipit a verbis καὶ ἐν μὲν εἰρήνῃ — sicuti rectissime interpunxit Imm. Bekkerus, quem utinam et hic et semper fere secutus esset Hudius — duobus omnino colis consistit inter se contrariis, quorum utrumque in principio habet genetivum absolutum, alterum autem clauditur in παρακαλεῖν αὐτούς, alterum in ἐπορίζοντο. Quae cum ita sint, iusta partium compositio utique poscit ut imperf. indicativo ἐπορίζοντο in superiore colo alter imperf. modus indicativus respondeat. Ubi vero ille indicativus delitescere potest nisi in molesta ista voce ἑτοίμων? quidve tam literarum ductibus quam orationis contextui magis consentaneum est quam ἑτόλμων?

Verto:

„Ac pace quidem ⟨optimatium factiones populorumque duces⟩ socios suos arcessere ne animum quidem inducebant, quippe

Digitized by Google

qui nullam idoneam causam potuissent praetendere cur ita facerent; bello vero coorto, cum omnes fere Graeciae civitates aut ad Athenienses aut ad Lacedaemonios se applicarent, novarum rerum cupidis suorum invocandorum ampla dabatur occasio. Quorum auxilio eo animo usuri erant ut oppressis adversariis sibimet ipsis potentiam compararent".

Ibidem § 6 (ubi quae de sodaliciis malo publico institutis scribit vir summus, in nostrorum temporum pravitatem perversitatemque scripta esse iureiurando confirmaveris):

καὶ μὴν καὶ τὸ ξυγγενὲς τοῦ ἑταιρικοῦ ἀλλοτριώτερον ἐγένετο διὰ τὸ ἑτοιμότερον <τοῦτο> a) εἶναι ἀπροφασίστως τολμᾶν· οὐ γὰρ μετὰ τῶν κειμένων νόμων ὠφελίας b) αἱ τοιαῦται ξύνοδοι, ἀλλὰ παρὰ τοὺς καθεστῶτας πλεονεξίᾳ. καὶ τὰς ἐς σφᾶς αὐτοὺς πίστεις οὐ τῷ θείῳ νόμῳ μᾶλλον ἐκρατύνοντο ἢ τῷ κοινῇ τι παρανομῆσαι.

a) ἀνετοιμότερον cit. Badhamus; διὰ τὸ ἑτοιμότερον <τὸ ἑταιρικὸν> εἶναι Steupius; διὰ τὸ ἑτοιμότερον <τοῦτο> εἶναι ego: b) ὠφελίᾳ cit. Poppo.

Iam ante multos annos *Stud. Palaeogr.* p. 50 demonstravi emendandum esse: οὐ γὰρ μετὰ τῶν κειμένων νόμων ὠφέλειαι αἱ τοιαῦται ξύνοδοι, ἀλλὰ παρὰ τοὺς καθεστῶτας πλεονεξίαι. Attento animo componito mihi aliquis Dion. Halic. interpretationem (p. 890):

ὁ μὲν γὰρ νοῦς ἐστι τοιόσδε· οὐ γὰρ ἐπὶ ταῖς κατὰ νόμον ὠφελείαις αἱ τῶν ἑταιρειῶν ἐγίγνοντο σύνοδοι, ἀλλ' ἐπὶ τῷ παρὰ τοὺς νόμους πλεονεκτεῖν.

nec non Isocratis *Phil.* § 40 (qui locus fugit novissimi Editoris diligentiam):

οἶδα γὰρ ἁπάσας τὰς πόλεις ὠμαλισμένας ὑπὸ τῶν συμφορῶν, ὥστθ' ἡγοῦμαι πολὺ μᾶλλον αὐτὰς αἱρήσεσθαι τὰς ἐκ τῆς ὁμονοίας ὠφελείας ἢ τὰς ἐκ τῶν τότε πραττομένων πλεονεξίας.

In extr. pro οὐ τῷ ΘΕΙΩΙ νόμῳ iam Valckenaerius in *Schediis ineditis* quae asservantur in Bibliotheca Lugduno-Batava, coll. Dionysio ubi extat: οὐ τῷ ΘΕΙΩΙ καὶ νομίμῳ feliciter restituerat οὐ τῷ ΟΣΙΩΙ (ὁσίῳ) καὶ νομίμῳ idemque postea in mentem venit Dobraeo (vide Adverss. I p. 58).

Male factum quod horum omnium nec vola nec vestigium apparet in editione Hudiana.

Digitized by Google

AD AESCHYLUM.

DE IOANNIS HENRICI SCHMIDTII IN ARTEM METRICAM MERITIS.

SCRIPSIT

CAROL. LOESCHHORN.

In quaestionibus lyricis et tragicis meis (Argentorati 1871, ed. II Magdeburgi 1892) p. 13—31 demonstravi, quid disquisitiones Ioannis Henrici Schmidtii tribus operibus: Die Kunstformen der griechischen Poesie und ihre Bedeutung 1868, Leitfaden in der Rhythmik und Metrik der klassischen Sprachen für Schulen, die antike Kompositionslehre aus den Meisterwerken der griechischen Dichtkunst erschlossen prolatae ad metra canticorum Aeschyleorum melius cognoscenda contulerint. Quae de hac re docui, tum a viris doctis in universum comprobata sunt; ipse autem nunc plures melioresque causas ad sententias in hoc genere firmandas meas cum afferre possim, nemo mirabitur, quod rem denuo adumbrare studeo, praesertim cum omnia quaestionum illarum lyricarum et tragicarum exemplaria hodie divendita sint.

In dissertatione mea, qua quaestiones metricae tractantur, a Rossbachio (Rossbach u. Westphal, Griechische Metrik mit besonderer Rücksicht auf die Strophengattungen und die übrigen melischen Metra. 3. *Aufl.* 3 *Bd.*, 2. *Abteilung, bearbeitet von August Rossbach* 1889, *S.* 675 *in adn.) commemorata* saepius repetivi, me paucas tam extensas, quales constituit Henricus Schmidtius, proferre non audere vituperavique in universum disputandi rationem a Schmidtio adhibitam, qua antiquorum rhythmicorum

Digitized by Google

et metricorum doctrina prorsus omissa, artis musicae hodiernae ope notis numeros graecos et romanos exprimendos esse docet; nequiquam enim Schmidtius demonstrare studuerat, *ubique unitatem rhythmicam in numeris per se diversissimis restitui posse.* Nihilo tamen minus nonnumquam recte perspexit, quas leges Aeschylus in versibus canticorum fingendis et strophis concinnandis secutus sit, id quod nonnullis exemplis illustrare conabor.

Agam. 975—1034.

Vereor, ut ordines *τίπτε μοι τόδ' ἔμπεδον δεῖμα προστατήριον* coniungi queant, cum rhythmum finiri post *ἔμπεδον* ex pausa absque dubio appareat. Porro ordines trochaici, iambici, anapaestici uno quasi tenore decurrere cum soleant, dipodica mensura in iis statuatur necesse est.

κραδίας τερασκόπου ποτᾶται –⏑–⏑–⏑–⏑|–|–∧ recte metitur Schmidtius; non puto, legem a me modo constitutam hac mensura migrari, cum pausas in clausulis eiusmodi versuum, ubi diminuitur orationis praestantia, agnoscendas esse mihi persuasum sit.

Prorsus eandem rationem in sequenti versu diiudicando mihi ingrediendam esse constat, cum pausae in fine ordinis dactylici propositae mihi arrideant.

Quod contra priorem meam sententiam retinens non unum ordinem *οὐδ' ἀποπτύσας δίκαν δυσκρίτων ὀνειράτων* coniunctum statuere conor, sed bene tenens, pausa clausulam trochaici ordinis indicari, cum ipsa sit in fine eius posita, duos ordines separatos ac ne minimum quidem inter se commune habentes in medium proferendos esse censeo. Qua in re secutus sum plerorumque editorum sententiam, inprimis Godofredi Hermanni et Guilelmi Dindorfii.

Falso Schmidtius cum semper studeat omnia ad unum numerum referre, trochaicos ordines restituere conatur. Itaque *θάρσος εὐπειθὲς* non scribendum est, sed cum Hermanno et Dindorfio restituenda lectio *εὐπιθές*, postea etiam a Rossbachio, Griech. Metr. 3. Aufl. 1889, S. 210 in adn. commendata. Cui meae sententiae favet etiam illud, quod duplicis numeri pausam in *ευ* nullo modo queo agnoscere. Versus mea quidem sententia est pherecrateus qui dicitur –⏑–⏑⏑–– primaria forma servata.

Digitized by Google

Rectius deinde Hermannus quam Dindorfius metrum constituit, cum *Φρενὸς Φίλον θρόνον* sui iuris sit ordo. *χρόνος δέ τοι* dipodia iambica est nec confundenda cum sequentibus iambis *πρυμνησίων ξὺν ἐμβολαῖς*, cum senarius in choro inesse non soleat. Quod sibi finxit Ioannes Henricus Schmidtius trochaicum senarium catalecticum, viro docto suffragari non possum. Anacrusi enim praemissa eaque ab ordine ipso separata totius strophae rhythmum pervertit. Ubique enim hoc uno loco excepto statuit ordines trochaicos, in quibus a trochaeo ipso fit initium. Solent quidem iambici ordines intermisceri trochaicis, non tamen senarius, qui ad dialogi, non chori indolem est aptus. Deinde Schmidtius ordinem construit hoc modo formatum: *ψαμμίας ἐξ ἀκτᾶς βέβηκεν, εὖθ' ὑπ' Ἴλιον* mensuramque eius hanc esse censet:

$$-\smile|-|-\smile|-\smile\|-\smile|-\smile|-\smile|-\wedge.$$

In quo iusta reprehensione sine controversia dignus est vir doctus. Primum enim caesuram versus ponit non, ut oportet, post vocem, sed post syllabam brevem in *βέ* ||, quo quid fingi possit absurdius haud facile dixerim. Vituperat Schmidtius vehementer lectionem *ψαμμίας ἀκάτας παρήβησεν* $-\smile-\smile\smile-\smile--\smile$, *ψαμμία* enim *ἀκάτα* coniunctionem substantivi cum adiectivo esse propter sensum plane intolerabilem. Equidem lenius de eiusmodi dicendi genere iudico; agnosco enim imaginem a navigando ductam. Comparatio instituitur inter litus et naviculam; navicula ad litus est appulsa. *παρήβησεν* vox non ea est, quae propter sententiarum connexum videatur reiicienda. *παρηβᾶν* enim de tempore dici potest; significat hoc verbum eum iuventutis statum, quo puerilibus annis superatis iuvenis propriam ac peculiarem sibi comparavit vitae condicionem. Deinde non satis bene demonstrat Schmidtius, cur *παρηβᾶν* falsa lectio sit habenda; ne minimis quidem argumentis stabilit ac confirmat sententiam suam, qua traditam lectionem putat corruptam.

Sextum canticum constat ex versibus 1407—1411, quibus per antistropham respondent 1426—1430.

Miror Schmidtium non vidisse, metrum huius cantici simplicissimo modo ita posse constitui, ut ubique agnoscantur dochmiaci versus (cf. Rossbach, 3. Aufl. S. 78). Inde emergit hoc

Digitized by Google

metrum versus primi: ⏑⏑–⏑–⏑⏑–⏑⏑– i. e. dimeter dochmiacus. Versus subsequens ex dochmio sequente iambo constans facile potest haberi. Satis notum est, dochmiacum numerum extendi, ita ut iambus aut complures iambi adiciantur. Quis non noverit versum Soph. Antig. 1275, ubi dochmium tres iambi excipiunt? Numerus ipse quodammodo concluditur exsistitque tranquillum metrum gravitatem numerorum antecedentium mitigans.

Versus tertius is est, ut eius metrum queat agnosci hoc: ⏑⏑–⏑–⏑⏑–⏑–. Perbene unusquisque potest intellegere, utriusque dochmiaci versus exsistere plane eandem formam; est enim prima syllaba longa in duas breves dissoluta. Atque haec quidem mea sententia eo firmatur argumento, quod rhythmus paene similis in ordinibus dochmiacis sequentibus non difficili negotio potest agnosci. Equidem versum subsequentem *δαμοθρόους τ' ἀρὰς ἀπέδικες; ἀπόδαμος ἄπολίς τ' ἔσει* ita diiudico, ut eum constare censeam ex tribus ordinibus dochmiacis, quorum unius –⏑⏑–⏑–, alterius ⏑⏑⏑⏑⏑–, tertii ⏑⏑⏑–⏑– metrum constituam. Haec metra ita censeo esse comparata, ut primus ordo dochmiacus habeatur ad praecedentem *ἐξ ἀλὸς ὁρμενον* proxime accedens, excepto quod in priore ordine syllaba prima est brevis, in posteriore longa.

Concluditur systema versu pherecrateo. Ita arsium duarum concursione, quarum altera in trimetro dochmiaco *ἔσει* inest, altera in fronte pherecratei agnoscitur, fit numeri iusta et ad rei gravitatem apta conclusio.

Ceterum Schmidtius rectissimum de hac stropha tulit iudicium, non tamen contumeliis acerbis persequendi erant interpretes, e quibus G. Hermannus rhythmicam strophae indolem quamvis minime agnovisse censendus sit, metrum tamen non ita falsum constituit. Ordines enim duo primi

τί κακόν, ὦ γύναι,
χθονοτρεφὲς ἔδανὸν

quos plane simili modo conformatos esse constat, meri habendi sunt dochmii nec iambus adiungendus est, ut Hermannus censuit, cum unus iambus dochmiacis versibus non affingatur. Ceterum eorum coniunctio magis quam separatio arridet, cum subsequatur trimeter dochmiacus *δαμοθρόους τ' ἀρὰς ἀπέδικες; ἀπόδαμος ἄπολίς*

Digitized by Google

τ' ἔσει, alteram cantici partem inchoans atque ita numerorum statuatur aequalitas quaedam.

Vocem περίφρονα ita positam, ut in clausula versus legatur, reprehendendam esse rectissime vidit Io. Henricus Schmidtius, cum in dochmio propter numerorum concursionem ⏑ – | – ⏑ – , ne dochmiacus numerus ipse plane deleatur, extremo loco syllaba anceps ferri non queat. Deinde Hartungius iusta reprehensione dignus est, quod γε post αἵματος inserit; numerus enim paene nullus existit, si cum eo stamus ac sentimus. Assentiendum potius est Schmidtio Hartungium propter metrorum indolis ignorationem persequenti.

v. 1448—1576.

Hermanni mensura mihi videtur retinenda. Commendatur enim simplicitate nec, verum si quaerimus, numerorum pulchritudo, quamvis singula vocabula vitiose sint tradita, difficili negotio cognosci potest. Schmidtii sententiam, qua versus strophae paenultimus ὃς πολλὰ τλὰς ἐκ γυναικὸς βίον pro numerorum similitudine ita accipitur, ut post τλὰς pausa statuatur, equidem probare non possum, cum numerorum concursio, qua arsis arsi occurrit, ad hominum rerum gravitate concitatorum animos expingendos sine dubio valde videatur apposita.

Ceterum causam non video, cur Schmidtius a traditis lectionibus et Hermannniana metrorum mensura nimium quantum recesserit. Dochmiacus enim numerus in versu primo, qualem Schmidtius constituit, restitui nullo modo potest nec logaoedicus arridet, cum duo primi ordines a dactylo incipiant. Inde apparet, ordinem μηδὲ δεμνιοτήρης per se esse spectandum nec cum praecedentibus coniungendum; est ordo pherecrateus. Fortasse versus μοῖρ' ἀτέλευτον ὕπνον δαμέντος ita videtur esse accipiendus, ut habeatur compositus ex dochmio et dipodia trochaica, quae metrorum coniunctio a versuum dochmiacorum fingendorum apud antiquos consuetudine non abhorret. Quamquam satis exploratum esse credo, trochaicorum ordinum dochmiacis adiunctorum formam usitatissimam esse dipodiam catalecticam sive creticum; quo ex genere exemplum mihi praesto est Aeschyl. Sept. c. Theb. 95. Ceterum hoc loco idem observari posse existimo, quod in ordinibus glyconeis, quorum nonnullae formae

Digitized by Google

ita sunt instructae, ut ordini glyconeo ipsi adiungantur unus aut complures trochaei aut ordines trochaici.

In strophae ipsius distributione Schmidtius a scopo aberrasse mihi non videtur; adiumentis quae aderant cum cura atque diligentia in usum vocatis anapaesticum systema quoad eius fieri poterat restituere conatus est, nisi forte coniectura ἔννησθα reprehendenda est, quae mihi valde prosaica ac ieiuna videtur esse. Desideratur verbi forma, qua actio mali immittendi significetur, ut ἐνῆκας. Satis exploratum est, textus formam primariam esse hanc:

πολύμναστον ἐπηνθίσω δι' αἷμ' ἄνιπτον,
ἥτις ἦν τότ' ἐν δόμοις ἔρις
ἐρίδματος τ' ἀνδρὸς δίζύς.

Censeo assentiendum esse Schmidtio versuum metra in universum recte restituenti, cum ad anapaesticum numerum ordines antea confusos et metro carentes concinnet; Hermanni sententiam esse reiiciendam apparet, cum versus

ἦ πολύμναστον ἐπηνθίσω αἷμ' ἄνιπτον
στᾶσα τότ' ἐν δόμοισιν
ἐρίδματός τις ἀνδρὸς δίζύς

a rhythmi legibus abhorrere mihi persuasum sit. Primi versus metrum si statuitur –⏑⏑–⏑–⏑⏑–⏑⏑–⏑, quis non videat, numeri admitti interruptionem quandam vix ferendam? Prima ordinis pars monometer dochmiacus fortasse haberi posset, si extrema syllaba esset longa, cuius regulae exceptio nullo modo est admittenda, sive probamus Heph. p. 5, sive Aristid. Quint. p. 39, sive Hermanni elem. p. 240 et epit. p. 86 (II. edit.), sive Boeckhii de metr. Pind. p. 45 et Rossbachii p. 184, sive Brambachii in libro qui inscribitur Metrische Studien zum Sophokles S. 59 sententias. Hanc partem sequitur creticus, tertio loco dipodia trochaica. Alter versus logaoedicus est per se probandus στᾶσα τότ' ἐν δόμοισιν, quantum tamen equidem intellego, logaoedici ordines dochmiacis, interseri non solent. Porro rectissime contendit Henricus Schmidtius, anapaesticum systema tetrapodia brachycatalectica, ut ait ipse, — melius tamen, ni fallor, dipodia catalectica dicetur, cum anapaestos secundum dipodias metiendos esse constet, — concludi debere. Vereor tamen, ut recte iudicaverit Schmidtius, cum non dubi-

Digitized by Google

taverit hiatum longae vocalis et litterae consonantis admittere. Quare scribendum fortasse censeo ἐπήνθισεν, nisi forte hac coniectura, in qua non ita multum poëtici nitoris inesse satis exploratum est, orationis elatio migratur. Sed utut res sese habet, laudandus est Schmidtius, quod metri integritatem restituere studuit.

Ceteras mutationes Schmidtius tot tamque probandis stabilivit argumentis, ut res disputatione non egeat. Quod tamen primo loco de correptione syllabae longae in clausula positae sequente vocali agens, deinde ab oratione digressus hanc rem ad vocis δι' indolem depingendam adhibet, vitupero. Deinde miror Schmidtium versum ὤμοι μοι κοίταν τάνδ' ἀνελεύθερον, δολίῳ τε μόρῳ δαμείς ita esse mensum, ut priorem eius partem brevi syllaba τε definiat, id quod mea quidem sententia cum legibus rhythmi pugnat. Accedit quod numerus hoc modo plane tollitur. Equidem credo, versum ita posse accipi, ut habeatur compositus ------⏑–⏑–⏑⏑–⏑–⏑– ex molosso ad rei gravitatem depingendam et ad ea quae sequuntur bene praeparanda sine dubio aptissimo, glyconeo, ordine anapaestico-logaoedico. Atque huic quidem meae sententiae commendationis accedere cumulum quendam exploratum est, quod μεταβολὴ ῥυθμοῦ ad animorum concitandorum sententias adumbrandas, nisi fallor, haud inepta hoc loco elucet. (cf. Mar. Victorin. p. 2539), cum ordinem anapaestico-logaoedicum δολίῳ τε μόρῳ δαμείς subsequatur dactylicus ipsiusque Schmidtii mensura versu τίς δ' ἐπιτύμβιος αἶνος ἐπ' ἀνδρὶ θείῳ ξὺν δακρύοις ἰαχχῶν comprobari videatur. Cui meae sententiae ipse Schmidtius tacite favere videtur p. 77.

Clausulam systematis talem esse absque dubio constat, ut numerorum forma rei magnificentia depingatur. Trochaei enim primo et altero loco positi irrationales sunt habendi, ita ut facile similitudo cum sequentibus trochaeis queat agnosci, id quod Schmidtius rectissime intellexit. Hermannus mensuram versus Φεῦ, τίς ἂν ἐν τάχει, μὴ περιώδυνος secutus cum dimetrum dochmiacum constituisset, hac eadem ratione in altera syzygia ordinem δαῖμον, ὃς ἐμπίτνεις δώμασι καὶ διφυίοισι Ταντα λίδαισιν metiri coactus erat. In quo mea quidem sententia rectissime iudicavit vir doctissimus, cum ordinem pherecrateum

Digitized by Google

dochmiaco admisceri solere non credam neque exemplum eius generis ad meam pervenerit cognitionem.

Ceterum logaoedica mensura, quam Schmidtius tribus locis, in versu primo, tertio, sexto inesse censet, mihi non arridet, cum dochmios in extrema tragoediarum parte usitatissimos esse inter omnes constet et ad mutationem rhythmi efficiendam facile haberi queant aptissimi.

In tertia syzygia constituenda non video, cur Schmidtius a traditis lectionibus et Hermanni textus forma metrisque statutis recesserit. Coniecit vir doctus, cum coniecturis non esset opus omisitque quaerere, quomodo logaoedicum systema apte concludi posset. Porro coniecturam *οἰκεῖον* improbo, cum eam ducam satis ieiunam. *δαίμονα* enim Atridarum domum iniuriis persequentem *οἰκεῖον* esse per se apparet neque videtur enuntiandum; desideratur tamen in lectione Schmidtii ea res, quam deus perdere studet. Ordo *ἀτηρὰς τύχας ἀκορέστου* ⏑ – – ⏑ – ⏑ ⏑ – – – is est, ut in clausula admitti nullo modo queat, praesertim cum ordini pherecrateo et glyconeo basis non praecedat, cum tale quid nusquam, ubi de eiusmodi versibus fit mentio, commemoretur (Heph. p. 56, Herm. elem. p. 520). Iambus igitur sine dubio ad versum proxime antecedentem referendus est. Falso metitur Schmidtius versum sequentem *ἰὴ ἰὴ διὰ Διὸς παναιτίου πανεργέτα*, cum caesuram post primam syllabam *παν* in voce *παναιτίου* statuat. Quae tamen eius sententia ideo potest excusari, quod trochaicum numerum restituere ausus est. Quae tamen res omnino necessaria non est, cum pausa post *ἀκορέστου* sublata longa syllaba, non brevi, ut perquam inepte censuit Schmidtius, arseos cum thesi fiat iusta concursio. Ordo igitur, de quo exponimus, constat ex duabus tetrapodiis ad unum ordinem coniunctis; ita enim eum accipiendum esse intellegitur ex syllaba *παν* initio alterius partis usurpata. Erravit extremo loco Schmidtius, cum ultimam syllabam in *ἐστὶν* ducat productam. Ordo est dactylico-logaoedicus in trochaeum, ut per se apparet, exiens. Vocabula enim *τί τῶνδ'* ad versum praegressum refero, ita ut eius extremo loco existat creticus, ad sententiam firmandam in usum vocatis duobus locis Antig. 359 et 369. Id quod haud bene intellexit vir doctissimus, cum ordinem constituerit valde confusum, ne dicam plane absurdum. Quid

Digitized by Google

enim sibi velit pausa post primum trochaeum, intellegere non queo; interrumpitur enim ea admissa omnis logaoedicorum versuum indoles.

Nonnullos alios versus ex ceteris Aeschyli tragoediis eximam.

Suppl. 80. Probo Schmidtii opinione numerum trochaicum in ordine *κἀν σκότῳ μελαίνᾳ ξυντυχίᾳ μερόπεσσι λαοῖς*. Versus constat ex tetrapodia trochaica catalectica et dimetro anapaesticologaoedico. Cuius generis versuum simile exstat exemplum ⏑–⏑–⏑⏑–⏑.

Suppl. 146. Reiicienda est Schmidtii alterius strophae partis mensura anapaestica, cum ordo *οὐρανόνικον· χαλεποῦ γὰρ* paroemiacus paenultimum locum obtinere non queat et si dimeter anapaesticus habetur, propter syllabam deficientem iusta reprehensione non careat, cum eiusmodi ordines illo loco positi nusquam, nisi fallor, exstent.

Suppl. 346. Non accedo Schmidtii sententiae ordinem iambicum *παλαίχθονος* a dochmiacis subsequentibus seiungentis, cum dochmiacis versibus iambicos praemitti coniicere liceat ex sententia Seidleri de versibus dochmiacis p. 9.

Suppl. 347—349. Arridet mihi Schmidtii mensura dochmiaca, cum numeri aequalitas in stropha ab eo restituatur. Miror tamen, quod negat, quartum et quintum strophae versum ad dochmiacum numerum concinnari posse.

Suppl. 616. Schmidtius cum trochaicum ordinem *τὰν Πελασγίαν πόλιν* constituat, dochmiacum numerum evertit. Amplectenda est Hermanni mensura, qua dochmiaci ordines exsistunt.

Choeph. 41. Schmidtius cum *βρύει χρονίζοντ' ἄχεα* scribat, extremo versus loco syllabam brevem constituit, sine dubio reiiciendam, cum metro postuletur choriambus. Scribo igitur cum Hermanno *ἀτυχῆ*. Accedit, quod ut in metro choriambico extrema syllaba producta sit versus indoles postulat.

Digitized by Google

Choeph. 78. Metrum *πρέποντ' ἀρχετᾶν βίᾳ* a Schmidtio prolatum videtur laudandum, quod recte trochaicum numerum agnovit vir doctissimus iambico congruentem. Cui meae sententiae adstipulatur etiam illud, quod in versibus praecedentibus iambicorum cum trochaicis ordinibus fit concursio. Reiicienda igitur est Hermanni opinio, trimetrum iambicum *δίκαια καὶ μὴ 'μαῖς πρέπον τύχαις βίου* statuentis, quia eiusmodi ordo peculiari modo est effictus nec congruit cum formis, quas modo descripsi.

Choeph. 83. Probo eadem de causa opinionem Schmidtii, qui versum *τύχας, κρυφίοις πένθεσιν παχνουμένη* affert, non senarium, ut Hermannus, *τύχαις, κρυφαίοις πένθεσιν παχνουμένη*. Tota stropha est iambico-trochaica.

Choeph. 327. Mihi arridet Schmidtii sententia *ποινὰν* scribentis; existit enim glyconeus hypercatalecticus et cum in glyconeis versibus basis trochaica sit, rarius spondaica, nisi ratio habetur Horatii, ubi semper spondaica est, reiicienda videtur lectio Hermanni *βοπάν*.

Choeph. 346. Schmidtius cum ordinem *ἐπίστροφον αἰῶ κτίσας* in medium afferat, recte intellexit, iambici ordinis cum trochaico hoc loco statuendam esse concursionem, quam strophae indoles indicat. Hermanni lectio *κτίσας ἐπιστρεπτὸν αἰῶ* iambicam speciem prae se ferens reiicienda est.

Eumenid. 321. Considerate Schmidtius unum constituit ordinem *μᾶτερ, ἃ μ' ἔτικτες, ὦ μᾶτερ* Νύξ, *ἀλαοῖσι* valde probandum, quod duae arses *ὦ* et *μᾶτερ* congruunt pherecrateusque tetrapodiam trochaicam excipit.

Dedi Wollsteinii in provincia Posnensi.

Digitized by Google

AD CHARITONEM.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

Filius meus qui totus defixus est in studio voluminum papyraceorum, quotquot ad universi juris cognitionem aliquid conferunt, hisce diebus mihi legendam dedit commentationem Ulrici Wilcken, *Archiv für Papyrusforschung* I p. 227, de fragmento quodam Charitonis, quod paene prius periit quam luci redditum fuit. Quoniam multos Mnemosynes lectores fore suspicor, quibus ad illa studia Aegyptiaca aditus non datur, quemadmodum me certe doctum et elegans Wilckenii opusculum fugisset, nisi domi apud me habuissem qui commonstraret quod paucis diebus ante — ipso die aequinoctiali — huc perlatum fuisset, operae pretium duxi, reliquis sepositis, statim ac sine mora paucis referre de re quae prorsus inexpectata ad nostras aures accessit.

Itaque quum Wilckenius m. Nov. 1898 Thebis in Aegypto commoraretur, oblata ei fuerunt septem folia membranacea palimpsesta, quae libenter sibi comparavit, postquam intellexit sub scriptura Coptica delitescere Graecas literas. Deinde quum domum cogitans in navicula secundum flumen navigabat, fecit quod potuit, ut, vetere scriptura venenorum ope nondum refocillata, legeret et transscriberet quod sic satis pelluceret. In quatuor foliis statim agnovit fragmentum Charitonis; duo erant scriptoris ignoti de amoribus Chiones; septimum folium omnino non attigit quippe lectu longe difficillimum. Factum est insigni fortunae beneficio quod per longum in Germaniam iter ea excerpta semper secum portavit, nam navis quae folia ipsa aliaque ex itinere tropaea in Europam advehebat, postquam salva per-

Digitized by Google

venit in portum Hamburgensem, ibi cum omnibus mercimoniis incendio periit. Ingenue admiror singulare Wilckenii acumen, qui solus sine libris, nam vix tandem in urbe Kahira nactus est Didotianam Eroticorum Scriptorum editionem, tam multa feliciter enucleare potuerit. Paucissimos esse arbitror, qui aliquid huiusmodi praestare possint et tale φιλοτέχνημα Nilus, credo, raro vidit.

Hoc habent membranae: quae pars olim carni proxima fuit, glabra est; a parte exteriore quae pilosa fuit, aspredo lectionem, in palimpsestis utique, impeditam reddit. Itaque Wilckenius quatuor illorum foliorum non nisi alteram partem attigit, quam paulo faciliorem lectu esse cognoverat, ut quae in exteriore membranarum latere exstabant, Vratislaviae venenis admotis per otium exscriberet. Unaquaeque pagina habebat binas columnas atque sic ex columnis quae in quatuor foliis sedecim fuerant, bis quaternae servatae sunt. Multae literae agnosci non potuerunt, sed postquam Chariton Didotianus consuli potuit, pleraque omnia suppleta fuerunt et iam habemus *fragmentum Thebanum*, sic enim commode appellare licebit, ab pg. 149. 19 (in editione Hercheri) φησὶ Διονύσιος usque ad pg. 149. 31 Χαιρέας ἤνυσε τόν et a pg. 151. 13 Ἑρμοκράτης usque ad pg. 152. 27 ἐκ πλοῦ. Hoc maxime modo nobis redditae fuerunt tres fere paginae Teubnerianae. Coniecit Wilckenius ipsum Codicem septimo vel octavo circiter saeculo exaratum fuisse, i. e. uno duobusve saeculis post ipsius Charitonis aetatem. Ceterum satis mihi est credibile unius eiusdemque quaternionis folia duo interiora esse servata, ut hodie habeamus paginas 6, 7, 10, et 11; Wilckenius autem legere non potuerit pg. 5, 8, 9 et 12.

Novimus hodie multorum scriptorum Graecorum non integrum textum superesse sed epitomas, quae saepe imperite et inaequabiliter factae sunt. Veluti, ut de aliis taceam, apud Xenophontem Ephesium res incurrit in oculos et haud pauca ut intelligas, statuendum est quaedam fuisse resecta. Eadem sors, quod nunc liquido apparet, Charitonis fuit: codex Thebanus modo plenior est quam unicus codex Florentinus; modo Florentiae plura servata fuerunt: unde consequitur, quod Wilckenius diligentissime demonstravit, integrum textum periisse, fuisse autem olim *duo* excerpta, quorum ope, dummodo codex The-

Digitized by Google

banus integer superesset, primitivum textum propemodum redintegrare possemus. Quoad licuit, hoc quoque Wilckenius praestitit et ut intelligatur cuiusmodi res sit, breviter exscribam quae disputavit de pg. 149. 9—29, nam hic locus maxime luculentus est. Ne quis autem de novo codice nimis magnifice sentiat, statim disertis verbis declarabo inventa quidem nonnulla fuisse quae desint in codice Florentino; sed ut plurimum Codex Thebanus, quamquam multis saeculis vetustior, longe fuit deterior. Nempe codicibus non magis quam senibus quibusdam aetas valet afferre sapientiam.

Erat Callirrhoe, pulcherrima virgo, filia Hermocratis celeberrimi ducis Syracusanorum quem ex Thucydide novimus. Hanc duxit Chaereas, sed post breve intervallum nova nupta a praedonibus rapta et abducta fuit in Asiam; emit autem Dionysius omnium Milesiorum divitissimus et nobilissimus. Mox amore percitus gravi, quum iusto matrimonio captivam ducere vellet, Callirrhoe — erat autem e Chaerea gravida — cessit optimi viri precibus, ne quod in utero gestaret in servitute nasceretur; deinde septimo mense post enixa est puerum quem Dionysius nimis credulus suum esse deierabat. Sed tandem aliquando post multas ambages, quae nunc nihil ad nostram rem pertinent, Chaereas in Asiam profectus suam uxorem recuperat indeque filiolo nescio quare apud Dionysium relicto, quum primum possunt amantes laetis ominibus in patriam revertuntur. Vix aliquid otii nacta erat et Callirrhoe Arado epistulam dedit ad alterum suum maritum perferendam, cuius sequitur exemplum, p. 145. 15 est Hercheri:

ΚΑΛΛΙΡΡΟΗ ΔΙΟΝΤΣΙΩι ΕΤΕΡΓΕΤΗι ΧΑΙΡΕΙΝ.

Σὺ γὰρ [εὐεργέτης ἐμὸς inseruit Hercherus], ὁ καὶ λῃστείας καὶ δουλείας με ἁπαλλάξας. Δέομαί σου, μηδὲν ὀργισθῇς· εἰμὶ γὰρ τῇ ψυχῇ μετὰ σοῦ διὰ τὸν κοινὸν υἱόν, ὃν παρακατατίθημί σοι ἐκτρέφειν τε καὶ παιδεύειν ἀξίως ἡμῶν. ..... Ὅταν ἀνὴρ γένηται ... πέμψον αὐτὸν εἰς Συρακούσας ἵνα καὶ τὸν πάππον θεάσηται .... Ταῦτά σοι γέγραφα τῇ ἐμῇ χειρί. Ἔρρωσο, ἀγαθὲ Διονύσιε, καὶ Καλλιρρόης μνημόνευε τῆς σῆς.

P. 149. 9 tandem legimus quo animo Dionysius literas tam amanter simulque tam subdole scriptas acceperit: ὑποσρέψας δὲ καὶ κατακλείσας ἑαυτόν, γνωρίσας τὰ Καλλιρρόης γράμματα πρῶ-

Digitized by Google

τον τὴν ἐπιστολὴν κατεφίλησεν, εἶτα ἀνοίξας τῷ σήθει προσετίθει ὡς ἐκείνην παροῦσαν, καὶ ἐπὶ πολὺν χρόνον κατεῖχεν, ἀναγινώσκειν μὴ δυνάμενος διὰ τὰ δάκρυα. Ἀποκλαύσας δὲ μόλις ἀναγινώσκειν ἤρξατο καὶ πρῶτόν γε Καλλιρρόης τοὔνομα κατεφίλησεν. Ἐπεὶ δ' ἦλθεν εἰς τὸ ΔΙΟΝΤΣΙΩι ΕΤΕΡΓΕΤΗι, „οἴμοι", φησίν, „οὐκέτ' ἀνδρί." Σὺ γὰρ εὐεργέτης ἐμός. „Τί γὰρ ἄξιον ἐποίησά σοι;" Ἤσθη δὲ τῆς ἐπιστολῆς τῇ ἀπολογίᾳ καὶ πολλάκις ἀνεγίνωσκε τὰ αὐτά· ὑπεδήλου γὰρ ὡς ἄκουσα αὐτὸν καταλίποι. Οὕτω κοῦφόν ἐστιν ἔρως καὶ ἀναπείθει ῥᾳδίως ἀντερᾶσθαι. Θεασάμενος δὲ τὸ παιδίον καὶ πήλας ταῖς χερσίν, „ἀπελεύσῃ ποτέ μοι καὶ σύ, τέκνον, πρὸς τὴν μητέρα· καὶ γὰρ αὐτὴ τοῦτο κεκέλευκεν· ἐγὼ δὲ ἔρημος βιώσομαι πάντων αἴτιος ἐμαυτῷ γενόμενος. Ἀπώλεσέ με κενὴ ζηλοτυπία καὶ σύ, Βαβυλών." Ταῦτα εἰπὼν συνεσκευάζετο τὴν ταχίστην καταβαίνειν εἰς Ἰωνίαν, μέγα νομίζων παραμύθιον πολλὴν ὁδὸν καὶ πόλεων ἡγεμονίαν καὶ τὰς ἐν Μιλήτῳ Καλλιρρόης οἰκήσεις. Haec est Florentina recensio quam editores hucusque fere sine offensione legerunt et in plerisque probarunt; sed nunc mihi quis cognoscat particulam fragmenti Thebani maxime memorabilem. Τποσρέψας δὲ καὶ κατακλείσας ἑαυτὸν, γνωρίσας τὰ Καλλιρρόης γράμματα πρῶτον τὴν ἐπιστολὴν κατεφίλησε καὶ ἀνοίξας τῷ σήθει προσεπτύξατο ὡς ἐκείνην παροῦσαν. Ἐπὶ πολὺν δὲ χρόνον κατέχων αὐτὰ ἀναγινώσκει· „Καλλιρρόη" — κατεφίλησε τοὔνομα — „Διονυσίῳ εὐεργέτῃ" — „οἴμοι τῷ ἀνδρὶ οὐκ ἔχω" — „Χαίρειν" — „πῶς δύναμαί σου διεζευγμένος"; — „Σὺ γὰρ ἐμὸς εὐεργέτης" — „τί γὰρ ἄξιον ἐποίησά σου"; Ησ.ετο δὲ τῆς ἐπιστολῆς πρὸς τὴν ἀπολογίαν καὶ πολλάκις ἀνεγίνωσκε ταῦτα τὰ ῥήματα. Ἐ[πισ?]θη γὰρ ὅτι ἄκουσα κατέλιπεν. Οὕτω [δὴ? φύσει κο]ῦφόν ἐστιν ὁ ἔρως καὶ ἀναπείθει ῥᾳδίως ἀντερᾶσθαι. [Θε]ασάμενον δὲ τὸ παιδίον τὸν πατέρα .άσοντα(?) προσῆλθεν αὐτῷ καὶ „Ποῦ μοι πάτερ" εἶπεν „ἡ μήτηρ; Ἀπίωμεν πρὸς αὐτήν." „Σὺ μὲν ἀπελεύσῃ τέκνον εὐτυχῶς, καὶ γὰρ αὐτὴ τοῦτο κεκέλευκεν. Ἐγὼ δὲ ἔρημος βιώσομαι, πάντων αἴτιος ἐμαυτῷ γενόμενος. Ἀπώλεσέ με κενὴ ζηλοτυπία καὶ σύ, Βαβυλών." Ταῦτα εἰπὼν παρεσκευάζετο τὴν ταχίστην μενθαγαν(?) νομίζων παραμύθιον πολλὴν ὁδὸν καὶ πολλῶν πόλεων ἡγεμονίαν καὶ τὰς ἐν Μιλήτῳ Καλλιρρόης εἰκόνας.

Refinxi et correxi Aegyptiacam orthographiam neque indicavi

Digitized by Google

prorsus certa lacunularum supplementa, ne multiplicibus uncinulis lectionem impeditam redderem; praeterea notavi literis diductis ea quae a Florentina recensione recedunt. Qui autem horum omnium accuratissimam cognitionem requirunt, eos ad ipsum Wilckenium ablegare satius est. Est enim haec mea tumultuaria opera.

Quod in oculos incurrit, in magno numero discrepantiarum, saepe quidem veriora habet Florentina recensio, sed hic illic longe praestat recens repertum fragmentum. Veluti quod supra nobis apparuit et naturae conveniens est, Callirrhoe literas suas inscripserat: **Καλλιρρόη Διονυσίῳ Εὐεργέτῃ χαίρειν.** Legit Dionysius dilectum uxoris nomen et exosculatur: *ἐπεὶ δ' ἦλθεν εἰς τὸ* **Διονυσίῳ Εὐεργέτῃ**, *„οἴμοι", φησίν, „οὐκέτ' ἀνδρί".* Hic quidem rectissime se habet illud *οὐκέτ' ἀνδρί* et absurda est nova lectio: *οἴμοι τῷ ἀνδρὶ οὐκ ἔχω.* Verum: *ἐπεὶ δ' ἦλθεν εἰς τὸ* **Διονυσίῳ Εὐεργέτῃ** tum demum bene dictum foret, si Callirrhoes et Dionysii nomina in epistula aliquo intervallo discreta fuissent. Quanto hoc rectius in Thebana recensione: *„***Διονυσίῳ Εὐεργέτῃ***"* — *οἴμοι*, deinde *τῷ ἀνδρὶ* (*οὐκέτι*). Imprimis omnes veritatis numeros habent verba: *„***Χαίρειν***"* — *„πῶς δύναμαί σου διεζευγμένος*, quae in Florentino codice omissa fuerunt. Deinde pergit legere reliquam epistulam cuius prima verba erant: *σὺ γὰρ ἐμὸς εὐεργέτης*, quibus lectis eiulat Dionysius: *τί γὰρ ἄξιον ἐποίησά σου*, nam *σου* sane melius quam *σοι*.

Etiam ea quae proxime sequuntur, examinanda sunt. Librarius Florentinus dedit: *θεασάμενος δὲ τὸ παιδίον καὶ πήλας ταῖς χερσίν·* illud *πήλας ταῖς χερσίν*, quod certo certius ex Homero ductum est, debet quam maxime genuinum videri neque scribarum est tale quid interpolare; sed ceterum Thebana recensio longe praestat. Iam inest aliquid offensionis in *θεασάμενος δὲ τὸ παιδίον·* quomodo enim Dionysius qui *κατέκλεισεν ἑαυτόν*, repente filiolum conspexit, quum tota mente recoleret Callirrhoes imaginem? Quomodo puerum, quem nobis absentem fingimus, ulnis iactare potuit? Hic deest aliquid quod dabit novum fragmentum: *θεασάμενον δὲ τὸ παιδίον τὸν πατέρα .ἀσοντα, προσῆλθεν αὐτῷ·* quanto cum affectu rogitat: *ποῦ μοι, πάτερ, ἡ μήτηρ;* *Ἀπίωμεν πρὸς αὐτήν.* Sic demum pater putativus puerulum Astyanactis instar *πάλλει ταῖς χερσίν* et exclamat:

Digitized by Google

σὺ μὲν ἀπελεύσῃ et quae sequuntur. Wilckenius non habet dicere quid sub illo .άσοντα lateat; equidem scripserim θεασάμενον δὲ τὸ παιδίον τὸν πατέρα κλάοντα. Utraque recensio fortasse in unum conflari poterit, ne nobis pereat illud Florentinum πήλας ταῖς χερσίν· hoc Wilckenius praestitit, sed mitto quod necessario nimis incertum est. Verum tuto recipi poterit quod de Dionysio legimus eum ab rege Persarum accepisse non πόλεων, sed πολλῶν πόλεων ἡγεμονίαν, de qua correctione iam Reiskius cogitarat. Item legimus Dionysium desideravisse τὰς ἐν Μιλήτῳ Καλλιρρόης οἰκήσεις, sed quam est egregia lectio: εἰκόνας· hanc quoque Reiskius iam animo praeceperat et haud satis scio an nemo umquam fuerit ad talia observanda perspicacior. Alibi saepe nihil est cur Florentinae recensionis patrocinium deseram: veluti quod est p. 149. 14, profluentibus lacrimis prohibetur Dionysius quominus Callirrhoes epistulam perlegat: ἀποκλαύσας δὲ μόλις ἀναγινώσκειν ἤρξατο· quid hoc est ἀποκλαύσας? Quivis necessario responderit eum ἀποκλάειν qui flere desinat; non esse quidem vulgarem verbi significationem, sed satis esse praesidii in analogia. At, inquit Wilckenius, in Stephani Thesauro non nisi unicum exemplum huius usus invenire potui, scil. apud Lucianum, sed ibi media forma invenitur ἀποκλάεσθαι. Repono equidem non tantam esse auctoritatem scriptoris qui de Syria Dea scripsit; sed, quod longe maioris momenti est, in talibus compositis activa forma multiplici usu stabiliri potest. Sunt ἀπαλγεῖν, ἀποπονεῖν, ἀποσπουδάζειν, ἀποκραιπαλᾶν, ἀπομανθάνειν, ἀποφοιτᾶν, ἀποκαρτερεῖν, ἀπομερμηρίσαι· quin et ἀποδακρύειν eo sensu enotatur in Anecd. Bk. p. 427. 20. Ubique, uti vides, activa forma in usu est. Nec tamen minus idem ille Chariton alio sensu scribere potuit p. 78. 4: ἀποκλαύσας δὲ τὰς ἑαυτοῦ συμφοράς.

Complura minuta silentio praeteribo; sed unus locus remanet quem verbo indicabo. P. 151. 30, postquam amantes Syracusas advenerunt, universus populus spectatum concurrit, ἐπεκλύοντο δὲ ἀλλήλοις συνέφηβοι καὶ συγγυμναςαί, Χαιρέαν ἀσπάσασθαι θέλοντες, Καλλιρρόην δὲ αἱ γυναῖκες. Absurdam lectionem ἐπεκλύοντο correxit Reiskius scribendo: ἐπεκελεύοντο eamque correctionem Hirschigius et Hercherus receperunt in textum. Verissimum autem est quod Thebis repertum fuit: ἐπεκυλίοντο.

Digitized by Google

Fierine potest ut hoc ipsum Florentiae in codice legatur? Operae pretium erit aliquando locum conferre.

Iam quoniam constat tenere nos Charitonis textum decurtatum, non alienum erit attendere ad p. 134. 29, de quo loco Cobetus ita disputat *Mnem.* 1859 p. 298: „In ipsa rei narratione magna est confusio nec satis quid agatur ubique apparet. Confunduntur regina Persarum et Callirrhoe et alia quaedam impedita sunt." Assensus est Rohdius, *der Griechische Roman*, p. 488, et significat se libenter sequi Hilbergii opinionem, qui *Philolog.* 1874 p. 696 demonstravit unam alteramque paginam intercidisse; neque hoc veri dissimile est itemque fieri potuit ut nimio plura neglegenter resecta sint ab eo qui genuinum textum compendifecit; est certe hic septimus liber omnium brevissimus. Nunc autem quum certo certius sciamus mutilam esse Florentinam Charitonis recensionem, aliquid ponderis accedit iis quae suspicatus sum *Mnem.* 1878 p. 213. Laudaram p. 156. 14: ἐλεύσεται καὶ ἄλλος στόλος ἐξ Ἰωνίας ὑμέτερος· ἄξει δ' αὐτὸν ὁ Ἑρμοκράτους ἔγγονος· deinde quum non satis appareret quorsum ea Chaereae ad populum verba pertinerent, scripsi ea quorum me nondum poenitet: „Quando veniet Syracusas illa classis? Nempe post annos minimum viginti, postquam adoleverit Dionysii Milesii alumnus, Hermocratis nepos. Primum igitur reponendum censeo ὕστερον pro ὑμέτερος, nam ὕστερον paene necessarium est addere et ὑμέτερος propemodum absurdum est. Deinde pro ἐλεύσεται multum malo: πλεύσεται. Legitur quidem πλεύσειν p. 44. 17 et 48. 23; sed sincera forma πλεύσεσθαι p. 41. 30 et 57. 16. Cur autem Chariton Chaereae et Callirrhoes filiolum Mileti reliquit? Mater eum secum duxerat Babylonem et Statira regina infantem libenter videbat p. 146. 3. Rex autem secum traxit ad bellum καὶ γυναῖκας καὶ τέκνα, ut est p. 121. 21. Itaque urbe Arado capta statim cum matre patri reddi potuerat, sed Chariton maluit puerum Dionysio Milesio tradere educandum. Fuit fortasse ea de re aliquid dictum ea pagina, quae secundum Hilbergii verissimam coniecturam excidit post p. 134. 28. Videor autem mihi intelligere cur Chariton rem ita finxerit depinxeritque Callirrhoen novercae quam matris similiorem. Nempe hunc Chaereae filium, qui a patre adoptivo Dionysii nomen nactus erat, Chariton eundem

Digitized by Google

esse voluit illum Dionysium maiorem, qui postea Syracusis rerum positus est. Fecit igitur Hermocratis *nepotem* qui, uti notum est, Hermocratis τοῦ πάνυ *gener* fuit, cf. Diod. Sic. XIII 96, *filius* alterius cuiusdam Hermocratis, itidem Syracusani, qui ignobilis fuisse fertur. Atque hoc quidem Charitoni, qui tam multa improbabilia fingit, fingere licuit, nam in Hermocratis historia multa obscura sunt et perplexa, quod bene notavit Georgius Grotus in *Historia Graeca* Vol. X p. 420 Edit. Amer."

Sequuntur unius eiusdemque Codicis duo folia, quibus particula exigua quaedam continetur fabulae de Chiones amoribus. Fragmenta sunt lacera admodum et nihil sani inde extundere licet; fecit tamen Wilckenius quod potuit et ceterum exspectandum num forte aliquando aliunde lucis aliquid oboriatur. Equidem nihil adnotabo praeter haec duo nimis fortasse pusilla: quod scribitur col. III vs. 16: ἐν δὲ τούτῳ σοι λέγω, id sane corrigendum est: ἓν δὲ τοῦτό σοι λέγω. Alter locus legitur col. III vs. 4: Μεγαμήδης τε προσδόκιμός ἐστιν, ἡμεῖς δὲ μέχρι νῦν πάντα καλον(?) κεινοῦντες ὡς εἶπεν οὐδὲν ἐπὶ σωτηρίαν νενοήκαμεν. Quam miror Wilckenium p. 262 multa molitum haec tamen expedire non potuisse. Nihil admodum hic corruptum est sed emendandum: πάντα κάλων κινοῦντες ὡς εἰπεῖν. Proverbium est πάντα κάλων σείειν usurpatum ἐπὶ τῶν πάσῃ προθυμίᾳ χρωμένων· παρῆκται δὲ ἀπὸ τῶν τὰ ἄρμενα χαλώντων, ut scribit Zenobius Prov. 462, ad quem locum vide quid editores adnotarint; ipsum autem πάντα κάλων κινεῖν exstat apud Gregorium Cyprium Prov. 127 in Cod. Mosq.

Sunt in Wilckeniana commentatione alia multa de amatoriis narrationibus, quarum particulae exiguae hisce postremis annis in Aegypto effossae fuerunt: eorum omnium nihil tangam et de Charitone quoque Wilckenius complura habet, quae neque affirmare nec refellere in animo est. Satis habui quo primo tempore potui caput rei cum Mnemosynes lectoribus communicare, ut doctam et elegantem Wilckenii disputationem, si quidem talium rerum curiosi sunt, ipsi adeant. Quemadmodum ego magnas gratias habeo scriptori qui insperato fortunae beneficio egregie usus est, sic illi quoque, sat scio, habebunt.

292783 Digitized by Google

AD HORATII CARM. IV, 7. 21.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Cum semel occideris et de te splendida Minos
Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.

Nolo quidem Aristophaneo illo *ἐν μακρῷ χρόνῳ νύκτας διηγρύπνησα ζητῶν* uti, sed diu tamen multumque quaesivi Minois *splendida* arbitria quae essent, neque apud doctos commentatores quidquam inveniebam quod satis placeret. Hic mihi versus citatos mecum reputanti in mentem venit quiddam quo admodum gauderem; per multos tamen annos inventum meum premebam et in lucem proferre verebar: nam nescio quo modo risum movere solet si quis poetae per tot saecula doctorum manibus versati versum notissimum semperque probatum non solum corruptum esse declarat sed etiam medicina a se reperta sanari et posse et debere affirmat. Tandem aliquando fiduciae aliquid mihi attulit praeclarum illud Luciani Muelleri opus, quod, si recte auguror, melius etiam quam ceteri eius libri summi philologi, de poetis Latinis unice meriti, servabit memoriam, maiorem dico Carminum Horatianorum editionem. Quae licet fiducia alio eiusdem libri loco haud leviter imminueretur, nolui tamen diutius reticere quod aliquo certe modo tanti viri nactum esset approbationem.

Cuiusmodi illa res sit narrabo. In „Introductione" ad carmen nostrum et alia multa utilissima de Torquato Muellerus scribit et haec:

Digitized by Google

„Er hatte nichts zu schaffen mit den altadeligen Manlii Torquati, auch nichts mit Nonius Asprenas Torquatus (Sueton. Aug. 43), stammte vielmehr aus einer alten Ritterfamilie, *lebte splendid*, befand sich also in guten Verhältnissen."

Quibus ego lectis exsultabam, putabam enim idem quod mihi Muellero in mentem venisse, et mecum tacitus optima quaeque illi precabar qui ante me meum aut invenisset aut certe publici fecisset iuris. At pars laetitiae mihi eripiebatur iis quae ad nostrum versum annotata videbam:

„*splendida arbitria:* kann weder ein für Torquatus schmeichelhaftes Urtheil des Minos bedeuten, da M. ja eben gesagt hat mit dem Tode sei Alles aus, noch gar darauf gehen dass nach Homer Minos ein goldenes Scepter hatte [1]), sondern bedeutet seinen berühmten Schiedsspruch. So steht *splendidus* oft genug auch bei Horaz. Vgl. III, 16, 25 *contemptae dominus splendidior rei.* Epist. II, 1, 236 f. — Gemeint sind die zahlreichen Fabeln der Dichter von berühmten Belohnungen oder Strafen, die Minos jedem nach verdienst ausgetheilt haben sollte. Zum Ausdruck vergleiche man noch Ennius Fab. 35 iudicavit inclitum iudicium inter deas tris aliquis. C. I, 4, 16 fabulaeque manes."

Quibus licet optime refutetur (ut unum nominem) Kiesslingii annotatio: „Den beredten Sachwalter des Forums führt Horaz in das feierliche Gericht über die Toten, in welchem Minos als Richter seinen Wahlspruch, der natürlich „glänzend" ausfallen wird, über ihn abgiebt," ipsa tamen traditae lectioni tuendae minime sunt idonea. De loco C. III, 16, 25 statim dicam. Illud *fabulaeque manes* huc non facit; Epist. II, 1, 236 f. ubi legitur

> Sed veluti tractata notam labemque remittunt
> Atramenta, fere scriptores carmine foedo
> Splendida facta linunt,

non solum illud *splendida* imagine defenditur qua illustratur, sed plane necessaria ea vox hic est, siquidem poeta hic *vere splendida facta* cogitat, i. e. res, quae splendorem afferunt ei, a quo gestae sunt. Paridis denique iudicium *inclitum* vocari

1) Serione hoc ab aliquo commentatore dictum? Vix credibile, sed Muellero affirmanti fides habenda. Quid ergo posthac illustrandi causa annotare vetabimur?

Digitized by Google

minime mirum est: clare enim illud cluebat, poetarumque versibus, quibus narrabatur, celebratum erat. Etiamne *splendidum* hic ab Ennio appellari poterat? Non opinor.

Iam meam coniecturam proferam, non quidem magnopere iam veritus ne deridear (quid enim mihi velim dudum, lector, suspicaris), cautus tamen et circumspectus, eamque haud infirmis, ut opinor, defensurus argumentis. Legendum enim arbitror *splendide*. Egregie hoc adiectivum Torquatum nostrum decet, opulentum hominem lauteque viventem, estque equitis Romani fere legitimum epitheton. Splendent divitiae, splendet homo dives, auro et pretiosis lapillis comptus, C. III, 3, 25:

Iam nec Lacaenae splendet adulterae
Famosus hospes

(ubi *famosus* rectissime adhibetur eodem modo quo Ennii versu supra allato, eodemque quo nostro versu *splendida* positum esse Müllerus contendebat). Atque tum quoque, cum de pretioso opulenti hominis ornatu non cogitatur, ob solas divitias splendidus ille dicitur. Sic Carm. III, 16, 25:

nil cupientium
Nudus castra peto et transfuga divitum
Partes linquere gestio,
Contemptae dominus splendidior rei
Quam si quidquid arat impiger Apulus
Occultare meis dicerer horreis
Magnas inter opes inops.

Egregie hic ὁ αὐτάρκης, divitiarum contemptor, *splendidior* dicitur quam is qui divitias suas amat, quoniam is *splendidus* vulgo dicitur, at philosophi Horatiani virtus revera splendet auro magis. Nam virtus si *splendere* dicitur ab *auro* sumitur metaphora, propter quod, sine metaphora, divites *splendidi* appellantur. Sed quam longe haec omnia nos abducunt *a splendidis Minois arbitriis*, quae finxit Müllerus, ne de iis loquar, quae nobis Kiesslingius venditat! Nam si Kiesslingiano more poetas interpretari licebit, posthac ne Antigonae quidem Sophocleae initium corruptum putare fas erit.

Sed iam satis de vocis *splendidus*, quaeque ei sunt cognatae, usu. Nunc hoc observatum velim, fere numquam Horatium aut hominem sibi notum, aut Deum, aut locum vicinum

Digitized by Google

alloqui quin nomini addat adiectivum vel substantivum adiectivi vice fungens. Ut lectori persuadeam hic maiorem certe partem locorum describo, ubi illud usu veniat:

C. I, 1, 1 Maecenas atavis edite regibus.
I, 2, 36 auctor — heu nimis longo satiate ludo.
I, 4, 14 o beate Sesti.
I, 10, 1 Mercuri facunde.
I, 12, 24 nec te metuende certa — Phoebe pharetra.
I, 12, 50 orte Saturno.
I, 18, 11 candide Bassareu.
I, 20, 6 Care Maecenas eques.
I, 32, 5 barbite — Lesbio primum modulate civi.
II, 2, 3 inimice lamnae — Crispe Sallusti.
II, 3, 4 morituro Delli.
II, 6, 1 Septimi Gades aditure.
II, 7, 5 deducte — Pompei.
II, 9, 5 amice Valgi.
II, 19, 7 Liber — metuende thyrso.
II, 20, 8 dilecte Maecenas.
III, 8, 5 docte sermones utriusque linguae.
III, 13, 2 fons Bandusiae — dulci digne mero.
IV, 5, 1 divis orte — custos.
IV, 5, 5 dux bone (iterum vs. 37).
IV, 14, 6 Auguste — maxime.
Ep. 4, 3 Ibericis — peruste.
9, 4 beate Maecenas.
12, 12 invicte — nate puer Thetide.
14, 5 candide Maecenas.
Epist. I, 1, 1 prima dicte — summa dicende Camena — Maecenas.
I, 4, 1 Albi — candide iudex.
I, 16, 1 optime Quincti.
I, 18, 1 liberrime Lolli.
I, 19, 1 Maecenas docte.
II, 2, 1 Flore — amice Neroni.

Haud inutilem esse puto hanc enumerationem ad causam meam defendendam. Haec enim primum nos docet quam hic sint in deliciis Horatio adiectivorum vocativi in *e* exeuntes, vel potius quam sint eae formae cuivis metro habiles. Deinde cognoscimus

Digitized by Google

in vocabulis disponendis summa hic uti libertate Horatium, nam modo nomen modo adiectivum praeponit, modo artissime utrumque inter se iungit modo paucis pluribusve vocabulis dirimit; quin etiam, quamquam raro id fit, nomen omittit. Ergo, ut tandem sit disputandi finis, utque lector penitus sentiat quam vere sit Horatianus color loco a nobis emendato, quaeso nostrum

cum semel occideris et de te, *splendide*, Minos
fecerit arbitria,
non, *Torquate*, genus, non te facundia, non te
restituet pietas

cum his potissimum conferat locis:

C. II, 7, 1 sqq:

O saepe mecum tempus in ultimum
Deducte Bruto militiae duce,
Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis Italoque caelo
Pompei, meorum prime sodalium.

et Epist. I, 1, 1 sqq.:

Prima *dicte* mihi, prima *dicende* Camena,
Spectatum satis et donatum iam rude quaeris
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo.

Utrobique enim sat longum est ab adiectivo ad nomen spatium.

AD PLUTARCHUM.

Plutarchus in vita Thesei c. XII (Sint.) haec narrat:

Aegeus, Medeae aurem praebens, hospitem, qui modo advenerat, quemque Theseum esse non suspicabatur, de medio tollere decrevit; prandium ergo ei parari iussit, ad quod Theseus cum accessisset, ne ipse quis esset declararet (a patre enim se agnosci malebat) κρεῶν παρακειμένων σπασάμενος τὴν μάχαιραν, ὡς ταῦτα τέμνων, ἐδείκνυεν αὐτῷ. Ineptissime in hac lectione ταῦτα abundat, vitiosum est participium *praesentis* temporis, denique nihil dicitur quod in rem praesentem faciat. Scripsit Plut. ὡς ταύτῃ τεμῶν. Cultro agnoscendus est Theseus, illum ergo destringit, sed destringendi praetextu opus est: fingit ergo se illo carnes appositas *esse secaturum*. J. J. H.

Digitized by Google

STUDIA LUCRETIANA.

SCRIPSIT

J. WOLTJER.

(*Continuantur ex Vol. XXVII pag.* 72).

Denique cum corpus nequeat perferre animai
discidium, quin in taetro tabescat odore,
quid dubitas quin ex imo penitusque coorta
emanarit uti fumus diffusa animae vis,
atque ideo tanta mutatum putre ruina
conciderit corpus, penitus quia mota loco sunt
fundamenta, foras manante anima usque per artus
perque viarum omnis flexus, in corpore qui sunt,
atque foramina? multimodis ut noscere possis
dispertitam animae naturam exisse per artus,
et prius esse sibi distractam corpore in ipso,
quam prolapsa foras enaret in aëris auras.
quin etiam finis dum vitae vertitur intra,
saepe aliqua tamen e causa labefacta videtur
ire anima ac toto solui de corpore velle
et quasi supremo languescere tempore voltus,
molliaque exsangui trunco cadere omnia membra.
quod genus est, animo male factum cum perhibetur
aut animam liquisse; ubi iam trepidatur et omnes
extremum cupiunt vitae repraehendere vinclum:
conquassatur enim tum mens animaeque potestas
omnis, et haec ipso cum corpore conlabe fiunt;
ut gravior paulo possit dissoluere causa.
quid dubitas tandem quin extra prodita corpus

Digitized by Google

inbecilla foras, in aperto, tegmine dempto,
non modo non omnem possit durare per aevom,
sed minimum quodvis nequeat consistere tempus?
nec sibi enim quisquam moriens sentire videtur
ire foras animam incolumem de corpore toto,
nec prius ad iugulum et supera succedere fauces,
verum deficere in certa regione locatam;
ut sensus alios in parti quemque sua scit
dissolui. quod si inmortalis nostra foret mens,
non tam se moriens dissolvi conquereretur,
sed magis ire foras vestemque relinquere, ut anguis.

Contextus coegit me totum locum exscribere.

Christ, Quaest. Lucret. p. 19, arbitratur vss. 592—606 collocandos esse post vs. 579; Munro eosdem posuit post vs. 575, Brieger seclusit, Heinze eos servat suo loco, existimans *enim* vs. 607 non pertinere ad ea quae proxime antecedunt, sed ad totam thesin generalem; Giussani post vs. 591 collocavit vss. 607—614, tum vss. 798, 799.

Qui viri docti hac in re mihi videntur errare omnes, quod putant vss. 603—606 referendos esse ad versus qui antecedunt, esse conclusionem argumenti. Rem autem ita se habere nego. Poterat ita esse, si antecederet sententia condicionalis. Ex. gr. II 47 legitur: *„quod si ridicula haec ludibriaque esse videmus* cett., tum sequitur apodosis vs. 53: *quid dubitas quin* cett. Simili modo III 580 antecedit sententia causalis: *Denique cum corpus nequeat perferre animai discidium* cett., sequitur autem vs. 582: *quid dubitas quin* cett. Hoc vero loco, de quo nunc agimus, eiusmodi sententia condicionalis vel causalis abest, quam ob rem existimo recte Bockemuellerum vs. 603—606 coniunxisse cum iis qui sequuntur vs. 607: *nec sibi enim quisquam* cett.

Poeta inde a vs. 603 sic ratiocinatur: Nullo modo dubitandum est quin anima extra corpus prodita ne minimum quidem punctum temporis possit durare. Hoc enim si possit, debebat certe integra et salva corpus relinquere. Sed ne hoc quidem ita fit, nam nemo moriens videtur sentire animam suam e corpore exire integram, sed sensus in sua quisque parte evanescunt. Si autem corpus integra non relinquit anima, quo modo possit integra consistere extra corpus, in aëre, nulla re tecta? Cf.

Digitized by Google

vs. 526 sqq., ubi idem argumentum in alio contextu est allatum de alio homine, cum hic unusquisque de suo sensu iudicet. Verba quae sunt *nec sibi enim quisquam* vs. 607 cum antecedentibus eodem modo sunt coniungenda atque vs. 919 huiusce libri cum iis quae ibi antecedunt; subaudiendum est *ita non est*; nec sibi enim quisquam cett., quae verba e forma sententiae antecedentis facile sumuntur.

Ut supra iam monui Heinzius aliter censet de significatione verborum quae sunt *nec — enim* vs. 607. Sunt haec ipsius verba (p. 137): „Begründet wird durch *neque — enim* nicht gerade das unmittelbar Vorhergehende, sondern die ganze bereits mannigfach erhärtete These, die vs. 589 ff. nochmals formuliert war". Nullo modo quicquam detracturus sum de meritis commentarii huius viri doctissimi, quae et magna sunt et multa, attamen arbitror eum in errorem excusabilem incidisse. Hanc quaestionem autem de usu particulae *etenim (neque enim)* cum latius pateat, paullo copiosius tractaturus sum.

ETENIM SIGNIFICATNE PRAETEREA, PORRO, ET PROFECTO, GERM. UND FÜRWAHR, UND IN DER THAT, UND ALLERDINGS?

Madvig, quod sciam, primus docuit *etenim* significare idem fere atque *praeterea*, *porro*. Scripsit enim (Opusc. alt. pag. 30): „Hanc vim habet *etenim*, in quo *enim* refertur non ad proximum superius argumentum, sed ad totum id quod propositum est ad demonstrandum, ut saepe nihil paene sit aliud nisi *porro*, *praeterea*, tantum quod argumentationis significatio subest". In serie igitur argumentorum particulam *etenim* significare dicit *praeterea*.

Conferri iubet Cic. pro Balbo § 24 et 32; Verr. III 178, de Finn. I 3, Tusc. III 20, de Nat. D. II 77.

In enarratione § 3 libri de Finn. hoc ait: „particula *etenim* utimur non tam cum proxima confirmamus, quam cum in universa argumentatione progredimur, ut saepe fere idem sit ac *porro*, *praeterea*". Praeter locos supra laudatos, conferri iubet de Div. II 89 et 142.

Digitized by Google

Raphaël Kühner ad Disp. T. III 20 adnotavit: „*Et* copulat hanc enuntiationem cum antecedenti, *enim* autem asseverandi vim habet (*und fürwahr*), unde fit ut *etenim* saepe non tam, ubi proxima confirmanda sunt, usurpetur, quam ubi oratio in universa argumentatione progreditur, ut saepe fere idem sit ac *porro, praeterea, und fürwahr, und in der That*". Haec verba non differunt a verbis Madvigii, tantum quod Kühner vim affirmandi ponit in *enim* et inde in *etenim*. Locos addidit: de Nat. D. II 42; Tusc. D. IV 40, V 45, 54, 67, 117.

Schoemannus quoque ad II 42 de Nat. D. *enim* particulae in *etenim* vim asseverandi tribuit: „Die Rechtfertiging dieses Gebrauches ist aber aus der *eigentlichen* Bedeutung des *enim* zu entnehmen, welches ursprünglich gar nicht begründend, sondern nur asseverirend ist". Locis laudatis adnumerat II 86, III 30, 34.

Mayor in comment. ad Cic. de Nat. D. addit II 16. — *C. F. W. Müller* in comment. ad Cic. de Officiis adiecit I 153, 160, III 24.

Denique *Heinze* eundem usum sibi visus est reperire in Lucretio III vs. 440 (*quippe etenim*), 800, 607 (*nec — enim*).

Ab hisce viris doctis cum prorsus dissentiam, operae pretium erit rem accuratius exponere. Difficile est statuere quae prima fuerit significatio particulae quae est *enim*. In dialectis Italicis exstat particula quae videtur eadem, apud Oscos *inim*, *ini*, in tabula Bantina vulgo *in*, quaeque significat *et*; apud Umbros est *enem*, *enom*, idem quod Latine *tum*, *deinde*, *deinceps* [1]).

In antiquissima illa inscriptione Latina vasis ad collem Quirinalem anno MDLXXX reperti, quod vas Dueni vocant, *einom* scriptum legitur, quod viri docti plerique putant idem esse atque *enim* et significare *et* (Conway), *igitur* (Lindsay [2]). Significatio huius vocis tamen cum dubia sit (Comparetti *einom* putat esse *oinom*, *unum*), nihil inde derivandum est.

Si vero *inim*, *enem*, *enom* idem est quod *enim*, non facile perspicitur quo modo ab significatione *et*, *tum* ad antiquissimum

1) Cf. Conway. The Italic Dialects, pars II, Glossary; M. Bréal. Les Tables Eugubines p. 44.

2) Latin Language p. 603 f.

Digitized by Google

qui in litteris Latinis, apud Plautum et Terentium, exstat significatum *vero*, *profecto* perveniri possit; ab hoc autem ad significationem explicativam et causalem, quae florentibus litteris Latinis erat unica, via haud est obscura, cum eadem sit ex. gr. in Germanorum lingua, ubi *ja* non tantum affirmat, sed etiam causam et rationem indicat; cf. Angl. *indeed*.

Neque a significatione quae est *et*, *tum*, *deinde* ad eam, quae rationem causamque continet, via est obscura, nam apud Graecos *ἐπεί*, apud Latinos *quando*, *cum*, apud Germanos *dann*, *denn*, apud nostrates *want* (*hwan* = *wanneer*), *dewijl*, facilis est transitio a tempore ad causam; humanum est concludere: *post hoc* ergo *propter hoc*.

Haud raro fit ut duae diversae significationes unius vocis simul sint in usu, quod superiores istae particulae docent. Possit igitur *enim* in uno scriptore modo esse particula asseverans, modo causalis, ita vero ut significatio sive e positu in enuntiato, sive e nexu facile appareat, ut fit ubi *cum* aut *quando* modo est particula temporalis, modo causalis. Re vera tamen res ita se non habet.

In antiquissimis scriptoribus, Plautum dico et Terentium, *enim* nunquam est particula mere causalis, est asseverans, affirmans [1]).

Naevius semel usus est in fragmentis, quae exstant, sensu affirmanti *at enim* fr. 59. Asseverans etiam est apud Caecilium Statium frr. 119. 230, 246. Ribbeckii coniectura ad fr. 273 non est probabilis.

Ennius raro utitur hac particula. Ann. 287 (ed. L. Mueller; Cic. Cato m. § 10, de Off. 1, 84) in omnibus codicibus legitur *non enim*, quod Lachm., quem fere omnes secuti sunt, metri causa mutavit in *noenu(m)*; Baehrens vero (Fragm. poet. Rom. pag. 86 fr. 191) servavit *non enim*, quod legi iubet *non eni*. Si *enim* recte se haberet hoc loco, sine dubio esset particula causalis. Supra vero (Vol. XXVII p. 58) iam dixi Lachm. verum restituisse: *noenum*.

In fragm. fabularum, vs. 114 L. Mueller legit cum scholiasta

1) Quod dico auctore Spengelio ad Terentii Andriae² vs. 91. Conf. praeterea Lat. Syntax von J. H. Schmalz ed. 3 p. 349.

Digitized by Google

Gronov. *quis enim (non) est*, sed Ribbeckius, codices Cic. (p. Rosc. Am. § 90) huiusque editores *quis ibi non est*. Vs. 59 L. Mueller cum optimis libris *em neque*, Ribbeckius (vs. 188) cum deterioribus *enim neque*. Vs. 352 L. M. 123 R. codd. quidam habent *enim*, quod vero editores Ennii et Ciceronis omittunt [1]).

Iam restat unus locus Ennianus, ubi *enim* non potest addubitari, fab. fr. 148 (ed. Muell.) *immo enim vero* cett. Hic *enim* est asseverans.

Ennius igitur facit cum Plauto et Terentio.

De Pacuvii unico loco, ubi *enim* legitur (Ribb. fr. vs. 377), dubito annon altera pars versus, quae in schedis Pomp. Laeti tantum exstat, sit Pacuvii. Fortasse *scite num quid prompserit* legendum est, nam eum *enim* causale usurpasse, non credo.

Lucilius vero, quantum e fragmentis cognosci potest, totus pertinet ad novam aetatem; urbanitatem eius summam Cicero laudat; primus condidit stili nasum, ut Plini dictum sumam. Lucilius autem particulam *enim* semper usurpat *causalem*.

Fr. 99 Baehr., vs. 1151 Lachm.; 745 B. vs. 937 L. (cuius coniectura *etenim* omnibus numeris falsa est); 199 B. vs. 209 L. (valde dubium est an non *enim* sit legendum). — In trochaico metro fr. 468 B. vs. 548 L. 498 B. 533 L. 543 B. vs. 652 L. (qui pro *ego enim* legit *ego animam*); 610 B. vs. 739 L.

In lexicis Forcellini, Klotzii, Georgesii multi afferuntur loci e scriptoribus qui classici dicuntur, ubi *enim* significationem asseverantem habeat; idem Handius et multi viri docti in commentariis suis aiunt. Ipse accurate iterum iterumque tota re perpensa *nego* apud illos scriptores *ullum esse locum, ubi enim significationem mere affirmativam habeat*, ne apud Vergilium quidem. In hisce scriptoribus *enim* ubique *causam, rationem* significat. Non nego posse aliam significationem subesse; nam hac natura sunt coniunctiones in omnibus linguis ut ex aliis verbis, vel verborum radicibus, nominibus, adverbiis, praepositionibus derivatae magis nexu sententiarum cogitato quam ipsius voculae vi rationem inter duo aut plura enuntiata obviam significent.

---

1) *Enim* non in hisce fragm. tantum est incertum, sed ex. gr. in Cic. de Finn. lib. I et II hos repperi locos ubi unus alterve codex *enim* omisit aut etiam posuit cum esset omittendum: I 43, 58, II 9, 19, 24, 25, 27, 28, 44, 46, 53, 82, 90, 93.

Digitized by Google

Nego vero *enim* illis locis de quibus nunc dico non habere vulgarem istius aetatis significationem, sed aliam obsoletam.

Quod ad Caesarem, semel tantum *enim* ab interpretibus explicabatur tamquam asseverans: B. G. V 7, 8: „*Ille enim revocatus resistere ac se manu defendere ... coepit.* Madvigius autem Advers. II p. 253 de hoc loco scripsit: „Necessario in asseveratione scribendum est: ille *enimvero* revocatus. Nam eadem vi *enim* poni nemo nunc credat".

In hisce verbis vero incertum est utrum Madvig censeat ea vi *enim* non poni a Caesare, an alii quoque scriptores abstinuisse.

Clarius autem dicit in Emend. Liv. p. 244 prioris, p. 298 alterius editionis: „quo significatu h. l. accipitur *enim* (in vehementi indignabundi confirmatione) nusquam positum puto, a Livii aequalibus certo scio non ita poni". Hisce verbis igitur damnantur interpretationes lexicogrophorum ad Livii III 39, 9; VIII 32, 13; XXII 25, 3; XXXIV 7, 14. De Cicerone et de poetis Madvig non dixit diserte.

Raphaël Kühner ad Cic. Disp. T. I § 76, locum valde vexatum et ab ipso Lambino, Bentleio, aliis, parum perspectum, adnotavit partic. *enim* h. l. vim affirmandi habere. Idem alii aiunt, contra quos recte C. F. W. Mueller in adnotatione critica pag. XXXIII ed. Teubn.: „Quod quoniam longum est ratione refellere, tantum dicam, mea sententia nec probari nec reici per *enim* sententiam alterius, sed suae *causam* reddi, quae utrum aiat an neget, facile intelligitur ex eo ipso, quod respondetur". Paullo post § 78 legitur: „in his est enim aliqua obscuritas". Klotz in lexico suo vertit *wirklich*. Georges quoque ait *enim* hoc loco asseverare. Re vera, ut sescenties, per ellipsin sententia explicatur: „Movemur enim saepe aliquo acute concluso, labamus mutamusque sententiam clarioribus etiam in rebus; (multo facilius igitur in his rebus) in his est enim aliqua obscuritas".

Cic. de Off. I § 29: „est enim difficilis cura rerum alienarum". C. F. W. Müller adscripsit: „Man hat *enim* in *autem*, *tamen*, *quidem* ändern ... endlich *enim* mit *profecto* erklären wollen. Die *kausale* Verbindung ist oft eine ziemlich lose. Hier bezieht sich *enim* auf *nisi amabimus* mit dem Zwischengedanken: „Was freilich oft genug vorkommt",

Digitized by Google

Idem ad libri I de Off. § 139: „ornanda est enim dignitas domo", cum Forcellini et Klotz aiant *enim* esse affirmativum, adnotavit: „Mit *enim* wird die Gerechtigkeit der *ignominia* und *calamitas* begründet".

Klotz et Georges aiunt in Cic. orationis pro Deiotaro § 33: „multorum enim capita civium viderat" *enim* esse particulam affirmativam et vertendam Germanice: *gewiss, ohne Zweifel.* Est tamen causalis particula. Recte Halmius verba Matthiae ad hunc locum laudavit dicentis: „Ironia in eo posita est, quod *causa* affertur rei, quam falsam vel absurdam esse omnes sciunt". Germ. est vertendum *ja*, Belgice *immers.*

Simili modo est intellegendum quod legitur de Nat. deor. III § 40: „Omitto illa, sunt enim praeclara", ubi Mayor in comment. vertit *verily*, quod falsum est.

Supervacaneum arbitror plures locos Ciceronianos afferre. Neque operae pretium est inquirere in versus Horatianos qui in lexicis afferuntur, Sat. II 3, 124; 5, 79; Epist. I 19, 44. Recentiores interpretes omnes, quod sciam, *enim* istis locis causam sive rationem significare recte censent.

Difficilius vero est usum Vergilianum explicare. Hodie quoque sunt viri docti qui apud eum *enim* usurpatum esse pro *profecto*, *vero*, *quidem* putent, ex. gr. Aen. 8, 84:

> quam pius Aeneas tibi enim, tibi, maxima Iuno,
> mactat sacra ferens".

Servius extra terminos suae doctrinae grammaticae progressus inops profitetur: „vacat *enim* et tantum ad ornatum pertinet". Absurdum hoc quidem est, sed non magis probabilis est eorum sententia, qui aiunt *enim* efficere ut gravior accentus cadat in *tibi*, aut eorum qui *enim* hoc loco *vero*, *utique* aut *quidem* significare credunt. Quod ad formam similis est versus Ovidii Metamm. XV 581:

> „rex" ait, „o salve! *Tibi enim*, *tibi*, Cipe, tuisque
> hic locus et Latiae parebunt cornibus arces,

sed vis causalis particulae hic non est obscura. Eo loco vero, de quo nunc agitur, haec vis potius e longinquo, ut ita dicam, sentitur, quam praesens cognoscatur. Nihilo minus vis causalis subest.

Aeneas suem mactat Iunoni. Bis de hac sue in antecedentibus sermo erat III 390 et VIII 43, bis quoque de Iunone ante

Digitized by Google

omnes invocanda III 437, VIII 60. Neutro loco tamen dictum erat suem Iunoni esse mactandam. Hoc tantum monuit Helenus III 437:

„Iunonis magnae primum prece numen adora,
Iunoni cane vota libens dominamque potentem
supplicibus supera donis".

Iisdem fere verbis monuit Thybris VIII, 60.

Parum recte igitur interpretes aiunt suem Iunoni deberi ex praecepto Heleni. Neque poetam hoc in mente habuisse ex ipsius verbis apparet VIII 82:

„Candida per silvam cum fetu concolor albo
procubuit viridique in litore conspicitur sus.
Quam pius Aeneas (tibi enim, tibi, maxima Iuno)
mactat sacra ferens"

id est: hanc autem Aeneas mactat; sponte, lubens hoc facit. Non erat iussus Aeneas suem mactare Iunoni, sed cum Iuno donis esset placanda, suem ei mactabat, quippe cui sues mactari solerent (Ovid. Am. III 13, 16, Macrob. I 15, 19). Verba quae sunt *tibi enim, tibi, maxima Iuno* per parenthesin addita esse puto et subaudienda *erat mactandum.* Attendas velim quam paucis verbis poeta factum esse narret (vs. 84, 85) quod tam multis erat praedictum; inde brevitas et obscuritas excusantur.

Facilius perspicitur vis causalis particulae quae est *enim* eo loco [1]) qui legitur Georg. II 509:

... hunc plausus hiantem
per cuneos (geminatus enim plebisque patrumque)
corripuit.

Recte Luc. Mueller in Nonio ab ipso edito (p. 318 M. l. 33. 34) verba *geminatus enim* uncis inclusit, ut significaret ea per parenthesin esse legenda. Quaeritur tantum an verba *plebisque patrumque* cum *geminatus enim* sint artius coniungenda, quod equidem censeo.

Aen. VI 317: Aeneas (miratus enim motusque tumultu)
„dic" ait, „o virgo, quid volt concursus ad amnem?

Servius interpretatur: „ordo est: Aeneas ait, dic, o virgo:

1) Vol. XXVII p. 54, ubi de metro agebam, non agebam de significatione, vulgari interpretatione ductus, falso dixi significationem esse asseverantem.

Digitized by Google

cetera per parenthesin dicta sunt." Recte, nisi fallor. Certe facile agnoscitur *enim* habere vim causalem.

Cum hoc loco comparandum est quod legitur Aen. X 874:

Atque hic Aeneam magna ter voce vocavit.
Aeneas (adgnovit enim) laetusque precatur:

Verba quae sunt *adgnovit enim* per parenthesin dicta esse facile concederetur, nisi proxima coniunctione *que* essent coniuncta. Similis constructio invenitur V 704—708, sed ibi *que* facilius excusatur post longiorem parenthesin et subiectum repetitum:

Tum senior *Nautes*, unum Tritonia Pallas
quem docuit multaque insignem reddidit arte
(hac responsa dabat vel quae portenderet ira
magna deum vel quae fatorum posceret ordo)
is*que* his Aenean solatus vocibus infit:

Ribbeckius in editione critica minore confert VI 317, locum supra a me laudatum, sed ibi *que* copulat duo participia neque offendit constructio. Miror autem Servium locum, de quo nunc dico, non interpretatum esse, quamquam alios locos, ubi *enim* difficultatem habet, non praetermisit. Aliudne legit fortasse? Deteriores quidem libri cum Palatino dicuntur habere *eum* pro *enim*, quod totam difficultatem tollit, nec alteram affert, nam casus obliquus huius pronominis nonnunquam alibi quoque legitur, ut notum est, Aen. I 423, IV 479.

Si vero, auctoritate optimorum codicum freti, *enim* servandum putamus, hoc sane constat non aliter hanc voculam hoc loco esse intellegendam atque in his locis Ovidianis: Met. XI 622:

cubitoque levatus,
quid veniat (cognovit enim), scitatur.

et V 280:

„Mnemonides" (cognorat enim), „consistite" dixit,

ubi, quod ad metrum, eandem sedem parenthesis occupat atque in versu Vergiliano, de quo agimus.

Qui hoc loco et similibus putant *enim* vim habere affirmandi, non possunt negare particulam *nam* quoque habere eandem vim, id quod Handius demonstrare conatus est, vol. IV pag. 9 seqq. Kühner Ausf. Gr. II p. 721. Quod quam falsum sit non opus est nunc ostendi.

Digitized by Google

Iam, si quid video, demonstravi particulam *enim* florentibus litteris Latinis perpetuo habuisse significationem causalem, nunquam affirmantem et asseverantem. Quod cum constet, iam videamus vox *etenim* quid significet. Apud Plautum non legitur, Terentius primus eam usurpavit, sed raro et ubique, nisi fallor, significatione causali: Andria 442, Eun. 1074, Heauton tim. 548.

In primo opere soluta oratione scripto quod quidem exstet, in Catonis dico libro de re rustica, neque *enim*, neque *etenim* inveni, quamquam particula *nam* in eodem duodecies legitur.

Neque apud Lucilium *etenim* reperitur. Nam loco illi libri tricesimi (vs. 937 Lachm. fr. 745 Baehr.) non debebat Muretus, quem Lachm. et L. Muellerus (in editione Nonii 512, 28) sequuntur, coniectura *etenim* inferre. Recte Madv. et Baehr. *scit bene enim* legunt.

Hoc igitur, si quid video, constat particulam *etenim* tunc demum ortam vel certe usu receptam esse, cum asseverandi vis particulae, quae est *enim*, obsolescere coepit aut iam obsolevit. Quam ob causam probari non posse existimo id quod Kühner et Schoemann ad usum particulae *etenim*, de quo supra dixi, explicandum attulerunt. Putant autem *enim* in hac particula composita habere vim affirmandi.

E contrario mihi quidem videtur statuendum esse in particula composita *etenim* non posse *enim* significationem habere quam per se non habeat: *enim* non habet significationem asseverantem post Terentii aetatem, itaque neque *etenim*, quod tunc demum oritur, potest significare *et vero*, *et profecto*. Quod si ita est, miror omnes illos viros doctos qui de *etenim* scripserunt, non inquisivisse in particulam *enim* essetne eodem modo usurpata, ita scilicet ut non referenda esset ad proximum superius argumentum.

Nam Schoemannus ille quidem l.l. scripsit: „So braucht Cic. *etenim* und *enim* häufig. Vgl. Madvig zu de Finn. I 1. 3", sed neque ipse ullum attulit exemplum, quo hanc opinionem stabiliret, neque Madvigius quidquam de *enim* addidit. Quam ob causam ego paucos afferam locos, quibus appareat *enim*, quod ad hanc rem, vix differre ab *etenim*. Considerandum vero est *enim* minorem vim habere quam *etenim* ideoque hanc vim non tam longe patere. Cicero de nat. d. II § 31 et 32: „Absurdum

Digitized by Google

est igitur dicere, cum homines bestiaeque hoc calore teneantur, et propterea moveantur ac sentiant, mundum esse sine sensu, qui integro et puro et libero eodemque acerrimo et mobilissimo ardore teneatur; praesertim cum is ardor, qui est mundi, non agitatus ab alio neque externo pulsu, sed per se ipse ac sua sponte moveatur. Nam quid potest esse mundo valentius, quod pellat atque moveat calorem eum, quo ille teneatur? Audiamus enim Platonem, quasi quendam deum philosophorum: cui duos placet esse motus, unum suum, alterum externum: esse autem divinius, quod ipsum ex se sua sponte moveatur, quam quod pulsu agitatur alieno".

Recte animadverterunt interpretes sententiam quae est *Audiamus enim Platonem* ... non esse referendam ad proximam superiorem *Nam quid potest* ..., sed ad illam quae antecedit *praesertim cum is* .... Verba quae sunt *Nam quid* ... *teneatur* quodammodo in parenthesi sunt addita. Cf. praeterea de Off. I 74, III 105.

Non video ullum esse discrimen inter modum, quo *etenim* est usurpatum in loco a Madvigio allato, de Div. II 89 et rationem qua particula *enim* est adhibita de Off. III 100.

Praeterea quod de *etenim* aiunt, aequo iure affirmari potest de particula *nam*. Ex. gr. affero Disp. Tusc. III § 19 et 20. In § 20 *etenim* novam inducit argumentationem, quam ob rem Kühner ait significare *et profecto*. Sed § 19 *nam* post conclusionem simili modo est usurpatum; pro hac particula quoque possit *et profecto* vel *praeterea* substitui.

Quod igitur aiunt proprium esse particulae *etenim*, non est proprium eius, sed commune ei est cum *enim* et *nam*. Ut autem antea ostendi *etenim* pro *enim* metri causa a poetis didacticis scribi, sic in prosa oratione nullum aliud puto discrimen esse inter has particulas, nisi quod loco quem in sententia occupant, efficitur. Quod ut luculento exemplo illustrem exscribam Cic. de Fato § 12 et 14. Priore loco, legitur: „Vigila, Chrysippe, ne tuam causam, in qua tibi cum Diodoro, valente dialectico, magna luctatio est, deseras. *Si enim est verum, quod ita conectitur:* „Si quis oriente Canicula natus est, in mari non morietur", illud quoque verum est: „Si Fabius oriente Canicula natus est, Fabius in mari non morietur".

Digitized by Google

Altero vero loco eadem fere leguntur hoc modo: „quae est tota Diodori vobis inimica sententia". *Etenim si illud vere conectitur* „Si oriente Canicula natus es, in mari non moriere", primumque quod est in conexo „Natus es oriente Canicula" necessarium est ... fit etiam quod consequitur necessarium".

In hisce locis igitur *enim* et *si* sedes mutaverunt; ubi *enim* priorem occupat *etenim* est usurpatum; aliud discrimen, quod videam, non exstat.

Quod si ita est non licet particulae *etenim* aliam significationem tribuere, nisi quae sequitur ex coniuncta utriusque particulae vi. Potest vero fieri ut *et* in initio sententiae positum et cum enclitica particula *enim* coniunctum, cum emphasi quadam pronuntietur et licet significationem particulae *etiam* non habeat [1]), tamen ad eam accedat et a nobis possit vocula *ook*, Germ. *auch*, reddi. *Etenim* tunc redditur Belgice (*en*) *immers ook*, Germanice (*und*) *ja .. auch*. Ex contextu vero apparet sitne id quod sequitur ad proximum superius referendum, an ad id quod iam maiore spatio est remotum.

Quod ad Ciceronis locum de Finn. libri I § 3 attinet, qui Madvigium adduxit ut illam significationem, quae est *praeterea, porro* tribueret, iam restat ut ostendam eum locum illum non satis accurate interpretatum esse. Cicero agit de iis qui Graecam philosophiam Latinis litteris mandare non reprehendunt, si remissius agatur, sed tantum studium tamque multam operam ponendam in eo non arbitrantur. Inde a verbis „Qui autem" cett. in medio § 2 usque ad finem § 3 redarguit eos, cum „rebus infinitis" qualis sunt philosophiae res, „modum constituant in reque eo meliore quo maior sit, mediocritatem desiderent". Deinde sic pergit:

„Sive enim ad sapientiam perveniri potest, non paranda nobis solum ea, sed fruenda etiam est; sive hoc difficile est, tamen nec modus est ullus investigandi veri, nisi inveneris, et quaerendi defetigatio turpis est, cum id, quod quaeritur, sit pulcherrimum. *Etenim* si delectamur, cum scribimus, quis est tam invidus, qui ab eo nos abducat? sin laboramus, quis est, qui alienae modum statuat industriae?"

---

1) Cf. contra Madvigium aliosque C. F. W. Mülleri adn. ad Cic. de Off. I § 133 et 142.

Digitized by Google

Verum est rationem quae incipit ab *etenim* non explicare eam quae antecedit; sed non est verum illam ad hanc non pertinere. Hae duae rationes quodammodo unam efficiunt; sed altera pertinet ad cogitationem, altera ad scriptionem, quae Ciceroni duae sunt partes eiusdem rei. Est „ars quaedam philosophiae et rerum ordo et descriptio disciplinae", Acad. post. I § 17. Cf. Disp. T. II 6; de N. D. I 8; de Off. II 2.

Quis non videt ipsam structuram sententiarum indicare duas rationes efficere unum argumentum? In priore: Sive *perveniri potest* ... sive hoc *difficile* est ... in altera: Si *delectamur* ... sin *laboramus* ... Totum argumentum bipartitum igitur huc redit: Sapientia, summa res et pulcherrima, digna est quae investigetur nec licet industriae eius qui eam describere cupit modum velle imponere. Sic refellit eos qui reprehendebant non tantum quod nimiam operam daret philosophiae, verum etiam quod tot libros de ea scriberet.

Apparet igitur hoc loco in particula *etenim* nullam vim inesse quae non sit in *et* et *enim* coniunctis.

De reliquis locis huius generis scribere longum est; omnes, nisi fallor, eodem modo explicantur; *etenim* Belgice redditur (*en*) *immers ook*, Germanice (*und*) *ja auch*. De uno pauca addam, cum vim huius particulae planius mihi ostendere videatur. Libri II § 16 de Nat. D. Cicero Chrysippi argumentationem refert, quae primo obtutu parum est dilucida. Dicit haec:

„Si enim" inquit (scil. Chrys.), est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit, est certe id, quod illud efficit, homine melius: atqui res caelestes omnesque eae, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt: est igitur id, a quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixeris quam deum? *Etenim* si di non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? in eo enim solo est ratio, qua nihil potest esse praestantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse quam se putet, desipientis adrogantiae est: ergo est aliquid melius: est igitur profecto deus".

Hactenus Cicero. Quaeritur autem utrum verba inde ab *Etenim*

Digitized by Google

si di non sunt explicent ea quae antecedunt an novum efficiant argumentum.

E § 26 libri III, ubi, de hac eadem argumentatione sermo cum sit, Cicero dicit: „Idemque (Chrys.), si dei non sint, negat esse in omni natura quicquam homine melius" cett. sequi videtur novum esse argumentum. Re vera per se esse potest: „praeter deos nihil esse potest in rerum natura homine melius; homo tamen optimum esse non potest; ergo est aliquid melius; est igitur profecto deus". Est vero hoc argumentum etiam complementum superioris argumenti cuius conclusio erat: „esse aliquid homine melius". Ab hac conclusione vero non continuo pervenitur ad id quod sequitur: „Id autem quid potius dixeris quam deum?". Duo argumenta coniuncta efficiunt unum; hoc vero indicatur coniunctione quae est *etenim* post *si enim* superioris argumenti. Si pro *etenim* substitueretur *praeterea* vel *porro*, non indicaretur posterius argumentum cum superiore ita coniungi, ut unum efficiatur. Cf. de Nat. D. II § 77.

Madvigius hanc vim particulae *etenim* sensisse videtur, nam dicit: „ut saepe nihil paene sit aliud nisi *porro*, *praeterea*, tantum quod argumentationis significatio subest"; Kühner vero, Schoemannus, alii, hoc ipsum quod argumentationis vis manet, neglexisse videntur. Erravit vero Madvigius quoque dicens ad § 3 libri I de Finn. haec: „particula *etenim* utimur non tam cum proxima confirmamus, quam cum in universa argumentatione progredimur, ut saepe fere idem sit ac *porro*, *praeterea*". Hoc si ita esset, cur ex tanta copia locorum, ubi *etenim* est usurpatum, tam parvum numerum exemplorum attulit? Si locos ab omnibus interpretibus allatos ad demonstrandum *etenim* significare *praeterea*, *porro* computo, eorum numerus est in Cic. operibus philosophis *duo de viginti*, quamquam ista particula *nonagies quater* in iis legitur.

Iam redeo ad initium huiusce disputatiunculae. Omnes qui de illa significatione vocis *etenim* scripserunt de pedestri oratione Ciceronis agebant; Heinze nunc poetam cum iis consociavit. Attamen superiore disputatione ostendi longe alias rationes esse poetarum: apud eos metri causa *etenim* pro *enim* usurpari.

Praeterea Heinze de *neque enim* idem ait quod Madvigius

Digitized by Google

de *etenim* affirmavit; hoc tamen non licere, nisi res denuo sit demonstrata, perspicuum esse puto. Inter locos e variis commentariis collatos, quos supra laudavi (p. 107 et 108), nullus est, ubi *neque enim* legatur.

Iam video in egregia illa Syntaxi Latina, quam nuper tertium edidit, Schmalzium affirmare *etenim* vix respondere particulis quae sunt *nam* et *enim*.

Si recte vim verborum teneo, idem fere ait quod Madvigius. Haec dicit: „Was die Bedeutung von *etenim* anlangt, so entspricht es kaum der von *nam* et *enim*; es dient mehr zur Erläuterung und enthält nicht den eigentlichen Grund, sondern eine Beziehung zur Begründung (pag. 350)."

Non video quo modo hoc in *etenim* inesse possit, sed id utique falsum mihi quidem videtur *etenim* semper idem significare, non ipsam rationem sive causam, sed id quod ad causam pertinet.

Ut paucis comprehendam, quae videor mihi hic demonstravisse haec sunt:

1) Florentibus litteris Latinis, post Plautum et Terentium, *enim* nunquam habere vim affirmandi aut asseverandi, semper rationem vel causam significare, etiam in carminibus Vergilianis;

2) *Etenim* proprie esse idem atque *et* et *enim* coniuncta, ita vero ut *enim* maiorem vim habeat;

3) Hanc ob causam interdum idem esse atque *etenim*, ubi scilicet haec particula in ineunte enuntiato sedem habere debebat, et apud poetas metri causa;

4) Interdum *et* in *etenim* habere emphasin quandam ut significet: non hanc tantum exstare causam sive rationem, sed hanc alteram quoque cum illa coniungendam.

Digitized by Google



HOMERICA.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur ex Vol. XXV pag.* 281).

XX.

DE EQUO TROIANO [1]).

„Graecos de belli Troiani exitu nihil per hominum memoriam olim accepisse traditum, luculenter testatur dolus quo urbs tandem capta esse fertur. Fortissimi scilicet heroum in alvo equi ingentis e ligno aedificati se abdiderant, quem Troes in urbem pertraxerunt! — Sic respondetur puerulis vel stultis; serii, nedum veri, nihil isti ioco inesse quivis sentit".

Verba haec sunt Muellenhoffii in opere notissimo de Archaeologia Germanica. Cui postquam adstipulatus est Paulus Cauer in libro bonae frugis pleno, quem scripsit de Quaestionibus Homericis [2]), addit hinc quoque apparere — id quod cum aliis censet ipse — antiquissimos Graecorum poetas multa quidem de Achaeorum Troianorumque proeliis cecinisse, finem vero belli diuturni nullum notum habuisse, certe nullum commemorasse.

Quae quomodo aut aliis aut ipsi Cauero, viro sagacissimo et elegantissimo, placere potuerit sententia miror. Nam cum minime

1) Quae sequuntur ea ipsa sunt quae patrio sermone nuper disputavi in Academia nostra Regia. Vid. Versl. en Meded. der K. Ac. v. Wet. Afd. Letterk., Februar. 1901.

2) Grundfragen der Homerkritik p. 141.

Digitized by Google

sit dubium quin etiam antiquissimi vates carminibus suis ea celebraverint quae ipsorum aetatem longe antecederent, mihi certe vix et ne vix quidem credibile videtur nullum iis in promptu fuisse responsum, si ex iis quaereretur quemnam exitum priscum illud bellum habuisset. An credimus auditoribus, qui ex illorum ore pendebant, sive in Thessalia sive in arcibus Peloponnesi sive in Asiae oris sive ubicunque hi sunt quaerendi, acceptum fuisse carmen quod ad eventum festinare ne posset quidem, cum ingens illa hominumque deorumque contentio nullum eventum, qui quidem carmine referri posset, habuisse putaretur?

Quis credat Graecorum illorum, quorum lucidum ingenium informia inconcinna obscura quaevis aversabatur, priscos abavos istiusmodi speciminibus artis poeticae fuisse contentos? Quis credat adultos illius aevi pueros non ut puerulos nostros puellasque fabulis romanensibus intentas ante omnia scire cupivisse quem exitum habuissent res quae sibi narrarentur, Menelausne sua Helena, Achaei ipsa urbe essentne potiti?

Ego certe illam opinionem vero nimis nimisque dissimilem duco. Quod cum profiteor, minime simul impugno sententiam quam de equo ligneo iecit Muellenhoff. Immo tam invictum est ῥῆμα illud βραχὺ καὶ ξυνεστραμμένον quo fabellam inanem petivit, ut ei, qui ipsam originem equi lignei a Muellenhoffio Cauerove indicatam esse persuadere sibi nequeat, necessario sit quaerendum quod ipse respondeat rogantibus unde igitur ducta sit mirifica ista narratiuncula, quam puerulis stultisque scriptam iure ille dixit.

Quod ne impie vel per calumniam dictum videatur, reputemus oportet quam sit mirifica. Id quod ex ipso Homero minus apparet; nulla enim in Iliade, rara in Odyssea quaeque paucis lituris removeri possint equi lignei sunt vestigia [1]). Commemoratur autem, non describitur; Troiae excidio quomodo inservierit aut omnino non indicatur aut parum luculenter.

Aeneae demum apud Vergilium narratione machina illa clara in luce ponitur. Equum nimirum ingentem postquam Graeci extruxerunt manuque lectissima implerunt, castris incensis alta

1) Od. δ 271—284, θ 492—520, λ 523—532; vid. pag. 131.

Digitized by Google

petunt. Troes tum laeti visere littus desertum; qui equo reperto dum dubitant quid faciant, — omittere nunc licet quae de Laocoonte referuntur, — Sinon unus e Graecis transfugam se mentitus iis persuadet ut equum in urbem pertrahant, sic enim posthac tutam fore a gentibus exteris. Nocte silenti ex alvo equi in arcem recepti postquam prorepsere milites, portam urbis recludunt sodalibus qui clam Troianis redierunt.

Sic Vergilius, priscam Ἰλίου πέρσιν nunc deperditam liberius fideliusve interpretatus. Si quis autem ab Aeneide illa, quacum a pueris consuevimus, non ita recens tamquam si nostrae aetatis carmen esset eam legere et mente perpendere conatur, fieri non potest quin displiceat ei, certe mentem eius feriat fabulae ubertas quaedam inutilis, quam Vergilius, dum traditam materiem rara arte effingit, celare quidem studuit et tantum non celavit obductis Sinonis subtilissimis mendaciis, removere tamen ne ille quidem potuit. Non dolus est, *duo* sunt *doli* qui enarrantur. Nam praeter equum illum ingentem, cui Troes nimis creduli moenia sua ultro recluserunt, habemus proditorem, qui urbis civibus imponit, suis infestum se fingens. Quod aliunde quoque bene notum est argumentum multisque in fabulis celebratum. Fraudulenti enim Sinonis aemulus est Ulixes ὁ πτολίπορθος [1]), qui αὐτόν μιν πληγῇσιν ἀϝεικελίῃσι δαμάσσας corpore laniato laceraque veste hostes adiit utque in Troiam admitteretur effecit [2]). Aemulus est Zopyrus, qui Babylon ut capi posset nasum auresque sibi praecidit ipse [3]). Simillimam autem rationem nonne Sextus Tarquinius iniit, ut Gabiis potirentur Romani? Et quid nisi hoc ipsum sexcenti moliti sunt speculatores, ex quo bella geri urbesque oppugnari sunt coeptae?

Callida fraude circumventi Troiani proditorem urbe recipiunt, qui Graecos extra Troiam opperientes nocte intempesta vocat face ex arce sublata. Quorsum vero fax illa Sinonis, quam Vergilius prudenti pressit silentio, antiquiores vero poetae uno

---

1) *Sinon*, perinde atque *Sinis* ὁ πιτυοκάμπτης, nomen habet a verbo *laedendi*, σίνεσθαι. Ulixis autem — apud posteros certe — erat consobrinus (vid. schol. Lycophr. 344). A Sophocle fabula est celebratus, et ab Aristotele (Poet. 23) inter carminum epicorum varia argumenta commemoratus.

2) Od. δ 244 sqq.

3) Herodot. III 154.

Digitized by Google

ore commemorant? [1]). Quorsum, si ipsa arx a Graecorum agmine tenebatur?

At clara et concinna fiunt omnia, si equum illum ligneum aliquantisper semovere licet. Cives securi postquam somno se dederunt, proditor noctis silentio ex arce Graecis ostendit signum quod inter eos convenerat, dein Scaeam portam olim a vigilibus occupatam, nunc vero per insperatae pacis otia desertam, iis reserat [2]): intrant Graeci, urbe potiuntur. Simplex haec est et perspicua rerum enarratio, nimis simplex fortasse, non tamen simplicior quam sunt ea quae de aliarum urbium expugnatione, exempli gratia de Babylone a Cyro capta [3]), narrata accepimus; neque in fictis tantum poetarum fabulis sed etiam in ipsa vita talia haud ita raro acciderunt.

Hoc igitur dico: ipsos fontes talem nobis praebere rerum decursum, in quo montis instar equus minime requiratur ad urbem expugnandam. Itaque qui Muellenhoffio Caueroque concedit fabulam de equo ligneo absurdam esse, minime cogitur simul concedere ipsum urbis excidium priscis vatibus ignotum, certe ab ipsorum carminibus alienum fuisse.

Unde igitur ducta est narratiuncula tam inutilis quam ridicula et operose conficta? Numquid acquiescimus in verbis Muellenhoffii, perhibentis excogitatam esse ut stultis os obturaretur quae sciri nequirent sciscitantibus?

---

1) In Ἰλίου πέρσει Arctini Σίνων τοὺς πυρσοὺς ἀνίσχει τοῖς Ἀχαιοῖς, πρότερον εἰσεληλυθὼς προσποιητός, quae Procli sunt verba in Chrestomathia. Non Graecum autem hominem sed Antenorem Troianum urbem prodidisse face ostentata equoque recluso, refert Lycophron 340 cum scholiis. Facis autem etiam apud Tryphiodorum et Quintum fit mentio. Vergilius vero cum neque omittere eam posset e fabula notissima, neque Sinon quid ea faceret videret, priscum argumentum ita mutavit ut melius quadraret in rerum ab ipso enarratarum compagem: ex Graecorum nimirum Tenedo redeuntium navibus fax ostenditur Sinoni in arce eos opperienti. Aeschylum denique facis in Troiae excidio sublatae prorsus aliter fecisse mentionem in Agamemnone tragoedia, nota res est.

2) Apud Vergilium *laxat claustra Sinon* non portae sed equi lignei. Quae satis inutilis videtur cura veraeque κακοζηλίας, si quidem arte subtiliore constructa compages non carebat ianua scalisque ceterisque, in quibus exornandis recentiorum heluata est inventio.

3) Herodot. I 191.

Digitized by Google

Non multos esse arbitror quibus Muellenhoff videatur rem acu tetigisse. Quapropter periculum faciam possitne probabilis magis proferri explicatio. Non quo Iliadem Odysseamve post multos destructum eam, meliorem dein restituturus, aut mythorum naturalium aliquam farraginem meos in usus convertere studeam. Nihil tam magnum molior, neque altiora nimisve longinqua petam; sed Homerus nunc quoque adest Homeri interpres, solus autem sufficit ad indicandam originem equi ingentis quo Troia fertur capta.

In cautibus orae Aegaeae spumeus frangitur maris aestus. Novi semper fluctus provolvuntur urgente procella, novi semper undarum montes in duro saxo elisi ruinarum fragore et mare et littora complent. En fera ardentiaque agmina Neptuni, en equi indomiti [1]) taurique furiosi [2]) ex immensis eius regnis in terram irruentes trementem. Regnat ibi ex quo magnus hic saeculorum ordo est natus, maris dominus unicus, ut Iuppiter coeli Orcusque sedum caliginosarum unde non reditur.

At aemulus ei est exortus, qui lacertorum quidem robore parum valet, at mente valet. Qui taurum e nemorum latebris protractum sub iugum misit, ut unco vomere glebam sibi rescinderet famulus docilis; qui equo per latas planities lascivienti frenum iniecit, ut cursu citato se raperet cum ventorum flabris certantem; qui magnae matris gremium messes sibi parere iussit ministrumque sibi fecit ignem coruscum Iovi sub-

---

1) Fluctus irruentes sunt equi cursantes Neptuni τοῦ κυανοχαίτου, τοῦ ποντίου θεοῦ, ὃς κυανέαις ἵπποις διφρεύει ἅλιον πέλαγος. Claris autem luminibus inventionis poeticae insignis est Iliadis locus, ubi maris rex pingitur cursu per caerula vectus (N 23 sqq.; cf. Apoll. Rh. I 1158). De Ἱππίου cognomine τοῦ ποντομέδοντος ἄνακτος nota sunt omnia, nec non quivis meminit Neptunum et primum equum creasse et equos complures propter celeritatem inclutos (Arionem illum, equos Pelopis Idaeque, nec non equos Achillis apud recentiores) mortalibus dono dedisse vel etiam procreasse.

2) Tauri imagine significatur caecus maris tempestate suscitati furor. Ut mittam minotaurum quem Theseus, alterumque illum taurum Cretensem quem Hercules occidit, at taurus certe Marathonius a Theseo necatus, belua quae Hippolyti equos in fugam coniecit, monstra quae Hesionam Andromedamque sunt aggressa, a Neptuno missa erant omnia, eidem autem sacri erant tauri quos domuit Iason.

Digitized by Google

ductum. Novus hic terrae dominus, *ἀριφραδὴς ἀνήρ*, Neptuni quoque dominium appetit. Longius longiusque relicto littore verrit aequora gracili cymba confisus, donec orae assuetae oblitus alta petit uno vento itineris comite. Nereides Tritonque et ipse Neptunus stupent mortales per ipsorum regiones vectos

miranturque novas formas et non sua monstra.

Maxima haec est hominis victoria; non glebae adscriptus posthac in angusto aliquo terrarum angello delitescet: cuncti iam orbis ei patent opes. Iam naves ipsius ingenio directae et veluti ipsius mente agitatae longinquas oras petunt, ceu accipitres, quorum oculis eminus monstrata est praeda, ceu equi generosi, qui voce aurigae incitati peritaque eius manu ducti in scopum et colla et corpora tendunt.

Nae *pelagi equi*, *ἀλὸς ἵπποι* [1]), nomen unum omnium hoc est aptissimum carinarum, quibus terrae proles Neptunia regna visere sustinet,

ὄμματ' ἐν ἄστροισιν ψυχὴν δ' ἐν πόντῳ ἔχουσα [2]).

„Ut quadrigae sub ictu flagelli animose se attollentes, sic navis exsurgens pectore in maris undas se coniecit iter initura":

ἣ δ', ὥς τ' ἐν πεδίῳ τετράοροι ἄρσενες ἵπποι
πάντες ἅμ' ὁρμηθέντες ὑπὸ πληγῇσιν ἰμάσθλης
ὑψόσ' ἀειρόμενοι ῥίμφα πρήσσουσι κέλευθον,
ὣς ἄρα τῆς πρῴρη μὲν ἀείρετο, κῦμα δ' ὄπισθε
πορφύρεον μέγ' ἔβυε πολυφλοίσβοιο θαλάσσης.
ἣ δὲ μάλ' ἀσφαλέως θέεν ἔμπεδον· οὐδέ κεν ἶρηξ
κίρκος ὁμαρτήσειεν, ἐλαφρότατος πετεηνῶν [3]).

Cuius imaginis [4]) inventorem in Thessaliae potius saltibus quam in littoribus Ioniae esse natum affirmare audeo: peperit eam admiratio, qua feriuntur qui terrarum interiora incolunt cum primum adspiciunt navigia per undas cursitantia.

Ceu generosus equus navis Phaeacum provolat spuma conspersa. Solo quidem neque plano utitur neque firmo, ut hominum currus qui per campos ruunt, nam per spatia mobilia et

---

1) Odyss. δ 708; cf. Hom. epigr. 13: *ἵπποι δ' αὖ πεδίου κόσμος, νῆες δὲ θαλάσσης.*

2) Aristeas in Arimaspea.

3) Odyss. ν 81 sqq.; quem locum imitatus est Apollonius Rh. IV 1604 sqq.

4) Non dico versus supra allatos, sed ipsam navis cum equo comparationem.

Digitized by Google

undantia, per *ὑγρὰ κέλευθα*, perficit iter; metam tamen cursu nihilo minus certo minusve celeri appetit. Sponte autem viam legit per templa caerulea, suopte instinctu mota, suopte ingenio directa; mentem enim innatam sibi habet prodigium illud regionis fabulosae, quod mox a Neptuno in saxum mutabitur [1]).

Vitam autem et ingenium, quibus fruuntur naves Phaeacum *τῶν ἀγχιβέων* Neptunoque dilectorum, suo quoque navigio, artis mortalis operi, tribuunt piscator qui maris Aegaei littora legit mercatorque insulas visens. Amica nautae est cymba illa gracilis per fluctus saltans, amica ei est praedatoria illa navis per brevia fretorumque anfracta lenibus gyris iter sinuans, amica ei est turgens oneraria, quae velis expansis ceu larus alis suis vecta [2]), per lata aequora festinat [3]), gaudens flatu ab Iove immisso [4]). *Oculos* in prora habet pictos [5]), quibus petat iter per aquarum deserta [6]); *genae* rubent minio [7]), velis sui sunt *pedes* [8]), tonsis *palmulae* [9]). Femineo autem ornata est *nomine*, et ea quoque aetate qua dudum deferbuerat carminis epici vis vegeta, in comicorum iocis [10]) fit mentio colloquiorum inter puellas illas

---

1) Sic etiam Iasonis illa *Argo vocalis*, Ἀργὼ αὐδήεσσα, λάληθρος, ipsa viam init, quin alta voce initium itineris significat et mox nautas hortatur ut caveant a periculo instanti. Mentem enim divinam ei inflavit Minerva et trabem e quercu Dodonea recisam carinae inseruit. Vid. Aesch. fr. 19, Apoll. Rh. I 526 sq., II 613, IV 580, 1546 Lycophr. 1319 sq. cum schol. — Praeterea in mentem nunc venit gryphi alati, quem *γνώμῃ στομίων ἄτερ εὐθύνει* Oceanus Prometheum visurus (Aesch. Prom. 287).

2) *Vela* et *remi* sunt navium *alae*: ἐρετμά, *τά τε πτερὰ νηυσὶ πέλονται* Odyss. λ 125; *πρῶτοι ζεῦξαν νέας ἀμφιελίσσας* (Myrmidones), *πρῶτοι δ' ἐστίʼ ἔθεν νηὸς πτερὰ ποντοπόροιο* Hesiod. fr. 100 Rz.

3) *It, currit* navis (Τ 481 γ 281 etc.).

4) *ἀγαλλομένη Διὸς οὔρῳ* ε 176.

5) Tales naves cernuntur exempli gratia in notissimo saeculi a. C. VIIi vel VIi vase ab Aristonopho(?) quodam picto, quod Romae in Museo Tusco asservatur, hinc pugnam navalem repraesentans, illinc Polyphemum ab Ulixe occaecatum.

6) *πρόσθεν ὄμμασι βλέπουσʼ ὁδόν* Aeschyl. Suppl. 716.

7) *μιλτοπάρῃοι, φοινικοπάρῃοι* naves audiunt Homero.

8) *πούς, pes* dicitur funis quo veli pars inferior retinetur.

9) *ταρσοί* sunt remorum *palmulae*. Etiam ἐπωτίδας habet prora triremium. Neque observatu indignum videtur, navibus ut bubus aratoribus et equis currui alligatis, sua esse *ζυγά*.

10) Ar. Eq. 1300 sqq.

Digitized by Google

marinas iactorum, dum molesto cuidam mortali negotia facessunt [1]).

Illi robur et aes triplex circa pectus erat, qui primus Neptunia regna visere sustinuit. Humanae autem non erat fabricae tenuis illa carina fluctibus inequitans, cui terrae filius se credidit. Quippe diis curae esse se tunc quoque sensit: hac quoque in arte ipsos deos habuit magistros. Primam ei navem aedificavit Minerva omnium artium patrona.

Primam navem cum dicimus, *Argo* dicimus, qua terram recenti sole rubentem aureumque illud vellus petivit Iason cum suis comitibus. Fabula autem quae est de Argonautarum itinere quamquam minime pura qualisque ex ipso fonte prodiit sed variis incrementis turgens et turbida ad nos pervenit [2]), unam tamen virtutem per longa saecula servavit intactam. Nempe dum sensim in eius alveum, veluti in *μισγάγκειαν* aliquam multorum rivulorum capacem, confluxere quae in fabulis de Atridis Aeacidis Ulixe Theseo Cadmo aliis fontes suos habebant [3]), talis tamen mansit ipsa fabulae summa qualis primitus fuerat, mansit simplex et una, mansit igitur integrior puriorque quam sunt ea quae de Agamemnonis Achillisve facinoribus ad nos pervenere carmina. *Una* nave, una *πεντηκοντόρῳ*, in Terram illam ignotam Iason est profectus victorque inde Iolcum

---

1) Praeterea huc pertinent animalium nomina *cantharus* navigiis Naxiis, *sus* Samiis indita (*ναῦς δέ τις ὠκύπορος Σαμίη συὸς εἶδος ἔχουσα* Choerilus Samius), et quam maxime huc faciunt navium epitheta Homerica *ὀρθόκραιρα rectis cornibus ornata* et *μεγακήτης vasta* (Θ 222 etc.), quae item animalibus potissimum sunt apta.

2) Argus apud Homerum nullam mentionem fieri haud iniuria dixerit quispiam. Nam unicus locus ubi commemoratur est μ 69—72, is autem cum vicinia tantum non aperte pugnat, ita ut minime dubium videatur quin postmodo sit insertus. „Cave" Circe ait ad Ulixem „propius Planctas praetervehare, nulla enim navis ad infames illos scopulos accessit, quin sit elisa". — „Una Argo illac incolumis fecit iter" additur, quasi nihil antiquius habeat poeta quam ut ipse sibi obloquatur. Reputemus autem oportet Planctas sive Symplegades secundum recentiores certe poetas ex quo Argo eas praetervecta est navibus non amplius fuisse timendas.

3) Inversa autem ratione ex Argonautarum fabula quaedam fluxisse quae recentiores de Achille aliisque heroibus Homericis cecinerunt, nota res est sed ab argumento meo aliena.

Digitized by Google

rediit [1]). In eadem autem regione fuit patria Achillis [2]): ad bellum gerendum etiam Nereidis et monticolae hic filius in longinquum orientem profectus est, ... sed in carmine epico, quo eius fortitudo celebratur, ipse latitat inter reges permultos e multis Graeciae gentibus collectos, et navis qua Troiam pervenit una est e plurimis, quae densis ordinibus in Sigei littore stant subductae.

Siccine primitus celebratae fuerint res ab Achille gestae? Minime rerum. Sed ut ante eum Hercules una navi [3]) Laomedontis urbem cepit, ut Iason Aeetis regnum una, *sua* nimirum navi invasit, ut fabulae quae sunt de Minoe et Aegeo et Theseo unam tantum navem norunt, sic etiam heroi Thetide genito quin una in antiquissimis carminibus navis fuerit, haudquaquam est dubium. Antiquissima dico carmina, illud igitur aevum cogito quo fabulae Peliden celebrantes natae sunt ad radices montium Pelei et Olympi celsae deorum sedis, necdum coaluerant cum laudibus Atridarum Ulixis ceterorum heroum quotquot fuere, quae inter alias gentes cantabantur [4]). Aevum quo Argos τὸ ἱπποτρόφον in Thessalia erat situm neque alibi usquam a poetis epicis quaerebatur [5]). Aevum cuius plurima eaque clarissima vestigia servat Ilias nostra.

Illa igitur navis, quae Achillem cum suis vexit [6]), est ligneus

1) Sic in fabulis Thebanis *septem* illi heroes celebrantur, de copiis eorum aut nihil dicitur aut paucissima; mens autem poetarum auditorumque cernit Capaneum moenia conscendentem, cernit Tydeum sanguinis sitientem, non cernit milites ab iis ductos. Etiam Hercules vel Theseus *solus* perpetrat facinora quibus inclaruit, εἷς πολλῶν ἀντάξιος. *Solus* Ulixes certissimis suis telis adversarios confodit, nullo adiuvante, ὀλέσας ἅπο πάντας ἑταίρους, — sic certe priscus τῆς Τίσεως poeta voluerat, licet recentiores filium ei famulosque adiunxerint cum clipeis galeisque, cum hastis et ensibus, ne opprimeretur scilicet procorum numero.

2) Μυρμιδόνων τε πόλις κλειτή τ' Ἰαολκός Hes. Scut. 380.

3) Sex commemorat Ilias (E 641), apud recentiores (Apollodor. II 6, 4 § 1) duodeviginti ei tribuuntur.

4) Ecquid prisci temporis echo etiamnunc percipitur Iliadis locis quibusdam, ubi non naves Achillis commemorantur sed una eius navis? Vid. A 329 (in vicinia pluralem legi non me fugit), I 137.

5) Sic optimo iure statuit Busolt, cui Beloch Cauer alii sunt assensi.

6) Achilles deae marinae filius expeditioni maritimae ipsis natalibus videtur fuisse destinatus. Non quo negem in antiquissimis Thessalorum mythis pugnas heroum cum Centauris aliisque montium et nemorum monstris celebratas fuisse potius quam bella cum gentibus externis gesta, sed in priscis illis fabulis etiamne filii Thetidis aliquae fuerint partes omnino nescimus.

Digitized by Google

equus, ἀλδς ἵππος [1]), qui Priami urbi perniciem est illaturus [2]). Ipse Neptunus moenibus olim eam cinxit [3]): post certas hiemes equus a Neptuno missus venturus est ut ea diruat; sic fata ferunt [4]). Mare tutabatur Troiam quamdiu navibus per freta non ibatur: at idem mare hostem est allaturum nave praedatoria vectum.

Sed dum per multas hominum aetates prisca tela novis identidem coloribus distinguitur et — secundum Hesiodi illud praeceptum ad frigora a corpore arcenda — raro stamini densa densioraque semper inseruntur subtemina; — dum perspicua simplicitas fabulae primitivae molesta rerum abundantia obruitur; — dum nulla non Graecorum gens suas sibi partes flagitat in bello ab atavis exantlato, et campus Troianus oppletur infinitis militum copiis, littus Troianum classe tegitur innumera, qualem postea habuit Xerxes; — dum castra cinguntur celso vallo cum turribus et propugnaculis, militibusque induuntur loricae; — dum Ilii arx templo Minervae, templum palladio donatur; — dum nova semper inventa efflorescunt et extra prisci carminis artam compagem eluxuriantia omnes eius iuncturas laxant, — tandem eo est perventum ut simplex illa et pulcherrima equi Neptunii imago parum intellecta non iam suo pretio aestimaretur: passa tunc est eam sortem quam Hei-

---

1) Operae pretium videtur recordari, uni inter Thetidis sorores *Hippo* fuisse nomen. Dignissimus autem qui conferatur est τεθριπποβάμων ille στόλος, quo Πέλοψ πελάγεσι διεδίφρευσε (Eur. Or. 390).

2) Si cui minus sit persuasum, primos poetas epicos Achillem cum una nave Troiam misisse, causa ei haec esse non debeat cur aspernetur meam argumentationem. Nam id quidem consentaneum est, navem qua ipse vehebatur dux belli, τὴν στρατηγίδα ναῦν, prae ceteris semper fuisse commemoratam, isque etiamnunc in Iliade nostra valet mos; τὴν ἵππον autem Graecos collective dixisse — ad equitum turmas significandas — nemo nescit. Quod ad me tamen adtinet, hanc explicandi rationem eo tantum consilio indicavi ut claris verbis eam damnarem.

3) Vid. Iliad. Φ 446 sq.; ad idem fabularum genus referendus est Hercules belua a Neptuno missa sub Troiae muris oppressus, a Minerva autem servatus, Υ 145 sqq.

4) Apud Tryphiodorum *Helenus* vates Troianus, qui arte Cassandrae, nomine Helenae mirum quantum est similis, Graecis nunciat qua fraude capi possit Troia; apud Quintum autem *Calchas* auctor existit equi lignei aedificandi. Alia fabula Palamedem, sollertem illum Ulixis aemulum, equum fecisse ferebat ab augure *Prylide* edoctum (schol. Lycophr. 219). Etiam Iliadis locus notissimus, ubi Calchas dicitur Achivis viam indicasse Τίλιον εἴσω τὴν διὰ μαντοσύνην (A 71) dignus est qui in memoriam hic vocetur.

Digitized by Google

nii carmen canorum [1]) habuit apud nostratem quem meminimus Batavum Droogstoppel. „Tu scilicet lineamenta duc rosae aure praeditae!" — Fuere tunc qui auritam pingerent rosam: aedificatus est equus Troianus et ianua scalis pedibus pedumque rotulis instructus.

Etiam in Odyssea nostra [2]) ingens ille equus commemoratur, cuius alvo lectissimi Graecorum heroes se abdiderunt [3]), inter eos vafer Ulixes. Narratur quomodo hic caverit ne ipsi se voce sua proderent socii; narratur quomodo Helena cum ad molem fallacem accessisset, paene effecerit ut fraus a Troianis detegeretur, — sive socordia sua sive perfidia; nam si quid video, illo quoque loco Homerico, ut aliis bene multis, permixtae sunt ambae quas tota novit antiquitas Helenae imagines, alteram ab altera quam maxime abhorrentes: fidae coniugis, quam praedo vi improba multis cum opibus abripuit, et adulterae, quae formosum iuvenem sua sponte in Asiam est secuta. Etiam nomen artificis *Epeum* audimus et miramur; qui licet ipsam deam Minervam operis sociam habuisse dicatur, in priscis fabulis ne commemoratur quidem [4]); e recentioribus autem [5]) discimus nepotem fuisse *Phoci* Aeacidae, herois eponymi Phocensium [6]), Delphos igitur et oraculorum dictionem allegoricam eius nomen nobis in mentem revocat [7]). Denique discimus equum

---

1) „Auf Flügeln des Gesanges".

2) Loci videantur supra pag. 122, 1.

3) Quot fuerint non dicitur illic, sed *quinquaginta* videntur cogitandi, qui et in navibus solitus erat virorum numerus — tot enim Iasonis comites fuere, tot Phaeacum sunt remiges (θ 35), tot Philoctetis naves singulae habebant milites αὐτερέτας (B 719), — et sollemnis fere est in huiusmodi fabulis: quinquaginta hostes in insidiis collocatos profligat Tydeus (Δ 393), quinquagena capita sunt gigantibus centimanis, quinquaginta Nereo Aegypto Danao Priamo Lycaoni aliis bene multis sunt liberi. — *Centum* heroas in equi alvo latuisse ferebat Stesichorus, paucorum tantum nomina indicans; quos posteri nominatim enumerabant cunctos (vid. Athen. 610*c*).

4) Quod in Patrocli ludis funebribus inter luctatores nominatur, id nihil nunc ad rem.

5) Vid. Asius apud Pausaniam II 29 § 3, Euripid. Troad. 10, et cf. schol. Lycophr. 53.

6) Pausan. I 23 § 10.

7) Hinc nisi fallor solvenda est ἀπορία quam movit mihi amicus collega Symons, fieri vix potuisse ut navigii cum equo comparatio, quae et in Graecorum et in Germanorum poesi semper vixerit, male aliquando intellecta illam quam novimus pareret fabulam. Minime sane neglegendum argumentum; cuius tamen pondus magna certe

Digitized by Google

tunc, cum Helena ad eum adiit, in Troiae foro fuisse collocatum; quod cum fieri non potuerit nisi ipsi Troiani eum illuc protraxissent, apparet eo tempore quo Odyssea hodiernam suam formam induit, lineamenta fabulae quae est de equo Troiano ea fere fuisse quae e posterorum poetarum carminibus novimus.

Talis autem per totam deinde antiquitatem celebratus est ille montis instar equus. Talem repraesentabat aes votivum in Athenarum arce collocatum, a Pausania autem commemoratum [1]), ex cuius latere Menestheus et Teucer et Thesidae foras prospiciebant. Talem pinxit Polygnotus in lescha Delphica [2]). Talem hodie quoque cernimus in pariete quodam aedium Pompeianarum et in tabula Iliaca *κατὰ Στησίχορον*. Talem scenae nostrae nuper eum ostenderunt [3]). Sedula autem cura seri poetarum epicorum nepotes descripserunt ingens illud opus. Ligna unde ducta, quomodo iuncta fuerint, molis praegravis qui motus fuerit, qui introitus et exitus, quae aëris meacula, qui ornatus, cuncta haec multaque alia quam accuratissime sunt picta, dum in adultorum ludibrium convertitur id quod ex ingenio prisci vatis afflatu divino instincti ante multa saecula emicuerat. Sic deluvii fabula praebuit quod inter puerulorum nostrorum pupulas et crepundia suum sibi locum inveniret. Inter ligneum opus Epei et *ἀλὸς ἵππον* quem vetustus poeta cantu celebraverat ea fere intercedit ratio quae est inter Noachi arcam illam qua omnes lusimus olim et carmen venerabile *περὶ τῆς τοῦ κόσμου Γενέσεως*.

At magna est vis veritatis. Nam quemadmodum in animalibus quae hodie vivunt aliqua semper deprehenditur proprietas, cuius causa et ratio latent dum solum per se spectatur animal, clare vero elucent cum ipsa primordia speciei investigantur, sic equus Troianus per longa saecula aliquid sibi servavit proprium, quo luculenter etiamnunc indicatur eius origo; et ne tum quidem, cum a Tryphiodoris comtus prodiit, infitianda sanequam parenti

---

ex parte elevatur, si sumimus *in oraculo* obscurius enunciato navem hostilem sub equi imagine primitus fuisse designatam.

1) Pausan. I 23 § 10.

2) Pausan. X 26.

3) *Le cheval de Troie.*

Digitized by Google

suo proles, spiraculis ungularumque rotulis oculisque beryllo fulgentibus ridicule exornatus, ne tum quidem proles est infitiata parentem. Nam *nomen* certe servaverat intactum, nomina autem si odiosa sunt, at diserta quoque esse solent Graeca praesertim nomina. *Ligneus* saepe quidem dictus est ille equus et nunc quoque vocari solet, at ipsi Graeci nomine nonnihil diverso eum designabant: ἵππος δουράτεος, δούρειος, δούριος inter eos audit, δόρυ autem est *trabs*, *palus*, *vallus*, *hastile*, vivens quoque arbor propter proceritatem insignis ita dici potuit [1]), quemadmodum a nostratibus pinetum dici solet „silva malorum" [2]): non significat *tabulam lignumve* in universum. Δοῦρα σέσηπε νεῶν καὶ σπάρτα λέλυνται *putres iam sunt navium trabes lacerique rudentes*, sic loquuntur vates epici. Serus autem imitator, qui δουράτεον σκύφος commemoravit [3]), idem igitur quod δρύινον vel ξύλινον in lingua poetarum adiectivum δουράτεον significasse ratus, clare ostendit parum se cognitam habuisse illam linguam ipsoque τοῦ δουρατέου ἵππου nomine in errorem esse abreptum. Qui nihilo minus ridiculus est error quam fuit eorum qui κίσσινον σκύφος, *poculum hederaceum*, tribuerunt Cyclopi, inani scilicet sonorum similitudine eo abducti ut κισσύβιον illud, cuius nominis latet origo, e *ligno hederae* vel etiam — nam per me id quoque licet, vix enim magis videtur absurdum — ex hederae foliis confectum fuisse sibi persuaderent [4]).

Homero δόρυ νήιον est trabs quam parat faber opus haud invita Minerva aggressus, ut navi quam aedificat ea possit aptari [5]), Troiano autem equo nomen est *trabali* vel *tignario* [6]). Quam vocem parum sane latinam nunc eo consilio adhibeo ut clare indicem quam insolitum ad ipsorum Graecorum aures nomen illud accedere debuerit. Parum persuadeo minusve perite nomen Graecum vertisse videor? Reputemus igitur quid ipsi designa-

---

1) *Palma* Delia noto loco (ζ 167) sic vocatur. Quercum vero frondosamve platanum ut ea voce designarent, id poetis in mentem venire ne potuit quidem.

2) *Mastbosch*; quasi latine — immo barbare — dicas *maletum*.

3) Vid. Athen. 498 *f*. Eodem redit res ac si nostrum quis *een balken beker* — poetico scilicet sermone usus! — diceret pro: *een houten beker*.

4) Vid quae ad Odyss. ι 346 in editione nostra annotavimus.

5) Iliad. O 410 sqq.

6) *Het balkenpaard*.

Digitized by Google

verint Graeci. Quibus pro *proprio* equi Troiani nomine fuit illud δούρειος vel δούριος [1]), Euripides autem vocem δόρυ *hastae* sensu accipiens, quem solum inter ipsius aequales habebat, de nominis origine et significatione in quodam dramate doctius quam prudentius aut venustius disputavit; ei enim est

δούρειος ἵππος κρυπτὸν ἀμπισχὼν δόρυ [2]),

equus hastatus vel *hastarius* [3]), sic dictus ab hastis insidiatorum *in eius alvo latitantium*. Quae verba scenae tragicae dignitati parum congrua observationem grammaticam licet dicere trimetro expressam: „epicum nomen δούρειον ἵππον non significare id „quod vulgo credatur equum *ligneum*" [4]). Cui ex asse adstipulatus Euripidem veram interpretandi viam quantumvis obscure importunoque tempore indicasse gaudeo.

Euripidis igitur aequales fugiebat quid poetae nomine τοῦ δουρείου ἵππου significassent olim. Nempe fabulas epicas oculis diffidentibus scrutari severaque exigere trutina, id non cadebat in illud aevum, quo impietatis esse videbatur fidem abrogare priscis vatibus musae interpretibus. Equum igitur illum, quem epica carmina celebrabant, non verum olim fuisse equum e tignis tabulisque ligneis in quadrupedem figuram compactum, ea ne nascebatur quidem tunc temporis suspicio. Sed ipsa imago, qua usus fuerat is qui navem bellicam primus vocavit equum ligneum, neque tunc erat intermortua neque postea periit unquam. Eodem enim loquendi genere usa est pythia Delphica cum *ligneis moenibus* barbaros ab Atheniensium arce propelli iussit, et licet tunc quoque multi fuerint, in his ipsi χρησμολόγοι, qui dei interpretem per imaginem locutum esse non sentirent, Themistoclem certe ἄριστον illum εἰκαστὴν verus locutionis poeticae sensus non fugit.

Propius etiam ad κοῖλον illum λόχον τοῦ ξεστοῦ ἵππου accedunt verba vaticinii aliquanto minus noti nec tamen ignobilis, quo Siphnios a Polycrate cavere iussit pythia:

---

1) Vid. e. g. Aristoph. Av. 1128.

2) Troad. 14.

3) *Het speerenpaard.*

4) Suspicari igitur licet iam illo aevo, ut postea, vocem in γλώσσαις Ὁμηρικαῖς fuisse tractatam; vid. Apollon. lex. s. v. δόρυ.

Digitized by Google

δεῖ πολυφράδμονος ἀνδρὸς
φράσσασθαι ξύλινόν τε λόχον κήρυκά τ' ἐρυθρόν,

navem μιλτηλιφῆ dicens [1]).

Non eandem autem sed tamen simillimam imaginem praebet somnium, quo Argonautae apud Apollonium Rhodium et quos ille sequitur Hesiodum Pindarum Antimachum iussi sunt navem suam per terram firmam ex Oceano in Tritonidem lacum fabulosum transportare: „matrem, quae per longos menses utero vos gessit, impositam iam humeris illuc deferte quo vocabit equus a Neptuno missus" [2]).

Et prorsus integra compluribus saeculis post repetita est imago a Plauto, vel potius ab eo cuius verba Plautus refert Diphilo, cum sacerdotem fecit naufragas duas verbis sublimioribus sic allocutam:

nempe equo ligneo per vias caeruleas
estis vectae [3]).

Et nonne etiam in verbis Bacchylidis, navem qua Theseus Cretam petivit ὠκύπομπον δόρυ vocantis [4]), echo quaedam percipitur priscae locutionis? Sed plura addere nolo, ne eos quoque locos creberrimos poetarum afferendo ubi δόρυ, πεύκη, *pinus*, *trabs* audit navis, nimia probare velle videar. Satis autem superque opinor iam apparuit, quam penitus veterum menti insita fuerit navis cum equo comparatio [5]).

Ecce autem, quem longo annorum decursu confectum multorumque ἀμούσων protervitate lassatum hauserat somnus morti simillimus, laetus ille ad lucem aurasque vitales resurrexit

---

1) Herodot. III 57 sq.

2) Apollon. Rh. IV 1347 sqq.; cf. schol. ibidem vs. 259.

3) Rudent. I 5, 10. — Inversa autem imagine usus Tryphiodorus equum Troianum assimulavit navi: „Epeus eius molem fecit tantam quanta esse solet νεὸς ἀμφιελίσσης" (vs. 63). Et Quintus equum versus arcem protractum esse dicit „ita ut navis deducitur in mare" (XII 425 sqq). Cui dudum praeiverat Euripides, apud quem chorus Troadum dicit cives ἵππον illum χρυσοφάλαρον rudentibus ναὸς ὡσεὶ σκάφος κελαινόν traxisse in arcem templumque Palladis.

4) Bacchyl. XVII 90.

5) Etiam in Germanorum prisca poesi pervulgata olim fuit illa comparatio, nec non in dictione hodierna vestigia quaedam reliquit; dicitur enim navis *to ride at* (*his*) *anchor*, *het schip rijdt op zijn ankers*, et — quam Stoettio viro doctissimo debeo observationem — locutio popularis *zooals hij* (*zij*) *reilt* (= *rijdt*) *en zeilt* primitus de navigiis fuit dicta

Digitized by Google

priscae poeseos fetus, cum ex veri poetae contactu — ut Antaeus e terrae matris gremio — novas hausit vires. Poetam dico nostratem Vondelium. Cuius Gisbertus van Amstel quam presse vetusta exempla sequatur tragoedia, dolus autem quo capitur Amstelodamum quam sit similis cum callido consilio militum qui Bredani praesidium fefellerunt, tum vero fraudi per quam expuguata est Troia, inter populares certe meos notiora sunt ea omnia quam quae fusius nunc exponantur. Quomodo autem vocatur hostium illa navis, quae Gisberti urbi perniciem intulit? *Equum marinum* habet nomen, *het Zeepaard*!

En renata aevi vetusti imago ἀρχαίῳ σχήματι λαμπρά! En δούρειος ἵππος in pristina iura revocatus denuoque factus ille qui fuerat olim ἵππος ἁλός, Neptuni equus hostem victorem afferens. Quid quod ipsi Sinoni — Vosmarium dico speculatorem — suam facem, qua Vergilius quod faceret non habebat, reddidit Vondelius: ad arcem Amstelaedamensem incendendam ea utitur homo fraudulentus.

> Alter adest iam Tiphys et altera quae vehit Argo
> delectos heroas,

dicamus licet, poetae Romani verbis leviter mutatis usi. Equus Troianus est *Argo altera*, vel potius *Argo prior* [1]), est ἡ ἐν νάπαισι Πηλίου τμηθεῖσα πεύκη [2]), quae Argi Pelasgici incolas Argivos vel Achaeos vel Myrmidonas vel quomodocunque in carminibus antiquissimis appellati fuerint, laudis opumque avidos vexit versus orientem illum, qui Iasonas olim Atridasque nihilo segnius allexit quam postea Agesilaos et Alexandros. Est navis heroem bellicosum per undas Neptunias vehens, quam circumsultant Nereides, ducit Tritonia Γλαυκῶπις Ἀτρυτώνη, proram autem tenet Achilles flava deae soboles. Solus [3]) aut

---

1) Nominibus *Ia-soni* et *Ia-olco* indicari Iaonum gentem, ipsam igitur Ioniam et recentiora poeseos epicae tempora, haud temere ut arbitror statueris.

2) In transitu hic commemoranda est altera illa *Pelii arbor ad Troiae excidium fatalis*, quam Chiron deus montanus dono dedit Peleo. Hoc quoque fuit δόρυ Πηλήιον. Quae notabilis profecto est analogia, in hac tamen disputatione vix ei locus est; nisi quis ausit suspicari, non *Peliadem hastam* sed *navis carinam* ex Chironis illo dono primitus fuisse confectam. Ego ad argumentationem stabiliendam meris coniecturis non utar.

3) Pind. Nem. III 59, IV 54 sqq., Isthm. VIII (VII) 87.

Digitized by Google

cum paucis sodalibus [1]) eius pater Peleus olim expugnavit Iolcum: paucis comitantibus et ipse in bella et proelia ruit [2]), mox saltu audaci oram longinquam occupaturus [3]), ubi vita brevis eum manet, at gloria longa.

Finem iam haberet haec mea qualiscunque disputatio, nisi superesset rogare, fabula ita degenerata sitne insoliti quid et plane inauditi, an plura huiuscemodi labis in carminibus epicis deprehendantur vestigia. Ad quam quaestionem haud difficile profecto est responsum, et verendum est potius ne materie uberrima obruamur quam ne nimis rara sint quae ad rem faciant. Passim enim occurrunt imagines a priscis poetis inventae suoque loco adhibitae, a recentioribus autem non agnitae parumve intellectae.

Comitem equo marino extemplo licet adiungere Neptuni *taurum*, qua imagine masculo vigore insigni olim pictus erat furor effrenus aestus in littora irruentis. Eheu quantum mutatus ab illo fuit Pasiphaae ille taurus, cui *ligneam vaccam*, condignam profecto aemulam equi ab Epeo concinnati, struxit Daedalus summus artifex, ut regina beluae amore perfrui posset scilicet! [4])

Immanes autem tauri, qui longinqui orientis thesaurum ab Iasone petitum tutabantur, tauri illi χαλκόποδες [5]), *aeripedes* [6]), quos dixit Sophocles et diu post eum dixit Apollonius, prisco epitheto designans ungulas claro sono durum solum percutientes [7]), — quorsum tandem abierunt apud Antimachum! Mutati

---

1) Iasone socio usus secundum Pherecydem in schol. Pind. Nem. III 59.

2) Quinquaginta quae naves habere solebant capita (vid. supra p. 131, 3) fortasse indicantur in precibus, quibus Peleus fluvium patrium adiisse dicitur Iliadis loco, qui inter antiquissimos est (Ψ 147): „o Sperchie, incolumis si filius ad me e bello redierit, quinquaginta pecora tibi sacrificabo gratam testantia mentem".

3) Ex antiquissimis fabulis superesse mihi videtur fama τοῦ τρωικοῦ πηδήματος, ingentis saltus illius, quo ex nave littus petivit Achilles; cuius mentionem fecerunt Euripides (Androm. 1140) et Antimachus (schol. Lycophr. 246).

4) Quod illi tauro, de quo in fabula Minois et Pasiphaae est sermo, cum Neptuno primitus certe nihil fuit commune, id neglegere nunc licet.

5) Vid. schol. Pind. Pyth. IV 398.

6) Verg. Aen. VI 808.

7) Equi sic dicuntur Iliad. Θ 41 N 23; cf. χαλκόκροτοι ἵπποι epitheton cognatum Ar. Eq. 552.

Digitized by Google

sunt in verum aes, in artis Vulcaniae opera, in Olympia quaedam αὐτόματα — et periit venustas priscae fabulae, quae heroem ostendebat cum feris beluis conflictantem.

Quamquam vera fabulae vis etiam Sophoclem latuit. Nam truces illi tauri Neptuni, quos perdomuit Iason, primitus neque animalia fuere quae quadrupedante sonitu terram quaterent, neque aerea signa ex officina coelesti, sed fluctus erant pelagi. Campos caeruleos arare, per ὑγρὰ κέλευθα sulcum ducere iussus est heros, ut in regione longinqua spe posset potiri. Non ager ἐρίβωλος sed maris aequora in prisca fabula ei dabantur colenda [1]).

Nunc denuo inspiciamus Odysseae locum, quem supra tetigimus [2]). Ubi *Pleiades* stellae dicuntur columbae coelestes, quae per Planctarum hiatum nullis mortalibus superandum Iovi ambrosiam ferunt. Mira profecto haec est imago quaeque ut satis clara in luce collocari hodie possit vereor. At poeticam certe esse imaginem veroque vate haud indignam sentimus; quibuslibet autem ingenii dotibus splendere atque lucere videtur, si confertur cum aridis Apollonii versibus [3]) narrantis quomodo itineris per scopulos letiferos periculum fecerit Iason: vera scilicet columba ex Argo, ut ex arca Noachi, emittitur.

En alia imago poetica, quae a mentis dominio postquam ad ea quae oculis cerni possunt aberravit, veluti veris lineamentis et coloribus est expressa. Notissimo Iliadis loco Λιταί *Preces* dicuntur *Iovis filiae claudae, rugosae, luscae* [4]), quoniam is qui culpae conscientia premitur, tardo gressu fronte contracta oculis demissis adit eum quem iniuria affecit. Poterantne minus venuste pingi Iovis illae filiae? Poteratne infelicius pingi mens conscia pravi? Nonne *rosam auritam* hanc quoque iure dixeris?

Luculentum hoc quoque eiusdem rei exemplum. Cursus rapidus coelitum nullis locorum spatiis tardatorum — nam dicto citius adsunt ubicunque et ut primum est lubitum — paucis sed vividis verbis a priscis poetis solet indicari. „Ceu falco", „ceu hirundo", vel etiam „ceu stella coelo lapsa" ruunt

1) Sic et nos dicimus *de zee bouwen*, *de baren doorploegen*, similia.

2) Odyss. μ 62—65.

3) Apollon. Rh. II 328 sqq., Apollodor. Bibl. I 9, 22 § 3. Et sic fabulam olim mutaverant tragici, testibus scholiis ad Apollonii ll.

4) I 502.

Digitized by Google

quo placet. Inter recentiores vero fuere bene multi, qui huiusmodi comparationes ad litteram accipientes Olympios in falcones hirundinesque identidem mutatos esse fingerent. Neque inter auditores tantum vel lectores carminum epicorum vitium illud iudicii serpsit, sed luculenta quaedam eius documenta in ipsa carmina irrepserunt. „*Ceu fulica*", *αἰθυίῃ ἐϵικυῖα*, mersa est Leucothea dea marina, postquam Ulixi cum fluctibus colluctanti opem tulit: *ceu fulica mersa est atque abdita ponto.* Sic priscus vates. „*Αἰθυίῃ δ' ἐϵικυῖα*" — ipsi versus numeri interpolatorem produnt — „ex undis emersit", fulicae nimirum simulata figura: — haec verba initio narrationis inseruit *κέρϕος* nescio quis, qui ambigua verborum *αἰθυίῃ ἐϵικυῖα* potestate in errorem abreptus putabat deam specie avis marinae induta oculis Ulixis se obtulisse, cum eo esse confabulatam, velum suum — fulicae scilicet velum! — ei dedisse. Non senserat igitur homo ineptus quam venuste quamque vivide vetusti carminis imagine pingeretur maris incola subito sub undis evanescens ut mergus perterritus, — et sic fabulam pulcherrimam misere corrupit nihil mali suspicatus [1]).

In veros autem alites mutatos Olympios praebent ipsorum carminum Homericorum loci unus et alter; qui loci non postmodo crassa minerva sunt mutati, ut is quem modo tetigimus, sed e recentiorum poetarum ingenio tales quales etiamnunc leguntur olim prodierunt. Sequiores igitur poetae illi imagines, quas priscorum vatum praebebat dictio, perperam interpretati, Somnum ostenderunt in verum accipitrem mutatum dum Iovi insidiatur inter celsae arboris folia abditus [2]), in veram hirundinem mutatam Minervam dum procorum caedem despicit in tecti tigno sedens [3]).

Vates antiqui deos ad suam ipsorum imaginem ita conformaverant ut in maius meliusque mutarentur omnia: recentiore aevo in praestigiatores malignos et immanis staturae monstra abierunt, iidemque in rixatores amatores nugatores. Aut moechus tunc monstrabatur Mars in Vulcani laqueis haerens cunctorumque

1) Odyss. ε 353 et 337.

2) Iliad. Ξ 290.

3) Odyss. χ 240. — Quae omnia apte disposita prudenterque diudicata inveniuntur apud Cauerum Vorfragen p. 235 sqq.

Digitized by Google

Olympiorum cachinnis expositus, aut in coelitum pugna vulnere accepto per septem iugera prolapsus magnique agminis clamores voce edens. Monstrabatur in eodem illo proelio dea deae alapam infringens, monstrabatur Neptunus Aeneam ut servaret per aëra iactu ingenti ceu pilam mittens. Monstrabantur ... sed quid plura! Passim enim per recentissimas carminum epicorum partes apparent aevi labentis vestigia. Mortalia facta periere pereuntque, nedum verborum honos et gratia steterint vivaces. Nostrum tamen est cavere ne plura quam fatum abstulerit nostra socordia pereant, longique aevi pulvere ne offuscetur priscae poeseos splendor.

ADDENDUM.

In argumentum huius disputationis cum ante biennium incidissem, dum Homerum discipulis meis interpretor, deinde circumspexi an apud alios occurreret observatio de equi lignei origine, nam philologos ad eam nondum attendisse vix videbatur credibile. Nihil tamen eiusmodi cum invenissem, nuper hunc commentariolum scripsi. Ecce autem his diebus amicus collega Hartman indicavit mihi Baumeisteri quaedam verba, quae me fugerant. Vocat vir ille doctus equum ligneum „ein naives symbol für die schiffe der eroberer, da bekanntlich Homer selber oft genug die schiffe als meeresrosse bezeichnet" (Denkm. I p. 741).

Praeterea in transitu commemorata certe esto observatio quam debeo Vuertheimio viro amico. Equus ligneus *Palladi* — ob raptum palladium succensenti — destinatus fertur; *templum* autem Palladis recenti demum Iliadis loco (in libro Z) commemoratur, ibique simul *pepli* pompa sollemni in illud delubrum delati fit mentio: quae omnia non possunt non in mentem nobis revocare donum, quod cives illius urbis, quae Palladi una omnium maxime fuit propria et cara, quinto quoque anno in eius arcem deducere solebant: *navem* dico *panathenaicam*. Observatione acuta quaeque haud exigui momenti mihi videtur ipse fortasse Vuertheimius utetur posthac, equidem nunc satis habeo paucis verbis eam indicasse.

Digitized by Google

AD CHARITONEM.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

Ἀελπτόν ἐϛιν οὐδὲν οὐδ' ἀπώμοτον· vixdum lectores in superiore Mnemosynes fasciculo cognoscere potuerunt, quae disputaram de Charitonis fragmento Thebano recens reperto [1]) et, ecce, post brevissimum intervallum fortuna iterum favit Charitoni omnibusque nobis, qui non dedignamur in illo Graecarum litterarum angulo versari. Res est eiusmodi. Quod copiose exponitur in libro nuperrime edito cui titulus: *Egypt Exploration Fund. Graeco-Roman Branch. Fayúm Towns and their Papyri. By B. P. Grenfell, A. S. Hunt and D. G. Hogarth. London* 1900, duo Britanni perdocti, Hogarthius et Grenfellus, hieme quae fuit a. 1895/96 in Aegyptum profecti partem explorarunt τοῦ Ἀρσινοΐτου νομοῦ, qui νομὸϛ secundum Strabonem aliquando fuit ἀξιολογώτατος τῶν ἁπάντων κατά τε τὴν ὄψιν καὶ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν κατασκευήν. Itaque dum complura loca deinceps effodiebant, τοιχωρυχοῦντες tandem prope τὴν Ἀρσινοϊτῶν sive Κροκοδείλων πόλιν in vico, cui nomen Καρανὶϛ fuit — hodie est *Kóm Ushím* — cum alia multa volumina papyracea repererunt, quae nunc nihil ad nos, tum unum folium tribus columnis perscriptum. Huius folii editores exhibent photograptam imaginem, in qua Otto Crusius agnovit Charitonis particulam. Summo opere admiror doctissimi Germani acumen, quo neminem arbitror oculatiorem dari; etenim nunc, etiamsi sciam quid quoque loco scriptum sit, tamen vix hic illic volitantium literularum umbras

1) Occasione data corrigam quod perperam retuli p. 93; non enim novum fragmentum incipit p. 149. 19 Hercheri, sed p. 148. 19; verum levis error attentum lectorem fugere non potuit.

Digitized by Google

agnoscere potui: omnia fluxa sunt et incerta saepeque nihil prorsus dispicio, quibus locis Crusius veterem scripturam commode agnoverit. Fieri potest ut photographus claram et perspicuam imaginem non valuerit exprimere ipsumque folium transmissum fuerit in Germaniam ad Crusium; itidem fieri potest ut septuagenarium me mei oculi deficiant; sed quid refert? Nullum dubium quin Crusius verum invenerit omniaque recte descripserit. Merito plaudimus.

Pertinet fragmentum inde ab Hercheri pag. 72. 3: *εἰργά]ζετο μόνος* usque ad pg. 74. 27: *ἐπώλησαν* et satis bene convenit cum textu qualis in unico Florentino libro servatus est, a quo, ut nuper vidimus, Thebana recensio aliquantulum recedit, quum modo plura habeat, modo pauciora. Adnotabo potiores discrepantias, ut statim appareat nos vel parum vel nihil illinc lucrari. Veluti p. 72. 8: *οὐ τοιοῦτος οἷος*, papyrus habet *ὁποῖος*, quemadmodum p. 73. 5 etiam Florentiae scriptum est *τοιαύτην ὁποίαν*. Pg. 72. 10 Mithridates est *ὠχρός τε καὶ λεπτός, οἷα δὴ τραῦμα ἔχων ἐν τῇ ψυχῇ θερμόν τε καὶ γλυκύ*, sed in papyro est *δριμύ*, quod sane non deterius est. Pg. 72. 12 pro *ἐτύγχανε* nova lectio est *ἔτυχε*. Pg. 72. 17 editum est: *οἱ γὰρ κύνες φυλάσσοντες ἐμήνυσαν αὐτούς*, Hercherus autem inseruit articulum (*οἱ*) *φυλάσσοντες*. Adnotant editores nihil se vidisse praeter literam N, sed breve spatium quod praecedit, vix capere potuisse septem literas ΦΤΛΑΣΣΟ, multoque minus latere articulum quem Hercherus inseruisset. Itaque eos fugit Cobetum *Mnem.* 1859 p. 238 correxisse *ὑλάσσοντες* eamque etiam papyri lectionem fuisse suspicor, ut in angusto spatio non septem sed sex literae delitescant. Pg. 72. 20: *μεθ' ἡμέραν δὲ ὁ οἰκονόμος ἐμήνυσε τῷ δεσπότῃ τὸ συμβάν*· papyrus repraesentat lectionem: *ὁ οἰκο[νόμος ἐμήνυσε* Μι]*θριδάτῃ* [*τὸ συμβάν*], sed praecedit lacuna, ut fortasse scriptum fuerit: *μεθ' ἡμέραν δὲ τῷ δεσπότῃ ὁ οἰκονόμος ἐμήνυσε* Μιθριδάτῃ *τὸ συμβάν*, quae sane peior lectio. Pg. 72. 28: *Χαιρέας μὲν οὖν ἀπαγόμενος*, nova emergit scriptura *συναπαγόμενος*. Pg. 73. 4: *ἐν παραδείσῳ τινί*, in novo fragmento *τινί* deest. Pg. 73. 9 in Florentino codice est: *τὴν γὰρ πηγὴν ἀνεύρηκα τοῦ μεγάλου αἵματος*· Reiskius correxerat *λήματος* idque Hercherus recepit; Cobetus autem *Mnem.* 1859 p. 279: „Suspicor", inquit, *τολμήματος* verum esse, quod

Digitized by Google

et rei egregie convenit et stabilitur loco vicino p. 72. 32: *γυναῖκα τὴν συνειδυῖαν τοῖς τετολμημένοις*": haec suspicio nunc confirmatur auctoritate fragmenti Caranitani, ut stultus sit qui de veritate dubitet. Pg. 73. 10: *ὁ κατάρατος ἄνθρωπος*, ultimum vocabulum deest. Pg. 73. 16: *μάσιγες ἠτοῦντο καὶ πῦρ ἐφέρετο*, novum fragmentum, ut videtur, habet *ἐπεφέρετο*, quod speciem habet. Ad pg. 73. 21: *καὶ ἀτυχῆ τινα ἔδοξεν ὁμωνυμίαν ἔχειν ἐκείνῃ γυναῖκα*, adnotavit Cobetus ll.: „Non inseruisset Hercherus articulum in verbis: *ὁμωνυμίαν ἔχειν ἐκείνῃ (τὴν) γυναῖκα*, si vidisset *ἀτυχῆ τινα γυναῖκα* coniungenda esse". Nunc autem sciendum est in papyro exstare: *καὶ ἀτυχῆ τινα ἔδοξεν ὁμωνυμίαν τῶν γυναικῶν*, quam equidem lectionem non amplectar. Denique in tertia columna quae pessime habita est, p. 74. 26: *διὰ γυναῖκα Καλλιρρόην τοὔνομα ἣν δόξας ἀποτεθνηκέναι ἔθαψε πολυτελῶς*, nova sese offert lectio *δόξασαν*. Sed pauca haec sunt, uti vides, et pretii perexigui.

Verum aliam causam habui cur novum inventum lectoribus commendare voluerim. Quando vixit Chariton? Respondet loquples imprimis auctor Erwinius Rohde, *Der Griechische Roman* p. 489, Charitonem, si imitatus fuerit Achillem Tatium, non vixisse ante initium sexti saeculi vel extremo saeculo quinto. Verum etiamsi mittamus Achillem Tatium, quum Chariton Iamblichum, Heliodorum et imprimis Xenophontem Ephesium perpetuo imitetur, consequitur eum non scripsisse ante tertium saeculum propemodum exactum. Ad hanc opinionem, uti credo, Rohdius magis ferebatur in *Museo Rhenano* XLVIII p. 139, ubi ostendit Charitonis et Athenagorae oratoris nomina itidem inveniri in Inscriptionibus Aphrodisiensibus; sunt autem illae inscriptiones quinto sextove saeculo certe haud parum antiquiores eodemque itidem ducit plenum nomen *Οὐλπίου Χαρίτωνος* C. I. Gr. n. 2846. Contra exortus est Schmidius in *Encyclopaedia Pauly-Wissowana*, qui quum totum hoc de Eroticorum Scriptorum imitationibus incertum esse pronunciaret, suspicatus est Charitonem floruisse sive saeculo secundo sive sub ipsum initium saeculi tertii. Adeo in illorum scriptorum temporibus definiendis omnia vaga et incerta sunt.

Quid autem editores Britanni? Fidenter affirmant ex ipso scripturae genere effici novam papyrum referendam esse ad

Digitized by Google

tempora Commodi, certe non esse posteriorem initio saeculi tertii, quum praesertim in reserato sepulcro simul alia quaedam documenta inventa sint quae luculenter confirment quod primo papyri adspectu iam potuissent agnoscere. Itaque, inquiunt, si exeunte saeculo secundo Chariton iam lectitabatur in remoto Aegypti angulo, inde tuto efficies eum vixisse initio illius saeculi vel fortasse etiam sub finem primi saeculi huius aerae. Atque hinc intelligimus, quidquid olim de Eroticorum Scriptorum aetate disputatum fuerit, id omne diligenter esse reconcinnandum.

Accedit argumentum quo Britanni nondum uti potuerunt. Novum fragmentum repraesentat, uti vidimus, in plerisque omnibus Florentinam Charitonis recensionem. Sed quemadmodum nuper demonstravimus, ab ea aliquantulum discrepat recensio Thebana, quae modo plenior est, modo in breviorem formam contracta fuit. Itaque, nisi vana species nos ludit, Florentinus codex ac proinde fragmentum Caranitanum exhibent non primitivam fabulae formam sed retractatam, nonnullis minus necessariis omissis. Hinc evidenter consequitur non floruisse Charitonem post initium saeculi alterius poteritque eius aetas satis tuto referri ad tempora Traiani; atque sic commode explicatur *Ulpii* Charitonis nomen in inscriptione quam supra indicavimus. — Hic equidem subsisto; sed periti iudices aliquando quaerent quomodo id quod posuimus, conveniat cum iis quae de reliquis Eroticis scriptoribus sive ex certis indiciis sciamus, sive probabiliter ratiocinando coniecerimus.

Illud quoque. *Tout se tient*, ut Galli loquuntur. Incipit Charitonis quintus liber: Ὡς μὲν ἐγαμήθη Καλλιρρόη Χαιρέᾳ καλλίσῃ γυναικῶν ἀνδρὶ (ἀνδρῶν?) καλλίσῳ, aliaque omnia quam plurima quae describere non vacat, ταῦτα ἐν τῷ πρόσθεν λόγῳ δεδήλωται. Etiam octavus liber similiter incipit et haec si pueris in gymnasio darentur legenda, statim agnoscerent Xenophontis imitationem. Iam sunt haud contemnenda indicia, quae secuti viri docti sibi persuaserunt illas ἀνακεφαλαιώσεις in Anabasi esse spurias, qua de re Birtius consuli poterit *Das Antike Buchwesen* p. 464. Equidem non repugno: sed nunc demum apparet quam sint illae interpolationes vetustae, quae Traiani certe temporibus iam in codicibus circumferrentur.

Digitized by Google

DE VERSU QUODAM FURII BIBACULI.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

De Orbilio apud Suetonium (de V. I. p. 107 R) et alia legimus et haec:

Vixit prope ad centesimum aetatis annum, amissa pridem memoria, ut versus Bibaculi docet:

Orbilius ubinam est, literarum oblivio?

Qui locus mihi quidem permagnas parit molestias. Primum neque Horatius neque Domitius Marsus tristissimi illius morbi faciunt mentionem, sed de plagoso magistro scribentes nullo videntur misericordiae sensu tangi, cuius tamen expertes esse vix potuerunt, si eum tam diu illo laborantem vidissent. Uterque enim aliquot post Orbilium annis diem obierunt supremum. Sed hoc levius videri possit, cum Marsi tam pauci supersint versiculi, et omnino illud quod „ex silentio" dicitur argumentum parum habeat ponderis. Aliquanto gravius illud est quod temporis nobis affert ratio. Eodem enim Suetonio auctore Orbilius:

professus diu in patria (Beneventi) *quinquagesimo demum anno Romam consule Cicerone transiit.*

Natus ergo est a. 113, mortuus haud multo ante annum 13. Magistro eo Horatius usus est fere usque ad annum 50; is autem, ut opinor, neque literarum neque errorum a discipulis commissorum immemorem eum expertus est. Et omnino multis demum annis postea morbus ille natus est, siquidem

iam persenex pauperem se et habitare sub tegulis quodam scripto fatetur (Suet.)

Digitized by Google

et libros in lucem emittere certe non est plane decrepiti. Atqui, si paucis ante mortem annis vexari miserrimo isto mentis vitio coeptus est, Bibaculo innotescere ea res aut omnino non potuit, aut tum innotuit cum ipse iam esset aetate admodum provecta. Auctore enim Hieronymo Bibaculus non plus decem annis natu minor fuit quam Orbilius ipse. Sed faciamus iam decem annis postquam Horatium discipulum habuit decrepitae senectutis deprensa quaedam in Orbilio esse indicia — et supra illud tempus adscendere nobis certe non licet — erat tum ipse Bibaculus in senectutis limine, sexaginta tres annos natus: eius autem aetatis est metuere senectutis vitia, non ridere.

„At erravit Hieronymus: vix enim credibile est hunc cantorem Euphorionis annis fere viginti maiorem natu fuisse quam Catullum, illius disciplinae principem". Lubenter assentior: sit ergo Bibaculus fere aequalis Catulli. Statuamusne igitur lepidissimum poetam et vix ipsi Catullo imparem senem ob morbum senilem derisisse? Crudele istud est, si verba Suetonii „amissa memoria" ita interpretamur ut Orbilium inde a certo quodam tempore et sui nominis et ipsorum στοιχείων oblitum fuisse statuamus (et eiusmodi aliquid sibi voluisse Suetonius videtur). Sin rem iusto gravioribus verbis Suetonius enuntiavit et Orbilium (in versibus puta recitandis) interdum fefellit memoria, quid ea res habet ridiculi? Nonne id et senioribus et iunioribus frequenter evenit? Estne venustissimi poetae aliquem eo nomine ludibrio habere?

„At summa est perversitas in eiusmodi rebus nostro uti iudicio et id quod nobis minus urbanum videatur antiquo poeta indignum putare". Sic fere declamare solent qui a se suisque amicis hoc ipso tempore „unice veram philologiae methodum" inventam gloriantur. Inepti sane homines, sed quod monent minime ineptum: probe illud praeceptum Cobeti et Bentleii tenuerunt et quisquis unquam de nostra arte bene meritus est. Etiamne antiquo sermoni vim inferamus ut tueamur quod ab aliquo grammatico antiquo, quamvis docto, sit traditum? Haud opinor. Aureaene ergo Latinitatis est (auream enim dico qua hic poeta utitur) *literarum oblivionem* eum dicere qui literarum sit oblitus? Hoc quoque nego.

Hominem cum *oblivionem* appellamus, non ipsum immemorem

Digitized by Google

dicimus, sed acerbo maledicto significamus quidquid ad illum devenerit ex hominum memoria tolli et aeternae tradi oblivioni; ipsum quodammodo facimus τῆς λήθης δαίμονα. Nonne ergo et facete et vere *literarum oblivio* morosus dicitur grammaticus, qui stridula voce miseris pueris poemata recitat suasque ad illa annotationes ferula sua inculcat? Iam tunc, ut opinor, taciti dant iusiurandum illi se, simulatque ex umbra scholae in vitae lucem exierint, nunquam posthac scriptores illos poetasque, qui sibi tantum taedii et doloris exhibuerint, adspecturos sed quantocius in angulum coniecturos, ubi lateant pulvere et aranearum telis absconditi. Hoc qui credere nolit, is secum reputet qui fiat ut nostra aetate antiquae literae non negligantur solum et contemnantur sed etiam plerisque odio sint. Grave erat poetis Romanis in vicum deferri vendentem tus et odores, sed gravius in Orbiliorum pervenire manus. Hos ergo omni persequuntur iocorum genere, sed nemo salsius quam Bibaculus, qui illorum principi hoc dederit nomen „literarum oblivionem", quique non minus famosum illum Valerium Catonem duobus lepidissimis carminibus perstrinxerit.

Nostro sermone si Bibaculi convicium ita reddere vis ut suam sibi servet acerbitatem, imagine tibi utendum est, appellandusque Orbilius „een doofpot der poezie" (τῆς ποιήσεως πνιγεύς).

AD PLUTARCHUM.

Plut. Solon. 14 (Sint.) Commemoratur sententia quaedam quam Solon pronuntiavit de divitum pauperumque litibus: ὡς τὸ ἴσον πόλεμον οὐ ποιεῖ καὶ τοῖς κτηματικοῖς ἀρέσκειν καὶ τοῖς ἀκτήμοσι, τῶν μὲν ἀξίᾳ καὶ ἀρετῇ, τῶν δὲ μέτρῳ καὶ ἀριθμῷ τὸ ἴσον ἔξειν προσδοκώντων. Quis hinc sensum aptum extundat? At nullo negotio restitui potest iocus sat lepidus. Legendum enim est πόλεμον ποιεῖ (deleto οὐ) ... ἀρέσκον: causa belli est τὸ ἴσον, hoc enim utrisque placet, hoc utrique expetunt. Nonne hinc omnes nascuntur lites quod eadem re duo potiri student? Et nonne salsum est ἀπροσδόκητον· „aequitas bellum parit"?

J. J. H.

Digitized by Google

DE TRIBUS LOCIS INTERPOLATIS IN EVANGELIO SECUNDUM MARCUM.

SCRIPSIT

I. C. VOLLGRAFF.

Ultimis morientis saeculi diebus quidquid vacui temporis concessum fuit totum fere dedi *Iesu Christi Domini Nostri Novo Testamento graece*, in quo ad antiquissimos testes recognoscendo perutilem haud ita pridem operam posuit popularis noster Baljon. Inter legendum autem — quidni fatear? — animus hanc temporum tristitiam reputans cum aliis locis compluribus gravius commovebatur tum praecipue immoratus Luc. XIX : 41 seq. ubi dulcissimus Iesus, hominum Servator, paucis diebus ante mortem sanctae urbi eiusque peccatis illacrimavisse narratur exclamans: „si vel nosses hoc saltem tuo die quae ad pacem tuam pertinent: sed ea nunc occulta sunt oculis tuis". Ita enim mecum ipse cogitabam: fac Filium hominis tot saeculorum intervallo repente divinitus e coelo in hanc vallem lacrimarum rediisse. Quid censes? num laetiore vultu quam olim inclita Hierosolyma hunc miserum orbem christianum aspiceret? Discipulos quique posthac per illos in se crediturí essent universos identidem cohortatus erat ut spretis gloria potentia divitiis terrestribus unice quaererent regnum Dei eiusque iustitiam. Omnium temporum omnium nationum hominibus utpote carissimis eiusdem Coelestis Patris filiis hoc imprimis praeceperat ut „ex toto corde, ex tota anima, ex tota cogitatione" Deum illum, proximos suos autem fraterno amore ut semet ipsos diligerent. Ipse exemplar reliquerat „ut vestigia sua subsequerentur". Quid igitur

Digitized by Google

a gentibus ipso Sole Iustitiae illuminatis iam merito expectari non potuit? .... Hodie vero — pro quanta tenebrarum potentia esse videtur! — o quam turpe, quam luctuosum coelo terrisque offertur spectaculum!

Pravis pravorum hominum Pecuniae cultorum, auri gemmarumque appetentium consiliis incitatus magnus populus opibus affluens, mari plurimum pollens inque paucis potentissimus decemplici copiarum numero bello nefario persequitur parvam colonorum nationem, viros antiquos, honestissimos modestissimos pientissimos, alios procul negotiis bobus suis paterna rura exercentes, alios venationi deditos aut vitam agentes pastoriciam. Quorum misera patria quousque tandem cruento Martis opere flagrabit? Incredibile dictu est quot hominum milia iam in ipso flore virium aut pugnantes in acie ceciderint aut vulneribus morbisve absumpti sint. Caedibus incendiis ruinis vastantur omnia. Immani crudelitate [1]) heroum pro aris ac focis certantium ne uxoribus quidem et liberis parcitur. Mirandumne est si provinciis Asiaticis, magno semper immensi Britannici imperii ornamento habitis, nunc peste fameque graviter conflictatis, vix ac ne vix quidem subveniri potest? scilicet deficiunt opes: tanto stat calamitosum bellum cuius vel post tot menses elapsos exitus manet incertus. Victoriam ergo sperant adhuc utrique: hostes — quos ridicule iam semel atque iterum quasi debellato triumphasse legimus — freti ingenti militum mercede conductorum multitudine: acerrimi patriae propugnatores, quamvis pauci numero, solo Summo Numine .... et ducibus longe peritioribus. Socios atque amicos enim, inter quos, donec felices erant, vel potentissimum quemque terrae principem numerabant, in re incerta non nimis certos esse nuper eheu! quam tristi experientia edocti sunt [2]).

Nos quoque Te, Deus Omnipotens, qui *de coelo respiciens*

---

1) In quorundam huius belli ductorum ferocitatem dictum esse videtur quod habet SENECA *de Clem.* 1, 87:

„Auget haec crudelitas inimicorum numerum tollendo. Parentes enim liberique eorum qui interfecti sunt, et propinqui et amici in locum singulorum succedunt".

2) Verissime CORNIFICIUS *ad Herenn.* 4, 17, 24:

„Qui fortuna alicuius inducti amicitiam eius secuti sunt, hi, simulac fortuna delapsa est, devolant omnes".

Digitized by Google

vides omnes filios hominum, supplices obtestamur ut tandem iustitiam discant superbi. Tu horrido bello, Tu durae servitutis periculo miseros nostros fratres libera: Tu almam pacem reduc in terras: Tu salvam fac Liberam Rempublicam Africanam!

Fiat misericordia tua, Domine, super eos, quemadmodum speraverunt in te [1]).

Novam Balionii recensionem, egregiis quibusdam emendationibus sive in ordinem receptis sive in calce adiectis conspicuam, diligenter cum vetere Tischendorfiana comparans laetus comperi complures locos, temporum hominumque iniuria labem passos, triginta his proximis annis, theologorum philologorumque tam nostratium quam exterorum sollertia, feliciter restitutos esse in integrum. Cuius rei animi causa, ex Apostolorum Epistolis maxime, afferam unum et alterum luculentum exemplum.

Ep. ad *Hebr.* XI: 4 in omnibus libris MSS. vitiose exaratum est: πίστει ΠΛΕΙΟΝΑ θυσίαν Ἄβελ παρὰ Κάϊν προσήνεγκεν τῷ θεῷ. COBETUS vidit corrigendum esse ΗΔΕΙΟΝΑ i. e. ἡδίονα.

Ep. ad *Rom.* XII: 3 sensu cassum est quod exhibent codd.: λέγω γὰρ διὰ τῆς χάριτος τῆς δοθείσης μοι παντὶ τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν. Rem acu tetigit BALIONIUS coniiciendo: παντὶ τῷ ὄντι ‹τι› ἐν ὑμῖν. Idem teste Valckenaerio in *Schedis MSS. ineditis* olim repererat VENEMA. Conferri potest *Act. Apost.* V: 36.

Ep. I ad *Cor.* II: 4 vulgo editur: καὶ ὁ λόγος μου καὶ τὸ κήρυγμά μου οὐκ ἐν πειθοῖς σοφίας λόγοις (λόγοις libri nonnulli omittunt, alii habent λόγου, λόγων vel τῶν λόγων) ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως. COBETUS praeeunte BENTLEIO inducta voce λόγοις restituit: οὐκ ἐν πειθοῖ σοφίας. Nota Ambrosiastrum in *Commentario ad Pauli Epistolas* vertere: *non in persuasione ‹humanae› sapientiae.* Cf. etiam Origenes in Celsum (L. I p. 48) qui Pauli verba suis verbis intexuit.... ἅτε τοῦ λόγου ὄντος καὶ τοῦ κηρύγματος ἐν πειθοῖ τῆς ἐν Φράσει καὶ συνθέσει τῶν λέξεων σοφίας et paulo infra: καὶ ἦν ἂν ἡ πίστις ὁμοίως τῇ τῶν τοῦ κόσμου φιλοσόφων περὶ τῶν δογμάτων πίστει ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων καὶ οὐκ ἐν δυνάμει θεοῦ.

1) *Ps.* XXXII.

Digitized by Google

Ep. *Iac.* III: 1 (ubi omnes Codd. fideli concordia conspirant in μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε, ἀδελφοί μου, εἰδότες ὅτι μεῖζον κρίμα λημψόμεθα ..... εἴ τις ἐν λόγῳ οὐ πταίει, οὗτος τέλειος ἀνήρ) crux interpretum est, ut aiunt. Quam vim enim habeant vv. *ne estote multi doctores* haud facile quispiam dixerit. Infeliciter sane Lachmannus: μὴ πῶλοι δύσκολοι γίνεσθε; aliquanto melius, ut opinor, Naberus proposuerat: μὴ πλανοδιδάσκαλοι γίνεσθε. Sed verum vidit VAN DE SANDE BAKHUYZEN (ut et alii quidam docti theologi Batavi) qui collata versione latina, ubi extat: *nolite multiloqui esse*, fidenter rescripsit: μὴ πολύλαλοι γίνεσθε. Probabile est in vetusto archetypo in media voce ΠΟΛΤΛΑΛΟΙ duas pluresve literas evanuisse, deinde librarium lacunam suo Marte coniectando explevisse.

Ep. ad *Col.* II: 18 extat in libris: μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων(?) ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, ἃ ἑόρακεν ἐμβατεύων[1]) εἰκῇ φυσιούμενος ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ κτέ. Sub prava lectione θέλων quid lateat adhuc frustra meo quidem iudicio quaesiverunt vv. dd., sed pro ΑΕΟΡΑΚΕΝΕΜΒΑΤΕΤΩΝ TAYLORUS acutissime deleta una litera Ο perspexit legendum esse: ἀέρα κενεμβατεύων. Est haec emendatio in paucis palmaris; iamque apparet, credo, quam temere a correctore qui locum corruptum non intelligeret, ante ἑόρακεν particula negativa μὴ inserta sit.

Sed imprimis notatu digni sunt loci complusculi nunc demum purgati omni genere additamentorum, quae partim in margine librorum apposita deinde a scribis suscepta sunt in textum, partim non sine magno detrimento sententiae infersit correctorum levitas.

Constantino Tischendorfio iuvene anno r. s. MDCCCXLI Lutetiae degente ibique indefesso labore exemplaria sacra nocturna versante manu versante diurna, in eandem urbem studiorum causa venit iuvenis Cobetus. Parisiis ut posthac Venetiis in bibliotheca publica quotidie fere una sunt: iungunt amicitiam: multum, ut fit, inter se colloquuntur de literis communibusque studiis

1) ἃ μὴ ἑόρακεν ἐμβατεύων codicum complurium scriptura est quam sequitur Tischendorfius.

Digitized by Google

doctrinae; hic, ut olim Tib. Hemsterhusius, „difficilis, suspicax, semper verens ne quid sibi fallaciae vel a librario vel ab interpolatore strueretur"; ille admodum durus in criticorum coniecturis probandis, in lectionibus vero quae ex membranis ducantur, admittendis, facillimus. Ad manum habeo literas in quibus Geelio amico Leidensi narrat Cobetus se forte disputasse cum Tischendorfio de Pauli Ep. ad *Gal.* IV : 24 seqq.; locum se quidem iudice procul dubio interpolatum esse nec ullo modo explicari posse nisi resecto inepto scholio geographico in hunc modum: *αὗται γάρ εἰσιν δύο διαθῆκαι· μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, εἰς δουλείαν γεννῶσα, ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ, [τὸ (γὰρ) Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ] συνστοιχεῖ [δὲ] τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ, δουλεύει γὰρ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. ἡ δὲ ἄνω Ἱερουσαλὴμ ἐλευθέρα ἐστίν, ἥτις ἐστὶν μήτηρ ἡμῶν*; Tischendorfio vero se contra vetustissimorum codicum testimonia nec hoc nec quidquam aliud huius generis umquam persuadere potuisse. — Idem reperit Naberus (*Mnemos.* 1878 p. 102) cui facile credimus affirmanti stultiorem interpolationem se numquam vidisse.

Ep. *Iac.* II : 2 seqq. quo loco tradita lectio est: *ἐὰν γὰρ εἰσέλθῃ εἰς συναγωγὴν ὑμῶν ἀνὴρ χρυσοδακτύλιος ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ, εἰσέλθῃ δὲ καὶ πτωχὸς ἐν ῥυπαρᾷ ἐσθῆτι, ἐπιβλέψητε δὲ ἐπὶ τὸν φοροῦντα τὴν ἐσθῆτα τὴν λαμπρὰν καὶ εἴπητε· σὺ κάθου ὧδε [καλῶς] καὶ τῷ πτωχῷ εἴπητε· σὺ στῆθι ἐκεῖ ἢ κάθου ὑπὸ τὸ ὑποπόδιόν μου, οὐ διεκρίθητε ἐν ἑαυτοῖς καὶ ἐγένεσθε κριταὶ διαλογισμῶν πονηρῶν*; Naberus merito suspicatus est *καλῶς* illud annotationem esse „lectoris cuiusdam, cui apostoli praeceptum impense placeret".

Operae pretium est cum hoc loco componere Ev. sec. *Marcum* VII : 5 seqq. „Interrogaverunt Iesum Pharisaei et scribae: *διὰ τί οὐ περιπατοῦσιν οἱ μαθηταί σου κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων ἀλλὰ κοιναῖς χερσὶν ἐσθίουσιν τὸν ἄρτον; ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· καλῶς ἐπροφήτευσεν Ἡσαΐας περὶ ὑμῶν τῶν ὑποκριτῶν, ὡς γέγραπται ὅτι οὗτος ὁ λαὸς τοῖς χείλεσίν με τιμᾷ, ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόρρω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ· μάτην δὲ σέβονταί με διδάσκοντες διδασκαλίας* [1]) *ἐντάλματα ἀνθρώπων. [ἀφέντες τὴν ἐντολὴν*

1) Excidit, nisi fallor, coniunctio *καὶ* et coll. versione iuxta LXX ubi extat *διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας*, corrigendum erit *διδασκαλίας <καὶ> ἐντάλματα ἀνθρώπων*.

Digitized by Google

τοῦ θεοῦ κρατεῖτε τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων]. καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· [καλῶς] ἀθετεῖτε τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ, ἵνα τὴν παράδοσιν ὑμῶν τηρήσητε. Scilicet hic quoque τὸ καλῶς male pedem intulisse recte observavit v. d. VAN DE SANDE BAKHUYZEN; hic quoque, ut vides, plausus quem in ora libri sustulerat aliquis arbitratus Iesum de Pharisaeis verissime iudicavisse, in orationis contextum migravit. Ceterum nota tautologiam. vv. ἀφέντες τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ κρατεῖτε τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων incommodo loco collocata si abessent, nemo certe desideraret. Quid censes, mi lector! nonne haec tibi nata videntur ex iis quae continuo sequuntur: ἀθετεῖτε τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ, ἵνα τὴν παράδοσιν ὑμῶν τηρήσητε?

Ev. sec. *Matth.* I: 18 in cunctis libris scriptum invenimus: τοῦ δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡ γένεσις οὕτως ἦν. μνηστευθείσης τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μαρίας τῷ Ἰωσήφ, πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς, εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα [ἐκ πνεύματος ἁγίου] κτέ. Qui totum locum diligenter consideraverit cum VENEMA MARKLANDO BAKHUYZENIO verba uncinis inclusa a textu aliena esse censebit. Nempe Mariam praegnantem esse *e Spiritu Sancto*, antequam angelus Iosepho in somnio apparuit — cf. vs. 20: τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου, unde vv. seclusa desumpta sunt — nec ipse Iosephus nec quisquam alius ullo modo scire poterat.

Ev. sec. *Matth.* VII: 18 seqq. tradita lectio est: οὐ δύναται δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς πονηροὺς ἐνεγκεῖν οὐδὲ δένδρον σαπρὸν καρποὺς καλοὺς ἐνεγκεῖν. [πᾶν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν ἐκκόπτεται καὶ εἰς πῦρ βάλλεται]. ἄραγε ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς. Totam sententiam πᾶν δένδρον .... βάλλεται post MARKLANDUM expunxit Bakhuyzenius. Verum quidem est arbores steriles excidi solere et in ignem abiici, sed hic nihil facit ad rem. Adscripserit aliquis in margine id quod de arboribus sterilibus se legisse meminerat *Matth.* III: 10 (ἤδη δὲ ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κεῖται· πᾶν οὖν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν ἐκκόπτεται καὶ εἰς πῦρ βάλλεται).

Ev. sec. *Luc.* VII: 44 seqq. (verba Iesu ad Simonem qui eum ad coenam invitaverat) secundum Codd. ab omnibus editur: ὕδωρ μοι ἐπὶ πόδας [οὐκ] ἔδωκας, αὕτη δὲ τοῖς δάκρυσιν ἔβρεξέ

Digitized by Google

μου τοὺς πόδας καὶ ταῖς θριξὶν αὐτῆς ἐξέμαξεν. Φίλημά μοι [οὐκ] ἔδωκας· αὕτη δὲ ἀφ' ἧς εἰσῆλθον, οὐ διέλιπε καταφιλοῦσά μου τοὺς πόδας· ἐλαίῳ τὴν κεφαλήν μου [οὐκ] ἤλειψας· αὕτη δὲ μύρῳ ἤλειψε τοὺς πόδας μου. Equidem vero satis mirari nequeo Balionium in calcem relegasse NABERI emendationem unam omnium pulcherrimam, qui triplici negatione eliminata — in scriptoribus profanis quoque quam saepe librarii particulas negativas aut perperam omiserint aut falso invexerint quid harum rerum peritos opus est docere? — venustissimae narrationi inveteratis sordibus obscuratae pristinum nitorem reddidit (vide id apud ipsum *Mnemos.* 1881 p. 283).

Ev. sec. *Luc.* XVI : 20 seq. contra *de divite et Lazaro* (πτωχὸς δέ τις ὀνόματι Λάζαρος ἐβέβλητο πρὸς τὸν πυλῶνα αὐτοῦ εἱλκωμένος καὶ ἐπιθυμῶν χορτασθῆναι ἀπὸ τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τοῦ πλουσίου, ἀλλὰ καὶ οἱ κύνες ἐρχόμενοι ἀπέλειχον (libri variant inter ἀπέλειχον, ἐπέλειχον, περιέλειχον, ἔλειχον) [τὰ ἕλκη αὐτοῦ] Balionius agnovit praestantiam coniecturae Peerlkampianae. τὰ ἕλκη αὐτοῦ propter partic. antecedens εἱλκωμένος temere de suo addiderit quisquis ille fuerit, sive lector sive librarius, verbum obiecto suo carere ratus nec animadvertens quam commode mente suppleri possit: τὰ πίπτοντα ἀπὸ τῆς τραπέζης. — Blassium (in editione eius) si audis, etiam vocabula χορτασθῆναι ἀπὸ spuria sunt. Ceterum fortasse expectaveris: ἀλλὰ καὶ ⟨ταῦτα⟩ οἱ κύνες ἀπέλειχον: *sed* HAEC *quoque canes delingebant.*

At lubrica res est et periculosae plenum opus aleae sacros scriptores emendare velle philologo linguae Hebraicae et theologicae rationis ignaro et in graecitate sequioris aevi nonnisi mediocriter versato etiam magis quam literatis theologis qui in hoc studiorum genere haerent et habitant.

Act. Apost. VII : 20, ut hoc utar, eruditi lectores bene multi offenderunt in verbis: ἐν ᾧ καιρῷ ἐγεννήθη Μωϋσῆς, καὶ ἦν ἀστεῖος τῷ θεῷ. Veluti Cobetus qui pro ἀστεῖος coniecit δεκτὸς quoniam adiectivum ἀστεῖος cum dativo coniunctum nihil esse videtur; contra optime graece dicitur δεκτὸν εἶναί τινι, *gratum atque acceptum esse alicui.* Laudat ille eiusdem libri X : 35: οὐκ ἔστιν προσωπολήμπτης ὁ θεὸς ἀλλ' ἐν παντὶ ἔθνει ὁ

Digitized by Google

Φοβούμενος αὐτὸν καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην δεκτὸς αὐτῷ ἐστιν; monet in scriptura unciali ACTЄIOC et ΔЄICTOC parum differre facillimeque confundi posse idque manifesto factum esse ostendit apud Alciphronem (III, 70), ubi genuinam lectionem sine controversia esse: *οὐκέθ' ὁμοίως ἀστεῖος* (codd. *δεκτός*) *οὐδὲ χαρίεις ἐδόκουν*. Primo obtutu coniecturam Cobetianam omnes veritatis numeros habere dixeris: nihilominus qui cum Blassio (in calce editionis eius p. 99) comparat Ep. ad *Hebr.* XI : 23 (*πίστει Μωϋσῆς γεννηθεὶς ἐκρύβη τρίμηνον ὑπὸ τῶν πατέρων αὐτοῦ, διότι εἶδον ἀστεῖον* (i. e. *καλόν, formosum*) *κτέ.*), quod petitum esse apparet ex *Exodi* II : 2 (*καὶ ἐν γαστρὶ ἔλαβε, καὶ ἔτεκεν ἄρσεν· ἰδόντες δὲ αὐτὸ ἀστεῖον* (*formosum*) *ἐσκέπασαν αὐτὸ μῆνας τρεῖς*), simulque cogitat dativum cum adiectivo *ἀστεῖος* coniunctum commode per hebraismum explicari posse, quemadmodum e. g. apud Ionam prophetam (III : 3) iuxta LXX Interpretes invenimus: *ἡ δὲ Νινευὴ ἦν πόλις μεγάλη τῷ θεῷ*, rationibus subductis satius esse existimabit traditam lectionem intactam relinquere [1]).

Aliud exemplum mihi praebebit Naberus, vir, ut philologus, in Novo Foedere emendando saepius et egregie versatus (cf. *Mnemos.* 1878 p. 370). Ep. ad *Hebr.* IX : 7 de pontifice maximo semel tantum quotannis sanctum sanctorum intrante codd. exhibent: *οὐ χωρὶς αἵματος* (scil. *εἰσέρχεται*) *ὃ προσφέρει ὑπὲρ ἑαυτοῦ καὶ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων*. Quid mirum si doctissimus quisque philologus suspectam habet vocem *ἀγνόημα* = *erratum, peccatum*? Cum apud nullum alium scriptorem, ut videtur, *τῶν ἀγνοημάτων* fiat mentio, Naber coll. *Act. Apost.* XV : 20 commendat: *ὑπὲρ ἑαυτοῦ καὶ τῶν τοῦ λαοῦ ἀλισγημάτων* atque ipse olim cogitaveram de *ἀνομημάτων* quo vocabulo frequenter utuntur scriptores christiani [2]) hodieque utuntur *οἱ παῖδες τῶν Ἑλλήνων*, ut testis auritus affirmare possum. Cave tamen quidquam mutes. Forte fortuna nuper apud Hesychium incidi in glossam *ἀμαρτών· ἀκολουθῶν· ἀγνοήσας*. Hesychium autem ut Suidam, Etym. M. alios v. *ἁμαρτάνειν* imperite confundere

1) Cf. Naber Mnem. 1900 p. 89.

2) In vulgus notus est monachorum lusus:
νίψον ἀνόμημα μὴ μόναν ὄψιν.

Digitized by Google

solere cum v. homerico ὁμαρτέειν = ἀκολουθεῖν *comitari* — partic. ὁμαρτέων occurrit Ω, 438 — vix opus est monere (cf. *Ebelingii Lexicon* in voce). Verum quid tibi videtur? nonne hic certissimum tenemus testimonium verbum ἀγνοεῖν cum derivatis apud Graecos aetatis recentioris vim habuisse *errandi* atque *peccandi*?

Occurrunt sane hic illic leviora quaedam damna quae vel sine theologorum ope sarcire audemus. Apud *Marcum* e. g. IV : 30 coll. *Matth.* XIII : 31 seqq. in propatulo est triplici dittographia expuncta rescribere: καὶ ἔλεγεν· πῶς ὁμοιώσωμεν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ; ⟨ἔστιν⟩ ὡς κόκκος [1]) σινάπεως ὃς, ὅταν σπαρῇ [ἐπὶ τῆς γῆς], μικρότερος πάντων τῶν σπερμάτων ἐστὶ τῶν ἐπὶ τῆς γῆς καὶ, ὅταν [σπαρῇ] ἀναβαίνῃ [2]) [καὶ], γίνεται μεῖζον πάντων τῶν λαχάνων κτέ.

Apud eundem VIII : 27 seqq. omnes editiones habent: καὶ ἐξῆλθεν ὁ Ἰησοῦς ... καὶ ἐν τῇ ὁδῷ ἐπηρώτα τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ... τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι; οἱ δὲ εἶπαν αὐτῷ λέγοντες ὅτι Ἰωάννην τὸν βαπτιστὴν καὶ ἄλλοι Ἠλίαν, ἄλλοι δὲ ὅτι εἷς τῶν προφητῶν. καὶ αὐτὸς ἐπηρώτα αὐτούς· ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε εἶναι; Non me fugit quo sensu ἐν τῇ κοινῇ διαλέκτῳ aliquando usurpetur αὐτός. Cf. v. c. *Act. Apost.* III : 10; verum αὐτὸς ἐπηρώτα αὐτούς — vertunt: *ipse interrogavit* eos — in hoc certe orationis contextu absurdum est. Sententia enixe flagitat: αὖθις, *rursus*.

Apud eundem XI : 31 seq. (καὶ διελογίζοντο πρὸς ἑαυτοὺς λέγοντες· ἐὰν εἴπωμεν ἐξ οὐρανοῦ, ἐρεῖ· διὰ τί οὐκ ἐπιστεύσατε αὐτῷ; ἀλλ' * εἴπωμεν· ἐξ ἀνθρώπων — ἐφοβοῦντο τὸν λαόν) luce clarius est cum minusculis nonnullis inserendum esse: ἀλλ' ⟨ἐὰν⟩ εἴπωμεν idque miror Balionium praetermisisse.

In Ev. sec. *Matthaeum* VII : 9 seq. editur: ἢ τις ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος, ὃν αἰτήσει ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἄρτον, μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ; ἢ καὶ * ἰχθὺν αἰτήσει, μὴ ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ; sed scriptor procul dubio dederat: ἢ καὶ ⟨εἰ⟩ ἰχθὺν αἰτήσει. Ceterum eadem medicina sanandus est locus parallelus *Luc.* XI : 11 seq. in hunc modum: τίνα δὲ ἐξ ὑμῶν [τὸν πατέρα] ⟨εἰ⟩ αἰτήσει ὁ υἱὸς

1) κόκκῳ codd.
2) ἀναβαίνει codd.

Digitized by Google

ἰχθύν, μὴ ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ; ἢ καὶ <εἰ> αἰτήσει ᾠόν, μὴ ἐπιδώσει αὐτῷ σκορπίον [1]);

At sunt hi loci, ut quisque videt, sicut alii huiusmodi, Synopticorum praesertim, complures, ad intelligendum aperti atque perspicui et leviter tantum contaminati; unde fit ut semel sede vitii reperta nullo negotio persanari possint. In abstrusioribus vero et perplexioribus si forte fraudem detexisse et verum videre tibi videare, nihil praecipitare praestabit et suspiciones tuas nonum premere in annum.

Ego certe, ne ipse inepte committam quod in altero reprehendere soleo, scidulis in aliquod tempus repositis, hodie satis habebo vv. dd. *τῶν ἐπαϊόντων τούτων πέρι* iudicio tres tantum locos ex Evangelio St. Marci permittere, ut mecum considerent, nisi molestum est, num mirum in modum interpolati sint.

Ev. sec. *Marcum* II : 9 seq. Codd. exhibent:

τί ἐστὶν εὐκοπώτερον εἰπεῖν τῷ παραλυτικῷ· ἀφίενταί σου αἱ ἁμαρτίαι, ἢ εἰπεῖν· ἔγειρε καὶ ἆρον τὸν κράββατόν σου καὶ περιπάτει; ἵνα δὲ εἰδῆτε ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀφιέναι ἁμαρτίας ἐπὶ τῆς γῆς, [λέγει τῷ παραλυτικῷ] σοὶ λέγω· ἔγειρε, ἆρον τὸν κράββατόν σου καὶ ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου κτἐ. [2]).

Quem tandem usum *ἐν τοῖς συμφραζομένοις* habeant vv. *λέγει τῷ παραλυτικῷ* haud facile dixeris. Quin prorsus supervacanea sunt. Quemadmodum enim, ubi *ἵνα δὲ εἰδῆτε* ait Iesus, sane quam absurdum fuisset in media sententia interponere *τοῦτο λέγει τοῖς γραμματεῦσι* vel simile quid,

---

1) Blassius hunc locum secundum formam quae videtur Romana, ita constituit: *τίνα δὲ ἐξ ὑμῶν τὸν πατέρα ὁ υἱὸς αἰτήσει ἰχθύν, καὶ ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν αὐτῷ ἐπιδώσει; ἢ καὶ αἰτήσει ᾠόν, ἐπιδώσει <δὲ> σκορπίον;*

2) Similiter, nisi quod initio post v. *εἰπεῖν* melius omittunt *τῷ παραλυτικῷ*: *Matth.* IX : 5 seq. *τί γάρ ἐστιν εὐκοπώτερον εἰπεῖν· ἀφίενταί σου αἱ ἁμαρτίαι, ἢ εἰπεῖν ἔγειρε καὶ περιπάτει; ἵνα δὲ εἰδῆτε ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας, [τότε λέγει τῷ παραλυτικῷ]· ἐγερθεὶς ἆρόν σου τὴν κλίνην καὶ ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου.*

Luc. V. 23 seq. *τί ἐστὶν εὐκοπώτερον εἰπεῖν· ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου ἢ εἰπεῖν· ἔγειρε καὶ περιπάτει; ἵνα δὲ εἰδῆτε ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐξουσίαν ἔχει ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας [εἶπεν τῷ παραλελυμένῳ]· σοί λέγω· ἔγειρε καὶ ἆρας τὸ κλινίδιόν σου πορεύου εἰς τὸν οἶκόν σου.*

Digitized by Google

sic, cum dicit σοὶ λέγω, nemo sanus non sponte intelligit ad paralyticum eum verba facere. Accedit quod „ut autem sciatis Filium hominis habere potestatem remittendi peccata in terra, *ait paralytico:* tibi dico: surge etc." admodum vitiose dictum est.

Emblema λέγει τῷ παραλυτικῷ (quo deleto ad sententiae integritatem nihil quidquam deerit) imperito lectori debemus, si quid video, qui orationem non satis firmiter constare suspicatus pro sua graecitatis facultate fulcrum addidit. Ceterum quod eadem fere verba eadem perversa sede etiam apud Matthaeum et Lucam occurrunt, id commodam habet explicationem, si recordamur plurima passim per lectores et librarios ex altero in alterum Evangelium invecta esse [1]).

Ev. sec. *Marcum* I : 27 (cf. *Luc.* IV : 36 [2]) nec non 31 seq.) de daemoniaco quodam sanato in libris exaratum est:

καὶ ἐθάμβησαν ἅπαντες, ὥστε συνζητεῖν αὐτοὺς λέγοντας· τί ἐστιν τοῦτο; [διδαχὴ καινή] κατ' ἐξουσίαν καὶ τοῖς πνεύμασι τοῖς ἀκαθάρτοις ἐπιτάσσει καὶ ὑπακούουσιν αὐτῷ. καὶ ἐξῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εὐθὺς πανταχοῦ εἰς ὅλον τὴν περίχωρον τῆς Γαλιλαίας.

Iure rogaveris nec dubito quin S. Scripturae interpretes saepe frustra quaesiverint quid hic sibi velint vocabula inclusa. Cedo, quaenam hic nobis *nova doctrina* significatur? Fecerat miraculum, spiritum impurum eiecerat Dominus; praeceptum vero dederat nullum. Itaque necessario concludendum est vv. διδαχὴ καινὴ a textu aliena esse. Detexisse autem mihi videor unde se in hanc sedem insinuaverint. Non nescii sunt quibus codd. MSS. complures versare contigit, saepe fieri solere ut lectores quidquid in quocunque genere rerum sibi notatu maxime dignum videretur, in ora librorum breviter indicaverint. Sic, ut supra ostendimus, ut nobili loco nos attendere moneant, apponunt καλῶς, ὀρθῶς, ὡραῖον; sic interdum satis pueriliter adscribunt:

---

1) Cf. Blassii *Praef. ad Ev. sec. Lucam* p. XIV seq.

2) *Luc.* IV : 36 haerere me fateor in verbis τίς ὁ λόγος οὗτος; ut omnia recte procedant, vide num coll. v. 31 seq. (καὶ κατῆλθεν εἰς Καφαρναοὺμ πόλιν τῆς Γαλιλαίας. καὶ ἦν διδάσκων αὐτοὺς ἐν τοῖς σάββασιν· καὶ ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, ὅτι ἐν ἐξουσίᾳ ἦν ὁ λόγος αὐτοῦ) forsitan transponendum sit:

καὶ ἐγένετο θάμβος ἐπὶ πάντας καὶ συνελάλουν πρὸς ἀλλήλους λέγοντες· τίς ὁ λόγος οὗτος ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει ὅτι ἐπιτάσσει τοῖς ἀκαθάρτοις πνεύμασι καὶ ἐξέρχονται; καὶ ἐξεπορεύετο ἦχος περὶ αὐτοῦ εἰς πάντα τόπον τῆς περιχώρου.

Digitized by Google

γνωμικόν, ἀλληγορικόν, παροιμία, ἀπορία, λόγος, διηγημάτιον et quid non? haud raro etiam *ipsius scriptoris verbis plerumque usi* paucis complectuntur sententiae caput, cardinem quaestionis, summam rerum in orationis contextu expositarum sim.

Iam operae pretium est cum loco nostro componere id quod paulo supra (v. 22 = *Matth.* VII : 29) narrat Marcus: Iesu Capernaumi in synagoga docente, inquit, auditores „percellebantur super doctrina eius: docebat enim eos ut auctoritatem habens et non ut scribae". Ecce verba quibus, nisi egregie fallor, probabile est lectorem quemdam annotatiunculam allevisse in hunc modum:

διδαχὴ καινή { καὶ ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ· ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς.

Quid deinceps factum sit facile intelligimus. Scilicet librariorum socordia more suo codicem, ut erat in ora hic illic paucis quibusdam notis instructus, fideliter sane sed negligentius describentium, futilis annotatiuncula in margine primum paululum descendit, deinde alienissimo loco, ut fit, irrepsit in textum.

Tertius locus mea quidem sententia manifesto interpolatus in eodem *Marci* Evangelio legitur VII : 18 seq. (= *Matth.* XV : 17 seqq.) „Nihil est extra hominem, dicit Iesus, quod ingrediens in eum possit eum polluere".

Marcus	Matthaeus
οὐ νοεῖτε ὅτι πᾶν τὸ ἔξωθεν εἰσπορευόμενον εἰς τὸν ἄνθρωπον οὐ δύναται αὐτὸν κοινῶσαι, ὅτι οὐκ εἰσπορεύεται αὐτοῦ εἰς τὴν καρδίαν ἀλλ' εἰς τὴν κοιλίαν, καὶ εἰς τὸν ἀφεδρῶνα ἐκπορεύεται [καθαρίζων[1]) πάντα τὰ βρώματα]; ἔλεγεν δὲ ὅτι τὸ ἐκ τοῦ ἀνθρώπου ἐκπορευόμενον, ἐκεῖνο κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον.	οὐ νοεῖτε ὅτι πᾶν τὸ εἰσπορευόμενον εἰς τὸ στόμα, εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται; τὰ δὲ ἐκπορευόμενα ἐκ τοῦ στόματος ἐκ τῆς καρδίας ἐξέρχεται, κἀκεῖνα κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον.

1) καθαρίζων exhibet vetustissimus quisque codex; καθαρίζει cod. *Bezae Cantabrigiensis* saec. VI; καθαρίζον libri saec. IX complusculi.

Digitized by Google

Primo obtutu qui hoc agit, perspicit vv. καθαρίζων πάντα τὰ βρώματα in sententia omnino non habere quo referantur. Plane absurdum igitur est quod uerbum verbo latine reddunt: *non enim ingreditur in cor eius sed in ventrem: et in secessum abit purgans omnes escas.* Gallice autem qui vertit: *parce que cela n'entre pas dans son coeur, mais qu'il va au ventre et qu'il sort aux lieux secrets avec tout ce que les aliments ont d'impur,* is circuitu usus, ut vides, scopulum caute vitavit. Alii interpretes aliter: in loco impedito explicando frustra se torquent omnes.

Hic mihi cum Nabero res est. Rectissime, ut arbitror, Naber qui semel atque iterum de hoc loco disputavit *Mnemos.* 1878 p. 95 et 1881 p. 281: „Participium illud καθαρίζων non habet quo referatur itaque correctum fuit ut esset καθαρίζει vel καθαρίζον". In ceteris vero a viro eruditissimo et sagacissimo dissentire liceat. πάντα τὰ βρώματα necessario coniungendum esse cum verbo ἐκπορεύεται censet Naber ideoque sub scriptura καθαρίζων aliud quid delitescere suspicatus est. Cum autem ad verbum ἐκπορεύεσθαι satis bene conveniat adverbium θύραζε (*foras*) — id quod idoneis argumentis demonstrat — pro ἐκπορεύεται καθαρίζων commendat ἐκπορεύεται θύραζε. Quodsi rogamus quid vocabulorum tantopere inter se dissimilium permutationi ansam dederit, respondet antiquum adverbium θύραζε — pro quo semper et ubique ἔξω dicebant homines recentioris aevi — a scriba qui quam vim haberet ne coniectura quidem assequeretur, temere refictum esse in verbum bene graecum quidem, sed quod huius loci non esset.

Hoc vero, ut dicam quid sentiam, vix credibile est. Ut θύραζε illud saeculo IV p. Chr. n. e Graecorum loquendi usu prorsus evanuerit: attamen quid θύρα esset, credo, ne tum quidem obliti erant homines; τὰ θύραθεν Synesio (Ep. 45) sunt *externa bona; pagani* et *gentiles* vel saeculo duodecimo exeunte Constantinopoli vocabantur οἱ θύραθεν. Quin ipsi librarii interdum priscum vocabulum per ἔξω interpretantes documento sunt τὸ θύραζε sibi non monstrum lectionis esse at multo magis verbum obsoletum quidem sed tamen, ut a θύρα derivatum, satis clarum et perspicuum.

Equidem ad vv. καθαρίζει πάντα τὰ βρώματα primum omnium

Digitized by Google

rogavi: *ὁ καθαρίζων οὗτος τίς ἐστιν*; ad quam quaestionem coll. *Act. Apost.* X: 15 de Petro visione animalium purorum et impurorum tacto (*ἃ ὁ θεὸς ἐκαθάρισεν σὺ μὴ κοίνου*) utique respondendum esse videbatur: *αὐτὸς ὁ Κύριος*. Quodsi verbo *καθαρίζειν* ipse Christus pro subiecto est, quid inde sequitur? Sequitur profecto verba quorum apud Matthaeum nullum vestigium appareat quaeque cum praegressis neutiquam cohaereant, ab orationis contextu abhorrere. Interstrepit, ut opinor, et vocem suam nunc in medio Evangelio interponit aliquis, qui in margine exemplaris sui summum et principium eorum quae discipulos docere instituerat Dominus — erat haec quoque *καινὴ διδαχή* — sic breviter sed verissime comprehenderat: ‹*Dominus*› *purgat omnes escas: καθαρίζων* (vel *καθαρίζει*) *πάντα τὰ βρώματα.*

AD PLUTARCHUM.

Numa 9 (Sint.). Nominis *pontifex* ridicula datur etymologia: est *potifex*, eiusque compositi primum haec profertur explicatio ut *homo potens* eo significetur. *Ἕτεροι δέ Φασι πρὸς ὑπεξαίρεσιν γεγονέναι τοὔνομα τῶν δυνατῶν*. Immo vero *τῶν ἀδυνάτων*: *potifex* enim nunc dicitur qui *facit quod potest*: ei ergo „impossibilia" demuntur, quod disertius etiam demonstratur sequentibus: *ὡς τοῦ νομοθέτου τὰς δυνατὰς ἐπιτελεῖν ἱερουργίας τοὺς ἱερεῖς κελεύοντος, ἂν δὲ ᾖ τι κώλυμα μεῖζον οὐ συκοφαντοῦντος.*

Numa 20 (Sint.). Numa regnante per totam Italiam quies erat et feriae; ipsius Numae sapientia et iustitia omnia pervadebat, et quae erat in ipso serenitas, ea in omnes partes diffundebatur [1]), *ὥστε καὶ τὰς ποιητικὰς ὑπερβολὰς ἐνδεῖν πρὸς τὴν τότε κατάστασιν λέγουσιν· ἐν δὲ σιδαροδέτοις πόρπαξιν αἰθὰν ἀραχνᾶν ἔργα.* (Sequuntur alii poetarum loci in eandem sententiam). Ipse, ut opinor, Plutarchus declarat ne versus quidem poetarum, quibus plena et perfecta pax depingitur, sufficere ad laudandam Numae aequalium felicitatem; non alii hoc ei dixerunt. Non enim Plutarchi tempore saepe homines loquebantur de Numae regno. Ergo pro *λέγουσι* rescribamus *λεγούσας*: sic demum recte poetarum loci annectuntur. J. J. H.

1) *διαχεομένης* ex egregia Bryani emendatione pro *διαδεχομένης*.

Digitized by Google

OBSERVATIONES CRITICAE

AD

LUCIANUM.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

(*Continuantur e pag.* 22).

Vitarum Auctio.

§ 1: κοσμήσας πρότερον ὡς εὐπρόσωποι φανοῦνται καὶ ὅτι πλείους ἐπάξονται. Praestat: εὐπροσωπότατοι.

§ 3: καὶ δὴ νόμισον ἤδη κεκαθάρθαι με. Optimus Codex Φ magis ducit ad ἐκκεκαθάρθαι. Cf. § 18: ἐκκαθᾶραι τὸν βίον.

§ 8. Diogenis verba sunt: τουτί μοι λεοντῆ. Adscripsit quis: τὸ τριβώνιον, recte ad sententiam, sed inutiliter.

§ 9. Rogat emtor: πῶς τοῦτο φὴς τὸ μὴ ἀλγεῖν μασιγούμενον; οὐ γὰρ χελώνης ἢ καράβου δέρμα περιβέβλημαι. Multo elegantius erit: περιβεβλήσομαι.

§ 10: οὕτω γὰρ ἀποβλέψονταί σε καὶ ἀνδρεῖον ὑπολήψονται. Praestat, opinor, ὑποβλέψονταί σε.

§ 15. Socrates professus fuerat se optimum fore iuventutis praeceptorem: ἀμέλει κἂν ὑπὸ ταὐτὸν ἱμάτιόν μοι κατακέωνται,

Digitized by Google

ἀκούσῃ αὐτῶν λεγόντων μηδὲν ὑπ' ἐμοῦ δεινὸν παθεῖν. Cui emtor, ἄπισα λέγεις, inquit, τὸ παιδεραστὴν ὄντα μὴ πέρα τῆς ψυχῆς τι πολυπραγμονεῖν, καὶ ταῦτα ἐπ' ἐξουσίας. Et hoc quidem recte, sed languet quod adscriptum fuit: ὑπὸ τῷ αὐτῷ ἱματίῳ κατακείμενον. Ducta haec sunt, uti vides, ex Platonis loco in Symp. p. 219 B: ἀμφιέσας τὸ ἱμάτιον τὸ ἐμαυτοῦ τοῦτον — καὶ γὰρ ἦν χειμών — ὑπὸ τὸν τρίβωνα κατακλινεὶς τὸν τουτουί, περιβαλὼν τὼ χεῖρε τούτῳ τῷ δαιμονίῳ ὡς ἀληθῶς καὶ θαυμαστῷ κατεκείμην τὴν νύχθ' ὅλην, quae verba dum describo, satis mirari non possum, quomodo Alcibiadem deorum hominumque non puduerit talia narrare, etiamsi sciam eum ebrium fuisse. Eodem Platonis loco cum alii usi sunt, tum ipse Lucianus Amor. § 49 et 54, cf. Cobeti *Var. Lect.* p. 150. Tale *vesticontubernium*, sic enim Petronius appellat, memoratur quoque Alciphr. I. 31: ὑπὸ τοὐμὸν ἠγάπα κοιμωμένη χλανίδιον τὸ λιτὸν τοῦτο et Athen. I p. 23 D, ubi teste Aristotele Tyrrheni δειπνοῦσι μετὰ γυναικῶν ὑπὸ τῷ αὐτῷ ἱματίῳ. Sed diversa ratio est eorum quae Lysias habet in oratione adv. Alcibiadem I § 25, ubi legimus Alcibiadis impuberem filium cum Archedemo perpotavisse: πολλῶν ὁρώντων ἔπινε ὑπὸ τῷ αὐτῷ ἱματίῳ κατακείμενος, ἐκώμαζε δὲ μεθ' ἡμέραν, quae ita eduntur ex Dobraei coniectura, nam in Heidelbergensi libro est: ὑπὸ τῷ αὐτόματι. Sunt etiam aliae coniecturae: ὑπὸ τῷ αὐτῷ ϛρώματι, ϛρωματεῖ, εἵματι, οἰκήματι, ἀετώματι, quas omnes cum contemtu abiecit Cobetus post Orat. Inaug. p. 88, sed septendecim annis post, quum Lysiam edebat, Dobraeum secutus est. Quam vellem scire, quid iudicaturus fuisset de mea suspicione: ἐπὶ τῷ αὐτῷ ϛρώματι, h. e. *uno in lectulo.*

Piscatores.

§ 14. Est Lucianus secundum Platonem πάντων ἱεροσύλων ἀσεβέϛατος, sed rectius dicetur ἀσεβέϛερος. Discrimen apparet.

§ 19. Nec magis Lucianus fuit Σύρος τῶν Ἐπευφρατιδίων, sed Ἐπευφρατιδῶν. Ἐπευφρατίδαι nunc dicti quemadmodum Εὐπατρίδαι.

Digitized by Google

§ 27: καὶ σὲ ἀξιοῦμεν τιμωρήσειν ἡμῖν. Prorsus necessarium est τιμωρῆσαι, cf. Reitz. p. 481 Ed. Bip.

§ 34. Ridentur philosophi ad divitum mensas adhibiti, πέρα τοῦ καλῶς ἔχοντος ἐμφορούμενοι καὶ μεμψίμοιροι φαινόμενοι καὶ ἐπὶ τῆς κύλικος ἀτερπῆ καὶ ἀπῳδὰ φιλοσοφοῦντες καὶ τὸν ἄκρατον οὐ φέροντες. Ultimum hoc nescio quomodo mihi displicet. Sunt illi voraces et ultra quam decet genio indulgent, sed temulentia nunc quidem non arguitur. Malim: τὸν ἄκρατον ῥοφοῦντες.

Cataplus.

§ 1: ἔξι τὸ πορθμεῖον τρὶς ἤδη τήμερον ἀναπεπλευκέναι δυνάμενον. Malo: διαπεπλευκέναι, coll. § 20 et 21.

§ 29: δεδέσθω μεμνημένος ὧν ἔπραξε παρὰ τὸν βίον. Supplendum: μεμνημένος (ἀεί). Aliter Hartmannus *Stud. Lucian.* p. 64.

De mercede conductis.

§ 7: ἴσασι γὰρ ἐν τῷ τυχεῖν τὴν διάλυσιν τοῦ ἔρωτος γενησομένην· ταύτην οὖν ἀποκλείουσι καὶ ζηλοτύπως φυλάττουσι. Verum si quid φυλάττομεν, non excludimus, sed occludimus: unde praestare dixerim: κατακλείουσι.

§ 12: ἐννόησον ἄνδρα ἐν βαθεῖ πώγωνι καὶ πολιᾷ τῇ κόμῃ. Immo: ἐν βαθεῖ (τῷ) πώγωνι.

§ 17: τοῦτο ἡμῖν πρὸς τοῖς ἄλλοις δεινοῖς ἐλείπετο. Verum esse coniicio: δεινόν.

§ 17: καίτοι τί ἐστιν ἐφ' ὅτῳ προτιμῶνται ἡμῶν; οὐ ῥημάτια δύσηνα λέγοντες εἴονταί τι παμμέγεθες ὠφελεῖν; Fritzschius rectissime sensit hic aliquid deesse ad loci integritatem, sed quod expuncta negatione in textum intulit: μῶν ῥημάτια, in ea re eum ratio egregie fefellit. Latet vitium admodum vulgare: οἱ ῥημάτια. Verbum non addam.

Digitized by Google

§ 20: *σαίνεις δ' ὅμως τὴν ὑπόσχεσιν.* Stulta lectio est, nec quidquam proficitur Fritzschii coniecturis: *σαίνεις δ' ὅμως πρὸς τὴν ὑπόσχεσιν* vel *σαίνῃ δ' ὅμως τῇ ὑποσχέσει.* Aliunde affertur varia lectio *ἐπαινεῖς* eaque mihi verissima videtur.

§ 20: *εἰπὼν ἐλάχιστον καὶ μάλιστα πρὸς τὰς σὰς ἐκείνας ἐλπίδας.* Rectius erit: *παρὰ τὰς σὰς ἐκείνας ἐλπίδας* vel fortasse: *ἥκιστα πρός.* Anceps haereo utrum praeferam.

§ 25: *ὧν μὲν γὰρ ἕνεκα τῶν μαθημάτων ἐπιθυμεῖν φήσας παρείληφέ σε, ὀλίγον αὐτῷ μέλει.* Cobetus in *Variis Lectionibus* p. 296 delenda censuit vocabula *ἕνεκα τῶν μαθημάτων*, qua coniectura Fritzschius scribit se nihil vidisse infelicius. Scilicet, ut pergit scribere, Lucianus utitur pervulgata attractione, prorsus ut Sophocles in Antigone vs. 400, ubi Scholiasta versum Cratini apte contulit. Sunt, fateor, huius constructionis alia exempla, sed nil tale locum habet in simplicissimo minimeque fucato dicendi genere, quod Lucianus sequitur. Id tantum concedi fortasse poterit genuinum esse *ἕνεκα*, sed vocabula *τῶν μαθημάτων* male abundant.

§ 26: *οὐ μὴν οὐδ' ἡ ἄλλη ὕβρις ἄπεσιν, ἀλλ' οὔτε ᾠὸν ἔχεις μόνος, κτέ.* Etiam pueri qui primum Horatium perlegerunt, proverbium norunt *ab ovo usque ad mala*, h. e. inde a principio usque ad finem. Itaque obscuri nihil habet quod iocatur Cicero ad Fam. IX 20: integram famem ad ovum affero. Etiam Graeci hunc morem cognoverunt, quamquam nostro palato minime conveniat; legimus certe in Lysistrata: *κἂν ᾠὸν ἢ μῆλον λάβῃ, Κινησίᾳ τουτὶ γένοιτο, Φησί.* Nec tamen minus incommoda est ovi mentio; cur enim Graeculo illi denegabitur ovum, cum tamen apponatur *νεοττὸς ἡμίτομος ἢ Φάττα τις ὑπόσκληρος*? Quid ovo vilius? Aliud quid latet. Aqua nivea est, quae convivis praebebatur, de quo more Athenaeus pluribus egit p. 124. Strattidis fragmentum est:

οἶνον γὰρ πιεῖν
οὐδ' ἂν εἷς δέξαιτο θερμόν, ἀλλὰ πολὺ τοὐναντίον
ψυχόμενον ἐν τῷ Φρέατι καὶ χιόνι μεμιγμένον.

Pariter Alexis:

καὶ χιόνα μὲν πίνειν παρεσκευάζομεν.

Digitized by Google

Athenis nix interdum deficiebat; vide modo Xen. Memor. II. 1. 30: *τοῦ θέρους χιόνα περιθέουσα ζητεῖς*, itemque Euthyclem apud Athenaeum ibidem:

πρῶτος μὲν οἶδεν εἰ χιών ἐς' ὠνία,

nam hoc malo *οἶδεν*, cum *εἶδεν* edi soleat. Contra Romae, ubi convivium habitum quod Lucianus exagitat, *εὐπορία ψυχρῶν πηγῶν πολλὴ καὶ χιόνος*, ut Galenus scribit *π. συνδ. Φαρμ. τ. κατὰ τόπους.* Ed. K XII 508, quem locum Friedlanderus mihi indicavit. Hinc rescribam: *ἀλλ' οὔτε χιόν' ἔχεις μόνος* estque, uti vides, unius literulae mutatio (ΩΙΟΝ — ΧΙΟΝ). Graeculus vile potat *οἰνάριον* modicis cantharis; ab initio sane nix ei apposita fuit; tanti enim res non est quae abunde suppetebat. Sed miserum hominem famuli negligunt, praetervident et nivi iamdudum liquefactae non novam substituunt. Eiusdem negligentiae luculentum exemplum apud Athen. l.l.: *Καλλίστρατος ἐν ἑβδόμῳ Συμμίκτων φησίν, ὡς ἑστιώμενος παρά τισι Σιμωνίδης ὁ ποιητὴς κραταιοῦ καύματος ὥρᾳ καὶ τῶν οἰνοχόων τοῖς ἄλλοις μισγόντων, αὐτῷ δ' οὔ, ἀπεσχεδίασε τόδε τὸ ἐπίγραμμα*, quod non opus est adscribere. Sed aperta res est; cf. praeterea Neumann. *Physikal. Geogr.* p. 61.

§ 26: *τὸ γὰρ τῷ μὲν ὑπέρ σε τὴν λοπάδα παρεστάναι, ἕως' ἂν ἀπαγορεύσῃ ἐμφορούμενος, σὲ δ' οὕτω ταχέως παραδραμεῖν, τίνι φορητὸν ἐλευθέρῳ ἀνδρί*; Adscribit Fritzschius: „patinam nominat pro patinae ministro", sed haec durissima metonymia est. Lux orietur si scripseris: *παριστάναι.*

§ 27: *ὑπ' αἰδοῦς καταδεδυκὼς σένεις ὡς τὸ εἰκὸς καὶ σεαυτὸν οἰκτείρεις.* Commonstrare haec verba poterunt quid verum esse censeam Ver. Hist. I. 30. Ingens bellua in mari apparuerat: *ἡμεῖς μὲν οὖν τὸ ὕστατον ἀλλήλους προσειπόντες καὶ περιβαλόντες ἐμένομεν· τὸ δ' ἤδη παρῆν.* Quanto significantius erit: *ἐστένομεν.*

Apologia.

§ 3: *ἡ ἱστορία πολλὴ καὶ ἡ ἐμπειρία τῶν πραγμάτων.* Nonne praestat *ποικίλη*?

Digitized by Google

§ 3: κατὰ σαυτοῦ ὁ Βελλεροφόντης γεγραφὼς τὸ βιβλίον. Articulum delendum esse ostendi *Mnem.* 1899 p. 163.

Hermotimus.

§ 8: εἰπὲ ὅ τι καὶ λέγεις. Legam equidem: θέλεις.

§ 11: πολλὰ καὶ μόνον ἀριθμῷ παραλαβὼν τὰ κρέα. De eo more iam dixit Solanus et post Solanum Fritzschius, sed ut integra sententia sit, supplendum: μόνον (οὐχὶ) ἀριθμῷ.

§ 19: ἀνδριάντων ταύτην ἐξέτασιν λέγεις. Relege totum locum et mihi, uti spero, assentieris insiticium esse quod adscriptum est: τὴν ἀπὸ τῶν σχημάτων. Itidem paulo post interpolatum est οἱ τυφλοί, sed hoc Schwartzius iam vidit *Mnem.* 1885 p. 440.

§ 32: ὁ γὰρ διδάσκαλος κἀκεῖνα μεταξὺ διέξεισι πρὸς ἡμᾶς καὶ ἀνατρέπει γε αὐτὰ προσθεὶς αὐτός. Quantum video, Fritzschius vulgatam scripturam frustra tuetur, nec concedam participium tantumdem valere quantum ἐν προσθήκης μοίρᾳ· contextus aliud quid postulat. Latere dixerim: ἀντιπαραθεὶς αὐτά, nam nominativo αὐτός locus non est.

§ 34: ὁ Πλάτων δ' ἄν μοι δοκεῖ καὶ διηγήσασθαί τι τῶν ἐκ Σικελίας, ὡς ἂν εἰδὼς τὰ ἐκεῖ πλεῖσα. Itaque Plato aliquid narraturus est: quid tamen sequitur? τῷ γὰρ Συρακοσίῳ Γέλωνι φασι δυσῶδες εἶναι τὸ σόμα, κτέ. Apertum est requiri: φήσει.

§ 59: ὅτι αὐθομολογούμενον πρᾶγμα λαβὼν καὶ γνώριμον ἅπασι τὸν οἶνον εἰκάζεις αὐτῷ τὰ ἀνομοιότατα. Hic leve est expungere τὸν οἶνον, quod inutiliter additum est; sed quid est αὐθομολογούμενον? Amplexus est Fritzschius Bekkeri correctionem αὖθις ὁμολογούμενον, sed obloquitur Madvigius *Advers.* p. 686, qui commendat ἀνθομολογούμενον. Neutra correctio mihi arridet. Contuli in eadem paragrapho post pauca: τὸν οἶνον φὴς τὸν ἐν τῷ πίθῳ αὐτὸν αὑτῷ ὅμοιον εἶναι et § 74: ἤν τι τοιοῦτον ὅμοιον παραθεωρήσῃς αὑτῷ et omnino verum esse suspicor: ὅτι αὐτὸ αὑτῷ ὅμοιον πρᾶγμα λαβών. Poterit tamen mutatio paulo violentior videri.

Digitized by Google

§ 61. Certius est interpolata verba esse: *ἐκεῖνος μὲν γὰρ (ὁ τῶν Δαναΐδων πίθος) τὸ ἐμβαλλόμενον οὐ συνεῖχεν, ἀλλὰ διέρρει εὐθύς· ἐντεῦθεν δὲ ἦν ἀΦέλης τι, πλέον τὸ λοιπὸν γίγνεται.* Ipsa imperfecta *συνεῖχεν* et *διέρρει* iam debent offensioni esse.

§ 68: *θαλλῷ προδειχθέντι ἀκολουθεῖν ὥσπερ τὰ πρόβατα.* Haec dum scribebat Lucianus, eum ante oculos habuisse dixerim Platonis locum Phaedr. p. 230 D: *ὥσπερ οἱ τὰ πεινῶντα θρέμματα θαλλὸν ἤ τινα καρπὸν προσείοντες ἄγουσι* et parum abest quin credam corrigendum esse *προσεισθέντι*. Luculenter de hoc verbo Ruhnkenius scripsit ad Timaeum p. 136 multaque alia praeterea *προσεπεμέτρησε* Cobetus *ἐν τῷ Ἑρμῇ Λογίῳ* p. 509. Scio quidem Hemsterhusium apud Ruhnkenium tueri vulgatam lectionem *προδειχθέντι* vereque scribit utrumque recte dici *θαλλὸν προσείειν* et *θαλλὸν προδεικνύναι*, sed quum evidens sit Platonis imitatio, dixerim Lucianum dedisse *προσεισθέντι*.

§ 68: *ἐοικὼς ἔσῃ — καλάμῳ τινὶ ἐπ' ὄχθῃ παραποταμίᾳ πεΦυκότι καὶ πρὸς πᾶν τὸ πνέον καμπτομένῳ.* Notabile est eandem proverbialem locutionem inveniri apud Lucam Evang. VII. 24.

Zeuxis.

§ 3: *θήλειαν Ἱπποκένταυρον ὁ Ζεῦξις ἐποίησεν.* Arridet: *ἐπενόησεν.* Sic *τῆς ἐπινοίας τὸ ξένον* dicitur § 7.

§ 7: *αὐτοὺς ἀσχολεῖ ἡ ὑπόθεσις καινὴ οὖσα καὶ ἀπάγει τῆς τέχνης, ὡς ἐν παρέργῳ τίθεσθαι τὴν ἀκρίβειαν τῶν πραγμάτων.* Hoc quid sit non concoquo: intelligam: *τὴν ἀκρίβειαν τῶν γραμμῶν.* Itemque paulo post: *τὴν ἀκρίβειαν τῶν ἔργων παρευδοκιμεῖ ἡ τῆς ὑποθέσεως καινοτομία*, fidenter utar prorsus eodem remedio.

§ 11: *αἰσχυνώμεθα ἔΦη, ὦ ϛρατιῶται.* Indicativo opus est.

§ 12: *τὰ δ' ἄλλα μάτην ἄρα τῷ Ζεύξιδι πεπόληται.* Elegantius scribetur: *πεπόνηται.*

Digitized by Google

Harmonides.

§ 2: οἱ μὲν πολλοὶ θεαταὶ ἴσασι κροτῆσαί ποτε. Melius intelligam: εἰώθασι.

Scytha.

§ 5: νόμιζε τὸ κεφάλαιον ἤδη ἂν εἰδέναι τῶν τῇδε ἀγαθῶν. Otiosa est particula ἄν· simplicissimum est corrigere: διειδέναι.

Quomodo historia conscribenda.

§ 1: μεσὴ ἦν ἡ πόλις ὠχρῶν ἁπάντων καὶ λεπτῶν. Lectio est aperte vitiosa, cui Fritzschius transponendis vocabulis frustra conatus est mederi. Corruptelae sedes est in ipso ἁπάντων, quod equidem refingam ut fiat: περιπατούντων.

§ 2: ὁ πόλεμος ὁ πρὸς τοὺς βαρβάρους καὶ τὸ ἐν Ἀρμενίᾳ τραῦμα καὶ αἱ συνεχεῖς νῖκαι. Verum est: in Armenia clades accepta fuit, de qua clade Dio Cassius retulit LXXI. 1; sed minus recte perpetuae victoriae cum clade sic simpliciter copulantur. Placet: τὸ ἐν Ἀρμενίᾳ στράτευμα.

§ 4: ὡς μὴ μόνος ἄφωνος εἴην ἐν οὕτω πολυφώνῳ τῷ καιρῷ μηδὲ ὥσπερ κωμικὸν δορυφόρημα κεχηνὼς σιωπῇ παραφεροίμην. Unice commendo: τῷ χορῷ idque etiam Jongio persuasi verum esse.

§ 16: ἀρξάμενος ἐν τῇ Ἰάδι συγγράφειν, οὐκ οἶδ' ὅ τι δόξαν αὐτίκα μάλα ἐπὶ τὴν κοινὴν μετῆλθεν, ἰητρικὴν μὲν λέγων καὶ πείρην καὶ ὀκόσα καὶ νοῦσοι. Correxit Dindorfius πέρην, sed πέτρην longe verisimilius est.

§ 17. Recte scribitur: εὐθὺς ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ προοιμίου περιόδῳ συνηρώτησε τοὺς ἀναγιγνώσκοντας λόγον πάνσοφον itemque post pauca: τὰ ἐγκώμια φορτικὰ καὶ κομιδῇ βωμολοχικά, οὐκ ἀσυλλόγιστα μέντοι ἀλλὰ συνηρωτημένα κἀκεῖνα, sed quod interpositum est: ὅλως ἐν ἅπαντι σχήματι συνηρώτητο αὐτῷ τὸ προοίμιον, praeferam: συγκεκρότητο, quemadmodum est Eun. 13: κατηγορίαν συγκροτεῖ.

Digitized by Google

§ 20: ἔτι δὲ καὶ ἐν τῷ τῶν νεκρῶν ἀριθμῷ τοῦτο μὲν καὶ παρὰ τὰ γεγραμμένα ἐν ταῖς τῶν ἀρχόντων ἐπιστολαῖς ἐψεύσατο. Imo: ὑπὲρ τὰ γεγραμμένα et apparet etiam veteres novisse quid esset *mentir comme un bulletin*, quod argumentum nuper strictim attigi *Mnem.* 1899 p. 291, nec quidquam est cur hisce diebus hoc miremur, quum avide sciscitantes numquid novi ex Africa, adulterata τηλεγραφήματα nos ludibrio habent semperque, dum secundis rebus metuimus, speramus magis quam confidere audemus Νίκην ἄπτερον consedisse Praetoriae [1]). Ceterum de Parthica victoria literas laureatas Avidii Cassii Romam attulit Iunius Maximus tribunus, ut scribit Fronto *ad Amic.* I 6. Hoc quidem Maius vere; sed Lucianus in universum ridet duces gloriosos et mendaces; hinc plurali numero τῶν ἀρχόντων, non τοῦ ἄρχοντος· nec supra ceteros nunc Avidius Cassius taxatur.

§ 20: ταῦτ' οὐκ οἶδα εἴ τις ἂν εὖ φρονῶν ἀνάσχοιτο. Atheniensium usus postulat, οὐκ οἶδ' ἄν εἴ τις εὖ φρονῶν ἀνάσχοιτο, vide Cobetum in *Mnem.* 1858 p. 127, qui scribit post multorum annorum sedulam investigationem se huius locutionis octo tantum exempla potuisse reperire. Itaque fugerunt eum duo Platonis loci, Symp. 210 A et Alcib. I p. 114 B, qui eodem remedio curandi sunt. Recte praeterea Lucianus Conviv. s. Lapith. 2: ἧς οὐκ οἶδ' ἄν τίς ἡδίων ἔμοιγε et Tim. 26: πλὴν ἀλλὰ καὶ σὺ ἂν εὖ οἶδα ὅτι ὁμολογήσειας, ubi solemnis verborum ordo fortasse restituendus est. Adde praeterea Elmsl. ad Eurip. Med. vs. 911 et Fritzschium Quaest. Lucian. p. 207.

§ 23: ὡς ἐν ἄλλοις δείξομεν. Lucianus in tali re perpetuo: διέξιμεν.

§ 26. Θουκυδίδης ἐπιτάφιόν τινα εἶπε τοῖς πρώτοις τοῦ πολέμου ἐκείνου νεκροῖς. Inserenda praepositio: εἶπε (ἐπί).

§ 26: ὁ ῥήτωρ ὁ Ἀφράνιος. Expungendum nomen proprium male additum.

---

1) Scriptum 14 Dec. 1899.

Digitized by Google

§ 31. Νίκαιαν [ἀπὸ τῆς Νίκης] χρὴ ὀνομάζεσθαι. Vides quid insiticium sit.

§ 37: οἷος καὶ πράγμασι χρήσασθαι ἂν, εἰ ἐπιτραπείη. Plane non perspicio, quid ἂν particula hic significare possit.

§ 38: Φίλιππος ἐκκεκομμένος τὸν ὀφθαλμὸν ὑπὸ Ἀστέρος τοῦ Ἀμφιπολίτου τοῦ τοξότου ἐν Ὀλύνθῳ. Quod ad ipsam historiam attinet, adeundus est Palmerius in Luciani Ed. Bip. p. 522, sed Asteris Amphipolitani nomen expungendum est. Sic solet Lucianus; veluti § 62 appellat τὸν Κνίδιον ἐκεῖνον ἀρχιτέκτονα, neque addidit ipsum Sostrati nomen.

§ 38: ἐκτὸς εἰ μὴ εὔξασθαι δέον παρέλιπεν. Quod omnes viderunt, hunc flosculum Lucianus decerpsit ex Demosth. Olynth. III 18: οὐκέτι τοῦθ' ὁ λέγων ἀδικεῖ· πλὴν εἰ δέον εὔξασθαι παραλείπει· sed quid huc facit adverbium μή?

§ 38: περιπλεῖν Σικελίαν καὶ Ἰταλίαν. Lege: παραπλεῖν. Italia certe nequit circumnavigari.

§ 50 latet sat grave vitium. Agit Lucianus de officio historiarum scriptoris: ςήσας ἐνταῦθά που ταῦτα ἐπ' ἐκεῖνα μεταβαινέτω, ἢν κατεπείγῃ· εἶτα ἐπανίτω λυθείς ὁπόταν ἐκεῖνα καλῇ. Quid tandem est λυθείς? Unciales literae lucem dabunt: emendandum est αὖθις.

§ 50: μεταπετέσθω ἀπ' Ἀρμενίας εἰς Μηδίαν. Inauditum compositum est; quidni dicemus Lucianum simpliciter dixisse καταπετέσθω.

§ 62. Pharus non fuit κάλλιςον ἔργων ἁπάντων, sed ἔργον.

(Ad *Veras Historias* vide supra p. 9.)

Abdicatus.

§ 5. Sine sensu editur: μαρτυρεῖν γὰρ αὐτῷ ἔχω. Contextus postulat: μάρτυρα γὰρ αὐτὸν ἔχω.

Digitized by Google

§ 6: ἂν δέ τινα ἰατρὸν ἴδῃ καὶ τοῦτ' ἀκουσῃ μόνον. Iam olim interpretes hic haeserunt: mihi haud displicet: ἢ καὶ τοὔνομ' ἀκούσῃ μόνον.

§ 17: ὅταν γοῦν πολλάκις ποιήσωμεν ἤδη πλησίον γενέσθαι τοῦ τέλους, κτἑ. Mirum nondum correctum fuisse: οἰηθῶμεν.

§ 17: οἱ μεμηνότες διὰ τὴν ἐλευθερίαν τοῦ νοῦ δυσάγωγοι καὶ δυσηνιόχητοι. Absonum est libertatis vocabulum; scripserim: διὰ τὴν εὐχέρειαν τοῦ νοῦ.

§ 27: τὰ νοσήματα παρὰ τοὺς ὑποδεξαμένους τόπους ἢ εὔφορα καὶ εὔτροφα ἢ ἐλάττω γίγνεται. Insiticia sunt verba καὶ εὔτροφα· apparet causa interpolationis.

Phalaris I.

§ 7. Insiticia verba sunt: καὶ γὰρ οὐ πάνυ πόρρω τῆς πόλεως εἶναι λέγεται ἡ πέτρα. Quam est ridiculum Phalaridis legatos hoc Delphos docere velle!

Alexander.

§ 2: ἐν πανδήμῳ τινὶ μεγίστῳ θεάτρῳ ὁρᾶσθαι ὑπὸ πιθήκων ἢ ἀλωπέκων σπαραττόμενον. Vides quid displiceat: Hartmannus delet id quod est μεγίστῳ· equidem legendum arbitror μάλιστα.

§ 8: ἑώρων τὴν πρόγνωσιν ἀναγκαιοτάτην τε καὶ ποθεινοτάτην οὖσαν. Absurde: sententiae utique sufficit: εὐκταιοτάτην, nec fortasse nimis violentum remedium est.

§ 14: τὸ ᾠὸν ἐκεῖνο — κηρῷ λευκῷ καὶ ψιμυθίῳ τὴν ἁρμογὴν τοῦ στόματος ξυγκεκολλημένον. Ovum os non habet et proclive est restituere τοῦ πώματος, quod etiam a Codicibus haud parum commendationis habet.

§ 24: οὐ γὰρ ἐμοὶ κτεάνων μέλεται ἄγαν ἀλλ' ὑποφήτου. Elumbis versiculus; omnino praestat: μέλεται τόσον.

§ 25: ἐν ταῖς πόλεσιν ἐπεφώρατο ἠρέμα ἤδη πᾶσα ἡ μαγγα-

Digitized by Google

νεία. Aliquid excidit et supplendum: ἐν ταῖς (Ποντικαῖς) πόλεσιν. Sic recte mox: μάλιςα τῶν Ποντικῶν πόλεων itemque § 41.

§ 25: ὁρῶν τὰς ἐρωτήσεις τῶν προσιόντων συνετὰς καὶ πεπαιδευμένας. Item aliquid excidit: legendum: (οὕτω) συνετάς.

De Saltatione.

§ 11. Disseritur de duabus Spartanorum cantilenis: καὶ θάτερον δὲ τῶν ᾀσμάτων — δύο γὰρ ᾄδεται — καὶ διδασκαλίαν ἔχει ὡς χρὴ ὀρχεῖσθαι. Πόρρω γάρ, Φασιν, ὦ παῖδες, πόδα μετάβατε καὶ κωμάξατε βέλτιον, τουτέςιν ἄμεινον ὀρχήσασθε. Et sensu vacua verba sunt et credibile est Doricam dialectum latere nec apparet cur explicetur adverbium βέλτιον, quod nemini obscurum esse potest. Est correctio facillima: πόρρω, ὦ παῖδες, πεδάβατε καὶ κωμαξεῖτε βέντιον, τουτέςιν ἄμεινον ὀρχήσεσθε. De praepositione πεδά Ahrensius dixit p. 360 et de forma βέντιον p. 110.

§ 19: ἄξιον δέ, ἐπεὶ τὴν Ἰνδικὴν καὶ τὴν Αἰθιοπίαν διεξεληλύθαμεν, καὶ ἐς τὴν γείτονα αὐτῶν Αἴγυπτον καταβῆναι τῷ λόγῳ. Vel puer corrigat: μεταβῆναι.

§ 24: Ἡσίοδος ἰδὼν αὐτὸς εὐθὺς ὀρχουμένας τὰς Μούσας. Vidit sane Musas saltantes, quod ipse narravit et Hesiodi testimonium mox ipse Lucianus affert, sed vidit, credo, εὐθὺς ἐγρόμενος. Conf. M. Caesaris ad Frontonem Epist. I. 5. p. 11.

§ 25. Socrates παρ' ἑταίρας γυναικὸς οὐκ ἀπηξίου σπουδαῖόν τι ἀκοῦσαι. Haud uno nomine displicet quod adscriptum est: τῆς Ἀσπασίας. Crediderim equidem Diotimam magis intelligendam esse.

§ 29: ἡ κωμῳδία τὸ καταγέλαςον μέρος τοῦ τερπνοῦ αὐτῇ νενόμικεν. Prorsus non intelligo cur editores recesserint ab lectione quae olim circumferebatur: νενέμηκεν.

§ 41: Κάδμου ἐπιδημία καὶ βοὸς ὄκλασις. Hic venit mihi in

Digitized by Google

mentem eorum quae leguntur Schol. Iliad. B 494, ubi de eadem illa bove sermo fit: ἡ δὲ διεξιοῦσα πᾶσαν Βοιωτίαν ὀκνήσασα ἀνεκλίθη, sed necessario corrigendum est: ὀκλάσασα.

§ 79: ὥςε ἂν ἐρῶν τις εἰς τὸ θέατρον παρέλθοι, ἐσωφρονίσθη ἰδὼν ὅσα ἔρωτος κακὰ τέλη. Apparet foede corruptum esse optativum παρέλθοι, sed satis certam correctionem non video, nam plus una probabilis via ostenditur; sed affirmare ausim scribendum esse: ὅσα ἔρως κακὰ τελεῖ.

§ 83. Fit sermo de histrione qui quum Aiacem furiosum ageret, οὐχ ὑποκρίνασθαι μανίαν ἀλλὰ μαίνεσθαι αὐτὸς εἰκότως ἄν τινι ἔδοξεν. Plaudebat populus, sed spectatores intelligentes erant τοῖς ἐπαίνοις καὶ αὐτοὶ τὴν ἄνοιαν τῆς ὀρχήσεως ἐπικαλύπτοντες. Imo: τὴν ἀνίαν.

§ 84. Brevi post ille histrio resipuit, ὥςε καὶ νοσῆσαι ὑπὸ λύπης ὡς ἀληθῶς ἐπὶ μανίᾳ κατεγνωσμένον. Hunc locum sedulo perpendant interpretes quibus sana videntur Apostoli verba quae inveniuntur in Epist. ad Gal. II. 11, cf. *Mnem.* 1878 p. 102. Ad commendandum illud quod illic conieceram, cf. etiam Schol. Arist. Eqq. 46.

Lexiphanes.

§ 1. Ut appareat quid velim, necessario paulo plura mihi describenda erunt. Ridicule dixerat Lexiphanes: γράμμα ἐςὶ τήτινόν τι τῶν ἐμῶν κομιδῇ νεοχμόν. Deinde Luciani iocus perfacilis intellectu est: ἤδη γάρ τι καὶ περὶ αὐχμῶν ἡμῖν γράφεις; Cui Lexiphanes, οὐ δῆτα, inquit, οὐδὲ αὐχμὸν εἶπον ἀλλ' ὥρα σοι τὸ ἀρτιγραφὲς οὕτω καλεῖν. Hic ut lepidus locus sit, non vitium sermonis eximendum, sed ultro inferendum est, nam quoties Lexiphanes os aperit, turpiter labitur. Quid igitur dixerat? Ἀλλ' ὥρασι τὸ ἀρτιγραφὲς οὕτω καλῶ. Scilicet ὥρασιν ἱκέσθαι recte dicitur, sed stulte pro νῦν usurpatur. Plane eiusdem generis vitium Lexiphanes committit § 2: ἔχεις δὲ χαμᾶζε παρὰ τὴν ἐγγυθήκην δύ' ὀβολώ.

Digitized by Google

§ 2: οἶσθα δὲ ὡς ἐν κρύει σφοδρῷ γίνεται τὰ καύματα. Malo: σφοδρά.

§ 11. Δαμασίας ὁ πάλαι μὲν ἀθλητὴς καὶ πολυνίκης. Non novi hoc vocabulum: arridet: περιοδονίκης.

§ 11. Hic igitur Damasias ἐξοικιεῖν ἔμελλε τήμερον εἰς ἀνδρὸς τὴν θυγατέρα καὶ ἤδη ἐκάλλυνεν αὐτήν, sed quoniam hoc est ornatricum officium, non patris, scribendum est: ἐκάλλυνον.

§ 11. Interea sponsae frater vitam suspendio finire decrevit, sed eum Eudemus servavit: ἐπὶ πολὺ ὀκλὰξ παρακαθήμενος, ἐπινύσσων τὸν ἄνθρωπον, βαυκαλῶν καὶ διακωδωνίζων, μή πῃ συνεχὴς εἴη τὴν φάρυγγα. τὸ δὲ μάλιστα ὀνῆσαν ἐκεῖνο ἦν, ὅτι ἔτι ἀμφοτέραις κατασχὼν αὐτοῦ τὰ ἄκρα διεπίεσα. Totum locum descripsi, ut appareret quam clara in luce versaremur, nam res tanquam ante nostros oculos posita est. Verum quid est παρακαθήμενος? Planissime requiritur: περικαθήμενος et contrarium vitium noto loco obtinet apud Charitonem. Mire quoque dictum est: ἐπινύσσων τὸν ἄνθρωπον. Potuitne Lexiphanes fortasse usurpare πινύσκων vel πινύσσων? Cf. Aesch. Pers. 830: ἐκεῖνον .... πινύσκετ' εὐλόγοις νουθετήμασι. Vel περιπτύσσων?

§ 11: ποτήρια ὀξυόστρακα, εὐπυνδάκωτα. Malo appellare: εὐρυπυνδάκωτα.

§ 15: ἰσχάδας σιδηρᾶς ἀφεῖς. Necessarium est: καθεῖς.

§ 19. Advocat Lucianus medicum eumque rogat ut Lexiphanem sanare velit; tum hic: μὴ ἐμέ, Σώπολι, ἀλλὰ τουτονὶ Λυκῖνον. Excidit particula: μὴ ἐμέ γ' ὦ Σώπολι.

De Astrologia.

§ 3: ἰδόντες οὖν τὴν σελήνην ... ἐν ἄλλοτ' ἄλλῃ μορφῇ τρεπομένην. Verius est: στρεφομένην.

§ 23. Stultum est quod editur: οὔτε πόλιας ᾤκιζον οὔτε τείχεα

Digitized by Google

περιεβάλλοντο οὔτε Φόνους ἐργάζοντο οὔτε γυναῖκας ἐγάμεον, πρὶν ἂν δὴ παρὰ μάντεων ἀκοῦσαι ἔκαςα. Facile est remedium: οὔτε δόμους ἐργάζοντο.

§ 29: τὸ πῦρ οὐ δι' ἡμέας καίει οὐδέ οἱ μέλει τοῦ ἡμετέρου θάλπεος, ἀςέρων δὲ οὐδεμίην ἀπορροίην δεχόμεθα; Praefero futurum δεξόμεθα.

Demonactis Vita.

§ 1. De Sostrato Lucianus peculiarem librum scripsit, qui periit. Καὶ δεδήλωται μέγεθός τε αὐτοῦ καὶ ἰσχύος ὑπερβολὴ καὶ ἡ ὕπαιθρος ἐν τῷ Παρνασῷ δίαιτα καὶ ἡ ἐπίπονος εὐνὴ καὶ τροφαὶ ὄρειοι. Haud ita multa sunt quae de illo Sostrato investigari possunt, sed hoc certe videmus eum in montanis regionibus aetatem exegisse, τοὺς λῃςὰς ἀναιροῦντα, ὁδοποιοῦντα τὰ ἄβατα, γεφυροῦντα τὰ δύσπορα, unde etiam Herculis cognomen invenerit; quocirca infeliciter excogitatum est quod coniecerunt Iensius et Gesnerus ἡ ἐπὶ πόας εὐνή· sed multo infelicius Cobetus commendavit: ἡ ἐπ' ἠόνος εὐνή, deceptus, credo, palaeographica correctionis elegantia. Consentiunt tamen omnes corruptum locum esse itaque Fritzschius transponendo ita corrigi posse ratus est: ἡ ὕπαιθρος ἐν τῷ Παρνασῷ εὐνὴ καὶ ἡ ἐπίπονος δίαιτα. Est hoc sane aliquid et efficitur ex Philostrati fabulis aerumnosum vitae genus illi Sostrato placuisse. Veluti plerumque inde a mense Novembri stant duo Parnassi cacumina alta nive candida neque nives illae evanescunt ante mensem Augustum saepeque etiam perennant. Sed Sostratus, cui ingentes et plus quam humanas corporis vires natura tribuerat, omnes illas inexsuperabiles molestias contemnere potuit: vide modo Philostr. Vit. Soph. p. 552. Hinc equidem ἡ ἐπίπονος εὐνή corrigere velim ut fiat ἡ ἐπὶ Ἑλικῶνος εὐνή. Mutatio etiam lenior videtur quam Fritzschiana.

§ 24: Pollux mortuus est et Herodes ἠξίου ὄχημα ζεύγνυσθαι αὐτῷ καὶ ἵππους παρίςασθαι ὡς ἀναβησομένῳ. Ad ipsam rem conferri poterit Philostr. Vit. Soph. p. 558; malo tamen ἀναβιωσομένῳ.

Digitized by Google

§ 30: διὰ τῆς Ἑλλάδος εἰς τὴν Ἀσίαν ἀπῄει. Dicitur hoc ἀνῄει.

§ 49: πολλοὺς τῶν ἀθλητῶν ἑώρα κακομαχοῦντας. Inauditum, credo, hoc verbum est: malo: κακομηχανοῦντας.

Amores.

§ 1: ᾕδισα οὖν δοκεῖ μοι (scil. Hercules) τῶν λόγων τὰς θυσίας προσήσεσθαι. Mire hoc dictum, etiamsi dialogi personae ἑορτασικὴν ἄγωσιν ἡμέραν Ἡράκλεια θύοντες. Placet τῶν λόγων τὰς θοίνας appellare.

§ 6. Memorantur Liburni qui satis noti erant, ut minime necesse sit explicare: ἔθνος Ἰονίῳ κόλπῳ παρῳκισμένον.

§ 6. Lucianus parat in Italiam proficisci πάντας ἐπιχωρίους θεοὺς προσκυνήσας καὶ Δία ξένιον ἵλεω συνεφάψασθαι τῆς ἀποδήμου στρατείας ἐπικαλεσάμενος. Sed nihil minus cogitat quam στρατεύεσθαι· rhetor erat et eum prosequebatur παιδείας λιπαρὴς ὄχλος· unde scribam: τῆς ἀποδήμου πορείας.

§ 6: ῥοθίῳ τῷ τῶν ἐλατήρων μετὰ μικρὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἀναχθέντες. Requiritur *paulatim*, i. e. κατὰ μικρόν.

§ 10. Describuntur adulescentes flore iuventae μέχρι τοῦ πρῶτον ὑπογραφέντος αὐτοῖς χνοῦ παραμένοντες. Mire hoc dictum est, sicuti alia multa in hoc opusculo, quod omnes magno consensu Luciano eripiunt; sed, nisi fallor, praestat ὑποφανέντος.

§ 12: τὸ γὰρ αἴθριον οὐκ εἰς ἔδαφος ἄγονον μάλισα λίθων πλαξὶ λείαις ἐστρωμένον. Uti vides, ut integra sententia sit, verbum deest, quod nullo negotio recuperabimus, si pro μάλισα rescripserimus ὡμάλισο.

Digitized by Google

§ 12. Continuo sequitur: *ἅπαν ἦν γόνιμον ἡμέρων καρπῶν ἃ ταῖς κόμαις εὐθαλέσιν ἄχρι πόρρω βρύοντα τὸν πέριξ ἀέρα συνωρόφουν*. Substantivum neutri generis requiritur et corruptum est id quod est *καρπῶν*. Verum esse arbitror *ἀκροδρύων*, quod non fructuum tantum nomen est, sed etiam ipsarum arborum, veluti Xenoph. Oecon. 19. 12. Similiter in eiusdem paragraphi fine erratum fuit in hisce: *ἱλαραὶ κλισίαι — εἰς ἅ*, sed Cobetus correxit *ἱλαρὰ κλισία*. Reitzius in adnotatione diversissima miscuit.

§ 15: *ἡ δὲ πρᾶξις ἀνώνυμον αὐτὸν ἐσίγησε*. Sermo fit de adulescente, cuius nefandum flagitium in hoc opusculo tractatur; sed quid est *ἐσίγησε*? Nonne latet *ἐποίησε*?

§ 16. Hic recte editur: *τῇ δὲ τραπέζῃ τέτταρας ἀσραγάλους Λιβυκῆς δορκὸς ἀπαριθμήσας διεπέττευε τὴν ἐλπίδα, καὶ βαλὼν μὲν ἐπίσκοπα, μάλιστα δ' εἴποτε τὴν θεὸν αὐτὴν εὐβολήσειε, προσεκύνει τῆς ἐπιθυμίας τεύξεσθαι νομίζων*. Etenim Herwerdenus in *Mnem.* 1879 p. 357 rectissime eiecit quae post *εὐβολήσειε* addita fuerunt: *μηδενὸς ἀσραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι* et in vulgus notum est quem Venereum iactum veteres appellarint; veluti Martialis epigramma est XIV. 14:

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Necdum tamen talorum ludus ab omni parte recte explicatus fuit, cum viri docti non satis attenderint ad theoriam probabilitatum. Veluti fuit anno 1873 vir elegantis ingenii Becq de Fouquières, Gallus natione, qui spissum librum in lucem emisit, plus quam quadringentum paginarum, de Ludis Veterum: *Les Jeux des Anciens*. Complura apud eum inveni quae vitiosa nuce non emerim et scriptor utriusque sermonis mediocriter peritus est, sed de ludo duodecim scriptorum, uti et de ludo latrunculorum ad calcem voluminis eximie disputavit, nec video quid de levi argumento amplius requiram. Veluti hic primus felicissime expedivit obscurum Agathiae epigramma, Anthol. Gr. III p. 30 n. 72, quo narratur quomodo aliquando Imperator Zeno praeter omnium exspectationem victus sit ludo duodecim scriptorum. De talorum autem ludo Becqius non satisfaciet, neque intellexit

Digitized by Google

quidnam omnium maxime respiciendum esset. Nec magis anno 1879 Marquardtus rem expedivit in libro de Romanorum Vita Privata p. 826. Dicam equidem quid compererim.

Tesserae sunt, quas Graeci generali nomine κύβους appellant, de quibus nunc quidem tribus verbis omnia absolvere potero, nam plane eaedem sunt quibus nos utimur. Plerumque veteres ludebant *tribus* tesseris, etiam in ludo duodecim scriptorum — *tric-trac*: hinc proverbium: ἢ τρὶς ἓξ ἢ τρεῖς κύβοι, nam κύβος est itidem nomen *puncti* s. σημείου· hinc notum illud: βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέσσαρα, h. e. puncta tulit sex; hinc celebrata custodis verba in Aeschyli Agamemnone: τρὶς ἓξ βαλούσης τῆσδέ μοι φρυκτωρίας. Ludebant sic simpliciter πλειστοβολίνδα, vel alveum lusorium adhibebant, cuius duodecim scripta — quae nos retinuimus — inventa fuerunt ut quae quis tulisset puncta perite notaret et arte corrigeret fortunae invidiam. Postremum hoc Becqius acutissime perspexit.

De usu *talorum* est intricatior quaestio. Est autem talus ossiculum in pedibus posterioribus bovis, caprae, ovis, damae, cet. Cognoscat mihi quis accuratam Aristotelis descriptionem Hist. Anim. II. 2: τῶν διχήλων πολλὰ ἔχει ἀστράγαλον· πολυσχιδὲς δ' οὐθὲν ὥπται τοιοῦτον ἔχον ἀστράγαλον, ὥσπερ οὐδ' ἄνθρωπος. ἀλλ' ἡ μὲν λὺγξ ὅμοιον ἡμιαστραγάλῳ, ὁ δὲ λέων οἷόνπερ πλάττουσι λαβυρινθώδη. Πάντα δὲ τὰ ἔχοντα ἀστράγαλον ἐν τοῖς ὄπισθεν ἔχει σκέλεσιν· ἔχει δ' ὀρθὸν τὸν ἀστράγαλον ἐν τῇ καμπῇ, τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δ' ὕπτιον εἴσω· καὶ τὰ μὲν κῶα ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ χῖα καλούμενα ἔξω, καὶ τὰς κεραίας ἄνω. Habet igitur talus s. ἀστράγαλος latera sex, quorum duo reliquis angustiora κεραῖαι dicuntur: in harum altera talus omnino nequit insistere; quodsi autem in alteram ceciderit — quod raro quidem fiet, sed tamen aliquando evenit —, irritus iactus habetur. Restant latera quatuor, quorum primum πρανὲς, Latine *pronum*, dicitur; forma convexum est. Oppositum est latus ὕπτιον s. *supinum*; forma est concava. Tertium latus χῖον dicitur sive κύων, Latine *planum*. Quartum denique nomine et forma *tortuosum* est, Graece κῶον. Non erant talorum latera numeris notata, quemadmodum in tesseris necessarium est; sed habebant tamen ἀριθμοῦ δόξαν, ut scribit Pollux IX. 99: τὸ δὲ σχῆμα τοῦ κατὰ τὸν ἀστράγαλον πτώματος ἀριθμοῦ δόξαν εἶχεν. Scilicet *planum*

Digitized by Google

unum punctum valebat, *supinum* tria, *pronum* quatuor, *tortuosum* sex [1]). Itaque deficiunt puncta duo et puncta quinque idque diserte traditur ab Schol. ad Plat. Lysid. p. 206 E: ἡ δυὰς καὶ πεντὰς ἐπὶ τῶν κύβων μόνων παραλαμβάνεται διὰ τὸ ἐκείνους ἐπιφανείας ἔχειν ἕξ· in talis autem, uti dixi, τῶν κεραιῶν nec ratio habetur nec potuit haberi.

Natura talum non exactissime libravit, nam si ieceris, saepius ostendet III vel IV quam I vel VI; pergam enim sic loqui, neglecto veterum more, id ante omnia agens ut perspicue scribam. Hoc vitium ut corrigerent, talum aut lima deterebant aut plumbum affundebant; quae multiplicis fraudis causa fuit magnaque semper copia fuit talorum *nequam*, nam sic vocabant. Vocabantur tali detriti λίσποι, cf. Schol. Arist. Ran. 848; μεμολυβδωμένους autem Aristoteles appellavit Problem. XVI § 12. Fabricabantur etiam tali ex ebore, ex auro, ex aere aliave materie; sed servabatur forma quam natura primum monstrarat.

Ludebant talis *quatuor*, sed reliquae ludi leges non semper fuerunt atque ubique eaedem. Simplex genus est in convivio, ubi sortiebantur quis συμποσίαρχος sive magister bibendi designaretur. Vincebat autem qui Venerem miserat, i. e. unionem, trinionem, quaternionem, senionem (1. 3. 4. 6). Huius iactus probabilitas est $\frac{4\times3\times2\times1}{4\times4\times4\times4} = \frac{24}{256} = {}^3/_{32}$: h. e. decem undecimve iactuum unum fore Venereum probabile est. Neque igitur diu exspectandum erat donec Venus prodiret et si convivae musarum numerum exaequarent, plerumque satis erat unumquemque semel agitare fritillum. Ipse quoque Cicero dicet, de Divin. II. 59 § 121, Venereum iactum non fuisse rarissimum.

Itidem simplicissimus ludendi modus fuit, quo aliquando delectatus est Imperator Augustus, sicuti scribit ad privignum apud Suetonium in Vita c. 71: „Coenavi, mi Tiberi, cum iisdem. Accessere convivae Vinicius et Silius pater. Inter coenam

---

1) Hic notandus levis error Marquardtii qui contendit in libro *de Vita Privata Romanorum* p. 831 not. 1: „dass die (*nach unten*) gekehrte Seite die Geltung bestimmte". Etenim vide Lucianum Saturn. 4: εἰ μή σοί γε μικρὸν δοκεῖ τὸ νικᾶν κυβεύοντα καὶ τοῖς ἄλλοις ἐς τὴν μονάδα κυλιομένου τοῦ κύβου σοὶ τὴν ἑξάδα ὑπεράνω ἀεὶ φαίνεσθαι. Et mox apparet revera illic de talis esse sermonem, non de tesseris.

Digitized by Google

lusimus γεροντικῶς et heri et hodie. Talis enim iactatis, ut quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat, quos tollebat universos qui Venerem iecerat." De huius ludi legibus dubitatur et sunt adeo qui corruptum locum esse existiment; sed hoc certe videmus lusisse convivas γεροντικῶς, quod nunc quidem tantumdem est quantum *frugaliter*, nam pro mensa principis exigua pecuniae summa erat quam in medium aleatores conferebant quamque tollebat qui in ludicro certamine victor fuerat renunciatus.

Sicuti variis modis bene fit, sic etiam variis modis talis luditur; facile nobis persuademus de plebe pueros non lusitavisse eodem modo quo princeps ludebat. Est v. c. verbum πεντελιβίζειν, quod quid sit Pollux docebit IX 126: τὰ δὲ πεντάλιθα ἤτοι λιθίδια ἢ ψῆφοι ἢ ἀστράγαλοι πέντε ἀνερριπτοῦντο, ὥστε ἐπιστρέψαντα τὴν χεῖρα δέξασθαι τὰ ἀναρριφθέντα κατὰ τὸ ὀπισθέναρ. Nihil hoc mirum: etiam apud nos quam varie luditur chartulis pictis! Modo laxae leges sunt omniaque ad risus iocosque composita, modo leges sunt quae tam severe observantur, ut collusoribus vix hiscere liceat indeque ludus nomen invenerit. Aleatores autem et dissoluti homines κατακυβεύοντες τὴν οὐσίαν missis talis plerumque ad tesseras recurrebant, sed interdum etiam solebant ἀστραγαλίζειν. Veluti foedum exemplum est Hegesilochi Rhodii et amicorum, de quo Theopompus retulit ap. Athen. X p. 444 E: εἰς τοῦτο δὲ προέβησαν ἀσελγείας, ὥστε καὶ κυβεύειν ἠξίωσαν πρὸς ἀλλήλους περὶ τῶν γυναικῶν τῶν ἐλευθέρων καὶ διωμολογοῦντο τοὺς ἐλάττω τοῖς ἀστραγάλοις βάλλοντας, ἥντινα χρὴ τῶν πολιτίδων τῷ νικῶντι εἰς συνουσίαν ἀγαγεῖν, οὐδεμίαν ὑπεξαιρούμενοι πρόφασιν, κτέ. Quaeritur iam quibus legibus severus ludus regatur.

Secundum formulam $\frac{4\times5\times6\times7}{1\times2\times3\times4}=35$ diversi sunt quatuor talorum iactus, neque ea res veteres latuit vel potuit latere; scribit enim scholiasta Platonis eo loco quem supra excitavi: εἰσὶ δ' αἱ σύμπασαι τῶν ἀστραγάλων πτώσεις ὁμοῦ τεσσάρων παραλαμβανομένων πέντε καὶ τριάκοντα. Minime inutile est omnes describere: incipiam ab optimo quoque iactu atque sic descendam ad pessimum, quem *hisce legibus* animadvertes fuisse Venereum.

Digitized by Google

I	6+6+6+6	XVII	6+6+4+4	XXIII	6+6+4+3
II	4+4+4+4	XVIII	6+6+3+3	XXIV	6+6+4+1
III	3+3+3+3	XIX	6+6+1+1	XXV	6+4+4+3
IV	1+1+1+1	XX	4+4+3+3	XXVI	6+4+3+3
	——	XXI	4+4+1+1	XXVII	6+6+3+1
V	6+6+6+4	XXII	3+3+1+1	XXVIII	6+4+4+1
VI	6+6+6+3		——	XXIX	6+3+3+1
VII	6+6+6+1			XXX	6+4+1+1
VIII	6+4+4+4			XXXI	4+4+3+1
IX	6+3+3+3			XXXII	6+3+1+1
X	4+4+4+3			XXXIII	4+3+3+1
XI	4+4+4+1			XXXIV	4+3+1+1
XII	4+3+3+3				——
XIII	3+3+3+1			XXXV	6+4+3+1
XIV	6+1+1+1				——
XV	4+1+1+1				
XVI	3+1+1+1				
	——				

Etenim, quod omitterem si mathematicis scriberem, quatuor primorum iactuum probabilitas est $^{1}/_{256}$, sunt enim quatuor paria; sequuntur duodecim quorum probabilitas est $^{4}/_{256}$, etenim sunt tria paria cum uno impare; deinde ab XVII usque ad XXII sunt sex iactus, quorum probabilitas est $^{6}/_{256}$, sunt scilicet bina paria; tum vides duodecim quorum probabilitas est $^{12}/_{256}$, nam sunt duo paria cum duobus imparibus; denique agmen claudit Venus, cuius probabilitas est, ut supra dixi $^{24}/_{256}$. Ratio apparet et, sicuti computatio flagitat:

$$4 \times {}^{1}/_{256} + 12 \times {}^{4}/_{256} + 6 \times {}^{6}/_{256} + 12 \times {}^{12}/_{256} + {}^{24}/_{256} = 1.$$

Ni credas veteres plane caecos fuisse, statuere debebis secundum hanc similemve tabulam eos talis lusitavisse. Id quoque vides, quod infra etiam melius apparebit Plauti in Curculione testimonio, non punctorum summam initam fuisse, ne iactus qui inter omnes bonitate quartus est (1 + 1 + 1 + 1), propter exiguum quatuor punctorum numerum detruderetur ad extremum. Id mordicus retinebimus, quo quidque in talis mittendis rarius obveniret, id etiam pluris fuisse habitum. Sed probabilitatum enumeratio rem extra omne dubium ponere debet. Quatuor

Digitized by Google

uniones, vel sicuti veteres loquuntur, quatuor canes vicies quater rarius mittentur quam Venus: dicemusne cum Becqio et Marquardtio et reliquis doctis viris omnibus hunc tamen iactum fuisse potiorem? Multi sponte obliviscuntur Graecos, mathematicarum disciplinarum peritissimos, etiam quaestiunculam de combinationibus et permutationibus solvere potuisse.

Multorum iactuum nomina, quos triginta quinque numero fuisse vidimus, nota sunt; quin et longe plura novimus, usque ad septuaginta, sed quorum iactuum ea nomina deinceps propria fuerint, plane ignoramus. Id tantummodo videmus, quod ex re ipsa apparet, quid quisque iactus valeret non pependisse ex punctorum numero; veluti scribit Platonis scholiasta Euripidem qui dicebatur valuisse *quadraginta*; at punctorum maxima summa est viginti quatuor. Hinc explicandum quod habet Ovidius Trist. II. 1. 472:

Sunt aliis scriptae, quibus alea luditur, artes:
Haec est ad nostros non leve crimen avos.
Quid valeant tali; quo possis plurima iactu
Fingere; damnosos effugiasve canes.

Itaque qui talis ludebant, ad manum tabulam habebant, in qua tabula perscriptum erat quid quisque iactus valeret. Secundum illam tabulam qui v. c. Euripidem [1]) miserit, ex pecunia in commune collata accipiet quadraginta sive nummos sive denarios sive aureos fortasse, prouti constitutum fuerat. Quo proprio nomine Latine ea pecunia ab aleatoribus posita dicta fuerit, nescio; sed Graece ἐκθεσις dicitur. Alciphronis locus est III. 54: *ἐνίκησα κυβεύων, ὡς μήποτ' ὤφελον· — ἐπεὶ γὰρ εἰς ἐμαυτὸν ὅλας τὰς ἐκθέσεις συνελεξάμην, ἀπορία δ' ἦν αὐτοῖς παντελὴς ἀργυρίου, ἐπ' ἐμὲ πάντες ὥρμησαν.*

Sed in eodem illo enchiridio, secundum Ovidium, post illam tabulam de qua vidimus, itidem perscriptum erat quo iactu plurima fingere posses vel damnosos canes effugere. Non est hoc referendum ad simplicem ludum tesserarum, ad quem ars inutilis est, nec quisquam sine fraude plura finget quam iecerit vel uniones in seniones convertet. Intelligitur ludus duodecim

1) Ita: iactus dicebatur *Euripides*, non *Euripidis*: cf. Mnem. 1899 p. 190.

Digitized by Google

scriptorum: inerant, credo, in eo libello leges quibus ludus regebatur, uti et alia praecepta in usum tironum. Illas leges instaurare nobis non concessum est, sed efficimus tamen ex Agathiae epigrammate quod supra laudavi, fuisse eas diversas ab iis quibus nos hodie ut plurimum utimur; illud convenit: in calculis promovendis — sed proprie hoc appellabatur *dare calculos*, qui utrimque quindecim erant — curandum erat ut δίζυγες essent, nam, plane quemadmodum apud nos, adversarius calculum ἄζυγα sede pellere poterat et cogere ut a carceribus cursum instauraret. Qui autem in hoc ludo aliquid profecerat, effugere poterat damnum quod canes, h. e. uniones, attulerant calculos perite *dando*, non ut metam celerius attingeret — hoc enim fieri non poterat, — sed ut praepediret adversarium et bellum gereret adversus hostiles ἄζυγας. Tam est hoc apertum ut magis non possit. Quanto autem studio incubuerint ei ludo, imprimis apparet ex Agathiae descriptione nec miramur expetita fuisse praecepta tironibus utilia, neque ingrata iis qui iam aliquantum profecissent. Nunc etiam melius intelligimus quod Terentius habet Adelph. IV. 7. 21:

Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris;
Si illud quod maxime opus est iactu, non cadit,
Illud quod cecidit forte, id *arte* ut corrigas.

Arte, non fraude; nam Micio cogitat ludum duodecim scriptorum. Quanti esset bene dare calculos, effici potest ex Platone Rep. II 374 C: πεττευτικὸς ἢ κυβευτικὸς ἱκανῶς οὐδ' ἂν εἷς γένοιτο μὴ αὐτὸ τοῦτο ἐκ παιδὸς ἐπιτηδεύων ἀλλὰ παρέργῳ χρώμενος· nam de hoc ludo apud Graecos tantum non perpetuo κυβείας nomen in usu est.

Quod laudato loco apud Ovidium proxime legitur, in eodem ioculari libello perscriptae erant leges, quibus *latrunculis* ludebatur; sed de hoc argumento omitto dicere, quum Becqius rem egregie explicaverit. Itidem animadvertenda sunt Ovidii consilia ad amatorem Art. Amator. II. 203:

Riserit, arride: si flebit, flere memento.
Imponat leges vultibus illa tuis.
Seu ludet, numerosque manu iactabit eburnos;
Tu male iactato, tu *male iacta dato*,
Seu iacies talos, victam ne poena sequatur,

Digitized by Google

Damnosi facito stent tibi saepe canes:
Sive latrocinii sub imagine calculus ibit:
Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

Hic nil quidquam nobis nunc remanet obscuri: *tu male iacta dato*: ut tua amica vincat, quidquid ieceris male dato: h. e. imperite calculos promoveto. Sed redeo ad talos.

Memorabilis locus est in Plauti Curculione II. 3. 80. Hic Curculio narrat patrono suo Phaedromo se lusisse cum milite:

Postquam cenati atque adpoti, talos poscit sibi in manum,
Provocat me in aleam, ut ego ludam. pono pallium:
Ille suum annulum opposivit, invocat Planesium.

Tum Phaedromus: Meosne amores? Respondet Curculio:

Tace parumper. iacit *vulturios quattuor*.
Talos arripio, invoco almam meam nutricem Herculem (?).
Iacto *basilicum*, propino magnum poclum: ille exbibit,
Caput deponit, condormiscit. ego ei subduco annulum.

Quod plurimum miror, hucusque nemo locum haud nimis difficilem bene expedivit. Iecit parasitus *basilicum*: est hic iactus, quod ipso nomine arguitur, omnium optimus, nimirum $6+6+6+6$. Quid ante iecerat miles? *Quatuor vulturios*, h. e. nisi omnia nos fallunt, iactum proximum ab omnium optimo, nempe $4+4+4+4$. Iure suo spem conceperat miles se ablaturum esse parasiti pallium et tamen victus fuit. Non valde verisimile est fieri aliquando posse ut basilicus quatuor vulturios vincat, nam probabilitas est propemodum nulla, scil. $\frac{1}{6^4}$; sed tale quid comoediam decet. Nunc etiam intelligimus quartum iactum, $1+1+1+1$, dictum fuisse quatuor canes et mirum ni $3+3+3+3$ dicti sunt quatuor lupi.

Hinc lucem accipiet Suetonii locus in Vita Tiberii c. 14: „Quum Illyricum petens iuxta Patavium adisset Geryonis oraculum, sorte tracta, qua monebatur, ut de consultationibus in Aponi fontem talos aureos iaceret, evenit ut *summum numerum* iacti ab eo ostenderent: hodieque sub aqua visuntur hi tali". Itaque iecit summum numerum, h. e. $6+6+6+6$, h. e. *basilicum*, qui ei portendit imperium.

Non minus memorabile est quod Pausanias tradit Achaic. 25. 6: καταβάντων δ' ἐκ Βούρας ὡς ἐπὶ θάλασσαν, ποταμός τε Βουραϊκὸς ὀνομαζόμενος καὶ Ἡρακλῆς οὐ μέγας ἐστὶν ἐν σπηλαίῳ·

Digitized by Google

ἐπίκλησις μὲν καὶ τούτου Βουραϊκός. μαντείας δ' ὑπὸ πίνακί τε καὶ ἀστραγάλοις ἔξι λαβεῖν. εὔχεται μὲν γὰρ πρὸ τοῦ ἀγάλματος ὁ τῷ θεῷ χρώμενος, ἐπὶ δὲ τῇ εὐχῇ λαβὼν ἀστραγάλους (οἱ δ' ἄφθονοι παρὰ τῷ Ἡρακλεῖ κεῖνται) τέσσαρας ἀφίησιν ἐπὶ τῆς τραπέζης. ἐπὶ δὲ παντὶ ἀστραγάλῳ σχήματα γεγραμμένα ἐν πίνακι ἐπίτηδες ἐξήγησιν ἔχει τοῦ σχήματος. Erant igitur in ea tabula *triginta quinque* herois responsa, nam plura ei edere fas non erat. Quantum autem sortitionibus veteres tribuerint, tum hinc concludere licet tum ex sortibus Praenestinis, de quibus Ritschelius luculenter retulit in *Museo Rhenano* XIV 389, tum ex inscriptionibus semibarbaris quas invenies C. I. G. 3956c, 4310 et 4371°. In universum rem descripsit Schol. Pindar. Pyth. IV 337: εἰώθασι διὰ κλήρων μαντεύεσθαι, οἷον ἐὰν βάλλοντός μου τόδε ἀναβῇ, ἀποτελεσθήσεται τόδε· ἐὰν δὲ μή, οὐκ ἀποτελεσθήσεται. καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀστράγαλοι κεῖνται, οἷς διαμαντεύονται βάλλοντες δι' αὐτῶν.

Unicum novimus exemplum quinque talorum. Est inscriptio inventa Attaliae in Pamphyliae urbe, quam Kaibelius tractavit in *Herm.* X p. 193. Fuerunt oracula $\frac{4\times5\times6\times7\times8}{1\times2\times3\times4\times5}=56$, nam Kaibelius in numeris computandis erravit. Supersunt oracula: $1+6+6+6+3=22$; $4+4+4+4+6=22$; $4+3+3+6+6=22$; $1+6+6+6+4=23$; $6+6+4+4+3=23$; $6+6+6+3+3=24$; $4+4+4+6+6=24$; $4+6+6+6+3=25$; $6+6+6+6+1=25$; $6+6+6+4+4=26$, nam ubique numerorum summas lapicida adscripsit, credo, ut is qui oraculum consuluisset facilius reperire posset quodnam tulisset responsum. Itaque supersunt oracula ab XLIV^to^ usque ad LIII^um^; sed in fine tria desunt: $6+6+6+6+3=27$; $6+6+6+6+4=28$ et $6+6+6+6+6=30$, nam quinque tali numquam ostendent puncta 29. De ipsis oraculis malo tacere quam nihil dicere, nam lapis tam male habitus est et tot tantaque sunt Graecitatis vitia, ut plane quo me vertam nesciam, nec Kaibelius multa contulit ad barbari sermonis intelligentiam. Illud vides vix quartam inscriptionis partem servatam esse.

Hic iuvat aliquid addere de Platonis loco qui invenitur Theaet. p. 162 E: τῷ εἰκότι χρῆσθε, ᾧ εἰ ἐθέλοι Θεόδωρος ἢ ἄλλος

Digitized by Google

τις τῶν γεωμετρῶν χρώμενος γεωμετρεῖν, ἄξιος οὐδενὸς μόνου ἂν εἴη. Haec sensu vacua sunt et olim legebantur alio modo, nam scholiasta adnotavit: ἐκ δὲ τῆς τῶν κυβευόντων συνηθείας ἔλαβε τὸ οὐδενὸς μόνου, ὅταν ἐκεῖ πέσῃ ἐν τῷ παίζειν ἓν τὸ ἐλάχιστον. Non est abiicienda haec adnotatio, nam satis antiquam eam esse et e bonis fontibus ductam, apparet e sexto lexico Bekkeri, ubi haec leguntur p. 413. 8: Ἄξιος οὐδὲ μόνου· ἀντὶ τοῦ οὐδενός· ἔστι δὲ ἀπὸ τῶν κύβων εἰρημένον. Itaque Plato verbo quodam usus est ex talorum tesserarumve usu repetito, quod librarii negligentia periit. Cobetus in *Mnem.* 1860 p. 349 de nostro loco agens: Obscura, inquit, et impedita res est, unde me non extrico. Fortasse ridiculum est in Graecis scriptoribus intelligere velle videri, quae Cobetus se investigare posse desperet; sed suspicionem meam non premam, ut alii quaerere pergant, si ipse minus videar assecutus esse id quod verum est. Apud Photium invenio: Μάννης· βόλος φαῦλος. Itidem apud Hesychium: Μάννης· κυβευτικοῦ βόλου ὄνομα, καθάπερ Εὔβουλος ἐν Κυβευταῖς παρίστησι. Eundem Pollux quoque habet: βόλων δὲ ὀνόματα τῶν μὲν φαύλων τε καὶ δυσβόλων, ἐφ' οἷς τὸ δυσκυβεῖν, Μίδας, Μάννης, multosque alios desumtos ex Eubulo. Est utique verisimile veteres grammaticos apud Platonem legisse: ἄξιος οὐδὲ μάνου ἄν εἴη et diligenter videndum num ea lectio, quae certe speciem habet, etiam probari debeat. Sed tandem amoto quaeramus seria ludo.

§ 17: μεταξὺ τοῦ λόγου διαβοήσας εἶπεν ὁ Χαρικλῆς. Alienum videtur participium; hoc sensu omnibus dicere consuetum est: ἀναβοήσας.

§ 31. Appellat Lucianus τὴν ἐπήκοόν ποτε τῶν Σωκρατικῶν λόγων πλατάνιστον, Ἀκαδημείας καὶ Λυκείου δένδρον εὐτυχέστερον. Nonne requiritur: δένδρων?

§ 31: αὐτὴ τάχ' ἂν ὥσπερ ἡ ἐν Δωδώνῃ Φηγὸς ἐκ τῶν ὀροδάμνων ἱερὰν ἀπορρήξασα φωνὴν τοὺς παιδικοὺς εὐφήμησεν ἔρωτας. Praestabit: ἐφύμνησεν.

§ 33: τοῦτο δ' ἡμῖν ἀπὸ τῶν ἐντελεστέρων τεχνῶν ἔνεστιν

Digitized by Google

εἰκάζειν. Consentiunt omnes de vulgaribus ac vilibus artibus hic agi; unde necessarium est εὐτελεστέρων. Cf. Reitz. p. 582.

§ 34. Prisci mortales ὕφηναν ἑαυτοῖς χλανίδας. Vita describitur hominum qui nondum ἀντὶ λιτῆς ὑφῆς τὸ κάλλιον ἐποίκιλαν. Hi χλαίνας magis habebant quam χλανίδας. Cf. Cobeti *Var. Lect.* p. 150 et 364. Etiam conferri poterit Trypho ap. Ammonium p. 146.

§ 39: γρᾶες δὲ καὶ θεραπαινίδων ὁ σύμμορφος ὄχλος ἐν κύκλῳ περιεστᾶσι mulierem cubitu surgentem; sed quid est σύμμορφος ὄχλος? Vertunt interpretes: similem ancillarum gregem, quod sensu vacuum est. Incidi equidem in: ὁ συρφετὸς ὄχλος.

§ 42. Describitur mulierum ἀκκισμός. Ἄκροις δακτύλοις ἐπιγράφουσαι τῶν παρακειμένων ἕκαστον ἀπογεύονται νύκτας ἐπὶ τούτοις διηγοῦμαι καὶ τοὺς ἑτερόχρωτας ὕπνους. Interpres hoc sibi intelligere videtur vertitque: „summis digitis per apposita *quasi scribendi causa* ductis singula degustant, noctes inter haec enarrantes et diversi coloris somnos." Aegri somnia haec sunt nec nimis difficile est reperire quod latet. Primum mulieres appositos cibos degustant extremis digitis non ἐπιγράφουσαι, quod nihili est, sed ἐπιψαύουσαι. Deinde post ἀπογεύονται plene interpungendum est et supplendum: (τί) νυκτας ἐπὶ τούτοις διηγῶμαι καὶ τοὺς ἐνερόχρωτας ὕπνους; Postremum illud ἐνερόχρωτας Cobeti est, *Var. Lect.* p. 258. Veteres interpretes, Guyetus et Gesnerus, in clara luce caeci duces fuerunt. Cf. praeterea Dial. Meretr. VI. 3.

§ 44. Hic paulo difficilior locus est. Sermo est de adulescente qui mane cubitu surgit: ὄρθριος ἀναστὰς ἐκ τῆς ἀζύγου κοίτης τὸν ἐπὶ τῶν ὀμμάτων ἔτι λοιπὸν ὕπνον ἀπονιψάμενος ὕδατι λιτῷ καὶ τὴν ἱερὰν χλαμύδα ταῖς ἐπωμίοις περόναις συρράψας ἀπὸ τῆς πατρῴας ἑστίας ἐξέρχεται. Sic locum edidit Iacobitzius, sed quum olim editores iam mirarentur quaenam ea esset ἱερὰ χλαμύς, quum in aliis libris legatur χιτωνίσκον χλανίδα, post Graevium Reitzius edidit: χιτωνίσκον καὶ χλανίδα. Non est sane ea lectio verisimilior, etiamsi χλανίδα fortasse, quod nescio, pro χλαμύδα reponi debeat; sed cur tandem ea ἱερά dicitur? Commendatur

Digitized by Google

mascula Venus et mulieri puer multum praefertur; discrimen autem inter viros et mulieres non tantum faciebat vestis forma sed etiam materies. Virorum vestes ex lana erant, mulierum autem ex lino idque multis exemplis facile comprobari potest. Unum dabo locum quoniam valde luculentus est; scribit Plinius H. N. XIX. 1: „Varro tradit in Serranorum familia gentilicium esse feminas linea veste non uti." Vides quid sequatur de reliquis et complura Graecorum testimonia tendunt eodem; praeceteris celebratur Thucydidis locus quo docemur, quam vere nunc non disputo, Athenienses relicta lintea veste assumsisse laneam. Iam vides non *ἱερὰν* eam *χλανίδα* fuisse, sed *ἐρεᾶν*. Abominatur qui hic loquitur linteam vestem quippe muliebrem.

§ 47: *ὁ φιλίας ἔρως ἄχρι θανάτου συνεξέπνευσε*. Verius arbitror: *συνδιέπνευσε*.

§ 54: *τούς γε μὴν ὀνομαζομένους παρ' Ἕλλησι κωμασὰς οὐδὲν ἀλλ' ἢ δήλους ἐρασὰς νομίζω*. Neque hoc intelligo nec multum placet *δημερασάς*, quod propter Platon. Alcib. I p. 132 A nonnemini verum videri poterit.

Imagines.

§ 2. Supplendum: *τοῦτο μόνον (ὅτι ἐκ) τῆς Ἰωνίας ἐσί*. Cf. Hartmannus *Stud. Lucian.* p. 70.

§ 7: *πόθεν οὖν καὶ ταῦτα πορισαίμεθ' ἄν; ἢ παρακαλέσαιμεν δὴ τοὺς γραφέας*. Solemne vitium pro: *παρακαλέσαιμεν ἄν*.

§ 7: *καὶ δὴ παρακεκλήσθω Πολύγνωτος καὶ Εὐφράνωρ*. Mihi certum est requiri: *παρακεκλήσθων*· notabile est nunc certe Lucianum usum fuisse sincera imperativi forma, non Macedonica. Eodem ducit Navig. 14: *σιταγωγείτων*.

§ 9: *μέγα τι [θαῦμα καὶ] θέαμα πᾶσαν τὴν ἀνθρωπίνην εὐμορφίαν ὑπερπεπαικός*. Vides quid coniiciam.

§ 21: *ὥςε μέντοι νοτίζεσθαι αὐτοῖς ἀεὶ τὰ πτερά*. Pro *μέντοι* corrige: *ἐνίοτε* et *ἀεί* sponte excidet. Cf. consimilem locum Somn. s. Gall. 23.

Digitized by Google

Pro Imaginibus.

§ 2: οἴονται γὰρ ὑπὸ τῶν ἐπαίνων ἀλλαγήσεσθαι σφίσι καὶ τὰς μορφὰς καὶ αὐτοὶ ἀνηβήσειν αὖθις ὥσπερ ὁ Πελίας ᾧ ετο. Postremum vocabulum inutiliter adhaeret.

§ 3: πολλοῦ γὰρ ἂν ὁ ἔπαινος ἦν τίμιος, εἴ τι καὶ ἔργον αὐτοῦ ἀπολαῦσαι δυνατὸν ἦν. Malo ἐτεόν.

§ 27. Memorat Lucianus Aegyptios τοῖς θείοις ὀνόμασιν ἐς κόρον ἐπιχρωμένους. Dicendum hoc fuit: ἀποχρωμένους.

§ 28: ἀλλ' οὐδέπω οὐδὲ τὸν ἄριστον τῶν Φιλοσόφων ἠμύναντο εἰκόνα θεοῦ τὸν ἄνθρωπον εἰπόντα εἶναι. Non huc quadrat adverbium *nondum*; corrigam: ἀλλ' οὐδὲ γὰρ οὐδέ.

Toxaris.

§ 3: τί ἄλλο ἀγαθὸν ὑμᾶς εἰργάσαντο, ἀνθ' ὅτου πάλαι οὐ θεοὺς εἶναι δικαιώσαντες αὐτούς, νῦν τὸ ἔμπαλιν — θεοὺς νενομίκατε; Schwarzius *Mnem.* 1882 p. 250 et 1886 p. 227 recte observavit illud οὐ θεούς ferri non debere, sed quod utrobique commendavit θυτέους, id mihi non magno opere arridet; cogitaram equidem de correctione: ἀθέους εἶναι δικαιώσαντες.

§ 3. Laudat Toxaris Orestem et Pyladem μὴ καταπλαγέντας μήτε τοὺς μύθους τοὺς ἐπ' αὐτῷ μήτε τὴν προσηγορίαν καταδείσαντας ὅτι ἄξενος ἐκαλεῖτο. Schwarzius l.l. accurate ostendit insiticium esse participium καταδείσαντας eliminandumque esse ne peccetur in syntaxin; sed praeterea delenda videntur inutilia verba ὅτι ἄξενος ἐκαλεῖτο.

§ 11: οὐ μὴν ἀγεννῶς γε οὕτως καταπροδοὺς ἐν βραχεῖ τὸ Ἑλληνικὸν ἅπαν ὑποχωρήσομαί σοι. Absonum hic est illud ἐν βραχεῖ, h. e. *brevi*. Requiritur particula ἔμβραχυ, de cuius abusu apud sequiores acutissime disputavit Cobetus *Var. Lect.* p. 207 sq. Sunt itidem considerandi loci qui sequuntur: Bacch. 3: ἐν βραχεῖ πᾶσαν τὴν Ἰνδικὴν Φλογὸς ἐμπεπληκώς. Adv. Indoct. 22: πάντα ἐν βραχεῖ παρ' αὐτοῦ ἔσεσθαί σοι νομίζεις. Navig. s.

Digitized by Google

Vot. 26: *ἐκπεσόντας ἐν βραχεῖ τῶν ἀγαθῶν ἁπάντων.* Dial. Meretr. 6. 4: *εἰ θέλεις ἐν βραχεῖ λέγειν ἁπάσας ἐνδειξάσας σε τῷ δακτύλῳ.* Conferantur loci quos Cobetus iam attulit Peregr. 13 et Rhet. praec. 3.

§ 12. Aliquid supplendum est: *συνέπινεν αὐτοῖς (καίτοι) οὐ πάνυ χαίρων τῇ τοιαύτῃ διατριβῇ.*

§ 14. Traditur quomodo Chariclea nefaria mulier perdiderit Diniam, adulescentem praedivitem et minime malum, sed *εὐεξαπάτητον. Περιέχουσα πανταχόθεν καὶ διαπείρασα ὅτε ἤδη παντάπασιν ἐκράτει, αὐτή τε ἀπώλετο ὑπὸ τῆς ἄγρας καὶ τῷ κακοδαίμονι Δεινίᾳ μυρίων κακῶν αἰτία ἐγένετο.* Hic prorsus non intelligo verbum διαπείρειν et leniter corrigam: *διαπειράσασα.* Eodem modo Iosephus scripsit Antiq. XV § 97 de Cleopatra: *διεπείραζεν εἰς συνουσίαν ἐλθεῖν τῷ βασιλεῖ* (Herodi).

§ 15. Chariclea *ἀλλ' ἐπὶ τούτοις ἐπενόει (ᾧ) καὶ τὸν ἄθλιον ἀπώλλυε.* Vides quid desit.

§ 16: *ἄλλον τινὰ Κρῆτα νεανίσκον τῶν ὑποχρύσων ἐθήρα.* Herwerdenus *Mnem.* 1879 p. 97 coniecit *πολυχρύσων* idemque ego sex annis ante commendaram *Mnem.* 1873 p. 161; sed sero venimus, nam Graevius hoc iam viderat, cuius animadversiones supersunt in farragine adnotationum, quibus Reitzius editionem suam oneravit magis quam ornavit; quotus enim quisque est qui spissa volumina sustineat perreptare ut ex ingenti quisquiliarum strue unam et alteram glandem expiscetur. Equidem legi et excerpsi, sed, fateor, bonas horas utilius debueram collocare.

§ 16: *αὖθις ἡ ἅβρα καὶ τὰ γραμμάτια καὶ μέμψις ὅτι μὴ πολλοῦ χρόνου ἀφίκετο.* Immo: *μέμψεις.*

§ 18. Toxaris ingenue admiratur Agathoclem, qui sese tam constantem praestitisset in amicitia: *πλήν,* inquit, *οὖν δέδια μή τινα καὶ ἄλλον ὅμοιον εἴπῃς αὐτῷ.* Plane contrarium requiritur: *πλὴν οὐ δέδια,* sed occupavit corrigere Schwarzius *Mnem.* 1886 p. 230.

Digitized by Google

§ 19: *ἀπὸ ψιλῆς τῆς κεραίας πλέοντας, ἔτι καὶ σπείρας τινὰς ἐπισυρομένους.* Quae sint *σπεῖραι* et quem usum habeant, luculenter expedivit Breusingius *de Rebus Nauticis* p. 179, sed sciendum est iam Gesnerum p. 439 *τῶν σπειρῶν* utilitatem recte explicavisse.

§ 22: *διαθήκας ἀπέλιπε.* Dicendum hoc fuit: *κατέλιπε·* vide modo § 23.

§ 23: *ἢ τίθεμεν καὶ τοῦτον ἐν ταῖς τελείαις ψήφοις μίαν τῶν πέντε εἶναι;* Coniunctivo opus est: *τιθῶμεν.*

§ 24: *μάλιστα δ' αὐτὸν ἡνία θυγάτηρ ἐπίγαμος ἤδη ὀκτωκαιδεκέτις οὖσα.* Ita Iacobitzius expuncta coniunctione, cum olim ederetur: *καὶ ὀκτωκαιδεκέτις.* Nonne latet: *ὡς ὀκτωκαιδεκέτις*?

§ 26. Scythae *τὰς παλλακὰς ἀκριβῶς τὰς καλλίστας ἐκλέγεσθαι λέγονται.* Dele quod inutiliter additum est: *τὰς καλλίστας.* Interest aliquid ac multum quidem inter *ἐκλέγειν* et *ἐκλέγεσθαι*, cf. Cobetus *ἐν τῷ Ἑρμῇ λογίῳ* p. 444. Saepe *ἐκλέγειν* usurpatur pro *ἐκλέγεσθαι*, minime vero contra.

§ 24. Erat illa Menecratis filia turpicula, *ἣν οὐδὲ μετὰ πάσης τῆς οὐσίας τοῦ πατρός — ἠξίωσεν ἄν τις τῶν γε εὐγενῶν καὶ πενήτων ῥᾳδίως παραλαβεῖν οὕτως κακοδαίμονα οὖσαν τὴν ὄψιν.* Correxit Graevius *ἀγεννῶν*, quod fortasse rectius scribetur *ἀγενῶν* idque Iacobitzius etiam recepit in textum; sed elegantius erit *εὐτελῶν.* Particula *γε* mire abundat.

§ 27. Duo sunt amici Demetrius et Antiphilus qui studiorum causa in Aegyptum proficiscuntur; Luciani verba sunt: *συνεκπλεύσας γὰρ ἐς τὴν Αἴγυπτον ὁ Δημήτριος Ἀντιφίλῳ* itaque credibile est eos Alexandriae remansisse. Non multo post Demetrius cupidus spectandi vetera regionis monumenta proficiscitur: *καὶ δήποτε ὁ μὲν Δημήτριος ἔτυχεν ἐς τὴν Αἴγυπτον ἀποδημῶν κατὰ θέαν τῶν πυραμίδων καὶ τοῦ Μέμνονος.* Requiritur autem *ἐς τὴν Κοπτόν·* vide simillimum locum Philopseud. 33.

Digitized by Google

§ 27. Hic autem Demetrius quamdiu Alexandriae commoratus est, philosophiae operam dedit τὴν ἄσκησιν τὴν Κυνικὴν ἀσκούμενος ὑπὸ τῷ Ῥοδίῳ ἐκείνῳ σοφιστῇ. Quis ille sophista fuerit, ignoramus, nam praeterea in ea narratione de homine altum silentium: hinc malo: ὑπὸ τῷ Ῥοδίῳ ἐκεῖ σοφιστῇ.

§ 34. Supplendum est: αὐτοὺς ἄν σοι τοὺς λόγους διεξῆλθον πολλοὺς (καὶ καλοὺς) κἀγαθοὺς ὄντας.

§ 38: ἐπεὶ καὶ τοῦτο ἐν ἀρχῇ διωμολογησάμην. Requiro: διωμολογήσαμεν, ut pluralis numerus sit. Verum quidem est apud alios διομολογεῖσθαι frequentius legi quam διομολογεῖν, sed apud Lucianum activa forma invenitur Nigr. 26.

§ 41. Sauromatae apud animos suos reputabant πρὸς οἵους ἄνδρας ἐκ παρασκευῆς μαχοῦνται, εἰ καὶ ἐν τῷ ἀπροσδοκήτῳ τότε ὑπερέσχον. Verumenimvero Sauromatae non victi fuerant, sed vicerant ipsi: hinc corrigam: οἳ καὶ ἐν τῷ ἀπροσδοκήτῳ τοιοῦτοι ὑπῆρχον.

§ 55: Σινδιανοὺς ἡμῖν χειρώσασθαι (sed recte Cobetus χειρώσεσθαι reposuit) ὑπέσχησαν ἐκ πολλοῦ διεσῶτας. Defecerant, opinor, h. e. ἀφεσῶτας.

Lucius s. Asinus.

§ 1: καί πως ἔτυχον καὶ ἄλλοι ἀπιόντες ἐς Ὕπατα. Erant eius urbis incolae, qui Lucio itineris socii fuerunt: hinc compositum verbum ἀπιόντες non optime convenire dixerim et verius videtur ἅμ' ἰόντες.

§ 1: ἔστι γὰρ Φιλαργυρώτατος δεινῶς. Adverbium δεινῶς haud satis recte copulatur cum superlativo et scribam: Φιλάργυρος.

§ 2: καί ποτε ἐξελθοῦσα κελεύει ἡμᾶς εἰσιέναι. Tres literulae interiisse videntur: κἀκ (ὀψέ) ποτε ἐξελθοῦσα.

Digitized by Google

§ 2: πέμπε αὐτὸν εἰς βαλανεῖον. Dicendum hoc utique fuit: παράπεμπε, nam Palaestra uti aequum est, iubetur hospitem comitari usque ad ianuam balnei.

§ 6: ὡς εὐρύθμως τὴν πυγὴν τῇ χύτρᾳ ὁμοῦ συμπεριφέρεις καὶ κλίνεις. Facile est reponere συμπερισρέφεις, sed etiam verbum κλίνεις absonum est. Conieci: κυλίεις. Eadem verba iuncta invenies § 31: ἐκύλιον ἐνταῦθα τὸ ςυπτεῖον καὶ δινῶν καὶ ςρέφων ἐμαυτόν, τῷ πηλῷ κατέσβεσα τὸ θερμὸν ἐκεῖνο φορτίον.

§ 7: τοῦ ὕπνου καταψευσάμενος ἀνίςαμαι καὶ ἔργῳ ἀπῄειν ἔνθα ᾤκουν. Non intelligo illud ἔργῳ· convenienter dictum erit ὀργῶν, de quo verbo vide Ruhnkenium ad Timaeum p. 193.

§ 8: τὰ ὀνόματα τῶν παλαισμάτων ὧν ἐθέλω εὑροῦσα ἐρῶ. Imo: εἴρουσα, de quo verbo supra quaedam adnotavimus.

§ 11: καί ποτε ἐπὶ νοῦν μοι ἦλθε τὸ μαθεῖν ὧν ἕνεκα ἦλθον. Hic post Reitzium probata fuit duorum codicum scriptura ἤθλουν, ne scilicet idem verbum nimis brevi intervallo recurreret. Sed satis est incommodum illud ἤθλουν et vide infra § 22: καταθέμενοι αὐτὴν θαρρεῖν ἐκέλευον καὶ τὴν γραῦν ἐκέλευον ἀεὶ ἔνδον μένειν et § 34: τὴν νύκτα ὅλην ἐλθόντες ὁδὸν ἀργαλέαν καὶ τριῶν ἄλλων ἡμερῶν τὴν ὁδὸν ἀνύσαντες κτέ. Cf. praeterea Rohde *de Asino* p. 34.

§ 17. Hic duas odoror interpolationes. Θριδάκων μὲν καὶ ῥαφανίδων καὶ σελίνων ἐνεπλήσθην· hoc quidem recte, sed nihil attinuit addere: ὅσα ὠμὰ ἐσθίει ἄνθρωπος, quam adnotatiunculam in usum asinorum adscriptam fuisse dixeris. Deinde post pauca offendit Lucius ῥοδοδάφνην, κακὸν ἄριςον ὄνῳ τοῦτο παντὶ καὶ ἵππῳ. Satis hoc est disertum, sed otiose additur: Φασὶ γὰρ τὸν Φαγόντα ἀποθνήσκειν αὐτίκα, quae verba neminem minus decent quam Lucium, cui comperta res esse debuit, ut non necesse esset provocare ad aliorum testimonium. Ceterum ipse quoque Plinius H. N. VI 20. 33 cum Luciano et Apuleio consentiens, scribit rosas laureas iumentis, capris et ovibus esse venenum.

Digitized by Google

§ 19: ἐμὲ δ' αὐτοῦ ἐάσουσι κεῖσθαι τοῖς λύκοις. Perpetuo hoc nisi fallor, dicitur ἐκκεῖσθαι.

§ 25: τί ποιοῦμεν, ἔφη τις αὐτῶν, τὴν δραπέτιν; Perpetuum hoc vitium est pro: τί ποιῶμεν; Nunc quidem aperta res est, nam respondet alius: τί δ' ἄλλο ἢ τῇ γραῖ ταύτῃ κάτω ἐπιρρίψωμεν αὐτήν; vides coniunctivum, non futurum.

§ 38. Edebatur olim: ὅτι μέχρι νῦν ἀνέχομαι κακῶν, ἀναβοῆσαι ἠθέλησα. Scripsit Iacobitzius καὶ μέχρι νῦν, sed facilius et verius esse arbitror: τί μέχρι νῦν.

§ 42: πάντα ἐκεῖνα μεσὰ ἦν ἀλεύρων. Praefero: ἐκεῖ.

§ 42: ἐγὼ δὲ ἠπιςάμην ὅπως χρὴ ἀλεῖν πολλάκις παθών, προσεποιούμην δ' ἀγνοεῖν. Supplendum: ἠπιςάμην μέν et rescribendum πολλάκις μαθών, sed haec et alia multa iamdudum ab aliis mihi praerepta esse suspicor.

§ 44: ψεύδεται ὡς τεθνηκὼς ἐν ταῖς πληγαῖς. Nihil hic praepositio significat; scribam: ὡς τεθνηκὼς εἴη.

§ 46: οὗτοι μετὰ τὸ δεῖπνον τοῦ δεσπότου πολλὰ λείψανα ἄμφω εἴσω ἐκόμιζον. Cur ἄμφω? Quaero an non rectius fuerit ἄφνω.

§ 47: τὸ σῶμά μου ἐκ τῆς συνήθους τροφῆς πάλιν καλὸν ἐγεγόνει. Emendo: πάγκαλον.

§ 48: καὶ σκεύη μοι ἦν πολυτελῆ καὶ ςρώματα πορφυρᾶ ἐπιβάλλομαι καὶ χαλινοὺς εἰσεδεχόμην. Displicet verbi praesens tempus et reponam: ἐπιβαλλόμενα.

§ 50: εἰ συγχωρήσειεν αὐτῇ σὺν ἐμοὶ τὴν νύκτα ἀναπαύσεσθαι. Absurdum est futurum pro praesenti tempore.

§ 51: τοῦτό μ' εἰς δέος οὐχὶ μέτριον ἦγε, μὴ οὐ χωρήσασα

Digitized by Google

ἡ γυνὴ διασπασθῇ κἀγὼ ὥσπερ ἀνδροφόνος καλὴν δώσω δίκην. Corrigendum: ἀνδροφόνος (ὄνος) καινὴν δῶ δίκην. Sed de ea correctione iam alibi me dicere memini.

§ 51: τῷ χρωτὶ τοῦ μύρου οἰσρημένος. Sine sensu; Guyetus ἔρωτι coniecit; malo equidem: τῷ χαρίεντι.

§ 52: προσιέναι τε ἐκέλευον καὶ ψαύειν ἐμοῦ. Convenientius verbum esse iudico ἀπολαύειν.

§ 56: κελεύει με τῶν νώτων μετέωρον κομισθῆναι ἔξω τῆς οἰκίας. Necessario legendum est: τῶν ὤτων. Plane idem vitium deprehendi in Sophoclis fragm. 619 et in Babriana fabula 95. 59; cf. *Mnem.* 1881 p. 243.

Iupiter confutatus.

§ 1. Supplebo: χρυσίον καὶ βασιλείας αἰτῶν, ἅπερ εὐκταιότατα τοῖς ἄλλοις καὶ σοὶ οὐ ῥᾴδια (πᾶσι) παρασχεῖν.

§ 14. Pueris fortasse utilis adnotatio: ἄμφω γὰρ δύναται ὁ χρησμός.

§ 19: οὐ πάνυ οὐδ' αὗται ὑπὸ χρησῇ Εἱμαρμένῃ ἐγεννήθησαν. Haud parum melius intelligam: ἐπὶ χρησῇ.

(*Continuabuntur*).

AD PLUTARCHUM.

Publ. 12 (Sint.). Οὕτω δὲ περὶ ταῦτα δημοτικὸς γενόμενος νομοθέτης καὶ μέτριος ἐν τῷ μετρίῳ τὴν τιμωρίαν ὑπερέτεινεν. Sanum esse non potest μετρίῳ, neque tamen Schaeferi probo coniecturam ἐν τῷ μέρει. Quod vero Sintenisius proposuit ἓν τὸ μέτριον τῆς τιμωρίας a nostrae aetatis viro ὑπερσόφῳ inventum dixeris. Scripsit, ut opinor, Plutarchus ἐν τῷ μὴ μετρίῳ: vehemens fuit Publicola in coercenda et punienda re quae modum excederet: statuit enim indicta causa occidi posse qui regnum affectasset.

J. J. H.

Digitized by Google

DE ORPHEI PATRIA.

SCRIPSIT

J. VÜRTHEIM.

Anno 1899 Fredericus Weberus in Programmate Gymnasii Monachensis publici iuris fecit disquisitionem literariam „de Orphei origine thracia, quatenus hac de re olim indubitata sed nostris diebus in iudicium vocata certi aliquid nos docere possint Platonis opera". Adiunxit autem v. d. huic disputationi Platonis sententiam de Orphei aetate, institutis, operibus cum Herodoti Aristotelisque iudiciis comparatam, eo praesertim fine, ut de arte critica-historica quam philosophus in re literaria adhibuerit, meliorem opinionem rectioremque adipiscantur philologi. Aegre enim, ut asseverat Weberus Bernhardi verba sua faciens, desideratur opus, quod de iis quae antiqui in historia literaria critica vel praestiterint vel neglexerint clariorem nobis depingat imaginem.

Iam antequam Weberi disputatio emissa erat in lucem, vir cl. W. von Christ fructus huius investigationis transtulerat e schedis auctoris in tertiam editionem Historiae suae literarum Graecarum (p. 455), immo, quod est maioris momenti, discipuli sui opinionem rem absolutam vocare non dubitaverat. Quam ob rem non inutile duco Mnemosynes lectoribus quibus programma laudatum prae manibus non est, paucis exponere argumenta quibus fretus Weberus ad sententiam suam vulgatae repugnantem pervenerit. Cum vero, ut monuimus, v. d. duas tractarit res, Orphei originem thraciam et Platonis de scriptis

Digitized by Google

eius sententiam, ego quoque hanc rationem secutus hac disputatiuncula agam de illa, posteriore de hac quaestione. Nunc igitur erit agendum de Orphei patria.

„Entweder, inquit Weberus p. 21, hat Platon eine thrakische Abstammung des Orpheus nicht gekannt oder er hat sie nicht geglaubt und ihn nach wie vor, der alten Ueberlieferung folgend, als Griechen betrachtet, so gut wie den Homer und Hesiod."

Argumenta huius opinionis breve in spatium coacta sunt haec:

1°. Plato nusquam Orpheum „Thracem" vocat (p. 15). Licet fere semper dialogorum personis, praesertim peregrinis vel qui semel bisve nominantur, adiungat patriae nomen, Orpheus, cuius ter decies mentio fit, semper et ubique aeque ac Homerus Hesiodusque destituitur tali additamento.

2°. Saepius apud Platonem Orpheus arcte coniungitur unoque spiritu nominatur cum celeberrimis Graecis, puta cum Homero, Hesiodo, Simonide, Alcestide, Achille, Musaeo (p. 18).

3°. Thraces, gentem barbarissimam, philosophus ut aequales sui contemnit. Sic Antisthenem, utpote e serva thracia natum, ludibrio habet, Theaet. p. 174 sq. Orpheo igitur, cuius originem *divinam* irridet, Tim. p. 40 D E, nequaquam *thraciam* originem condonasset, si talem fuisse scivisset (p. 18).

4°. Unam virtutem Thracibus adimere non potest Plato; sunt enim fortes mortemque minime effugiunt (Rep. 435 E). Orpheus autem in scenam producitur citharoedus effeminatus, qui οὐ τολμᾷ ἕνεκα τοῦ ἔρωτος ἀποθνήσκειν, Symp. 179 D sqq. (p. 20).

5°. Vocat quidem Plato Orpheum Oeagri filium, Conv. 179 D, ut ante eum fecerat Pindarus, fr. 139; est quidem teste Servio ad Georg. IV 424 „Oeagrus fluvius de quo Hebrus nascitur, unde eum appellavit Vergilius Oeagrium"; nullus autem auctor, qui ante Servium scripsit, Oeagrum flumen Thracium habebat. Orphei pater alibi est Apollo; Oeagrus nomen est Graecum teste Arist. Vesp. 549. Unde sequitur Oeagrum tum demum factum esse Thracem, cum Orpheus ipse, qui apud mythologos quosdam filius eius habebatur, in Thracem abiisset (p. 23 sq.).

Quinque haec argumenta stabilire conatus est Weberus hisce observationibus. Monet enim Orpheum primum *Thracem* vocari apud Euripidem, Alc. 967 sq., et apud Rhesi incertum aucto-

Digitized by Google

rem, vs. 944 sq.; Platonem autem tragoediarum maiorem partem legisse minus verisimile ducit, cum in operibus suis superstitibus quattuor tantum et viginti laudarit locos e tragicis poetis petitos; exiguum numerum, si eum conferas cum trecentis versibus Homericis Hesiodeisque quibus dialogos ornarit. Haud dubie igitur non legit Rhesum, non legit Alcestidem Plato (p. 32 Ann.). Quin imo alio quoque modo opinionem suam defendere studet Weberus. Annon apud Platonem (Symp. 179 D) Alcestis iam ad inferos descendit, unde in lucem a diis mortem voluntariam admiratis remittitur, cum apud Euripidem in ipsis sepulchri faucibus ab Hercule Morti eripiatur mulier? „Das spricht nicht gerade für die kenntniss der euripideischen Alkestis".

Aristophanes autem et Isocrates nonne semper Orpheum cum poetis graecis coniungunt?

Quare tute statues Platoni fuisse perinde ac si nemo ante eum Orpheum vocasset Thracem.

At Aeschylus in Bassaris (fr. 20), Eratosthene auctore, Orpheum in monte Pangaeo solem i. e. Apollinem orientem exspectasse ibique a Bassaris discerptum fuisse, cecinit!

Respondet Weberus: „Die Tötung des Orpheus durch die Bassariden, die Dienerinnen des Dionysos, auf Befehl dieses Gottes der seinen Verächter strafen will, scheint eine poetische Umbiegung der Sage durch Aeschylus zu sein, die zunächst auf ihn beschränkt blieb."

Transit nunc v. d. ad vasa picta, de quibus haec legimus:

Nulla exstat Orphei imago ante initium quinti saeculi depicta (Furtwängler, 50° Winckelm. Progr. p. 157);

Ἑλληνικὸν δὲ τὸ σχῆμά ἐστι τῷ Ὀρφεῖ in Lesches inferorum pictura (Paus. X, 30, 6);

apud Robinsonium, Catalogue of greek, etrusc. and rom. vases Boston 1893, invenitur sub num.° 432 vas circa annum 460 pictum, Orphei thraciae originis antiquissimum documentum, vas autem sub num°. 419 paulo vetustius quam num. 432 exhibet Orpheum graeca veste indutum. Vasa cetera, quorum nullum annum 460 superat, Orpheum vel Thracio vel Graeco ornatu amictum ostendunt; inde vero ab initio saeculi quarti neque Graecus neque Thrax sed Orientalis depingitur Orpheus.

Digitized by Google

Ratione igitur subducta summa videtur esse haec: usque ad annum 460 artifices Orpheum omnes pro Graeco homine habuerunt; inde usque ad annum 430 Orpheus vel Graecus vel Thrax in arte pingendi est habitus; saeculo quarto fit Orientalis. Volventi igitur saeculo quinto vasorum pictores sententiam de Orphei patria mutasse videntur. Erat autem iis quoque ab origine *Graecus*.

Iam habes Weberi argumenta, fundamentum cui superstruxit aedificium a Christio v. cl. laudatum atque probatum. Bene autem monuit Godofredus Hermannus (Orphica p. 680): „omnino nullius hominis apud eos, qui liberali sunt indole praediti, tanta debet esse veneratio, ut eius in verba iurare, quam ipsi rem cognoscere malint". Vereor enim ut iis lectoribus, quibus auctoritas Christii non plus quam pondus argumentorum, quibus usus est Weberus, ad assensionem valeat, argumentatio illa vel „negativa" vel *ἀπὸ τῶν σιωπωμένων* satisfacere possit. Equidem in Weberi sententiam pedibus ire valde dubito.

Nam, Platonem saepius inter celeberrimos Graecos posuisse Orpheum licet minime negem, pernego huic observationi inesse quantulamcunque vim ad dirimendam quaestionem de Orphei origine thracia vel graeca. Non enim vatis nomen nominibus Graecorum immiscuit Plato ut eum cum iis coniunctum *opponeret barbaris*, sed alias ob causas, quae a virorum illorum origine vel graeca vel barbara prorsus alienae sunt. Sic Apol. 41 A laudantur Homerus, Hesiodus, Musaeus, Orpheus utpote viri quibuscum vitam apud inferos degere dulce erit sapientibus. Sic Prot. 316 D recensetur Orpheus inter eos, qui tempore antiquissimo sophistica arte sint usi, quique hoc studium non palam profiterentur sed dicis causa in artem poeticam, magicam, gymnicam incumberent. Nominantur autem Homerus, Hesiodus, Simonides, Musaeus, Orpheus necnon .... Iccus Tarentinus, Herodicus Selymbrianus. Conv. 179 comparatur cum Alcestide et Achille; hi enim mortem inire veriti non sunt, ipse autem amoris causa e vita discedere ausus non est.

Aliam igitur ob causam alio loco in dialogis apparet Orpheus, nusquam vero ut cum ingenuis Graecis coniunctus barbarae genti opponatur; quod si factum fuisset, Webero aliquid de

Digitized by Google

patria vatis inde statuere licuisset. Nunc vero statuamus necesse est, Platonem, cum Orpheum inter claros Graecos poneret, de patria eius plane securum fuisse, aeque ac Aristophanes hac de re ne somniavit quidem cum pangeret versus notissimos Ran. 1033 sqq.

Quinimo interdum nimio studio abreptus non videt v. d. se ipsum adversario arma suggerere. Pagina 19 e. g. legimus: „Mit Musaeus, an dessen griechischer, attischer Herkunft selbst noch Rhesos 944 ff. ausdrücklich festhält, erscheint Orpheus bei Platon öfter verbunden ohne eine Spur von Andeutung, dass er kein Grieche sei." Habuit igitur auctore Webero Musaeum Atheniensem divinus philosophus. Unde hoc apparet? nam licet Rep. II 364 E Musaei origini divinae fidem se non habere verbis *ὥς φασι* indicet, quid revera crediderit nusquam nobiscum communicavit. At poterat scire Plato e Rhesi versu 945 Musaeum fuisse Graecum, Atticum; afferatur igitur hic versus pro philosophi sententia. Concedo; sed versu 944 eiusdem tragoediae Orpheus vocatur Thrax! licetne hunc quoque versum pro Platonis opinione afferri? Minime! respondet Weberus, nam Plato Rhesum ne legit quidem!

Plato an Alcestidem Rhesumque legerit necne, quis pro certo affirmare potest? *Statuere* autem duas has fabulas ei fuisse ignotas atque hoc decreto pro fundamento uti quo alia non minus incerta nitantur, Weberus, opinor, nunquam suscepisset nisi optime perspexisset tragoedias illas sententiae suae esse molestissimas, illud igitur impedimentum quoquomodo e medio esse tollendum. Nam quod iactat extare discrepantiam inter narrationem de Alcestidis reditu apud Platonem atque fabulam Euripideam, philosophus et tragicus eodem mytho populari pro suo quisque ingenio ac fine usi sunt, quemadmodum sculptores graeci argumenta mythologica vario modo tractarunt saepissime. Nemo autem asseverabit Euripidem non legisse Homerum neque *τὰ Κύπρια*, licet in fabula sua Helena Paridem non Troiam sed Memphim absportasse Tyndaridem enarrarit (cf. Herod. II 112 sqq.). Accedit quod Plato argumento Euripideo uti non *poterat*; nam cum ibi Hercules mortuam Morti auferat ut hospiti gratiam suam testetur, in Convivio philosophus notissimo exemplo illustrare voluit, deos ipsos inferos verum amorem quam maximo

Digitized by Google

praemio dignum duxisse. Quare inferos ipsos Alcestidem in lucem emisisisse voluit.

Iuvat hic paulisper morari in fabularum mythologicarum campo laetissimo. Qui quam variis floribus splendeat videntes, videntes autem antiquos poetas maxima libertate per lata illa spatia circumvagantes, dum apis mutinae more modoque sua sibi petunt suosque in usus adhibent, non potest quin Weberum parum caute egisse censeamus, qui perhibuerit Platonem alios angulos ne visisse quidem, quod ex uno aliquo angulo mel duxisse eum constet.

Legimus autem apud Apollodorum (III 122) haec: „Iuppiter veritus ne homines, quibus Aesculapius medicamentum parabat quo ex ipsa morte resurgerent, nimiam potestatem adipiscerentur, fulminibus medicum percussit. Quare Apollo Cyclopes, qui fulmina fabricaverant, Iovi filii ob mortem succensens interfecit; quod scelus haud dubie in Tartaro luisset, nisi pater Latonae precibus victus Admeto eum servire iussisset." Pergit Apollodorus (I 104): „Admetus autem uxorem petebat Peliae filiam, qui procorum simultates vitans, constituerat ei se Alcestidem daturum, qui aprum et leonem ad currum iunxisset. Tunc Apollo Admeto opitulatus bestias iunxit, itaque mox nuptiae sunt secutae; sed haud felici omine. Nam Admetus pro nuptiis suis caelicolis sacrificans Dianae oblitus erat, quae irata thalamum eius anguibus implevit. Iterum autem Apollo subvenit, qui *εἰπὼν ἐξιλάσκεσθαι τὴν θεόν, ᾐτήσατο παρὰ μοιρῶν ἵνα, ὅταν Ἄδμητος μέλλῃ τελευτᾶν, ἀπολυθῇ τοῦ θανάτου, ἂν ἑκουσίως τις ὑπὲρ αὐτοῦ θνήσκειν ἕληται.* Cum vero dies mortis adesset, patre matre recusantibus, Alcestis pro marito mortem obiit. *καὶ αὐτὴν πάλιν ἀνέπεμψεν ἡ Κόρη, ὡς δὲ ἔνιοι λέγουσιν, Ἡρακλῆς μαχεσάμενος Ἅιδῃ.*"

En habes in fine duas lectiones, Platonicam, ut ita dicam, et Euripideam iuxtapositas, quarum utra sit antiquior mox videbimus. Videtur etiam tertia fuisse, qua Hercules non in ipsis sepulchri faucibus mulierem Morti eriperet, sed ad inferos descenderet mortuam a Plutone et Proserpina deprecaturus. Vestigia enim supersunt in versibus Euripideis 850 sqq.:

ἦν δ' οὖν ἁμάρτω τῆσδ' ἄγρας, καὶ μὴ μόλῃ

Digitized by Google

πρὸς αἱματηρὸν πέλανον, εἶμι τῶν κάτω
Κόρης ἄνακτός τ' εἰς ἀνηλίους δόμους
αἰτήσομαί τε·[1])

supersunt quoque in verbis „πρὸς αὐτὸν ἀνεκόμισε," quae Fischerus e Zenob. I 18 post nomen Ἡρακλῆς in Apollodori textum inseruit.

Quin etiam aliae discrepantiae exstant. Cum enim apud Apollodorum Apollo Parcis *supplicarit* (ἱκέτευσε), ut Admeti mortem prolatarent, bis apud Euripidem mentio fit de dolo quodam malo, quo heros Parcas delusisse dicitur (vs. 12, 37).

Neque ignoramus hunc dolum. Aeschyli enim in Orestia (Eum. 731) chorus Apollini obiicit:

σύ τοι παλαιὰς διανομὰς καταφθίσας
οἴνῳ παρηπάτησας ἀρχαίας θεάς.

Scholiasta insuper ad vs. 726 annotavit: οἴνῳ γὰρ ταύτας τῶν λογισμῶν ἀπαγαγὼν ἐξηπάτησε τὸν Ἄδμητον.

Postremo observandum est in fabula Euripidea frustra quaeri intempestivae Admeti mortis argumentum, quod e Bibliotheca Apollodori cognovimus, nempe Dianam in sacrificiis nuptialibus esse praeteritam. Quinimo Euripidem aliam rationem secutum esse apparet, qua Admetus vel eius uxor non statim post nuptias laesi numinis iussu e vita discederet, sed aliquot annis post, cum duos iam liberos genuissent.

Videmus igitur discrepantiam a Webero post alios in Platonis Convivio observatam unam esse e *multis* variationibus, quae pedetemptim, volventibus saeculis, in fabulae argumentum admodum simplex irrepserunt. Magna enim huius mythi erat fama, quodque chorus Alcestidi mortuae valedicens cecinit (vs. 445 sqq.):

πολλά σε μουσοπόλοι
μέλψουσι καθ' ἑπτάτονόν τ' ὀρείαν
χέλυν ἐν τ' ἀλύροις κλέοντες ὕμνοις
Σπάρτᾳ κύκλος ἀνίκα Καρνείου περινίσσεται ὥρας ...
λιπαραῖσί τ' ἐν ὀλβίαις Ἀθάναις,

aetas probavit. Testimonio sit populare carmen cuius initium servavit Aristophanes Vesp. 1239 (cum scholio):

1) Haec fabulae imago invenitur in sarcophago Ostiensi. Inspice Archaeologische Maerchen, C. Robert, p. 171.

Digitized by Google

Ἀδμήτου λόγον ὤταῖρε μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει,
τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου, γνοὺς ὅτι δειλῶν ὀλίγη χάρις.

Nec mirum igitur Robertium (Thanatos 29) hinc effecisse, solemnem poesin atticam vel laconicam fuisse huius fabulae fontem ac principium; qua tamen in re strenuum adversarium invenit Wilamowitzium (Isyllos p. 65 sqq.). Hic enim perhibuit Eoeas hesiodeas fabulae nucleum continuisse, nisus hoc praesertim argumento: Admeti fabulam in Bibliotheca arcte fuisse coniunctam cum Coronidis Aesculapii matris historia, hanc testibus fragmentis 147/8 (Rzach) ab Apollodoro ex Eoeis esse petitam, inde sequi illam quoque eodem ex fonte fluxisse. Equidem *οὐδὲν ὁρίζω*; est enim ut quivis videt res magis *δοξαστική* quam *ἐπιστημονική* [1]).

Est alia quoque controversia inter eosdem v. d. orta, utra sit antiquior narratio, Platonica illa, qua Alcestis ab *Inferis* in terram remissa dicatur, an Euripidea, quae mulierem ab Hercule Morti esse ereptam doceat. Perhibet Robertius (Thanatos p. 30): „die Lösung eines Konflikts duch physische Kraft ist in aller Sagenentwicklung älter und ursprünglicher als die Versöhnung durch das Eingreifen ethischer Motive"; cui astipulatus est C. Dissel (Der Mythos von Admetos und Alkestis 1882 p. 2 Ann. 9). Obiicit autem Wilamowitzius (Isyllos p. 71): „die grimme herrin von Pherai (Artemis, Βριμώ) forderte des bräutigams leben. Als die gattenliebe sich selbst dahingibt, demütigen sinnes der gewalt der göttin sich beugend, da schreitet die göttliche gnade ein. Die herrin des totenreiches (auch eine Βριμώ, oder vielmehr wider die Βριμώ) sandte Alkestis wider zum lichte empor. Diese *identität* läszt die einfache freilassung der Alkestis als das ursprüngliche erscheinen."

Dianam (*ἀρταμίδα*) hic vice deae feralis fungi consentaneum est; credo autem aequo plus sibi poscere Wilamowitzium, si hanc ob rem exigat, ut Dianam et Proserpinam unam eandemque deam fuisse concedamus, praesertim in fabula tam antiqui temporis ab omni syncrasi alieni. An forte Apollo, qui in Iliade Graecis pestilentiam inmittit, pro Plutone est habendus? Oblitus

1) Concedo Wilamowitzio versibus Euripideis 123 sqq. respici ad Aesculapii thaumaturgiam atque sic ad Eoeas. Cf 969 sqq.

Digitized by Google

erat Admetus Dianae sacrificare. Quid sibi volunt sacrificia illa nuptialia Dianae oblata? Narrat Pollux III 38 virgines, quae matrimonium inibant, placasse Dianam et Parcas; quae deae nostra quoque in fabula simul nominantur. Qui vero nescit, quo titulo tali occasione invocetur Diana, inspiciat prooemium Pindari (Nemea VII, 1):

Ἐλείθυια, πάρεδρε Μοιρᾶν βαθυφρόνων
παῖ μεγαλοσθενέος, ἄκουσον, Ἥρας, γενέτειρα τέκνων.

Ilithyia igitur est, „valetudinis et virium corpori insitarum auctor, Parcarum socia naturalis" (Dissenius Comm. p. 441). Quare minime Wilamowitzio concedo Dianam, quae irata Admeti vitam postularet, quaeque Apollinis precibus cedens vicaria anima contentam se fore dixisset, fuisse eandem deam ac inferorum reginam, cuius misericordia Alcestis marito redderetur.

Attamen mihi quoque videtur Hercules in mythi forma antiquissima locum non obtinuisse; perspicuum enim est Admetum et Alcestidem fuisse ab origine Plutonem et Proserpinam, quod tam docent nomina ἄδμητος et Ἀδμήτου κόρα = Βριμώ (Hesych. s. v.), quam totius fabulae tenor ac finis. Sed cum rex *indomitus* inferorum Thessaliae rex fuisset factus, cum ficta esset nova ratio, qua reginae reditus explicaretur, scilicet Apollinis Admeti hospitis intercessio, opus erat forti heroe, qui eam ex Orci vinculis liberaret; nam Apollo ipse, i. e. *Sol, ad inferos descendere non poterat.* Atque hic heros fuit Hercules, qui ad Theseum liberandum iam tali officio fuerat functus. Hinc intelligimus apud Phrynichum [1]), quo duce Euripides usus esse videtur, iam inveniri Herculis cum Thanato certamen; quam tragoediam satyricam fuisse, ut recentiores perhibuerunt, neque negare neque perhibere velim; si fuit, non fuit hanc ob causam, quod Parcae ibi inebriarentur, ut putat Wilamowitzius, nam Aeschylus iocum e satyrico dramate petitum profecto non inseruisset in tragoediam tam seriam quam fuit Orestia.

Ut tandem aliquando ad propositum redeamus: *tragoediae* forma antiquissima videtur fuisse ea, qua Hercules Alcestidem

1) Suidas s. v, Hesychius s. v. ἀθαμβές, Servius ad Verg. Aen. IV, 694; emendavit Iahn, Nauck.

Digitized by Google

liberaturus ad inferos descenderet; secuta est illa, qua mulierem Morti in sepulchri faucibus eriperet; *mythus* autem originalis nondum continebat Herculem intervenientem, contra, Alcestis ibi ab Inferis *sponte* in lucem remittebatur, ut olim Proserpina nulla vi adhibita Cereri reddita fuerat. Atque *hunc mythum* Plato in usum suum convertit, non quod tragoediarum Prynichi Euripidisque nescius vel immemor esset, sed quia docere volebat, deos ipsos inferos Alcestidis eximium ob amorem fuisse commotos. Nam *καὶ οἱ θεοὶ τὴν περὶ τὸν ἔρωτα σπουδήν τε καὶ ἀρετὴν μάλιστα τιμῶσιν* (Conv. p. 179 C).

Restant Weberi argumenta ex Aeschyli Bassaris atque e vasis pictis petita, quae paucis verbis refutare posse mihi videor. Fuerit sane in scena Aeschylea Orpheus Graecus non Thrax; depinxerint per me licet artifices prioris partis quinti saeculi Graeca veste indutum Orpheum — *τί ταῦτα πρὸς τὸν Πλάτωνα*? Annon ipse Weberus nos docet pictorum sententiam volventibus annis mutatam fuisse, ita ut Platonis aetate Orpheus sive Thrax sive Phryx in vasculis appareret? Quid legimus pag. 27, ubi laudatur auctor rerum archaeologicarum peritissimus Furtwängler? Bassaridum scenam, ubi Orpheus *Graecus* procedebat, per sexaginta modo annos artificibus saeculi quinti fuisse exemplo, postea vero pictores aliam iniisse viam.

Aequales igitur Platonis, scriptores, pictores Orpheum pro Thrace habuisse Weberus negare non potest; hanc opinionem Platoni minime fuisse ignotam, cum in theatris, plateis, e libris eam accipere posset, infitias ire v. d. non audebit; philosophum vero hanc sententiam aspernatum prorsus contrariam sibi informasse, cum e scriptis eius nusquam clare appareat, Webero tum credam, si alia argumenta protulerit quam infirma illa et negativa, quae supra refellere conatus sum.

Statuo igitur v. d. opinionem suam non talibus documentis probasse ut digna sit quae in historia literaria tanquam res indubitata locum sibi inveniat [1]).

---

1) Cf. verba Weberi p. 6: „Professor Dr. W. von Christ .... der das Ergebnis meiner Untersuchung durch seine Aufnahme als *richtig* anerkannt hat".

Digitized by Google

QUO DISCRIMINE DEI ET HOMINES INTER SE DIGNOSCANTUR.

SCRIPSIT

J. VAN DER VLIET.

Perlegens haud sine fructu specimen inaugurale v. d. K. H. E. de Jong, quod inscriptum est: *de Apuleio Isiacorum mysteriorum teste*, incidi in locum Heliodori (III. 13) ab auctore citatum, (p. 85) quo dicuntur dei et daemones nonnumquam induere corpora animalium, plerumque vero hominum: *τοὺς μὲν δὴ βεβήλους κἂν διαλάθοιεν, τὴν δὲ σοφοῦ γνῶσιν οὐκ ἂν διαφύγοιεν, ἀλλὰ τοῖς τ' ὀφθαλμοῖς ἂν γνωσθεῖεν ἀτενὲς διόλου βλέποντες καὶ τὸ βλέφαρον οὔ ποτ' ἐπιμύοντες καὶ τῷ βαδίσματι πλέον, οὐ κατὰ διάστησιν τοῖν ποδοῖν οὐδὲ μετάθεσιν ἀνυομένῳ ἀλλὰ κατά τινα ῥύμην ἀέριον καὶ ὁρμὴν ἀπαραπόδιστον τεμνόντων μᾶλλον τὸ περιέχον ἢ διαπορευομένων.* Observat autem speciminis scriptor Plutarchum idem referre de mortuorum umbris (Qu. Gr. 39): *τῶν δ' ἀποθανόντων οἱ Πυθαγορικοὶ λέγουσι τὰς ψυχὰς μὴ ποιεῖν σκιὰν μηδὲ σκαρδαμύττειν.* (De ser. num. vind. 22): *τὸ τὰς ψυχὰς τῶν τεθνηκότων μήτε σκιὰν ποιεῖν μήτε σκαρδαμύττειν.*

Horum locorum tenor in memoriam revocat festivissimi illius carminis epici, quod Mahābhārati nomine fertur, episodii, quo narratur, quo modo Damayantī, regis Bhīmi filia, sibi maritum elegerit. In tali electione undique reges et principes a patre puellae, quae matrimonio destinaretur, ad magnum conventum invitabantur, ut filia ex eorum numero suo ipsa arbitrio unum sibi sponderet. Regis Bhīmi invitationi responderant non multi tantum reges, sed quattuor etiam numina *Indra*, *Agni*, *Varuna* et *Yama*. Cum vero Damayantī introduceretur in locum, ubi dei cum principibus aderant, nusquam iuvenilem conspexit principem, quem sibi ipsa iam animo maritum destinarat, immo quinque eius ex omni parte similes deprehendit homines. Qua similitudine in summam inducta dubitationem, meminerat qui-

Digitized by Google

dem signa quaedam, quibus, quod ipsa a vetustioribus audivisset, a mortalibus numina discerni possent, sed ne illa quidem signa in quinque illis sive deis sive hominibus erant conspicua. In hac difficultate eos ipsos deos, quos personatos adesse sciret, precibus adiit, ut sibi sponsum suum ostenderent. Dei autem, humanissime uirginis precibus exauditis, ilico ei reddiderunt signa divina videndi copiam: „*Illa conspexit omnes deos sudoris expertes, fixis oculis, coronis horridis* (i. e. recentibus, integris) *ornatos, nullo pulvere maculatos, stantes quidem, non vero solum tangentes. Nishadhi contra filius* (i. e. Nala, quem adamabat Damayantī) *coronas habebat flaccidas, umbra sua duplicabatur, pulvere et sudore erat conspersus, in ipsa stabat humo et praesertim palpebrarum motu monstrabatur.*" Inter deorum notas absentia umbrae non quidem disertis verbis recensetur, ex Nali vero descriptione facile efficitur. Videmus igitur Graecis et Indis communem fuisse sententiam, deos et daemones τῷ ἀσκαρδαμυκτὶ βλέπειν, incessu quodam supra terrae superficiem nec non eo, quod umbra carebant, ab hominibus posse discerni. Huius persuasionis apud posteriores relictum est vestigium, utpote qui credant diabolum umbram suam non sequi.

Obiter observo in inscriptione Latine, sed ita ut verba aliquot Graeca intermisceantur, conscripta litteris Graecis, quae in specimine supra laudato adfertur (p. 94):

σι μινους δεσχενδο ιν α-
δυτους Οσιριϛ ετ δισσολουαμ θεν
θαπεεν ετ μιτταμ ουθ α Φουλ
α Φλουμινε Φερατουρ
εγω ενιμ σουμ μαγνους δεχανους δει μαγνι.

non recte inseri α Φουλ, neque verum vidisse Maspéro cum scriberet: „α Φουλ, *a ful(mine)* a été rayé dans l'original." *Fulmen* a sententia prorsus est alienum, sed is qui devotionem scripsit, cum per errorem pro α Φλου scripsisset α Φουλ, mendum correxit expunctis quae perperam se habebant. Magus igitur adiuratis deis, ut voti se compotem facerent, eis minatur, si minus sibi essent obsecuti, se ad sepulcrum Osiris esse descensurum et corpus in Nilum esse immissurum, ut flumine avehatur.

Digitized by Google

VARIA.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

I.

AD AESCHYLI EUMENIDES.

Vs. 242 Orestes:

πρόσειμι δῶμα καὶ βρέτας τὸ σόν, θεά,
αὐτοῦ Φυλάσσων ἀμμενῶ τέλος δίκης.

Locus ex mea quidem sententia parum recte compositus. Nam si distinguitur post δῶμα, hoc substantivum male caret pronomine, si contra iungimus δῶμα καὶ βρέτας τὸ σόν, obiecto caret part. Φυλάσσων et ingratissimum nascitur asyndeton.

Corrigendum arbitror:

πρόσειμι δῶμα ⟨τόδε⟩, βρέτας τε σόν, θεά,
αὐτοῦ Φυλάσσων ἀμμενῶ τέλος δίκης.

Cf. locus geminus vs. 439:

εἴπερ πεποιθὼς τῇ δίκῃ βρέτας τόδε
ἧσαι Φυλάσσων ἑστίας ἐμῆς πέλας, κτὲ.

Vs. 647 Minerva:

ἀνδρὸς δ' ἐπειδὰν αἷμ' ἀναπάσῃ κόνις
ἅπαξ θανόντος, οὔτις ἐστ' ἀνάστασις.
τούτων ἐπῳδὰς οὐκ ἐποίησεν πατὴρ
οὐμός, τὰ δ' ἄλλα πάντ' ἄνω τε καὶ κάτω
στρέφων τίθησιν, οὐδὲν ἀσθμαίνων μένει.

Ex omnibus quae propositae sunt in locum conclamatum con-

Digitized by Google

iecturis nulla sententiae melius prospicit quam Rauchensteiniana: τίθησι, κοὐδὲν ἐν ταὐτῷ μένει et κοὐδὲν certissima est correctio, sed quomodo ἐν ταὐτῷ in ἀσθμαίνων abire potuerit nemo facile dixerit. Fieri potest ut sub eo participio lateat adiectivum, *inconcussum*, *non labefactum* aut simile quid significans, quod si ita est, nihil melius reperio quam

κοὐδὲν ἄσφαλτον μένει.

Cui coniecturae ne quis obmoveat ab eo vocabulo abstinendum fuisse poetae propterea quod nota materies ἄσφαλτον dicebatur, satis habeo monere similem causam neminem movisse, ut adi. ἄσβεστος ne uteretur.

At haec scribenti mihi effluxerat me in Mnem. Vol. XXVIII, p. 394, proposuisse κοὐδὲν ἄρθμιον μένει sive ἄρμενον, i. e. ἀρμόδιον, ἡρμοσμένον, quae lenior est et fortasse probabilior emendatio. Alii iudicanto.

Vs. 789 et 819:

στενάζω; τί ῥέζω; γελῶμαι πολίταις.
δύσοισθ' ἄπαθον.

Depravatum esse πολίταις optime sensit Blaydes. Apprime loco convenire videtur προδήλως, *palam*, *insigniter*. Cf. Soph. Ai. 1311.

II.

AD SOPHOCLIS OEDIPUM REGEM.

Vs. 85.

Oed. ἄναξ, ἐμὸν κήδευμα, παῖ Μενοικέως,
τίν' ἡμὶν ἥκεις τοῦ θεοῦ φήμην φέρων;
Creon ἐσθλήν· λέγω γὰρ καὶ τὰ δύσφορ', εἰ τύχοι
κατ' ὀρθὸν ἐξελθόντα, πάντ' ἂν εὐτυχεῖν.

Non recte coeunt notiones diversissimae δύσφορος et εὐτυχεῖν, quare nescio an praestet verba sic distinguere:

ἐσθλήν· λέγω γάρ, καὶ τὰ δύσφορ' εἰ τύχοι
κατ' ὀρθὸν ἐξελθόντα, πάντ' ἂν εὐτυχεῖν.

i. e. εἰ καὶ τὰ δύσφορα τύχοι κατ' ὀρθὸν ἐξελθόντα, ut saepe vocabula, in quibus est praecipua sententiae vis, ponuntur ante

Digitized by Google

coniunctionem, v. c. in hac ipsa fabula vs. 249 *ἐπεύχομαι δ', οἴκοισιν εἰ ξυνέστιος γένοιτο, παθεῖν ἅπερ τοῖσδ' ἀρτίως ἠρασάμην*, Aiac. 521 *ἀνδρί τοι χρεὼν μνήμην προσεῖναι, τερπνὸν εἴ τι που πάθοι*, Trach. 584 *Φίλτροις δ' ἐάν πως τήνδ' ὑπερβαλώμεθα τὴν παῖδα, μεμηχάνηται τοὔργον*, Aesch. Ag. 555 *μόχθους γὰρ εἰ λέγοιμι καὶ δυσαυλίας κτἑ.*, 563 *χειμῶνα δ' εἰ λέγοι τις οἰωνοκτόνον κτἑ.* Et ita passim omnes.

Vs. 1007.

Oed. *ἀλλ' οὔποτ' εἶμι τοῖς Φυτεύσασίν γ' ὁμοῦ.*

Aperte vocula *γε* in hoc versu nihil significare potest. Manifeste corrigendum:

τοῖς Φυτεύσασίν μ' ὁμοῦ.

III.

AD PINDARUM.

Ol. II 43 — *νέοις ἐν ἀέθλοις.*

Adnotat O. Schroeder, novissimus editor „*νέων* Herwerden Studd. 9: at *μὴ πρεσβυτέραν ἀριθμοῦ δίωκε, θυμέ, πρᾶξιν* ipse monet poeta fr. 127." Quid quaeso ad rem, toto caelo diversam? Figurato enim sensu *πρέσβυς* passim de rebus usurpari nemo ignorat.

Ol. II 56

εἰ δέ νιν ἔχων τις οἶδεν τὸ μέλλον,
ὅτι θανόντων μὲν ἐνθάδ' αὐτίκ' ἀπάλαμνοι Φρένες
ποιναὶς ἔτεισαν — τὰ δ' ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ
ἀλιτρὰ κατὰ γᾶς δικάζει τις ἐχθρᾷ
λόγον Φράσας ἀνάγκᾳ·
ἴσαις δὲ νύκτεσσιν αἰεί,
ἴσαις δ' ἀμέραις ἅλιον ἔχοντες, ἀπονέστερον
ἐσλοὶ δέκονται βίοτον, κτἑ.

Nunc mihi cum Schroedero convenit post *εἰ — μέλλον* sumendam esse aposiopesin, nec minus verba *τὰ δ' — ἀνάγκᾳ* facere parenthesin, corruptum autem esse *ἐνθάδ'*. De reliquis dissentio.

Digitized by Google

Ἀπάλαμνοι enim oppositum vocabulo ἐσλοί videtur, neque *imbecilli* significare, sed αἰσχροί sive πονηροί, ut apud Theognidem 281 et Euripidem, Cycl. 281. Suspicor autem corrigendum esse

ὅτι θανόντων μένει τάδ' · αὐτίκα ἀπάλαμνοι κτέ.

i. e. *post mortem haec manere*, cett. In genetivo absoluto, pro quo acc. ponere potuerat, nemo haerebit.

Quod attinet ad verba ἴσαις δὲ κτέ., per leges sermonis nihil aliud significare possunt quam noctium numerum, quibus sol splendeat in sedibus beatorum, eundem esse qui dierum. Qualis artificiosior dicendi modus pro hoc „sol ibi noctu non minus quam interdiu splendet" prorsus convenit Pindari stilo insolita venantis. Temere haec verba sollicitari recte monuit editor.

Ol. V 13:

κολλᾷ τε σταδίων θαλάμων ταχέως ὑψίγυιον ἄλσος.

Tametsi abblanditur, quod, coll. Bacchyl. XII 71 (Bl.) πόλιν ὑψιάγυιαν, in mentem mihi venit ὑψάγυιον ἄλσος, acquiescendum tamen arbitror in Boeckhii traditae lectionis explicatione.

Ol. XI 19:

τὸ γὰρ ἐμφυὲς οὔτ' αἴθων ἀλώπηξ
οὔτ' ἐρίβρομοι λέοντες διαλλάξαιντο ἦθος.

Lehrsii coniectura διαλλάξαντο a Schroedero recepta refellitur verissima ipsius observatione ἦθος (consuetudinem) nusquam, ἤθεα (sedem) semper habere digamma. Nisi igitur, quod non suaserim, διαλλάξαντό γ' scribere velis, nihil aliud relinquitur quam vetus, sed egregia, Hartungi correctio διαλλάξαιντ' ἂν ἦθος.

Ol. XIII 18:

ταὶ Διονύσου πόθεν ἐξέφανεν
σὺν βοηλάτῳ χάριτες διθυράμβῳ;
τίς γὰρ ἱππείοις ἐν ἔντεσσιν μέτρα
ἢ θεῶν ναοῖσι οἰωνῶν βασιλέα δίδυμον
ἐπέθηκ'.

Schroeder adnotans: „τίς δ' ἄρ' Hermann Opp. VIII 124 in altero interrogationis membro δέ requirens; at cf. O. II 2. P. VII. I. V 39", nequaquam tutatus est ineptum particulae γάρ hoc

Digitized by Google

quidem in loco usum, praemissa altera interrogatione, ubi, si metrum permitteret, ea vocula recte se haberet. Ambigo autem utrum cum Hermanno δ' ἄρ' corrigam, an etiam lenius τ' ἄρ'. ΤΑΡ et ΓΑΡ praesertim in Homeri codicibus passim confusa esse nemo ignorat.

Pyth. I 6 εὖ-
δει δ' ἀνὰ σκάπτῳ Διὸς αἰετός, ὠκεῖ-
αν πτέρυγ' ἀμφοτέρωθεν χαλάξαις.

Quamdiu nullum repertum est verbum χαλάζειν pro χαλᾶν, suspectam habeo formam χαλάξαις, pro qua Pindarum χαλάσσαις dedisse suspicor.

Pyth. II 88 χρὴ δὲ πρὸς θεὸν οὐκ ἐρίζειν,
ὃς ἀνέχει ποτὲ μὲν τὰ κεί-
νων, τόθ' αὖθ' ἑτέροις ἔδω-
κεν μέγα κῦδος, ἀλλ' οὐδὲ ταῦτα νόον
ἰαίνει Φθονερῶν, στάθμας δέ τινος ἑλκόμενοι
περισσᾶς ἐνέπαξαν ἕλ-
κος ὀδυναρὸν ἐᾷ πρόσθε καρδίᾳ.

Adnotavit Christ: „σταθμᾶς — περισσᾶς" homines dici videntur qui iusto maiora moliuntur; unde autem locutio ista tracta sit, obscurum est; scholiastae ad lineam agrimensorum referunt, Hermannus Opusc. VII 121 ad funem, quem in palaestra pueri ἑλκυστίνδα ludentes utrimque ad se trahere conantur." Scholiastarum explicatio nihil explicat, Hermanniana ita tantum quodammodo intelligi potest, si ponimus alterum puerorum ordinem interdum, quando victum iri se sentirent, repente communi consensu funem manibus emisisse, ita ut adversarii nimium tendentes supini terrae illiderentur. Attamen istiusmodi casus in palaestrae pulverem non admodum gravis esse poterat, itaque parum conveniret verbis Pindaricis ἕλκος ὀδυναρόν, nisi forte (additur enim ἐᾷ καρδίᾳ) putamus moris fuisse ut casum istum passi in ludo pro victis haberentur, itaque ludentibus cavendum fuisse ut in trahendo modum quemdam prudentiamque observarent. At quo pacto id fieri posset neutiquam perspicio, ut mittam nihil de eiusmodi ludendi legibus usquam traditum esse.

Fortasse igitur malit aliquis cogitare de fune, quo operae

Digitized by Google

accisam arborem evellere conentur, nimia tentigine rupto, ita ut in asperum saepe solum cadentes vulnerentur. Quod si ita est, verba ἐᾷ καρδίᾳ non ad ipsam imaginem pertinent, sed tantummodo ad invidiosos, qui invidia sua ipsi sibi vulnera infligunt.

At enim tam Hermanniana explicatio quam haec prorsus evertitur ipso vocabulo στάθμη, quod non de quocumque fune, sed de sola amussi usurpari posse videtur. Cf. Thesaur. s. v.

Verum quaecumque fuit imaginis qua poeta utitur origo, meo iure videor contendere sensu carere idoneo adiectivum περισσᾶς et necessario corrigendum esse

στάθμας δέ τινος ἑλκόμενοι
περισσῶς.

Pyth. III 57

ἐν δ' ἄρα μηλοδόκῳ
Πυθῶνι τόσσαις ἄιεν ναοῦ βασιλεύς,
Λοξίας, κοινᾶνι παρ' εὐθυτάτῳ γνώμαν πιθών,
πάντα ἴσαντι νόῳ·
ψευδέων δ' οὐχ ἅπτεται, κλέπτει τε νιν
οὐ θεὸς οὐ βροτὸς ἔργοις οὔτε βουλαῖς.

Ne quis forte putet, parum ad rem hic praedicari Apollinis veracitatem, fortasse non prorsus inutile est monere, sententiam hanc esse videri: „Quem, ut ipse est veracissimus, ita nemo decipere potest." Cf. Pyth. IX 42. Ol. VI 67. Repudio igitur quod venerat in mentem

ψεύδε' οὔτ' οὐχ ἅπτεται

quam (mentem) *non tangunt mendacia.*

Pyth. IV 257

καὶ Λακεδαιμονίων μ(ε)ιχθέντες ἀνδρῶν
ἥθεσι τάν ποτε Καλλίσταν ἀπώκησαν χρόνῳ
νᾶσον.

Cum praesertim duo boni codices exhibeant ἀπώκισαν, incertum est utrum poeta ἀπώκησαν (sc. εἰς Καλλίσταν) scripserit, an potius, quod mihi praeplacet, ἀπώκισσαν cum obiecti accusativo. Neutrum verbum alibi in Pindaricis occurrit.

Digitized by Google

Pyth. IX 23 τὸν δὲ σύγκοιτον γλυκὺν
παῦρον ἐπὶ γλεφάροις
ὕπνον ἀναλίσκοισα ῥέποντα πρὸς ἀῶ.

Vitium metricum alii aliter curare conati sunt, sed nemo de simplicissimo remedio cogitasse videtur, quod affert forma ἄλωμα in titulis vetustis saepius lecta pro ἀνάλωμα, unde apparet extitisse quondam verbum ἀλοῦν sive ἀλίσκειν. Quare corrigo:

ὕπνον ἀλίσκοισα.

At fallebar, nam haec ipsa scribenti mihi allata est Schroederi editio Pindarica, qui hanc lectionem a se quoque repertam in textum recepit.

Pyth. IX 67

ὠκεῖα δ' ἐπειγομένων ἤδη θεῶν
πρᾶξις ὁδοί τε βραχεῖαι. κεῖνο κεῖν' ἄμαρ διαίτασεν.

Interpretari solent *peregit*, *perfecit* ex Hesychio citantes διαιτᾶν· διανύειν. Etenim apud Grammaticum exstat διαιτεῖν (sic)· διατρέχειν, διανύειν, quam glossam leviter depravatam esse, non ex διαιτᾶν, sed ex διάττειν docent explicationes, quae res non latuit iam M. Schmidtium. Nec vero verbum διαιτᾶν, *diudicare*, *arbitrio dirimere* significans, in notionem penitus diversam abire potuisse certum arbitror. Potius igitur interpretandum *diremit*, i. e. *probavit*, *ostendit*, paullulum deflexa verbi notione, ut subsit cogitatio „si quis forte dubitat."

Pyth. IX 121

ἔνθ' Ἀλεξίδαμος, ἐπεὶ Φύγε λαιψηρὸν δρόμον,
παρθένον κεδνὰν χερὶ χειρὸς ἑλὼν
ἄγεν ἱππευτᾶν Νομάδων δι' ὅμιλον.

Boeckh: „celerrime emensus erat et ante ceteros absolverat." Sine exemplo verbum φεύγειν ita usurpatum videtur, nec huc pertinet qui comparatur locus Nem. I 36 θεατὰν ἐς αἴγλαν παῖς Διὸς ὠδῖνα φεύγων, ubi solito verbi sensu Hercules dicitur partus dolorem fugiens in lucem prorupisse.

Scribere poterat poeta ὅτ' ἤνυσε, sed imagine uti maluit. Scilicet cursor antecurrens et post se relinquens competitores suos similis est fugienti persequentes, itaque sic scribendo Pindarus re vera dixit „postquam celeri cursu victoriam reportavit."

Digitized by Google

Pyth. IX 79 · ἔγνον ποτὲ καὶ Ἰόλαον
οὐκ ἀτιμάσαντά νιν ἑπτάπυλοι Θῆβαι.

Ita libri praeter B^b, qui ἀτιμώσαντα exhibet. Verbum ἀτιμᾶν pro ἀτιμάζειν vix Graecum videtur et iure expulsum est ex Homeri carminibus. Pindaro reddatur ἀτιμάσσαντα sive ἀτιμάζοντα. Ἀτιμοῦν, quo interdum tragici usi sunt pro ἀτιμάζειν, non est Pindaricum; est ἀτιμάζειν, ut apparet ex ἀτιμασθείς fr. 123.

O. Schroeder Proll. Pind. II p. 17 sq. pseudodoricas ducit formas Pind. P. XI 38 ἐδινάθην. I. V 6 ὠκιδινάτοις. Simul Theocr. XXIV 10 δίνασε iuxta formas vulgares II 30. XV 28. Bacchyl. V 2 habet ἱπποδινήτων, et XVI 18 δίνᾳ(σ)εν, ubi valde incerta lectio. Tueri tamen videtur vocalem ᾱ forma δινάκοι lecta I.G.A. 113, C, 4 in lege Elidis Saec. a. C. VI. Accedit quod etiam aliorum verborum terminationes variant in dialectis, ut τιμέω doricum est pro τιμάω, πονάω aeolicum pro πονέω. Fieri igitur potest, ut ratione inversa formae vulgares a librariis depravatae sint.

IV.

ARISTOPHANIS EQ. 1399.

τὰ κύνεια μιγνὺς τοῖς ὀνείοις πράγμασιν.

Semper male me habuit permirus hic usus vocabuli πρᾶγμα et nuper inspecta novissima Leeuwenii huius fabulae editione vidi neque huic sanum videri.

Nata mihi est suspicio, quam non sine dubitatione eius et aliorum iudicio submittam, poetam dedisse:

τὰ κύνεια μιγνὺς τοῖς ὀνείοις ⟨σ⟩άγμασιν

i. e. *farciminibus carnis asininae*. Optime quidem scio subst. σάγμα nusquam eo sensu usurpatum hodie legi, sed ita usurpari *potuisse* fidem facit creber verbi σάττειν usus *farciendi* sensu adhibiti. Vid. Stephani thesaurum s. v. II p. 97 sq.

Digitized by Google

V.

AD HESYCHII LEXICON.

δεδηχμένον· βεβλημένος. Ταραντῖνοι.

Latere participium verbi δικεῖν = βάλλειν intelligens nuper Kaibel correxit δεδιγμένον. Sed nihil credere vetat Tarentinos pronuntiasse δεδιχμένον. Iniuria enim solis Aeolensibus antiqui grammatici tribuebant usum litterarum ΧΜ pro ΓΜ, in διωχμός, ἐρεχμός, ληχμός, sim., ut in epica et lyrica poesi πλογμός, ἰωχμός, μυχμός, ἀμυχμός, ῥωχμός. Nam etiam Dores ita pronuntiasse arguunt v. c. Epidaurica vocabula φάρχμα et πάρδειχμα. Cf. etiam Collitz 1411, 13 ἀχνηκότας a verbo ἀγνεῖν = ἀγινεῖν, πρῆχμα, alia in titulis et vid. Kühner-Blass. Gr. gr. I p. 265.

ἀνοσάμικτον· ὀλιγόρ(ρ)υτον ὕδωρ.

Corrigendum arbitror ἀνησί-μικρον (sive -μικκον). Noto usu verba ἀνιέναι et ἀναδιδόναι de aqua (aliave re) e terra surgenti adhibentur. Minus recte olim ἀνασίμικκον, i. e. μικρὸν ὠφελοῦν proponebam.

αἰκάζει· καλεῖ.

Correxi:

αἰκάζει· ⟨αἴ⟩κα λ⟨έγ⟩ει.

Glossa petita e comoedia Sicula, ni fallor. Dictum de homine pusillanimo et nimis cauto.

δέδορκα· πόπανον παρὰ Συρακοσίοις τετρυπημένον, δι' οὗ ἐστι διαβλέψαι.

Fortasse διαδορκά. Cf. φορβά, στοργά, sim.

δειριᾶν· λοιδορεῖσθαι. Λάκωνες. — δειρεῖαι· λοίδοροι. οἱ αὐτοί. Infra δερίαι· λοιδορίαι.

Tam diphthongus quam brevis vocalis incredibilis. Lacones, opinor, dicebant δηριῆν, δηρεῖοι, δηρία. Cf. notum verbum δηριᾶσθαι et gl. Hes. δηρίττειν· ἐρίζειν, quod Creticum esse suspicor = δηρίζειν; nisi quod hi δηρίττην pronuntiabant.

δρίς· δύναμις. Fortasse subest glossa Laconica ἀ βίς = ἀ ῥίς.

Digitized by Google

ἐμπέλωρος· ἀγορανόμος. Λάκωνες. Infeliciter Schmidt ἐμπόρωρος coniecit. Latet ἐμπΟλωρος ab ἐμπολή. Cf. Ar. Ach. 816.

ἐνδύτας· αὐλωτὸς στάμνος. H. Quid sit non exputo, sed legendum suspicor αὐλωτὸς κημός, coll. gl. αὐλωτοὶ Φιμοί· οἱ κημοί, διὰ τὸ τοῖς κημοῖς κώδωνας προσῆφθαι κτέ.

Θυωνίδας· ὁ Διόνυσος παρὰ Ῥοδίοις, τοὺς συκίνους Φάλητας. H. Grammatico redde σκυτίνους. Cf. Ar. Lys. 119 cum scholiis. Apud Antiphanem III 64, 4 earundem est lectionum confusio.

ἰαριγμόν· χαρὰν καὶ θροῦν. Κρῆτες. Corruptum fortasse ex ὀαριγμόν.

VI.

Ἄτακτα.

In papyro magico bibl. nat Par. ed. Wess. l. 2644 legitur hic versus: αἰγὸς στέαρ τῆς ποικίλης καὶ αἷμα καὶ δύσαγμα. Dubium non est quin genuina lectio sit μύσαγμα. Ibidem l. 184 κΟχλαζοκύμων est falsa lectio pro κΑχλαζοκύμων.

Philodemus de Rhet. ed. Sudh. p. 376, 9: ὡς ἄρα πάντες οἱ χαυνότεροι τεχνῖται ἐμπλά[ζ]ονται μᾶλλον χρῆ[σθαι συ]νετωτέροις [κριτ]αῖς. Imo vero ἐμπά[ζ]ονται, *curant*, ut saepius verbis poeticis utitur Philodemus. Si litera Λ revera legitur in papyro, dittographema est sequentis Α.

In lexico Sabbaitico p. 21, 11 incerti comici leguntur hi trochaei:

καὶ τριβώνιον πονηρὸν οἷον ἐνριγισκάνειν.

collato Plut. 145 sq. Aristophanis fragmentum esse suspicor.

Theophylactus Simoc. Hist. VII 9, 9: αἱ δὲ τούτων (sc. τῶν ποταμῶν) ὄχθαι τοῖς κυπαρίττοις ὡς ἔπος εἰπεῖν κατανεύονται. Dederat, ut arbitror, κατανέφονται, aut, si mavis, κατανεφοῦνται, quod non optimum quidem est, sed condignum scriptore inepto ac semibarbaro.

Digitized by Google

AD CATULLI CARM. LXIIII VS. 178.

SCRIPSIT

J. WOLTJER.

Ariadne a Theseo Diae destituta queritur:

Iam quo me referam? quali spe perdita nitor?
178 Ydoneos ne petam montes? a, gurgite lato
Discernens ponti truculentum ubi dividit aequor!
An patris auxilium sperem, quemne ipsa reliqui?..

Vs. 178 *Ydoneus* est in cod. San-Germanensi, in cod. Oxoniensi est *Idoneos*, quod idem esse alii docent loci, e. gr. vs. 17 *nimphas* O, *nymphas G*; — vs. 20 *himeneos* O, *hymeneos* G, quamquam haud raro G in vocabulis Graecis habet *y*, ubi *i* est legendum, e. gr. vs. 15 *Nereydes*, vs. 52 *dya*, vs. 65 *strophyo* cett.

Quod in G superscriptum est *al' Idmoneos* meram esse coniecturam viri docti iam diu perspexerunt. Mitto coniecturas permultas, quas recentiores commenti sunt, probabile nihil consecuti.

Ex illa lectione codicum, sive est *ydoneos*, sive *idoneos* eruendam esse veram lectionem, quivis doctus non temere, sed via ac ratione procedens, concedet. Hanc ob causam Baehrensius in Interpretationis volumine pag. 410 coniecit legendum esse *Sidoneos*, quod licet forma commendetur, re tamen nullo modo probari potest.

Apud Nonnum in Dionysiacis, XXXIII 374, legi Ariadnam dici Cydoneam:

ἀστερόεν μέγα σῆμα Κυδωναίης Ἀριάδνης,

quod epitheton, proprie pertinens ad urbem Cydoniam in occidentali parte insulae Cretae sitam (Strab. p. 479), hoc loco generalius significat Cretensem, et mihi in mentem revocavit

Digitized by Google

locum Catullianum. *Ydoneos* nihil est, sed littera prima restituta, *Cydoneos montes*, nemo est quin intellegat: sunt aut montes Cretenses generaliter, aut montes in regione urbis Cydoniae siti.

Quod si ita est hoc adiectivum, metri condicioni non aptum, locum tenet alterius adiectivi, ad quod explicandi vel determinandi causa adscriptum erat. Quaeritur quod fuerit hoc adiectivum.

Confundi a Catullo poterant duo montes, quibus nomen erat Dictaeum, nam mons Dictaeus dicebatur esse in regione Cydoneorum et ad orientem versus notior situs erat ille mons Dicte. Notum est Callimachum in hymno in Dianam vs. 199 montem illum de quo nympha Britomartis in mare desiluisse dicebatur montem *Dictaeum* appellavisse:

ὅθεν μετέπειτα Κύδωνες
νύμφην μὲν Δίκτυναν, ὄρος δ' ὅθεν ἥλατο νύμφη,
Δικταῖον καλέουσιν,

et hanc ob causam a Strabone (p. 479) vituperatum esse (cf. de hoc nomine Roscher Ausf. Lex. der Gr. und Rom. Myth. Vol. I col. 822). In eundem errorem incidit auctor carminis quod Ciris inscribitur, qui vs. 300 Britomartin compellans his utitur verbis:

Dictaeas ageres ad gramina nota capellas.

Quoniam constat doctum Catullum probe Callimachum cognitum habuisse atque nonnulla carmina eius Latine vertisse, probabile est eum promunturium Cretae, quod ceteris prominentius est, cum Catullo Dictaeos montes appellavisse. Consentaneum porro est eum narravisse Ariadnae ex insula Naxo (cf. Baehr. interpr. ad vs. 52) evadere cupienti primum huius Dictaei montis in mentem venisse.

Hisce omnibus perpensis arbitror Catullum scripsisse:

Dictaeosne petam montes? a, gurgite lato
discernens ponti truculentum ubi dividit aequor!

deinde virum doctum quendam, Callimachi verborum supra laudatorum memorem, adscripsisse in margine *Cydoneos*, huius autem vocabuli litteram primam cum margine extremo periisse, tum hoc vocabulum mutilatum in locum nominis quod erat *Dictaeos* venisse. Sic certe lectio codd. perspicitur et restitutum est nomen quod et forma et re probatur.

Digitized by Google

HOMERICA.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur ex huius voluminis pag.* 140).

XXI.

DE ULIXIS AEDIBUS.

Quae de *equi Troiani* origine nuper disputavi, artissime cohaerent cum aliis eiusdem generis observationibus. Nam quae simplicia essent et alma luce ingenii poetici illustria, ea dum recentiorum inventis obruuntur, deformia sensim et obscura esse facta, et ego tum demonstratum ivi et multi ante me demonstrarunt. De *Ulixis* autem *rate* quaedam quae eodem pertinebant in Mnemosyne scripsi antehac [1]), nunc redit in mentem commentarioli de *Ulixis aedibus*, quem ante triennium recitavi in coetu philologorum nostratium Amstelaedami congregatorum. Typis is extat excusus in Actis illius conventus [2]); sed quoniam patrio sermone est scriptus et aliquanto fusius quam tempus tunc sinebat res exponenda videtur, repetam hic quae tunc disserui.

Fabularum Homericarum tempora si quis dudum praeteriisse queritur, legat ille vitam Schliemanni, et nostram quoque aetatem

1) Vid. Mnemosyne anni 1891 pag. 121—141.

2) Vid. Handelingen v. h. Eerste Nederlandsche Philologen-Congres, 1898, pag. 71—82.

Digitized by Google

miraculorum feracem esse videbit. Annon fidem superare dixeris quae narrantur de iuvene illo neque corpore neque re familiari neque ingenii cultu satis valenti, qui in mercatoris Amstelaedamensis taberna — *ἡμέτερος γὰρ κεῖνος* aliquantisper fuit *πολιήτης*! — longos per annos delituit, mentis autem acumine feliciter usus postquam dives est factus, spretis vitae lenociniis in regiones longinquas parumque hospitales est profectus, virque eo pervenit quo tetenderat puer, ut Homeri patriam viseret Troiaeque detegeret rudera.

Cuius viri fides infracta quantos montes removerit, caeca illa spes quam multa detexerit quae acutissimos oculos latuissent, hominem antiquitatis minus peritum quam sagacem fecerit amor ille *ὃν φύξιμον οὐδέν*, quid attinet pluribus hic persequi; omnes enim iam suspiciunt et admirantur novae artis patrem. Qui postquam longorum saeculorum oblivia dispulit et e Graeciae Asiaeque solo quid disci posset stupentibus aequalibus ostendit, iuniores quique ad eiusmodi studia melius parati essent multi ad eius exemplum se accinxerunt; iamque vita heroum prisci temporis documentis e terra protractis abunde illustratur. De armis et vestibus, de vario vitae quotidianae instrumento et supellectile aliisque rebus sive maioris momenti sive levioris, plura sciri possunt hodie quam olim, et responsum iam est ad quaedam, quae si quis olim quaereret, risum potissimum inter viros doctos movebat.

Etiam de ipsis domibus potentissimorum illorum regum, qui olim in Graeciae arcibus vixerunt, multa iam habemus comperta; carmina autem epica, Odysseam praesertim, cum evolvimus, licet minime obliviscamur cum poeta nobis rem esse, non a teste oculato res gestas enarrari, fieri tamen non potest quin nostros in usus convertere cupiamus quae Troiae Mycenarum Tirynthis rudera effossa testantur de prisci aevi regiis. Nam Ithacae dum moramur in Ulixis domo, iuvenum protervorum nunc lustro; regem dum videmus squalido vestitu abditum suisque in aedibus hospitem; dum scelestis capitibus imminet pernicies tandemque poena ab iis sumitur tarditatem gravitate compensans, inter turbas autem quas ciet lascivia interque diri furoris clamores dum Ulixis coniugem videmus versantem ceu almum genium loci, priscorum heroum vitam aliquantisper

Digitized by Google

vivimus et ipsi, a vate in musarum dominium abrepti; cum illis diligimus et odimus, speramus et reformidamus, laetamur et lugemus. Aedium quoque celsa vestibula, splendidas porticus, atria late patentia, thalamos pudicos, firmos thesauros oculis lustrare manibusque contingere posse nobis videmur. Mox autem fert animus ad verum ea omnia delineare, iamque abundant chartae aedium Ulixis vel aedium Homericarum in universum exhibentes diagrammata.

At sua pericula afferunt fortunae dona insperata. Intentata prius dum tractamus, metuendum videtur potius ne nimis multa iam habeantur pro claris et perviis et certis, quam ne nimis cauti abstineamus a rebus nondum satis compertis. Metuendum videtur ne oculi subito fulgore praestricti nihilo clarius nunc distinguant quae longo aevo sunt dissita, quam olim in caligine dum micabamus. Non enim omnia habet Archaeologiae illa ars, non omnia potest expedire. Ubi perventum est ad poetae locum ubi Nestoris poculum Ulixisve fibula vel comtus Andromachae commemoratur, laeti exsultamus si ostenduntur imagines simillimorum poculorum et fibularum mundusque muliebris ex sepulcris antiquis protractorum. Parietum ornamenta, tectorum caminorumque structura, ianuarum claustra, haec aliaque multa cuiusmodi olim fuerint grati discimus a claris novae artis antesignanis, et talia fere priscorum vatum menti obversata esse ea omnia intellegimus, qualia nostra aetate e terrae gremio resurrexerunt. Sed caveamus oportet ne gaudio splendidorum inventorum abrepti nimis facile nobis persuadeamus ope artis, quae veterum vitae optatissimam lucem afferat et ad multas minoris ambitus quaestiones dirimendas sufficiat, etiam intricatiores quosdam nodos solvi posse qui cum ipsa structura priscorum carminum cohaerent. Cavendum ne, terra quoniam pocula fibulasque tales reddidit quales pingebant veteres poetae, temere inde concludamus etiam aedes Ulixis vel Priami tales fere fuisse qualis Tirynthis illa regia fuit, cuius rudera ad oculos iam patent.

Et Priami nunc domum mitto; cuius non tam multis locis fit mentio quin satis concinna aliqua eius imago videatur posse delineari. Sed de aedibus Ulixis quid statuimus? Etiam harum dispositionem in albo accurate describi posse? antiquiora recen-

Digitized by Google

tioribus commixta praebere Odysseam nostram, plurima plurimis locis sibi repugnare, et tamen hac de re quaecunque narrentur sibi constare? plurimos cantores per multas hominum aetates Ulixis fata cecinisse, eandem autem eos omnes sibi mente informasse imaginem vetustae illius regiae in longinqua insula sitae, quam plerique ne oculis quidem usurpassent unquam? eandem conclavium seriem eodem ordine se excipientium, easdem singulorum mensuras, eandem supellectilis speciem, eundem porticuum vestibuli aulae ornatum ante mentis oculos habuisse? Nae nugari mihi videor talia rogans, prorsus enim absurda sunt quae dico, et patet a sanae mentis hominibus nihil eiusmodi posse perhiberi.

Superest igitur ut aut ex unius hominis ingenio Odysseam totam fluxisse sumamus, aut concedamus fieri non posse quin ea quae singulis carminis epici locis de aedibus regiis dicantur magnopere inter se discrepent, delineari igitur aedes illas satis probabiliter haudquaquam posse. Et quoniam hodie vix quisquam extare videtur qui sustineat Odysseam esse unius poetae opus idque integrum ad nos pervenisse, satis opinor patet quem usum praestare possit tabula „Ulixis domum" per lineamenta describens.

Hactenus igitur expedita profecto est res. Sed satius est, in nostra praesertim arte, quae vel sic nimis multa habet dubia, argumentationibus non ita multum tribuere ubi rerum adsint testimonia. Experimentum igitur faciamus ipso Homero duce, ab ea potissimum aedium parte exorsi quae ceteris nobilior perque varias vitae communis vices celebratissima fuerit. Quam ubi quaeramus non diu est dubitandum. Nam plurimum cum poeta versamur in spatiosissimo illo conclavi, quod dicitur τὸ μέγαρον. Hunc igitur regiae nucleum si varios poetas varie sibi finxisse appareat, quis est quin concedat μόχθου περισσοῦ κουφόνου τ' εὐηθίας esse rectis lineis figere velle quae aquae ritu undare videamus, et ἀκίχητα διώκειν si quis uno adspectu comprehendere conetur quae toto coelo sint dissita.

Non quo negem vatum esse suorum interdum verborum oblivisci, et in litterarum quoque re publica praetores non curare minima. Sed quisquiliae profecto non sunt quae cogito. Hoc rogo, *unumne* μέγαρον habuerint Ulixis aedes an duo? Haec

Digitized by Google

leviuscula non est res, quamve unus idemque poeta alio tempore aliter mente sibi potuerit informare; vetus carmen si ne hac quidem in re sibi constat, fines libertati poeticae concessos illam neglegentiam excedere negari nequit.

Lexicon Homericum cum adimus, in voce μεγάρῳ quadraginta fere locos invenimus laudatos, ubi *virorum conclave*, dein triginta fere locos ubi *mulierum domum aut solam aut potissimum* significet, tum quadraginta sequuntur loci ubi *aedes universas* indicet, tandem observatur allatisque locis demonstratur vocem ducentis fere locis in numero plurali esse adhibitam ad totas *aedes* designandas, hac igitur in re similem latino huic nomini cognataeque significationis vocibus δόμοισι, δώμασι, τοικίοισι.

De *feminarum* autem illa *domo* inter se consentiunt fere viri docti, certe quod ad summam rei adtinet; nam ambigitur tantum utrum conclavi virorum contiguum fuerit μέγαρον feminarum, ita ut per fores duplices ex altero ad alterum esset aditus, an a virorum μεγάρῳ semotum et in aedium interioribus abditum.

Multi autem priorem opinionem sunt amplexi, ita igitur rem sibi mente informantes ut is qui per vestibulum aedes ingressus virorum conclave transiret, extemplo ad conclave mulierum pervenire posset, nisi forte occlusae essent valvae alterum ab altero separantes; τὸν ἀνδρῶνα igitur exceperit ὁ γυναικών, ut recentioris aevi hisce vocabulis ego quoque nunc utar. Eam igitur conclavium dispositionem habuerit Ulixis regia, quae hodiernarum domuum esse solet. Nam et nunc sic construuntur aedes, ut duo — vel plura — inter se cohaereant conclavia; et in tua quoque domo, amice lector, conclavi vitae quotidianae usibus destinato contiguum opinor est alterum conclave, aliquanto maius fortasse magisque ornatum, quod amicis praesertim excipiendis solet inservire.

In bipartita igitur quam illi sibi fingunt domo ubinam degere solebat materfamilias? Ἐν τῇ γυναικωνίτιδι opinor; ibi autem quaerendus erit focus in quo parabantur cibi.

At alia omnia ex Homero novimus, et aut nihil constat aut id certe constat, focum, τὴν ἑστίαν, fuisse in conclavi virorum. Penetralia autem aedium ut alium focum, fortasse plures habue-

Digitized by Google

rint, ubi famuli cibos sibi parārent, nihil aut istos focos aut ipsa mancipia moramur, neque poeta moratur, qui matrem familias ostendit in virorum conclavi, *ἐν τῷ μεγάρῳ*, assidentem *τῇ ἑστίᾳ*.

Et hac certe in re prisci poetae sibi constiterunt. Alcinoi regiam adeamus. In celso ibi conclavi, quod vario pretiosissimorum metallorum ornatu refulget, regina Arete sedet iuxta focum spatiosum, cuius caminus columnis est suffultus [1]), lanificio cum feminis suis operam dans. Totidem verbis eius filia id dixit Ulixi:

ὅτε κέν σε δόμοι κεκύθωσι καὶ αὐλή,
ὦκα μάλα μεγάροιο διελθέμεν', ὄφρα χ' ἵκηαι
μητέρ' ἐμήν. ἣ δ' ἧσται ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν πυρὸς αὐγῇ,
ἠλάκατα στροφάουσ' ἁλιπόρφυρα, θαῦμα ἰδέσθαι,
κίονι κεκλιμένη· δμῳαὶ δέ τοι ἧαται ὄπισθε.
ἔνθα δὲ πατρὸς ἐμοῖο θρόνος ποτικέκλιται αὐτῇ,

— sed e loco notissimo [2]) plura excribere inutile videtur. Illic igitur reginam invenit Ulixes, cum urbem ipsasque aedes regias clam civibus intravit, cava nube protectus, quam circumdederat Minerva. Illic eius genua supplex adiit; illic cenae mox vespertinae adhibetur [3]).

In beata autem Scheria si splendidum illud conclave, ubi rex solebat degere et cum principibus suis versari, etiam reginae eiusque ancillis locum praebebat, ne Ithacensium quidem regem pepulisse uxorem ex suo conspectu in mulierum aliquod *μέγαρον*, satis videretur certum — si ea de re coniectura esset facienda. At nihil opus. Nam *telam* illam *Penelopes* meminimus, Polyphemi ariete Aeolique utre nihilo minus olim claram et inde a prima pueritia nobis quoque notissimam. Procos ut falleret, laborem infinitum suscepit Penelope. Ubi? In virorum nimirum conclavi, ubi cum iuvenibus eius manum petentibus solebat colloqui. Ibi igitur proci regiam visentes quotidie eam viderunt festinantem, ut vestem, quam in funus Laërtis parare se di-

---

1) Etiam regiae Tirynthiae *μέγαρον* medium tenuisse focum quatuor columnis circumdatum res est in vulgus nota.

2) ζ 304 sqq.

3) η 141 sqq.

Digitized by Google

cebat, ad finem deduceret; noctis autem silentio resolvebat quae per singulos dies, multorum in se intentis oculis, confecisset. Cur noctu? Quia tum demum non verendum ei erat ne a visitoribus deprehenderetur. Sic iuvenes per triennium decepit: tum fraus indicio ancillae est detecta. Nocte igitur intempesta proci in regiam ipsumque virorum conclave reversi, quod paucis horis ante reliquerant, illic invenerunt reginam opus suum retexentem. Penelopes telam in aedium interiora transporta et lepida fabula abit in meras nugas. Quae sitne originis coelestis, ita ut olim lunam cornua reparantem stellisque stipatam indicaverit, an interpretum hic sit error quo magis ingeniosus eo magis fallax, id nunc ad rem nihil facit; saepius autem dixi me quoque sagaci illa mythi vetusti explicatione captum teneri. Sed lunam ut olim significaverit fida Ulixis coniux et stellas proci, in Odyssea sunt veri mortales; veram telam texuit retexuitque regina, illo autem aedium loco opus suum peregit ubi ferebat ratio, loco quem designatum sibi habebat materfamilias, loco quem et olim tenuerat dum aderat maritus, et tunc iure suo tenebat.

Post ea quae diximus dubium esse nequit quin in virorum conclavi sive *μεγάρῳ* Helenam texentem invenerit Iris, cum Laodicae specie induta eam adiit ut ad moenia eam abduceret:

τὴν δ' ηὗρ' ἐν μεγάρῳ· ἡ δὲ μέγαν ἱστὸν ὕφαινε [1]).

Nec minus certum est ubi fuerit Andromache cum civium per urbem Hectoris necem lugentium ad eam penetraverunt clamores [2]):

ἦ γ' ἱστὸν ὕφαινε μυχῷ δόμου ὑψηλοῖο,
κέκλετο δ' ἀμφιπόλοισιν ἐυπλοκάμοισ' ἀνὰ δῶμα
ἀμφὶ πυρὶ στῆσαι τρίποδα μέγαν, ὄφρα πέλοιτο
Ἕκτορι θερμὰ λόετρα μάχης ἐκ νοστήσαντι.

Habemus matronam cum tela, habemus ignem foci, etiamne *τοῦ μεγάρου* fit mentio? Fit. Nam postquam tristi nuncio accepto semianimis est collapsa rursusque ad se rediit,

μεγάροιο διέσσυτο μαινάδι ἴσκη [3]).

E virorum conclavi per prodomum in plateam provolavit.

---

1) Γ 125.
2) X 440 sqq.
3) vs. 460.

Digitized by Google

Neque est cur aliter interpretemur Hectoris verba in sexto Iliadis libro:

πῇ ἔβη Ἀνδρομάχη λευκώλενος ἐκ μεγάροιο; [1])

Haec enim rogat Hector ἐπ' οὐδὸν ἰών: in limine consistens vacuum inspicit μέγαρον, dein ancillas illic sine domina versantes rogat quo abierit uxor.

Hecuba autem cum ad maritum dicit: *lugeamus Hectorem*

ἥμενοι ἐν μεγάρῳ [2]),

non in aedium penetralia abdere se vult, sed palam in magno regiae conclavi coram frequentissimo famulorum civiumque coetu parentalia ferre filio dilecto.

Et Ulixes cum de Elpenore dicit:

σῶμα γὰρ ἐν Κίρκης μεγάρῳ κατελείπομεν ἥμες [3]),

verum Circes μέγαρον quominus intellegamus nihil obstat. Ipsa sane Elpenoris umbra fatum suum his verbis mox refert:

δαίμονος ἄασέ μ' αἶσα κακὴ καὶ ἀθέσφατος ὕπνος·
Κίρκης δ' ἐν μεγάρῳ καταλέγμενος οὐκ ἐνόησα
ἄψορρον καταβήμεν' ἰὼν εἰς κλίμακα μακρήν,
ἀλλὰ κατ' ἄντικρυς τέγεος πέσον [4]),

quae verba ne verti quidem possunt nisi μέγαρον totas nunc aedes aut cubiculum aliquod in parte superiore interpretemur; sed tam obscure haec sunt enarrata ut errore aliquo videantur laborare. Nam ψύχεος ἰμείρων qui κατελέξατο τοινοβαρείων [5]), is mirum nisi sub divo, ἐπὶ τοῦ τέγους, obdormivit; itaque Elpenoris verba melius aliquanto intellegerem equidem, si diceret:

„Κίρκης δ' ἐν τέγεϊ καταλέγμενος

imprudens sum delapsus". Aut igitur huiuscemodi aliquod vitium in hunc locum postmodo irrepsit, aut — id quod multi suspicati sunt — confectus est a recentiore cantore priscae dictionis minus perito.

Neque poetarum loci, ubi *pueri* ἐν μεγάρῳ apud matrem eiusque famulas educati esse dicuntur, cogunt nos feminarum aliquod μέγαρον sumere. Immo in contrariam partem nos ducunt quae Odysseae initio narrantur. Ubi invenimus Telemachum illo ipso die quo in nostram notitiam primum venit pueritiam

---

1) Z 377. 2) Ω 209. 3) λ 53.
4) ibid. vs. 61 sqq. 5) κ 555.

Digitized by Google

exuentem, a Mente sive Minerva commonitum: puer autem ille assidet cenae communi in virorum conclavi, nullumque adest indicium unde efficiamus eum antehac in alio conclavi cenare fuisse solitum et dies transigere, vel potius breves eas dierum partes quibus non sub dio versaretur.

Phoenicem autem hospitem regis Pelei, qui eum

ἀφνειὸν ἔθηκε, πολὺν δέ τοι ὤπασε λαόν,

ecquis credit inter ancillas esse relegatum e virorum conclavi, ut ibi carnibus et vino satiaret Achillem puerulum ἐν νηπιίῃ ἀλεγεινῇ tunicam sibi commaculantem? Bona verba! et ne dubium quidem id reliquit poeta, qui haec dicentem fecit Phoenicem: „o Achilles, nolebas olim

οὔτ' εἰς δαῖτ' ἴμεναι οὔτ' ἐν μεγάροισι πάσασθαι

nisi me comite." Hominum adultorum cenae puer adesse nolebat nisi Phoenix eum ἐφ' ἑτοῖσι γούνεσσι collocaret [1]).

Neque Hercules — ut posthomericam addam fabulam — e feminarum aliquo conclavi Aiacem protraxit puerulum ut leonis Nemeaei pelle eum circumdaret, sed Telamonem eius patrem offendit

δαινύμενον παρὰ πῇ τ' ἀλόχῳ καὶ τοῖσι τέκεσσι,

ut Alcinoi de Ulixe nunc verbis [2]) utar; a quo cenae adhibitus puerum cum parentibus assidentem fulvis exuviis texit.

Quae cum ita sint, estne causa cur aliter iudicemus de locis qui sequuntur?

Τληπόλεμος δ' ἐπεὶ οὖν 'τράφ' ἐνὶ μεγάρῳ ἐὺ πηκτῷ [3]),

et: τηλύγετος δέ τοι υἱὸς ἐνὶ μεγάρῳ ἐὺ πηκτῷ
ὀψίγονος τρέφεται [4]).

Quidni etiam Tlepolemus et Demophoon nutriti fuerint in conclavi ubi cenabant parentes?

Ulixes cum viri Cretensis filium se fingit, ἀνέρος ἀφνειοῖο, cui etiam multi alii

υἷες ἐνὶ μεγάρῳ ἡμὲν 'τράφον ἠδ' ἐγένοντο [5]),

quid tandem obstat quominus μέγαρον interpretemur virorum — vel potius totius familiae — illud conclave spatiosum?

Mercator Phoenicius, qui domum patris Eumaei olim intravit

---

1) I 488—491. 2) θ 248. 3) B 661.
4) H. Cer. 164. 5) ξ 201.

Digitized by Google

χρύσεον ὅρμον ἔχων, quem deinde ἐν μεγάρῳ δμῳαὶ καὶ πότνια μήτηρ sunt admiratae, in abditamne aliquam aedium partem penetravit? Minime, sed matronam adiit solito loco prope focum ἐν τῷ μεγάρῳ sedentem, ut pretiosum monile ei offerret emendum [1]).

Mater autem familias ubi locum suum habebat, *filiae* cur ex ea aedium parte arcerentur nulla esse potuit causa. An putamus balneantibus iuvenibus innocenter eas operam praestare potuisse, non potuisse pudice sub matris oculis inter eos versari? Non tam anxie aevo heroico secludebantur puellae. Itaque certa stat sententia de locis ubi filiarum ἐν μεγάρῳ educatarum vel relictarum fit mentio: non ignotum aliquod conclave in aedium penetralibus latitans sed illa ipsa quam novimus aedium pars primaria significatur locis quos indicaturus sum:

τρεῖς δέ μοί εἰσι θύγατρες ἐνὶ μεγάρῳ ἐὺ πηκτῷ,

sunt verba Agamemnonis [2]). De Hippodamia Anchisis filia dicitur:

τὴν περὶ κῆρ' ἐφίλησε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
ἐν μεγάρῳ [3]),

ubi *patris* mentio ne dubitare quidem quemquam sinit. Rexenorem principem Phaeacum immatura mors abripuit

ἐν μεγάρῳ μίαν οἴην παῖδα λιπόντα [4]),

„evanuit e conclavi suo adolescens, neque filios ibi reliquit qui ipsius nomen ad posteros propagarent, sed filiam unicam." Versus quam ieiunus fiat si μέγαρον aliquod solis mulieribus et puerulis destinatum cogitemus, quid attinet pluribus verbis demonstrare?

Itaque facile intellegitur quid sit statuendum de Veneris mortalem puellam se mentitae verbis:

Τρωὰς μεγάρῳ με τροφὸς 'τρέφεν [5]).

Et tuta hac certe a parte est coniectura eorum, qui in Agamemnonis verbis

ἡμέτεραί τ' ἄλοχοι καὶ νήπια τέκνα
ἧατ' ἐνὶ μεγάροις ποτιδέγμεναι [6])

recentioris aevi dativo μεγάροις substituerunt singularem μεγάρῳ.

---

1) ο 459 sqq. 2) I 144; item vs. 286. 3) N 430 sq.
4) η 65. 5) H. Vener. 114. 6) B 136 sq.

Digitized by Google

Prorsus autem idem valet de ceteris eiusmodi locis, quos hic excribam:

ζ 62: πέντε δέ τοι φίλοι υἷες ἐνὶ μεγάρῳ γεγάασι.
η 190: ξεῖνον ἐνὶ μεγάρῳ ξεινίσσομεν.
ο 77 et 94: δεῖπνον ἐνὶ μεγάρῳ τετυκεῖν.
π 33: ἤ μοι ἔτ' ἐν μεγάρῳ μήτηρ μένει.
ρ 390: Πηνελόπεια
ζώει ἐνὶ μεγάρῳ καὶ Τηλέμαχος θεοειδής.
χ 217: οἷα μενοινᾷς
ῥερδέμεν' ἐν μεγάρῳ.
χ 369: ἔκειρον
κτήματ' ἐνὶ μεγάρῳ.
χ 417: γυναῖκας ἐνὶ μεγάρῳ κατάλεξον.

His quoque locis pluralis numerus μεγάροις extat in codicibus, singularem autem et fert contextus et flagitat ars grammatica [1]).

Neque ambiguus iam videtur locus Odysseae, ubi Penelope iubetur ἂψ ἴμεναι εἰς μέγαρον πατρός [2]): illuc redeat ubi olim habitavit puella.

Itaque, ut et nos illuc unde profecti sumus redeamus, in magno conclavi, ubi heroes et ceteram vitam cum suis transigunt et cenant, suus locus prope focum est matri familias eiusque ancillis, suus est locus filiis et filiabus.

In Ulixis tamen aedibus aliter res sese habet; et festiva fabula quae est de tela Penelopes, licet a vitae priscae tenore minime, ut supra vidimus, sit aliena [3]), in Odysseae tamen nostrae compagem non satis apte quadrat. Per se spectata non potest non placere: cum cetera narratione ut concilietur, artificio aliquo opus est. Nam sumamus oportet reginam per triennium illud, quo procos callida fraude fefellit, vitam suam aliter in-

---

1) Vid. Mnemos. 1889 p. 240, 1, et cf. Prolegom. Odyss.[2] p. XXIII de ξ 326, quem versum infra tractavi p. 235, 1. Praeterea huc facit ο 231, ubi Melampus ἐνὶ μεγάροις Φυλάκοιο | δεσμῷ ἐν ἀργαλέῳ dicitur δεδέσθαι; ibi quoque cum Nauckio scripsimus singularem, sed dubiam esse rem concedo et ferendum fortasse esse in noviciis his versibus dativum decurtatum in -οις.

2) α 276; cf. π 390.

3) Etiam τ 533 fortasse ita interpretandus est. Quamquam fieri potest ut ibi novicius de quo mox agam obtineat usus.

Digitized by Google

stituisse quam postea. Quae quamquam non omnino absurda est explicatio, — licet enim perhibere reginam, cum fallax consilium deprehensum esset, in aedium interiora exinde confugisse, — praestat tamen fateri non eidem poetae deberi facetam illam narratiunculam et imaginem Penelopes quam ex cetera Odyssea novimus.

Quicquid id est, matrem familias loco pulsam ostendit Odyssea. In illo conclavi, ubi iuvenum petulantium quotidie bacchatur caterva, commorari noluit, marito qui ab intempestivis iocis se defenderet destituta. Itaque aufugit in aedium superiora, *εἰς τὸ ὑπερῷιον*. Relicto *μεγάρῳ*, quod cuiuslibet protervitati patet, petivit *θάλαμον*, — non illum thalamum, quem in firmo solo olim aedificavit Ulixes, ibi enim torus genialis absentem herum opperitur vacuus, — sed aliud quoddam cubiculum. Claustris ibi forium bene firmarum protecta lentos transigit dies inter famulas, *ἐτὸν κλαίουσα πόσιν*, nec nisi raro descendit *κατὰ τῆς κλίμακος*, ut cum procis filioque per breve tempus colloquatur. Cui si in aedium interioribus suum fuisset *μέγαρον*, cur confugisset in tabulata?

Intellegi igitur non possunt quae in Odyssea narrantur, si sumitur id quod assolet, Ulixis aedes habuisse duo conclavia sive *μέγαρα*, alterum virorum alterum mulierum vitae quotidianae destinata; immo luculenter patet priscam fabulam ipsamque aevi heroici vitam unum tantum eiusmodi conclave cognitum habuisse proprioque *μεγάρου* nomine designasse. Unum *μέγαρον* idque spatiosissimum habebant regum aedes splendidae: *μέγαρον* suum quantumvis artum habebant pauperum tabernae, habebat Eumaei tugurium [1]), habebat Achillis tentorium [2]). Quippe *habitatur* et *cenatur* etiam in re tenui et in aedicula simplicissima; et hanc voci, cuius origo latet, primitus propriam fuisse potestatem, ut *cenationem* significaret, suspicor equidem [3]). Quo nomine aliae aedium partes indicari non poterant, quemadmodum in aedibus Britannorum — ut hoc utar exemplo — aliud conclave dicitur *the hall*, aliud nomen habet *the drawing-room*, ridiculus

1) π 165. 2) Ω 647.

3) Vocem *μέγαρον* Graecam esse, quod multi perhibuerunt, ab adiectivo *μεγάλῳ* eam repetentes, confidenter nego.

Digitized by Google

autem foret qui utravis voce locum utrumque designari posse contenderet.

Unum μέγαρον, denuo id dico, etiam Ulixis habuerunt aedes. Praeterea in domus aliquo recessu ab ipso Ulixe structus est thalamus, qui torum habet e trunco olivae trisaecularis elaboratum ipsisque arboris radicibus solo iunctum [1]). Commemoratur etiam cella quaedam ὑψόροφος, item θάλαμος dicta, ad quam per gradus aliquot descenditur; ibi seclusae iacent regis opes et arma et vinum et vestis pretiosa [2]). Superior autem aedium pars habet cubicula aliquot, ubi dormiunt coelibes [3]); totam denique domum aulamque quae ante eam patet firmus cingit murus, per cuius ostium curribus est aditus.

Famulis vero sua alicubi fuisse cubicula, neque defuisse lavatrinam quaeque praeterea ad vitam quotidianam sunt necessaria, per se intellegit qui ad eiusmodi nugas animum advertit, sed eorum descriptionem minime desideramus, neque in carmine, quod poeta non architectis cecinerit, talia neglecta esse aut miramur aut dolemus. Ea autem per diagrammata designare velle quae ne ipse quidem vates ante mentis oculos habuerit, id molestae profecto foret ἀδολεσχίας. Itaque nescire nos quomodo e megaro ad thalamum vel ad cellam fuerit perventum, scalae quot gradus, circuitiones quos ductus habuerint, et palam profitemur et earum rerum ignorationem detrimento nobis haudquaquam ducimus. Omnia denique, quae Homeri lectorem mente cernere expedit, habet Iliadis versus, ubi regia, quam Paridi aedificarunt structores Phoenicii, tribus verbis sic indicatur: θάλαμος καὶ δῶμα καὶ αὐλή [4]), locus ubi dormitur, locus ubi cenatur, locus subdialis ad varios vitae usus patens. Ceterae aedium partes veluti nebula circumfusa incertas fluxasque oculis praebent figuras aut omnino latitant.

---

1) Notissimus et cum ipsa fabula arte cohaerens est locus ψ 184 sqq.

2) β 337 sqq.; quo loco verbum καταβαίνειν non *descendere* sed aliud quid significare multi perperam perhibuerunt.

3) Cubicula illa τοῦ ὑπερῴου cum e recentiorum Graecorum vita bene novimus tum ex ipso Homero: Β 514. Ab amatorum nimirum audacia tutandus erat virginum somnus. Quamquam a coelitibus ne ibi quidem tutae erant; Mercurius certe ibi visit Polymelam, Π 184.

4) Ζ 316.

Digitized by Google

Aliter tamen visum est recentioris aetatis hominibus. Telamne obiisse reginas lanamque cum ancillis duxisse in conclavi ubi rex nobilissimum quemque excipere soleret? Aevo illo heroico a mundi natalibus prope distanti, quo viri fortiores essent quam postea, feminae dignae essent quae a coelitibus amarentur, aedes auro gemmisque resplendentes Helenis Hecubisque ne id quidem praebuisse quod postea vel pauperrimae cuique matrifamilias in Asiae Graeciaeve aliqua urbe habitanti praesto esset? Quo tempore etiam homines, quibus tenuis erat res familiaris, duplici uti poterant domo, qualem e Lysiae prima oratione novimus, cuius conclavia duo inferiora *τὴν ἀνδρωνῖτιν*, superiora *τὴν γυναικωνῖτιν* efficerent, credibile non videbatur Andromacham vel Penelopen cibis parandis vacasse ceterisque operibus muliebribus praefuisse in eodem conclavi ubi cum principibus deliberaret coniux, mox in cenam eos vocaturus. Tunc igitur nata est opinio, quae recentioris aevi moribus multo magis erat consentanea, matronas Homericas cum liberis suis et famulis in aedium aliquo recessu latitantes procul a viris vitam transegisse.

Itaque sicubi prisca carmina matrem familias ostendebant *ἐν τῷ μεγάρῳ* officia vitae quotidianae obeuntem, *ἐν τῇ γυναικωνίτιδι* eam versari putabant cantores recentiores et homines quibus illi canebant, et sic sponte sua eo deducebantur ut voce *μεγάρῳ* *conclave* in universum significari arbitrarentur, non certi cuiusdam conclavis esse nomen proprium. Exinde igitur in hominum mente vixit *γυναικῶν μέγαρον* nescio quod a conclavi virorum diversum, idque etiam hodie in aedium Homericorum diagrammatis solet indicari.

Cuius erroris luculenta quaedam Odyssea habet vestigia. Audiamus verba Helenae Telemacho valedicentis:

> *δῶρόν τοι καὶ ἐγώ, τέκνον Φίλε, τοῦτο δίδωμι,*
> *μνῆμ' Ἑλένης χειρῶν, πολυηράτου εἰς γάμου ὥρην*
> *σῇ ἀλόχῳ Φορέειν· τῆος δὲ Φίλῃ παρὰ μητρὶ*
> *κείσθω ἐνὶ μεγάρῳ* [1]),

quo loco non minus quam duri versus numeri [2]) displicet mentio

1) *o* 125 sqq.
2) *τῆος δὲ φίλῃ.*

Digitized by Google

τοῦ μεγάρου; commemorandus enim erat θάλαμος [1]). Nam poeta qui Iter Telemachi cecinit quamnam aedium partem cogitaverit, intellegimus collato Iliadis loco recenti admodum, ubi Hecuba postquam iussa est in Minervae templum ferre

πέπλον, ὅ τοι δοκέει χαριέστατος ἠδὲ μέγιστος
ἔμμεν' ἐνὶ μεγάρῳ [2]),

descendit εἰς θάλαμον κηώεντα,

ἔνθα τ' ἔσαν πέπλοι παμποίκιλοι [3]).

Videmus igitur promiscue illic usurpatas esse voces μέγαρον et θάλαμον, sive ipsius poetae culpa, sive postmodo hoc vitium irrepsit. Facile enim potuit fieri ut alterum pro altero substitueretur nomen [4]), et loci quem modo attuli verba minus sunt certa; nam versus

αὐτὴ δ' εἰς θάλαμον κατεβήσετο κηώεντα

lectio altera Aristarcho nota erat et hodie in Ambrosiano extat:

ἡ δ' εἰς ῥοῖκον ἰοῦσα παρίστατο Φωριαμοῖσι,

nihilo tamen illa melior quam est vulgata, immo multo deterior. Non enim id displicet quod e thalamo sive cella ὑψερεφεῖ regina petit vestem pretiosam, — immo unice apta hic est mentio τοῦ θαλάμου, — sed quod μέγαρον ille thalamus vocatus est antea. Altera autem lectio nasci tum demum potuit cum putabant homines verba ῥοῖκόνδε ἴμεναι in ore priscorum poetarum non solum *domum ire* significasse sed etiam potuisse dici de muliere quae virorum conclavi relicto suum peteret cubiculum; — nam hic quoque error quantumvis apertus in complures Odysseae locos irrepsit [5]).

---

1) Idem vitium agnosco in versu simillimo ξ 326 = τ 295:

ὅσσα ῥοι ἐν μεγάρῳ κειμήλια 'κεῖτο ῥάνακτος.

Quo loco in plerisque sane codicibus est pluralis ἐν μεγάροις, *in aedibus*, sed optimus testis G exhibet singularem quem poscit ars grammatica (vid. supra p. 231, 1).

2) Z 90 sq. = 271 sq.

3) Ibid. vs. 288.

4) Vid. e. g. lectio altera ρ 506 vel ψ 178. Dici autem potuisse κείσεται ἐν θαλάμῳ vel ἐν θαλάμῳ κείσθω Odysseae loco, et ἔμμεναι ἐν θαλάμῳ in Iliade, quivis videt; sed neque his coniecturis quidquam tribuo equidem neque scire magnopere laboro quis quando vitium commiserit quod indicavi, si modo vitium esse evincam.

5) Vid. φ 350 et 354; quo loco ut voci εἰς ῥοῖκον suum sensum tribuerit priscus poeta, quae Kirchhoffii est coniectura probabilis, in nostra tamen Odyssea absurda est, quoniam in ipsis aedibus — ut nunc habet carmen — hoc temporis momento versari fingitur Penelope. Cf. etiam ψ 292 et l. a. α 360 θάλαμόνδε pro vitioso ῥοῖκόνδε.

Digitized by Google

Voces θάλαμον et μέγαρον prorsus eodem modo permutatas habet locus Odysseae, ubi Penelope ἐν θαλάμῳ sedere dicitur [1]), dein μέγαρον illud cubiculum vocatur [2]), non virorum autem conclave intellegendum esse illic, sed mulierum aliquod μέγαρον, contextus docet; tandem illo thalamo vel megaro relicto adscendit in aedium superiora:

εἰς ὑπερῷ' ἀναβᾶσα σὺν ἀμφιπόλοισι γυναιξί [3]).

Certissimum usus novicii exemplum praebet etiam locus qui sequitur. Penelope more suo sedet in cubiculo (ἐν τῷ θαλάμῳ τοῦ ὑπερῴου), ubi somnus divinitus missus eam mox est oppressurus; Eurynomam autem anum quaedam cum ipsa collocutam iubet ad se vocare ancillas. Iamque audiamus poetam:

γρῆυς δὲ δι' ἐκ μεγάροι' ἐβεβήκει
ἀγγελέουσα γυναιξὶ καὶ ὀτρυνέουσα νέεσθαι [4]).

Hic quoque μέγαρον dici cubiculum quod θάλαμος potius esset vocandum, luculenter apparet; nam aliter haec non possunt accipi quam sic: *anus abiit e cubiculo ut nuncium ad ancillas perferret easque urgeret.* Patet autem nullo negotio rescribi posse δι' ἐκ θαλάμοιο, sed periculum est ne ipsum horum versuum poetam sic corrigamus; nam eiusdem sunt aevi vox μέγαρον de quovis conclavi adhibita et verbum νέεσθαι non *redeundi* sed *veniendi* sensu usurpatum: neutrum certe est dictionis vere epicae. Itaque aut maius quid ausi scribamus δι' ἐκ θαλάμοιο et ὀτρυνέουσα πένεσθαι, aut — idque aliquanto videtur tutius — utrumque textus traditi vitium aequo animo feramus, cum praesertim simillimi in vicinia extent errores. Vocatae enim ancillae

ἦλθον ..... ἐκ μεγάροιο,
φθόγγῳ ἐπερχόμεναι [5]),

quarum voce postquam expergefacta est regina, καταβαίνει ὑπερώια σιγαλόεντα [6]). Nunc igitur μέγαρον, ex quo ancillae ad reginam veniunt, est *mulierum* illud *conclave* in inferiore aedium parte situm, quod perperam finxerunt recentiores.

Mox autem redit versus eodem sensu adhibitus. Nam Penelopae paucis horis post in virorum conclavi cum mendico colloquenti

1) δ 718. 2) Vs. 744. 3) Vs. 751, 760.
4) σ 185 sq. 5) Ibid. vs. 198 sq. 6) Ibid. vs. 206.

Digitized by Google

molestae fiunt ancillae illuc irruentes ἐκ μεγάροιο [1]), e mulierum igitur conclavi, quo vespera ingruente abierant ab ipso mendico dimissae. Reginam adire tunc eas iusserat his verbis: *e virorum conclavi facessite ad dominam*,

τέρπετε δ' αὐτὴν
ἥμεναι ἐν μεγάρῳ, ἠ' εἴρια πείκετε χερσί [2]).

Postero die Ulixes cum in virorum conclavi procis supplicium parat, mulieres iubet clausis τοῦ μεγάρου foribus intus manere:

κληῖσαι μεγάροιο θύρας πυκινῶς ἀραρυίας,

et clamores si audiant

μή τι θύραζε
προβλῴσκειν, ἀλλ' αὖθι ἀκὴν ἔμεναι παρὰ ἔργῳ [3]).

Perpetrata autem caede dormientem Penelopen e somno excitat Euryclea, laetum ei nuncium afferens; cui regina „*quin*" ait „ἄψ μεγαρόνδε *hinc te proripis*" — vetulam delirare rata [4]).

Videmus his quoque locis μέγαρον more recentiorum dici conclave ubi solae mulieres soleant degere.

At in proxima vicinia leguntur haec verba Eurycleae procorum caedem enarrantis:

ἡμεῖς δὲ μυχῷ θαλάμων εὐ πηκτῶν
ἥμεθ' ἀτυζόμεναι, σανίδες δ' ἔχον εὖ ἀραρυῖαι,
πρίν γ' ὅτε δή με στὸς υἱὸς ἀπὸ μεγάροι' ἐκάλεσσε,

quae prisco generi loquendi omnino sunt consentanea: mulieres procul a virorum conclavi in suo cubiculo — suisve cubiculis — sedebant seclusae, dum interfecti sunt iuvenes, dein Telemachus megaron egressus [5]) eas ad se vocavit. Ut tamen nunc habet Odysseae contextus, vocem θαλάμους hoc loco adhibitam non possumus non mirari, designat enim locum qui modo μέγαρον fuerat vocatus.

Suum vero sensum — quod sunt qui negent — vox μέγαρον obtinet libri υ initio. Insomnis ἐν προδόμῳ iacet Ulixes,

---

1) τ 60. 2) σ 315 sq.
3) φ 236 sqq. = 382 sqq.
4) ψ 20 et 24.
5) ἀπὸ μεγάροιο non *ancillarum* ratione habita est dictum, sed *Telemachi*, praepositio igitur ἀπό ita hoc loco est adhibita ut ν 156: ὁπότε προϊδωνται λαοὶ ἀπὸ πτόλιος, vel χ 72: οὐδοῦ ἀπὸ ξεστοῦ τοξάσσεται. Si dicere voluisset poeta: *filius tuus evocavit me e conclavi in quo eram*, utendum erat praepositione ἐκ.

Digitized by Google

ταὶ δ' ἐκ μεγάροιο γυναῖκες
ἦισαν, αἳ μνηστῆρσιν ἐμισγέσκοντο παρός περ [1]).

Non mulierum nunc aliquod intellegendum est *μέγαρον*, sed virorum illud conclave. Nam ancillae iuvenes sunt conventurae, qui *ἑὸν ποτὶ δῶμα ἕκαστος* abierunt; procorum autem domus ubi sitae fuerint quamquam poeta non indicavit, in ipsis certe Ulixis aedibus nemo eas quaeret. Cernit igitur Ulixes puellas, quae *μέγαρον* egressae per *πρόδομον*, ubi ipse cubat, aulam petunt, ut foras abeant ad suos amicos [2]).

Neque priscae dictioni vis infertur cum Ulixes post procorum caedem dicitur sulfure lustrasse

μέγαρον καὶ δῶμα καὶ αὐλήν [3]),

non enim mulierum conclave in his verbis *τῷ τῶν ἀνδρῶν δώματι* opponitur, quod nonnulli interpretes sibi persuaserunt, sed prius ipsum locum ubi stragem edidit lustrat heros, *τὸ μέγαρον* igitur, quod solum modo commemoraverat ipse, dixit enim

οἷσε δέ μοι πῦρ,
ὄφρα θεειώσω μέγαρον [4]),

dein totas aedes sive *τὸ δῶμα*, tandem aulam subdialem.

At tertio abhinc versu offendit locutio novicia; nam anus abit

ἀγγελέουσα γυναιξὶ καὶ ὀτρυνέουσα νέεσθαι,
αἳ δ' ἴσαν ἐκ μεγάροιο δάος μετὰ χερσὶν ἔχουσαι.

En iuncta *νέεσθαι venire* et *μέγαρον mulierum*, ut supra [5]). Quamquam posteriorem versum spurium duxerim cum Duentzero, quoniam alibi [6]) apte adhibitus verum significat *μέγαρον*, ut modo vidimus [7]). Sed nihil id refert ad argumentum meum; non enim nunc rogo quam saepe ita sit erratum, neque quo tempore in singulos locos eiusmodi errores irrepserint, sed satis habebo si demonstrare mihi contigerit manifesta esse quaedam aevi recentioris vestigia, multo tamen rariora quam ex Lexico Homerico effecerit quispiam [8]).

---

1) *υ* 6 sq.
2) Eadem ratione explicanda est mentio *τοῦ μεγάρου* Ω 647 *δ* 300 *η* 339.
3) *χ* 494. 4) *χ* 482. 5) Pag. 236.
6) Ω 647 *δ* 300 *η* 339. 7) Vid. huius paginae nota 2.
8) Praeter locos quos tractavi haec tantum invenio exempla singularis *μεγάρου* non de virorum conclavi dicti: *π* 341 *ρ* 604 h. Apoll. 110 Merc. 65, 146. Sequentibus autem locis, ubi *aedes universas* singularis significare dicitur in Ebelingii Lexico, mihi

Digitized by Google

Nunc aliquanto gravior nos allicit quaestio. Ad virorum conclave patuisse aditum per fores prodomi, cum per se intellegitur tum abunde constat: sed poteratne etiam ex interiore aedium parte illuc perveniri, an caeci erant eius parietes laterales et posticus?

Huius quoque dilemmatis utraque pars aut affirmanda est aut neganda, prout antiquiorum aut recentiorum locorum ratio habetur. Priscum τῆς Τίσεως poetam si interrogamus, non est dubium quin unicum τῷ μεγάρῳ aditum tribuerit illum, qui fuit per vestibulum; ὀρσοθύρη autem illa et ῥῶγες, quarum in μνηστηροφονίᾳ fit mentio [1]), neque ad antiquissimam referendae sunt fabulam, neque si quam maxime constaret huic quoque eas fuisse proprias, mutanda essent quae modo scripsi. Nam iustum aditum neque ῥῶγας praebuisse neque ὀρσοθύρην, sive ianua haec fuit sive fenestra potius dicenda est, ex ipsa narratione luculenter apparet. Homeri autem studiosis quomodo prodesse possint Schliemannorum labores, ex hac praesertim parte quaestionis in qua versamur colligere licet; ad Tirynthiae enim regiae μέγαρον nonnisi per prodomum potuisse perveniri testantur rudera.

Clausas vero esse *fores* ante procorum caedem qui finxere recentiores, putabant virorum conclavi contiguam fuisse domum mulierum, per valvas autem alterum conclave ab altero separantes penetrare potuisse gemitus morientium; quas valvas si reserassent mulieres, stragem eas per rimam potuisse adspicere [2]). Sumserunt igitur recentiores hi cantores, ancillas virorum conclave per posticas illas valvas intrare fuisse solitas; tunc quoque cum e megaro foras progredientes eas vidit Ulixes in vestibulo noctem transigens, per fores posticas illuc intraverant [3]).

Penelope autem cum procos filiumque in virorum conclavi versantes adiit, quomodo illuc pervenit? Id quidem tute perhibueris, eam neque per ὀρσοθύρην illuc irrepsisse, neque per ῥῶγας veluti de

---

haudquaquam videtur dubium quin primarium illud conclave sive *cenatio* — nam mensarum praesertim ipsiusque victus diurni eiusmodi locis ratio habetur — sit intellegenda: α 270, 416 β 248, 411 δ 37, 625 θ 106, 432 κ 432 ν 377 π 343 ρ 167, 398 σ 24 υ 104, 155, 343 φ 262, 296.

1) χ 126 sqq. 2) Vid. pag. 237, 3 et 4.

3) Vid. pag. 238, 1 et 2.

Digitized by Google

nubibus esse delapsam. Sed relicto cubiculo, quod erat in aedium parte superiore, descendit *τὴν κλίμακα*, dein intravit *τὸ μέγαρον* vera regina incessu patens, *'στῆ δὲ παρὰ σταθμὸν τέγεος πύκα ποιητοῖο* [1]) ... ubinam? In fronte conclavis, per vestibulum ingressa? Fieri sane potuit ut poeta, qui reginam in iuvenum coetum prodeuntem cecinit, illic eam collocaret clara luce perfusam et omnium oculos animosque in se convertentem. Nec tamen inepte poeta per fores posticas intrantem eam finxerit, — si eiusmodi fores *τῷ μεγάρῳ* ille tribuebat. Utra autem potior sit opinio nescio, et vereor ut ad liquidum haec res perduci possit. Ne id quidem certum est, de omnibus locis, ubi Penelope de scalarum gradibus descendere, dein virorum conclave intrare dicitur, idem esse statuendum; nam credibile est hac quoque in re antiquiores carminis partes a recentioribus discrepare.

Levior est quaestio quam ultimam indicavi; nam mulier formosa dum et iuvenum et nostrum captat animum, non magnopere cupimus scire qua via in conclave pervenerit. En vero alia, quae multo maioris est momenti. Ulixis arma ubi fuere seposita? Priscus quidem poeta quem iis assignaverit locum dubitari nequit; nam in thalamo sive cella, quo per gradus aliquot *descensus* erat, cum ceterae asservarentur Ulixis opes [2]), non erat cur in superiorem aedium partem relegarentur eius arcus sagittae secures, sed una cella cum aurum argentum aes tenebat tum arma et tela; haec autem in solo ipso aut infra solum fuit aedificata. Ibi demum *ἐν θαλάμῳ ὑψορόφῳ πύκα ποιητῷ* tuta erant regis *κειμήλια* a furibus et incendio. Illuc descendit regina ut arcum inde promeret [3]); illuc ea quoque arma, quae in parietibus *τοῦ μεγάρου* suspensa fuerant, detulit Telemachus.

At in alia omnia ut abeamus cogunt nos quae sub Odysseae finem narrantur. Nam cantor qui carmini caedem procorum celebranti inseruit quaecunque ad Melanthium spectant, *ἐν τῷ ὑπερῳίῳ* illa arma nescio ubi iacuisse sumsit:

ἀνέβαινε Μελάνθιος αἰπόλος αἰγῶν
εἰς θαλάμους 'Οδυσῆος ἀνὰ ῥῶγας μεγάροιο.
ἔνθεν δώδεκα μὲν σάκε' ἔξελε, τόσσα δὲ δοῦρα

1) *α* 333. 2) Vid. pag. 233, 2. 3) *φ* 8 sqq.

Digitized by Google

καὶ τόσσας κυνέας χαλκήρεας ἱπποδασείας·
βῆ δ' ἴμεναι, μάλα δ' ὦκα φέρων μνηστῆρσιν ἔδωκε.

Adscendit homo per ῥῶγας illas in aedium superiora εἰς θαλάμους ... quonam consilio? ut facili alicui puellae illic cubanti oscula figeret? Minime! sed sequior poeta — si modo poeta, nam venam poeticam quis hic non aegre desiderat! — vocum similitudine deceptus thalamos τοῦ ὑπερωίου, ubi dormiebatur, cum thalamis inferioribus, ubi regis iacebant opes, mente permiscuit; itaque Melanthium misit εἰς τὸ ὑπερώιον, ut talem armorum vim illinc afferret procis qualem homo quantumvis robustus una certe vice secum trahere non potuit, si praesertim per angustas aliquas rimas ei esset perreptandum. Numquid igitur unum alterumque versum hic delemus, Aristarchi usi observatione? Non ita, sed agnoscimus sero nati cantoris vaniloquentiam. Nunc profecto suo se strepitu prodit sorex; aut nullum est discrimen inter simplicem μῦθον τῆς ἀληθείας et ampullas imitatorum, aut hic agnoscitur.

Priscus autem poeta, qui primus τὴν Τίσιν cecinit, nihil eiusmodi in se admiserat. Inermes ut occuparet iuvenes, Ulixes eorum arma curavit abscondenda: nunc in conclavi unde exitus nullus est nisi per limen, quod ipse tenet, nihil mali suspicatos eos opprimit telis suis, ut primum tenet arcum sagittasque, sine quibus eos ulcisci non potuit. *Solus* autem eos aggreditur, venit enim in patriam ὀλέσας ἄπο πάντας ἑταίρους, vel sic tamen sibi sufficiens μοῦνος ἐνὶ πλεόνεσσι [1]), quippe εἷς πολλῶν ἀντάξιος.

Haec fuit fabula primitiva, tam perspicua quam nativo quodam candore placens. Sed quod de Achillis rebus gestis totoque bello Troiano nuper observavimus, id de Ulixis quoque facinoribus valet: recentiori aetati simplicitas illa carminis vetusti sordebat, et quo tempore credibile non videbatur reginam in mariti conclavi cum ancillis lanam fecisse [2]), fidem superabat vir unus tot adversariorum stragem edens. Nonne impetu facto obruere eum poterant numero priusquam alteram arcui sagittam imponere posset? Ergo socii ei adiuncti sunt Telemachus Eumaeus Philoetius armisque muniti; dein vero procis quoque

1) χ 13. 2) Vid. pag. 234.

Digitized by Google

arma hastasque praebere visum est, et sic pugna per Ulixis *μέγαρον* aestuans novis identidem novisque inventis est aucta eo aevo quo etiam ducum militumque Troiam obsidentium crevit numerus [1]). Obscura autem et perplexa et tantum non absurda narratio tunc est facta, dum operam dabant cantores ut probabilia redderent omnia, eas quoque partes clara luce illustrantes quae in umbra olim bene latuissent.

Quae igitur doctrina, quae ars, quae sollertia efficiat ut coeant quadrata rotundis? Patet eum qui „Ulixis domum" linearum ope oculis ostendere conetur, id agere ut cum ratione insaniat. Nam quemadmodum „heroum homericorum arma" pingi nequeunt, potest vero talis fere delineari miles qualem prisci cogitabant poetae, itemque — sed *alia* imagine — talis qualem recentiores; — quemadmodum „Graecorum ante Troiam castra" nemo unquam probabiliter describet, at possunt indicari navium in littore subductarum ordines tales fere quales cantores antiquiores mentis oculis videbant, *alia* autem in charta duci possunt lineamenta castrorum fossa et moenibus moeniumque propugnaculis cinctorum, quae ab imagine iuniorum animo obversanti non nimis abhorreant; — quemadmodum „Ulixis ratis" imagine referri nequit, potest vero *aut* simplex strues trabum rudi arte colligatarum, quam cogitavit priscus vates, *aut* navigium costis et tabulato ornatum quod recentiorum debetur inventioni; — quemadmodum ne „*κληίδες*" quidem „Homericae" figura ostendi potest, quoniam primitus *obicem*, postea *clavem* illa vox valebat, — sic „aedium Ulixis" diagramma confici nequit. Possunt sane duci lineae paucae et simplices, quibus summatim indicetur domus subrustica, qualem mente sibi informabant prisci poetae; potest etiam — sed haec quo magis elaborata eo minus clara fiet imago — talis fere ostendi regia qualem cogitabant recentiores: nequeunt uno adspectu comprehendi diversa.

Nunquam igitur invenientur „Ulixis aedes", sive Ithacae evertetur solum, sive Leucadis, sive alios terrarum angulos adibunt viri docti qui terrae aenigmata et arcana scrutantur.

1) Multa quae huc pertinent et alii observarunt et Seeck in libro de Odysseae fontibus.

Digitized by Google

Non frustra illi elaborarunt aut elaborabunt: multa invenerunt, plura invenient posthac, nisi vana auguratur mens; — sed aedium, quae nullae extra poetarum ingenium fuerunt, in terris non extant vestigia.

ADDENDUM.

Je ne savais pas dire si vrai. „Plura mox invenientur" scribebam: ecce autem affertur libellus a prelo recens, cui titulus: *Homers Odyssee, ein mysteriöses Epos;* in Mnemosyne autem huius operis mentionem fieri cupit editor. Legere igitur coepi et nova profecto didici: Troiam esse *Hiericuntem*, Ogygiam autem urbem *Gilgal*; Ulixis verum nomen est *Josua* — sed aliquanto doctius id scribitur *Jehoshŭagh*, — fidus autem eius canis est *Kaleb* ille, cuius nomen canem valet Hebraice; et Calypso est *Rachab* muliercula paullo dissolutior, a qua Iosuae exploratores celatos esse meminimus. Haec mysteria quis ubi revelavit? In patriae nostrae urbe Venloo — a Lugduno Batavorum longius dissita — repperit Iosephus Schreiner Collegii Albertini sodalis. Qui postquam demonstravit haec omnia aliaque multa, — sed cuncta afferri nunc non sinit spatium, — Schliemanni praesertim fretus inventis, „ἔσσεται ἦμαρ" exclamat, superbiam sumens quaesitam meritis, „ἔσσεται ἦμαρ ὅταν ποτ' ὀλώλῃ φάσματ' ὀνείρων", non suum dicens opus sed nugas eorum qui pro Graecis Ulixem ceterosque heroas habuerunt hactenus. Dignum mehercule opus quod adiungatur aliis huiusmodi elucubrationibus, unde pauca delibavi in Enchiridii mei annotatione quadam (Proleg. p. XLIV, 3), quam contulisse fortasse haud iucundum fuerit.

Nil mortalibus arduum: manibus tenui nuper cognati argumenti libellum typis elegantissimis excusum tabulisque geographicis compluribus splendide exornatum, qui *Atlantidis* historiam habebat inde a saeculo si satis memini τετρακισμυριόστῳ ante Christum natum. Editus erat nostra aetate ... non παρὰ τοῖς Σιάποσιν, sed in Britannia a Societate Theosophica. Fortasse igitur spes est fore ut etiam Ulixis mox ψυχὴ accita regiam Ithacensem in charta nobis delineet, multis dubitationibus finem sic factura.

Digitized by Google

DE REGIA

OBSERVATIUNCULA.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Augustus, cum a. 13 a. Chr. n. pontifex maximus esset creatus, Regiam habitare noluit. At erat antiquitus institutum ut Pontifex Maximus in domo publica iuxta Vestam habitaret. Quid ergo fecit? Palatii sui partem publicam esse iussit et Vestae dedicavit. Rem his verbis tradit Dio Cassius 54, 27:

μέρος τι τῆς ἑαυτοῦ (οἰκίας), ὅτι τὸν ἀρχιέρεων (l. . . *έα*) *ἐν κοινῷ πάντως οἰκεῖν ἐχρῆν, ἐδημοσίωσεν.*

Antiqua autem Regia quid deinde factum est? Hoc quoque docet Dio:

τὴν μέντοι τοῦ βασιλέως τῶν ἱερῶν ταῖς ἀεὶ παρθένοις ἔδωκεν ἐπειδὴ ὁμότοιχος ταῖς οἰκήσεσιν αὐτῶν ἦν.

Quamquam, dum vocem *Regiam* Graece vertere conatur, pro domo Pontificis maximi domum ponit Regis sacrorum, quae tota *summa sacra Via* ab ea dirimebatur. Cf. Festus, apud quem haec legimus: a Regia ad domum Regis Sacrificuli. De Dionis aliorumque errore vide egregium locum apud Bekkerum p. 226 sqq. primae editionis.

De parte Palatii Vestae dedicata haec Ovidius canit (Fast. III, 425 sq.):

Ortus ab Aenea tangit cognata sacerdos
Numina: cognatum, Vesta, tuere caput

et Fast. IV, 951 sq.

Phoebus habet partem; Vestae pars altera cessit:
Quod superest illis tertius ipse tenet.

Ab eo ergo inde tempore quaecunque olim in Regia fiebant fiebant in Palatio, eoque convocabantur Pontifices quoties de

Digitized by Google

sacris reipublicae erat deliberandum. Quid autem recentiores de Urbe Roma scriptores? Addunt saepe tamen postea in antiquam Regiam convenisse Pontifices. Dubitanter hoc Beckerus concedit p. 236, affirmant qui post eum de hac re egerunt, quorum honoris causa unum nomino qui ultimus hanc tractavit materiem, Thédenatium in praestantissimo libello „le Forum Romain et les Forums Imperiaux" (p. 99 prioris editionis).

Mihi tamen parum verisimile illud videtur. Si semel pars Palatii Regia facta erat, quid sibi volebant illa Pontificum consilia in antiquo loco habita? Quid quod inde ab anno 13 vix ibi haberi *poterant*. Quid enim? Augustus Regiam Vestalibus dedit. Anguste, ut opinor, illae circa vetustum suum atrium habitabant; ergo novum locum nactae propere illuc congesserunt omnem supellectilem qua rarius utebantur, fortasse etiam fabros advocarunt qui illum sibi commodiorem redderent.

Quid autem adduxit viros doctos ut *saepe* factum docerent id quod sine maxima molestia fieri non posset? Unus Plinii minoris locus, ad quem provocant omnes. Is autem Ep. IV, 11 Domitiani nefarium hoc facinus narrat:

Cum Corneliam, Vestalium maximam, defodere vivam concupisset, ut qui illustrari saeculum eiusmodi exemplis arbitraretur, pontificis maximi iure, seu potius immanitate tyranni, licentia domini, reliquos pontifices non in Regiam sed in Albanam villam convocavit.

Si sic Plinius narrasset: „non in Regiam sed in Palatium convocavit", iure ex hoc loco efficeremus certas quasdam fuisse res, de quibus etiam post a. 13 in antiqua Regia esset deliberandum, et Virginum Vestalium vicem doleremus, quae ab Augusto tam precariam accepissent possessionem. At nunc inter se opponit: Albanam villam et Regiam i. e. eam Palatii partem, qua inde ab anno 13 pontifices pro Regia utebantur. Si in Palatium pontifices convocasset Domitianus, nihil quod quereretur Plinius habuisset; at nunc saevum tyrannum eo perstringit nomine quod cum ceteris pontificibus de dirissimo deliberaturus supplicio, tam gravem rem tam parum cordi habuerit ut ne propter illam quidem villae suae amoenitatem relinquere vellet. Et *Regiam* scripsit pro *Palatio*, quo magis appareret sanctam a Domitiano violatam vetustatem.

Digitized by Google

Haud inepte denique ad nostram de Plinii loco sententiam confirmandam afferas quod legitur apud Tacitum (Ann. II, 37): (Hortensii oratoris nepos) quattuor filiis *ante limen curiae* adstantibus, loco sententiae, *cum in Palatio senatus haberetur*, modo Hortensii inter oratores sitam imaginem, modo Augusti intuens ad hunc modum coepit: Patres conscripti, hos, quorum numerum et pueritiam *videtis* e. q. s.

Nemo, ut opinor, hic de Curia Iulia (Hostilia) cogitabit: quivis enim intelligit *curiam* nunc appellari *eam Palatii partem* (Bibliothecam Palatinam), quae cum maxime curiae *vice fungitur*.

AD PLUTARCHUM.

Lyc. 27 κατεπύκνου παραδειγμάτων πλήθει τὴν πόλιν i. e. ubique per urbem bonorum virorum proposuit monumenta, inscriptiones puto eorum laudes celebrantes. Sequitur οἷς ἀναγκαῖον ἦν ἐντυγχάνοντας ἀεὶ καὶ συντρεφομένους ἄγεσθαι καὶ κατασχηματίζεσθαι ἰόντας πρὸς τὸ καλόν. „Rebus in quas ubique incurris et inter quas vivis *duci*" nihili est locutio, neque κατασχηματίζεσθαι ἰόντας πρὸς τὸ καλόν sententiam praebet huic loco aptam. Scripsit Plutarchus: ἄγασθαι καὶ κατασχηματίζεσθαι πρὸς τὸ καλόν: iuvenes ubique locorum ea monumenta videntes et in mediis illis viventes non poterant non admiratione tangi seque et ipsos ad virtutem conformare.

Lyc. 6 (Sint.). Loco, ubi comitia populi habentur, neque columnae sunt neque alia ornamenta. Non enim putabat Lycurgus ista prodesse publicae deliberationi, immo nocere Φλυαρώδεις ἀπεργαζόμενα καὶ χαύνους φρονήματι κενῷ τὰς διανοίας τῶν συμπορευομένων.

Quid est τῶν συμπορευομένων? An „eorum qui per urbem ambulabant"? Sed ne simplex quidem verbum πορεύεσθαι *ambulare* significat, multo minus compositum συμπορεύεσθαι. Neque hic de civibus ambulantibus agitur, sed de sedentibus et ornamenta admirantibus quae non de via conspiciuntur sed aedificiorum continentur parietibus. V. sequentia. Non ergo dubito quin legendum sit τῶν συμπολιτευομένων: sic enim recte appellantur qui in comitiis *una sedentes* deliberant de *republica*.

J. J. H.

Digitized by Google

OBSERVATIONES CRITICAE

AD

LUCIANUM.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

(*Continuantur e pag.* 196).

Iupiter tragoedus.

§ 1: ὦχρός τέ σου εἶλε παρειάς. Norat certe Lucianus dicendum hoc esse: ὦχρός τέ σε.

§ 14: ἀφωνότεροι γεγένηνταί σοι τῶν σοφιστῶν. Excidisse videtur: τῶν (Πυθαγορείων) σοφιστῶν. Vulgata ferri nequit.

§ 14: ἱκανῶς καὶ πρὸς ἡμᾶς πεπαρώδηταί σοι τὰ πρῶτα, nam sic cum Solano scribendum est pro vulgata lectione πεπαρώνηται, sed praeterea corrigendum: ὡς πρὸς ἡμᾶς.

§ 15: κατέθυσε — λιβανωτοῦ χόνδρους τέτταρας εὖ μάλα εὐρωτιῶντας ὡς αὐτίκα ἐπισβεσθῆναι τῷ ἄνθρακι. Video de hoc composito dubitari; si quid mutandum, commendaverim: ἐναποσβεσθῆναι.

§ 40: εἴ γε μὴ τὸν Βριάρεων ἡ Θέτις ἐκάλεσεν ὡς νοήσασα τὸ γιγνόμενον. Si quidem fide digna haec lectio est, quam Iacobitzius recepit, cum olim legeretur ἐλεήσασα, corrigere praestabit καταναοήσασα.

Digitized by Google

§ 52: ἐθέλω σπεισασθαι ἤδη πρὸς σὲ ἐπ' αὐτῶν γε τῶν βωμῶν, ὡς μηκέτι περὶ τούτων ἐρίσοιμεν. Malo: καὶ μηκέτι περὶ τούτων ἐρίσομεν.

(Ad *Somnium s. Gallum*, vide supra p. 11.)

Icaromenippus.

§ 12: ἅπας ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος ἤδη μοι κατεφαίνετο, οὐ κατ' ἔθνη μόνον καὶ πόλεις, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ σαφῶς οἱ πλέοντες, οἱ πολεμοῦντες, οἱ γεωργοῦντες, οἱ δικαζόμενοι, τὰ γύναια, τὰ θηρία καὶ πάνθ' ἁπλῶς ὁπόσα τρέφει ζείδωρος ἄρουρα. Haec verba componi possunt cum Trygaei verbis in Pace 821: μικροὶ δ' ὁρᾶν ἄνωθεν ἦσε, sed quam miro modo inter litigantes et bestiolas recensentur mulierculae quae Athenis certe, ubi Menippus τοὺς δικαζομένους conspiciebat, non sicuti apud nos per otium deambulabant in plateis, sed domi latitabant in umbra et sub tecto. Est autem legendum: οἱ δικαζόμενοι, τὰ τυναῦτα θηρία. Adiectivum est apud Aristophanem aliquoties obvium, v. c. Nub. 392: ἀπὸ γαστριδίου τυννουτουί, Ran. 139: ἐν πλοιαρίῳ τυννουτῳί, de quo adiectivo dixi in *Mnem.* 1882 p. 372. Praeterea cum nautis et agricolis minus recte bellatores componuntur; malim fere: οἱ πλέοντες, οἱ ὁδοιποροῦντες.

§ 15: τὸν Σελεύκου δὲ Ἀντίοχον Στρατονίκῃ διανεύοντα λάθρα τῇ μητρυιᾷ. Quod ipsa incommoda vocabuli sede arguitur, Lucianus in tam nota historiola non operae pretium habuit ipsum adscribere Stratonices nomen; sic enim solet, veluti § 2: οὐ πάνυ ἔοικας ἐκείνῳ τῷ Φρυγί, nam Ganymedem omnes norant, et multi eiusmodi loci conquiri possunt. — Notissima est illa de Stratonica historia, quam deperibat Antiochus Seleuci filius. Hic commode mihi in mentem venit Pauli Apostoli, qui ita scribit Ep. prior. ad Corinthios V 2: ὅλως ἀκούεται ἐν ὑμῖν πορνεία καὶ τοιαύτη πορνεία ἥτις οὐδ' ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὥστε γυναῖκά τινα τοῦ πατρὸς ἔχειν καὶ ὑμεῖς πεφυσιωμένοι ἐστέ, καὶ οὐχὶ μᾶλλον ἐπενθήσατε, ἵνα ἀρθῇ ἐκ μέσου ὑμῶν ὁ τὸ ἔργον τοῦτο πράξας, cum quibus verbis cf. 2 Corinth. VII 12, ubi intelligimus Corinthium illum *patre vivo* novercam adulteravisse magis quam specie iusti matrimonii ad stuprum allexisse. De eo loco egi *Mnem.* 1878 p. 98 et studui ostendere corruptam

Digitized by Google

esse lectionem *ἐπενθήσατε*, cum lugendo in ea re nihil profici posset; etenim manu et consilio opus erat ut ea labes exscinderetur itaque commendavi *ἐπενοήσατε*, cum praesertim eadem corruptela etiam alibi recurrat, cf. *Mnem.* 1857 p. 278, ubi admodum luculenta sunt quae Cobetus observavit. Sed cuiusmodi illud est quod scribit Apostolus tale flagitium ne *inter gentes* quidem reperiri? Est, fateor flagitium si quis cum noverca rem habet; verum si quis cum nuru? Non levius crimen est. Attuli tunc ex Theophrasto locum, ubi *ἀηδὴς* describitur, qui *τὸ παιδίον τῆς τίτθης ἀφελόμενος μασώμενος σιτίζει αὐτὸς καὶ ὑποκορίζεται ποππύζων καὶ πανούργημα τοῦ πάππου καλεῖ*· sic enim legendum esse *πανούργημα* ex emendatione Cobeti. Quod autem scribit Paulus inauditum facinus esse *inter gentes*, primum apud Israelitas ipsos norunt omnes historiam de Iuda et nuru Thamar, Genes. 38. Sunt praeterea leges Levitic. XVIII 8 et 15: „Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies; turpitudo enim patris tui est. — Turpitudinem nurus tuae non revelabis, quia uxor filii tui est, nec discooperies ignominiam eius." Verumenimvero talibus legibus potuisset supersederi, nisi fuissent qui hanc nefandam Venerem sectarentur. Quid autem leges sine moribus vanae proficiunt? Fugato patre, 2 Regg. XVI. 22, tetenderunt Absalamo tabernaculum ingressusque est ad concubinas patris sui coram universo Israel. Legimus apud Iosephum Antiqq. Iud. XVI § 206: *ὁ γὰρ Φερώρας ἐλθὼν παρὰ τὸν Ἀλέξανδρον ἔχοντα τὴν Ἀρχελάου θυγατέρα Γλαφύραν, Σαλώμης ἔφη λεγούσης ἀκηκοέναι τὸν Ἡρώδην ἡττῆσθαι τοῦ τῆς Γλαφύρας ἔρωτος καὶ δυσπαραγόρητον αὐτῷ τὴν ἐπιθυμίαν εἶναι.* Item Bell. Iudaic. I § 186: Ptolemaei Mennaei filius Philippion *ἀποσπάσας τῆς Ἀριστοβούλου γυναικὸς Ἀντίγονον καὶ τὰς ἀδελφὰς αὐτοῦ πρὸς τὸν πατέρα ἀνήγαγεν. Ἀλοὺς δ' ἔρωτι γαμεῖ τὴν νεωτέραν καὶ μετὰ ταῦθ' ὑπὸ τοῦ πατρὸς δι' αὐτὴν κτείνεται. γαμεῖ γὰρ Πτολεμαῖος τὴν Ἀλεξάνδραν.* Itaque nihil mirum est Pseudo-Phocylidem corruptis moribus operae pretium habuisse disertis verbis praecipere vs. 179:

μητρυιῆς μὴ ψαῦε τὰ δεύτερα λέκτρα γονῆος.

Addo Vatic. Amos. II 7: *καὶ υἱὸς καὶ πατὴρ αὐτοῦ εἰσεπορεύοντο πρὸς τὴν αὐτὴν παιδίσκην, ὅπως βεβηλῶσι τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ αὐτῶν.* Apud gentiles multi infames fuerunt in novercas et nurus

Digitized by Google

et inimitabile habitum est exemplum Hippolyti. Taceo quod in Epico Cyclo Telemachus traditur duxisse Circen, sed apud Herodotum IX 108 Xerxes dicitur constupravisse nurum: *ἦρα τε καὶ ἐτύγχανε τῆς Δαρείου μὲν γυναικός, Μασίστεω δὲ θυγατρός.* Quod de Callia legimus apud Andocidem de Myst. 124: *γαμεῖ μὲν Ἰσχομάχου θυγατέρα· ταύτῃ δὲ συνοικήσας οὐδ' ἐνιαυτὸν τὴν μητέρα αὐτῆς ἔλαβε καὶ συνῴκει ὁ πάντων σχετλιώτατος ἄνθρωπος τῇ μητρὶ καὶ τῇ θυγατρὶ καὶ εἶχεν ἐν τῇ οἰκίᾳ ἀμφοτέρας*, conferri potest quod de A. Aurio Melino traditur, Cic. Cluent. § 14, qui deinceps duxit et Cluentiam et Sassiam, Cluentiae matrem. Turpius etiam est quod apud Andocidem sequitur § 129, ut iam venale crimen videatur quod habemus in Orat. c. Neaeram § 67. De Pericle legimus apud Plutarchum in Vita c. 13: *Στησίμβροτος ὁ Θάσιος ἀσέβημα καὶ μυθῶδες ἐξενεγκεῖν ἐτόλμησεν εἰς τὴν γυναῖκα τοῦ υἱοῦ κατὰ τοῦ Περικλέους* eandemque calumniam repetitam vide c. 36 et apud Athen. XIII p. 589 D. Apud Diodorum Siculum XX 33 de Archagatho sermo est Agathoclis filio: *ἐλοιδόρησεν ὁ Λυκίσκος τὸν Ἀρχάγαθον εἰς τὸν τῆς μητρυιᾶς μοιχείαν· ἐδόκει γὰρ ἔχειν λάθρᾳ τοῦ πατρὸς τὴν Ἀλκίαν.* Quin ab eiusmodi turpitudine rhetores repetebant declamandi argumentum, cf. Apsin. p. 117 Bk. Vix autem quisquam est qui in maledicendo longius processerit Libanio, qui Vol. II p. 361 Rsk. de nescio quo: *ὁ δὲ καὶ τρισὶ γυναιξὶ ὁ γενναῖος συνοικεῖ, ᾗ τ' ἔλαβε κατὰ τοὺς νόμους αἵν τε τοῖν υἱοῖν εἰσήγαγε.* Nec quidquam attinet nunc addere quid Mohammed aliquando deliquerit, cf. Coran. Sur. XXXIII. 4 sq. et Weil. *Mohammed der Prophet* p. 145.

Venio ad Romanos. Quam spurcum argumentum Plautus tractavit in Asinaria, in qua fabula Demaenetus senex repraesentatur, dum una cubat in lecto cum amica filii:

Neque novom neque mirum fecit nec secus quam alii solent.

Eodem pertinent verba quae caterva pronunciat in Bacchidibus:

Hi senes nisi fuissent nihili iam inde ab adulescentia,
Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus:
Neque adeo haec faceremus, ni antehac vidissemus fieri,
Ut apud lenones rivales filiis fierent patres.

Apud Catullum sunt carmina 74, 88, 89, 90 et 91 in Gellium quendam: quis ille fuerit, dicet Valerius Maximus V 9. 1: „L. Gellius omnibus honoribus ad censuram (anno 70 a. Chr.) de-

Digitized by Google

functus cum gravissima crimina de filio *in novercam* commissum stuprum et parricidium cogitatum propemodum explorata haberet, non tamen ad vindictam procurrit continuo, sed paene universo Senatu adhibito in consilium, expositis suspicionibus, defendendi se adulescenti potestatem fecit. Inspectaque diligentissime causa, absolvit eum tum consilii tum etiam sua sententia." Esto: fuerit hoc falsum crimen itemque falso obiectum fuerit quod Aristaenetus praetor Achaeorum dictitavit in contione, Liv. XXXII. 21, Philippum Macedoniae regem filii uxorem libidinis causa in Macedoniam asportavisse. Ne ad rem pertineat Clematii socrum, cum amore flagraret, misceri sibi generum non impetravisse, Ammian. Marcell. XIV init. Sed luculentus locus est Marciani libro XIV Institutionum Dig. 48. 9. 5: „divus Hadrianus fertur, cum in venatione filium suum quidam necaverat, qui novercam adulterabat, in insulam eum deportasse, quod latronis magis quam patris iure eum interfecit: nam patria potestas in pietate debet non in atrocitate consistere." Sed iam vides nimium id esse quod Paulus asseverat talem fornicationem ne apud Gentiles quidem inveniri. Patres Dordraceni excusabilem Pauli errorem frustra excusant: „Namel. zonder detestatie of verfoejinge: want hoewel hier en daar in de Grieksche, Romeinsche en andere geschiedenissen zulke voorbeelden gevonden zijn, zo worden die nochtans van dezelve als onbehoorlijk en onwettig altijd veroordeelt." Primum quod subintelligunt: *zonder detestatie of verfoejinge*, nulla prorsus causa est cur hoc cogitando suppleamus. Deinde quam multi de Stratonica dixerunt, quam raro castigantur nefaria indulgentia patris et effrenata filii cupiditas et profligata pudicitia novercae, quam Combabus cum suo malo iam expertus erat, si quidem fides est penes Lucian. de Syria Dea 17. Omnium instar est Plutarchus Demetr. 38, qui copiose totam rem enarravit nec quidquam addidit ut pateret id flagitium fuisse visum. Maius etiam est quod pronunciat Appian. Syr. 59: Seleucus Antiochum *τῆς ἄνω γῆς βασιλεύειν ἀπέφηνεν ἀνθ' ἑαυτοῦ. καὶ εἴ τῳ μεγαλόφρον εἶναι τόδε φαίνεται καὶ βασιλικόν, μεγαλοφρονέστερον ἔτι καὶ σοφώτερον ἤνεγκε τὸν ἔρωτα τοῦ παιδὸς καὶ τὴν εἰς τὸ πάθος αὐτοῦ σωφροσύνην·* nam adeo Appianus factam rem non improbat, ut c. 61 extr. appellet *ἔργον ἀοίδιμον καὶ δυνατώτερον τῶν ἐν πολέμοις*

Digitized by Google

τῷ Σελεύκῳ γενομένων. Ceterum Lucianus Quom. hist. 35 et Aristaen. Epist. I. 13 demonstrant fabulam incertis nominibus per ora hominum volitare. Finem faciam indicando Demosth. pr. Phorm. § 29: Σωκλῆς τραπεζιτεύσας ἔδωκε τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα Τιμοδήμῳ τῷ νῦν ἔτ' ὄντι καὶ ζῶντι, γενομένῳ ποτὲ αὐτοῦ. καὶ οὐ μόνον ἐνθάδε ταῦτα ποιοῦσιν οἱ περὶ τὰς ἐργασίας ὄντες ταύτας, ἀλλ' ἐν Αἰγίνῃ ἔδωκε Στρυμόδωρος Ἑρμαίῳ τῷ ἑαυτοῦ οἰκέτῃ τὴν γυναῖκα καὶ τελευτησάσης ἐκείνης ἔδωκε πάλιν τὴν θυγατέρα τὴν ἑαυτοῦ. καὶ πολλοὺς ἂν ἔχοι τις εἰπεῖν τοιούτους. Sed sordium iam satis et plusquam satis.

§ 21. Lunae verba sunt: οὐ γὰρ ἡγοῦμαι πρέπειν ἀποκαλύψαι καὶ διαφωτίσαι τὰς νυκτερινὰς ἐκείνας διατριβὰς καὶ τὸν ἐπὶ σκηνῆς ἑκάστου βίον, ἀλλὰ κἂν τινα ἴδω αὐτῶν μοιχεύοντα ἢ κλέπτοντα ἢ ἄλλο τι τολμῶντα νυκτερινώτατον, εὐθὺς ἐπισπασαμένη νέφος ἐνεκαλυψάμην. Codices partim habent ἐπὶ σκηνῆς, partim ἐπὶ τῆς σκηνῆς· hinc Gesnerus coniecit ὑπὸ τῆς σκηνῆς et Sommerbrodtius ὑπὸ σκηνῆς. Contradicit Fritzschius: „ὁ ἐπὶ σκηνῆς βίος," inquit, „est vita simulationis plena: opponi enim ἐπὶ τῆς σκηνῆς et ἐπὶ τῆς ἀληθείας Solanus demonstravit, at ὁ ὑπὸ σκηνῆς βίος est vita occulta. nam ut ἐπὶ σκηνῆς metaphorice positum etiam *in propatulo* significat vel apud ipsum Lucianum de Morte Peregr. § 21: ita ὑπὸ σκηνῆς erit *in occulto*. vide Philostratum Vit. Soph. I. 9 init.: ἐπὶ σκηνῆς τε καὶ ὑπὸ σκηνῆς i. e. *et in scena et post scenam*. itaque hoc loco utrumvis poni recte potest." Nihil horum Fritzschius probare potuit Madvigio, qui p. 695 haud ita feliciter correxit: ἐπὶ σκέπης. Aliud latere dixerim quod neque per se obscurum est et praeterea conferri potest cum Bis Accus. § 11 et Catapl. s. Tyrann. 27. Videt Luna turpem ἐπὶ κλίνης ἑκάστου βίον.

§ 21: πολλάκις ἐβουλευσάμην μετοικῆσαι ὅτι πορρωτάτω, ἵν' αὐτῶν τὴν περίεργον ἂν γλῶτταν διέφυγον. Non opus est dicere cur abesse debeat particula ἄν.

Bis Accusatus.

§ 21: δεῖ γὰρ οὐδ' ἐμοὶ πολλῶν τῶν λόγων. Ita Fritzschius edidit mutato verborum ordine, nam in libris est: οὐδὲ πολλῶν μοι. Non intercedo equidem, corrigatur modo: δεῖ γὰρ οὐδὲν ἐμοί.

Digitized by Google

§ 21: *εἰ γοῦν τις αὐτοῖς τὸν τοῦ Γύγου δακτύλιον ἔδωκεν ἢ τὴν τοῦ Ἅϊδος κυνῆν.* Apertum hoc est et facile carebimus verbis quae post *ἔδωκεν* insertā leguntur: *ὡς περιθεμένους μὴ ὁρᾶσθαι.*

§ 23: *μάτην οὖν ἀνελήλυθότες ὅσοι γέροντες ἄνδρες οὕτω μαχρὰν τὴν ἀνάβασιν.* De vera loci sententia si quis dubitat, consulere poterit Schwarzium in *Mnem.* 1885 p. 106; sed unde coniunctivus pendet? Nimirum particula excidit: (*ἵνα*) *μάτην.*

De Parasito.

§ 8: *καὶ μὴν κυβερνήτας μὲν ἀγαθοὺς καὶ ἡνιόχους τεχνίτας ἐκπεσόντας τῶν δίφρων οἶδα ἐγὼ πολλάκις.* Hic deesse aliquid interpretes animadverterunt, sed quantum comperi, nihil attulerunt quod satisfacere possit; solus est Iongius meus p. 72 qui locum depravatum esse negat ipsumque scriptorem negligentem et socordem fuisse pronunciat, qui duas imagines male confuderit. Non concedo: post *ἀγαθοὺς* participium excidit, quod facili opera recuperabimus. Etenim paucis interpositis sequitur: *παρασίτου δὲ ναυάγιον οὐδεὶς ἔχει τοιοῦτον εἰπεῖν*, quod facit ut suppleam: *κυβερνήτας μὲν ἀγαθοὺς* (*ναυαγήσαντας*).

§ 9: *ὅσον ἐκ τούτου εἰκάζω.* Legendum est *εἰκάζειν*, nam non est ea coniectura eius qui loquitur. Sed Iongius hoc iam vidit.

§ 10. Parasitus postquam Homeri versiculos nonnullos in epularum laudem excitavit, ita pergit: *καὶ ὡς οὐχ ἱκανῶς ταῦτα θαυμάζων μᾶλλον τὴν αὐτοῦ γνώμην ποιεῖ φανερωτέραν εὖ λέγων· τοῦτό τι μοι κάλλιστον ἐνὶ φρεσὶν εἴδεται εἶναι.* Verum est *ἐπιλέγων.*

§ 10: *εἴπερ ἐβούλετο Ὀδυσσεὺς τὸ κατὰ τοὺς Στωϊκοὺς ἐπαινεῖν τέλος, ἐδύνατο ταυτὶ λέγειν ὅτε τὸν Φιλοκτήτην ἀνήγαγεν.* Quantum video, sine sensu; coniicio: *περιττολογεῖν.*

§ 26: *δῆλον ὅτι τῶν ἄλλων τεχνῶν δόξει προφερεστάτη*

Digitized by Google

καθάπερ ἡ Ναυσικάα των θεραπαινίδων. Comparativum requiro: προφερεςέρα.

§ 34. Plato ἦκεν εἰς Σικελίαν ἐπὶ τούτῳ. Hic dativum non intelligo et corrigam: ἐπὶ τοῦτο. Praeterea suppleverim: ὑπὸ ἀμαθίας (αὖθις) ἐξέπεσε, sed me praevertit Herwerdenus *Mnem.* 1879 p. 374.

§ 42. Demonstrat parasitus quam imbelles et ignavi oratores sint: Hyperides et Lycurgus numquam ad bellum sunt profecti; Demosthenes autem τολμήσας προελθεῖν ἐς τὴν Βοιωτίαν, antequam manus consererent, fugam capessivit. Aliquid excidit: (μόλις) τολμήσας.

§ 43: οὐ γὰρ δὴ τούτους ἔχεις ὥσπερ ἐκείνους αἰτιᾶσθαι. Vide an non convenientius scribatur ἔξεις.

§ 44. Achilles erat τὸ σῶμα γενναιότατος καὶ δικαιότατος. Duo postrema vocabula Cobetus eiecit; equidem supplere malim: τὸ σῶμα γενναιότατος καὶ (τὴν ψυχὴν) δικαιότατος. Sic § 46 Patroclus dicitur οὐδενὸς τῶν ἄλλων Ἑλλήνων φαυλότερος οὔτε τὴν ψυχὴν οὔτε τὸ σῶμα. Non persuasit Madvigius p. 698.

§ 45. Nestor videtur οὐδ' ἂν παύσασθαι παρασιτῶν εἰ μὴ ὁ Ἀγαμέμνων ἀπέθανεν. Excidit praepositio; lege: προαπέθανεν.

§ 46. Patroclus Sarpedonem interfecit; sed evidenter interpolatum est quod additur: ὁ παράσιτος τοῦ Ἀχιλλέως.

§ 51. Notatur philosophus inter reliquos convivas ἐν τριβωνίῳ κείμενος. Perpetuo hoc κατακείμενος dicitur. Cf. Philopseud. 24: διατρίβουσιν ἐπὶ τοῦ ἀσφοδέλου κατακείμενοι et ubi non? Recte autem se habet simplex verbum Dialog. Meretr. XV. 2: ὁ Γόργος ἐπαίετο καὶ ἐπατεῖτο χαμαὶ κείμενος. Vides discrimen.

§ 55. Sequitur difficilis locus. Secundum Parasitum sunt philosophi meticulosi: τούς γέ τοι πλείους αὐτῶν εὕροι τις ἂν μετὰ

Digitized by Google

ξύλου προιόντας, οὐκ ἂν δήπου εἰ μὴ ἐφοβοῦντο. Et hic quidem expeditum est eiicere quod in fine adscriptum legimus: ὡπλισμένους, sententiae inutile pondus. Post pauca autem sequitur: φιλοσόφους δ' ἤδη ἐγὼ πολλάκις εἶδον, οὐδενὸς ὄντος δεινοῦ, τόξα ἐνεσκευασμένους. Hic omnes haeserunt, nam nusquam legimus philosophos cum arcubus prodiisse et res per se nimis improbabilis. Herwerdenus olim coniecerat ξύλα vel ῥόπαλα, quod *Mnem.* 1879 p. 375 repudiavit, cum praesertim alio duceret usus verbi ἐνσκευάζεσθαι. „Suspicor nunc", inquit, „θώρακα. Nempe loricam induunt vadentes δι' ἐρημίας, nam clavas gerunt semper et ubique καὶ εἰς βαλανεῖον ἀπιόντες καὶ ἐπ' ἄριστον." Vera quidem haec, sed nimis violenta mutatio est rescribere θώρακα pro τόξα· equidem satis leniter reponam: ὅπλα ἐνεσκευασμένους, etiamsi nullum instet periculum; ξύλα enim semper habent καὶ εἰς βαλανεῖον ἀπιόντες καὶ ἐπ' ἄριστον. Scilicet conflatur philosophis invidia, nam verum id esse quod calumniatur parasitus, non credo. Quodsi miraris quomodo ὅπλα in τόξα abire potuerint, sciendum est Λ et Ξ literas haud raro confundi: sic ut uno exemplo defungar, apud Photium in lexico τοξόται facti sunt τολόται.

Anacharsis.

§ 15. Memoratur ab Solone στέφανος οὐ πίτυος οὐδὲ κοτίνου ἢ σελίνων, ἀλλ' ὃς ἐν αὐτῷ συλλαβὼν ἔχει τὴν ἀνθρώπων εὐδαιμονίαν. Intelligam: τὴν (ἐξ) ἀνθρώπων εὐδαιμονίαν. Notum est quo sensu τὰ ἐξ ἀνθρώπων κακά dicantur, αἱ ἐξ ἀνθρώπων πληγαί, sim. Quae de ea locutione collegeram, lectoribus consideranda exhibui *Mnem.* 1873 p. 352. Observavi praeterea illud ἐξ ἀνθρώπων ut plurimum adiunctam habere notionem rei molestae, odiosae, insuavis. Notavi tunc duo apud Heliodorum exempla qui scripsit p. 247. 20: τὸ ἐξ ἀνθρώπων κάλλος et p. 260. 40: τὰ ἐξ ἀνθρώπων χρήματα. Accedit nunc Luciani locus, ubi itidem alio modo atque apud veteres illud ἐξ ἀνθρώπων usurpatur. Etiam grammatici sic loqui consueverunt, veluti Schol. Hom. Z 131: ἔδωκε τὴν ἐξ ἀνθρώπων δίκην. Si quaeris unde origo repetenda sit satis mirae dicendi formulae, dixerim fontem fuisse Homerum β 136: νέμεσις δέ μοι ἐξ ἀνθρώπων ἔσσεται, sed diversus sane sensus est.

Digitized by Google

§ 19: λέγουσιν ἐν τῷ μέρει ὁ μὲν διώκων ὁ δὲ φεύγων ἢ αὐτοὶ ἢ ῥήτορας ἀναβιβάζονται τοὺς ἐροῦντας ὑπὲρ αὐτῶν. Aptius erit participium ἀναβιβάζοντες.

§ 20: τὴν μὲν δὴ πρώτην ἀνατροφὴν αὐτῶν (scil. puerorum) μητράσι καὶ τίτθαις καὶ παιδαγωγοῖς ἐπιτρέπομεν ὑπὸ παιδείαις ἐλευθερίοις ἄγειν τε καὶ τρέφειν αὐτούς. Non intelligo; nam, quod etiam per se apparet, postquam ad pubertatem pervenerunt, tum demum παραλαβόντες αὐτοὺς διδάσκομεν ἄλλα μὲν τῆς ψυχῆς μαθήματα καὶ γυμνάσια προτιθέντες, ἄλλως δὲ πρὸς τοὺς πόνους καὶ τὰ σώματα ἐθίζοντες. Quid igitur? Num sub nutricibus et paedagogis iam ἐλευθερίως ἐπαιδεύοντο? Quaenam ea παιδεία fuit? Ut mens sana in sano corpore nasceretur, educabantur credo ὑπὸ παιδιαῖς ἐλευθερίοις. Oderant Graeci pueros praecoces: audi modo Calliclem apud Platonem in Gorgia p. 485 B: ὅταν παιδίον ἴδω, ᾧ ἔτι προσήκει διαλέγεσθαι οὕτω, ψελλιζόμενον καὶ παῖζον, χαίρω τε καὶ χαρίεν μοι φαίνεται καὶ ἐλευθέριον καὶ πρέπον τῇ τοῦ παιδίου ἡλικίᾳ, ὅταν δὲ σαφῶς διαλεγομένου ἀκούσω, πικρόν τι μοι δοκεῖ χρῆμα εἶναι καὶ ἀνιᾷ μου τὰ ὦτα καί μοι δοκεῖ δουλοπρεπές τι εἶναι.

§ 24: ἄτοπον γὰρ εἰ τὰ σκύτη νομίζομεν ὑπὸ τῷ ἐλαίῳ μαλαττόμενα — διαρκέσερα γίγνεσθαι, τὸ δ' ἔτι ζωῆς μετέχον σῶμα μὴ ἂν ἄμεινον ἡγοίμεθα ὑπὸ τοῦ ἐλαίου διατεθήσεσθαι. Admonitus quivis sentiet resecandam esse particulam ἄν.

§ 24. ἡγούμεθα πολὺ ἀμείνοσι χρήσασθαι τοῖς οὕτως ἀσκηθεῖσιν. Mirum nondum correctum fuisse χρήσεσθαι.

§ 26: ὀψέ τε ἂν ἰδίειν ὁ τοιοῦτος ἄρξαιτο καὶ ὀλιγάκις ἂν ἀσθενῶν φανείη. Ineptum est illud ἀσθενῶν, quum praesertim praecesserit: διὰ τοῦτο ὑγιαίνειν ἀνάγκη· quae enim haec scabrities est: semper *recte* valebit et *raro* infirma utetur valetudine. Lucem dabit Rhet. praec. 10: καταλιπὼν ἀσθμαίνοντα καὶ ἱδρῶτι πολλῷ συνόντα, uti et § 20: τὸν ἱδρῶτα ἰδόντες καὶ τὸ ἄσθμα. Itaque vides hic quoque veram lectionem esse: ὀλιγάκις ἂν ἀσθμαίνων φανείη.

Digitized by Google

§ 27: ὁ δρόμος οὐ πρὸς τὸ ςερρὸν καὶ ἀντίτυπον, ἀλλ' ἐν ψάμμῳ βαθείᾳ. Corrige: κατὰ τὸ ςερρόν.

§ 30: οἰόμενοι Φύλακας ἡμῖν τῆς πόλεως ἀγαθοὺς γενέσθαι καὶ ἐν ἐλευθερίᾳ βιώσεσθαι. Lege: γενήσεσθαι.

De Luctu.

§ 8: ὑπὸ γυπῶν ἐσθιόμενοι καὶ τροχῷ συμπεριφερόμενοι καὶ λίθους ἀνακυλίοντες. Malo: τροχοῖς.

§ 10: ἐξετάσαντες ὁποῖον τὸ νόμισμα νομίζεται [καὶ διαχωρεῖ] παρὰ τοῖς κάτω. Insiticium est: καὶ διαχωρεῖ.

§ 10: οὕτω γὰρ ἂν οὐ παραδεξομένου τοῦ πορθμέως ἀναπόμπιμοι πάλιν ἐς τὸν βίον ἀφικνοῦντο. Legendum: ἀφικνοῖντο.

§ 17: οὐκ ἔρως σε ἀνιάσει οὐδὲ συνουσία διαςρέψει οὐδὲ σπαθήσεις ἐπὶ τούτῳ δὶς ἢ τρὶς τῆς ἡμέρας. Non nimis difficile est corrigere ἐπὶ τοὔψῳ· sed etiam σπαθήσεις displicet; cogitavi aliquando de παραταθήσει. Certe non praeferam Iacobsii correctionem: οὐδὲ ςαθεύσῃ ἔτι λουτρῷ.

§ 19: τὸ μὲν νοσιμώτατον τῶν παρεσκευασμένων ὁ καπνὸς παραλαβὼν ἄνω ἐς τὸν οὐρανὸν οἴχεται μηδέν τι ἡμᾶς ὀνῆσαν τοὺς κάτω. Praeferam: ὀνῆσον. Aliter Hartmannus *Stud. Lucian.* p. 80.

§ 20: οὐκ ἂν οἰώμεθα δικαιότατ' ἂν αὐτὸν εἰπεῖν; Imo: οἰόμεθα. Quantum video, erravit Fritzschius Quaest. Luc. p. 198.

Rhetorum praeceptor.

§ 1: νέος τις αὐτὸς ὢν ὀρεγόμενος τῶν ἀρίςων. Corrigo: νέος τοιοῦτος ὤν.

§ 10: ὅπου τὰ ἐκείνων τέως ἐδόκει χρήσιμα. Longe melius huc quadrabit: ἴσως, quod Codex C habet.

Digitized by Google

§ 23: μὴ αἰδεσθῇς εἰ καὶ πρὸς ἀνδρῶν ἐπὶ τῷ ἑτέρῳ ἐρᾶσθαι δοκοίης. Non intelligo; nimis etiam bene intelligo: ἐπὶ τῷ ἔργῳ.

§ 23: ἔϛωσαν οἱ καὶ ἐπὶ τούτῳ συνόντες· ἢν δὲ μὴ ὦσιν, οἱ οἰκέται ἱκανοί. Emendo: οἱ καὶ ἐπὶ τούτῳ ὀμνύοντες.

(Ad *Philopseud.* vide supra p. 8.)

Hippias.

§ 2: ἐπινοίᾳ κατόπιν τοῦ ϛρατοπέδου μιᾷ νυκτὶ τὸν Ἅλυν περιήγαγεν. Dicitur hoc magis περινοίᾳ, cf. § 4 et 8.

§ 3: ἀνδρὸς λόγοις μὲν παρ' ὄντινα βούλει τῶν πρὸ αὐτοῦ γεγυμνασμένου. Longe praefero: ἐγγεγυμνασμένου.

§ 4: τὰ δ' ἐποικοδομηθέντα — τὸν τῶν Φώτων λόγον Φυλάττοντα. Melius intelligam τὸν τῶν Φωταγωγῶν, cf. § 7 et de Domo 6.

§ 8. Memorat Lucianus ὡρῶν διττὰς δηλώσεις, τὴν μὲν δι' ὕδατος καὶ μυκήματος, τὴν δὲ δι' ἡλίου ἐπιδεικνύμενον. Hunc horologii *mugitum* Gesnerus et Reitzius conati sunt expedire, sed hodie vix cuiquam persuadebunt; nam etiamsi sonitus, ψόφος, excitatus fuerit a calculo singulis horis in pelvim decidente, non *mugitus* is dicendus fuit. Ante pedes positum est τρυπήματος.

§ 8: εἰ δὲ θεὸς παράσχοι καὶ λούσασθαί ποτε. Prorsus necessarium est ἐλλούσασθαι.

Bacchus.

§ 5: ἀντὶ τοῦ κιττοῦ σίδηρον εὑρόντες οὐδ' οὕτως ἐπαινεῖν τολμῶσι. Iam Gesnerus hic haesit, sed nihil protulit quod probari possit. Sententia postulat: οὐδ' οὕτοι ἐπιέναι τολμῶσι.

Hercules.

§ 4: οἱ ἀγορηταὶ τῶν Τρώων τὴν ὅπα τὴν λειριόεσσαν ἀφιᾶσιν (οἷον) εὐανθῆ τινα. Vides quid exciderit.

Digitized by Google

§ 8: τῷ λόγῳ δὲ νῦν ἂν μάλιϛα ἀνηβᾶν καὶ ἀνθεῖν καὶ ἀκμάζειν καθ' ὥραν εἴη. Post ἀνηβᾶν postulatur compositum verbum ἀναν θεῖν.

De Electro.

§ 1: ἤλπιζον — ὑποδέξεσθαι τῶν δακρύων ὀλίγα. Pueriliter additum est: ὡς ἤλεκτρον ἔχοιμι.

§ 2. Dicitur Phaethon αἰτῆσαι παρὰ τοῦ πατρὸς ἐλάσαι τὸ ἅρμα, ὡς ποιήσειε καὶ αὐτὸς μίαν ἡμέραν. Hic contra aliquid supplendum est, nimirum: ὡς (Φῶς) ποιήσειε.

§ 3: οὔτε ἡνίοχόν τινα ἐκπίπτοντα εἴδομεν οὔτε τὰς αἰγείρους ἃς Φὴς ἔχομεν. Restituendum: οἴδαμεν.

Muscae Encomium.

§ 5. Facilia verba sunt, sed sententia non bene procedit: τὴν μὲν γὰρ ἀνδρείαν καὶ τὴν ἀλκὴν αὐτῆς οὐχ ἡμᾶς χρὴ λέγειν, ἀλλ' ὁ μεγαλοφωνότατος τῶν ποιητῶν Ὅμηρος· nusquam enim pertinet nominativus Ὅμηρος. Sequitur autem: τὸν γὰρ ἄριϛον τῶν ἡρώων ἐπαινέσαι ζητῶν οὐ λέοντι ἢ πορδάλει ἢ ὑΐ τὴν ἀλκὴν αὐτοῦ εἰκάζει. Hinc Iacobitzius nescio qua fortasse codicum lectione fretus coniunctionem γάρ eliminavit fecitque ut constructionis vitium minus appareret. Equidem statuere malo aliquid intercidisse in hunc modum: ἀλλὰ (λεγέτω) ὁ μεγαλοφωνότατος τῶν ποιητῶν.

Adversus Indoctum.

§ 3: Φὴς καὶ ταῦτα μὴ μαθὼν ἡμῖν εἰδέναι. Uniuscuiusque est reponere ταὐτά. Itidem post pauca: οὐδὲ τοιαύτας διατριβὰς ἡμῖν ἐν παισὶν ἐποιοῦ, legam: τὰς αὐτάς.

§ 4: τί ἂν πλέον ἐκ τούτου εἰς παιδείαν κτήσαιο, κἂν ὑποβαλόμενος αὐτὰ ἐπικαθεύδῃς ἢ ξυγκολλήσας καὶ περιβαλόμενος περινοσῇς. Ad rem ipsam pertinent quae Cobetus *Miscell. Crit.* p. 159 ex Libanio excerpsit. Erant magni ponderis libri quos servuli humeris gestabant; sed alterius generis librum

Digitized by Google

brevem, levem, habilem ad manum descripsit Libanius Tom. I p. 100: ἦν μοι ἡ Θουκυδίδου συγγραφὴ γράμματα μὲν ἐν μικρότητι χαρίεντα, τὸ δὲ σύμπαν οὕτω ῥᾴδιον φέρειν ὡς αὐτὸς ἔφερον παιδὸς ἀκολουθοῦντος καὶ τὸ φορτίον τέρψις ἦν. Nec tamen satis apposite scribitur περιβαλόμενος et multo magis placet περιεχόμενος. Sed quid praeterea est ξυγκολλήσας? Nihil ad locum explicandum confert § 16, ubi recte usurpatur compositum διακολλᾶν, nec Birtius in utilissimo libro de Re Libraria Veterum lucem dabit. Num fortasse latet ξυγκομίσας?

§ 7. Indoctus librum recitat βαρβαρίζων καὶ καταισχύνων καὶ διασρέφων. Scilicet lingua perpetuo titubat et indistincte loquitur; hinc malo βατταρίζων. Sic Timocles in Iove Tragoedo 27 βαττυρίζει καὶ ταράττεται.

§ 27. Rogat Lucianus indoctum quando legat; num interdiu? ἀλλ' οὐδεὶς ἑώρακε τοῦτο ποιοῦντα. Supplendum: ἀλλ' οὐδείς (σ') ἑώρακε.

§ 30: περὶ δὲ τῶν ἄλλων ὅσα κατάπτυσα καὶ ἐπονείδισα ποιεῖς, αὖθις ἀκούσει πολλάκις. Lege: εἰσαῦθις.

Calumniae non temere credendum.

§ 3. Apelles Colophonius, ut videtur, qui Alexandriae in aula magna gratia florebat, dicebatur particeps fuisse coniurationis contra Ptolemaeum Philopatorem. Confudisse credo Lucianum ea quae apud Polybium legerat IV. 86. 8 et V. 40. 1; sed hoc nunc non ago. Illud me advertit quod de ipso rege legimus: οὐδὲ τὸ παράπαν εἰ ἐξέπλευσεν Ἀπελλῆς ἐς Τύρον ἐξετάσας, εὐθὺς ἔαδε μηνίειν καὶ βοῆς ἐνεπίμπλη τὰ βασίλεια. Scribit Cobetus Var. Lect. p. 195: „foedum ulcus est ἔαδε μηνίειν, in quo subesse suspicor ἠδημόνει. Verbum ἀδημονεῖν non abhorret ab huius libelli oratione et stilo, in quo multa sunt vetusta vocabula studio quaesita." Equidem non assentior. Etenim quid regem fecisse dicemus? Excanduit ira et hominem miserum et innocentem carnifici traditurus erat, donec ab uno ex aulicis meliora edoctus fuit. Quid autem significat ἀδημονεῖν? Animo concidere et ἀπορεῖν et ἀμηχανεῖν, sicuti Photius recte

Digitized by Google

scribit. Hoc sensu, ut unum exemplum afferam, de Olynthia muliere Demosthenes scripsit de Fals. Leg. § 127: ἀδημονούσης δὲ τῆς ἀνθρώπου καὶ οὔτε ἐθελούσης οὔτε ἐπισαμένης, ὕβριν τὸ πρᾶγμα ἔφασαν εἶναι. Multo melius convenire dixerim: ἐδαιμόνα. Cf. Plut. Marc. 20. 8: ἐξέδραμεν οὔτε φωνῆς τινος οὔτε κινήσεως πρεπούσης δαιμονῶντι καὶ παραφρονοῦντι φεισάμενος. Plut. Pericl. 6. 1: τοῖς περὶ τὰ θεῖα δαιμονῶσι καὶ ταραττομένοις. Δαιμονᾷ qui quacumque de casu extra semet ipsum effertur.

§ 9: ἐξ ἀφανοῦς ποθεν τοξεύων, ὡς μηδὲ ἀντιτάξασθαι δυνατὸν εἶναι μηδ' ἀνταγωνίσασθαι, ἀλλ' ἐν ἀπορίᾳ καὶ ἀγνοίᾳ τοῦ πολέμου διαφθείρεσθαι. Lego: πολεμίου.

§ 11: οὐδ' ἂν κατίσχυε τὴν πάντων ἰσχυροτέραν ἀλήθειαν. Praefero: ἰσχυροτάτην.

§ 12. Malus cursor in circo τοῦτο μόνον ἐξ ἅπαντος σκοπεῖ, ὅπως τὸν τρέχοντα ἐπισχὼν ἢ ἐμποδίσας ἐπιφομιεῖ. Immo: τὸν προέχοντα, sicuti continuo post sequitur: ὁ γὰρ προέχων αὐτίκα ἐπιβουλεύεται.

§ 16: εἴ γε μὴ κληθεὶς ἔωθεν ἔπιέ τε πάντων ὁρώντων καὶ λαβὼν ταραντινίδιον ἐκυμβάλισε. Supple: ἔπιέ τε (οἶνον).

§ 17: πόσους τοίνυν οἰόμεθα τῶν Ἀλεξάνδρου φίλων ἀπολαῦσαι τῆς Ἡφαιστίωνος θεότητος; Sic olim recte; perperam Iacobitzius οἰώμεθα. Recurrit idem vitium de Domo 4.

§ 30: τὰ μὲν ἄξια προσίεσθαι καὶ παραβάλλεσθαι, τὰ φαῦλα δὲ ἀποκλείειν καὶ ἀπωθεῖν. Intelligam: παραδέχεσθαι.

Pseudologista.

§ 5: ὁ πρόλογος ἤδη φησὶ ταῦτα. Nemone vidit haec verba interpolata esse?

§ 8: ἃ ποιεῖν ἐλέγετο καὶ ἃ ποιῶν κατείληπτο. Concedes emendandum esse: ἃ εἰπεῖν ἐλέγετο.

Digitized by Google

§ 9: ἐλελήθει δὲ κατ' αὐτοῦ τὸ ὕσατον τεκμήριον ἀπαιδεύσεως ἐκφέρων. Multum praefero: τὸ ἔσχατον τεκμήριον, cf. Iong. p. 83. Crasis autem faciet ut etiam lenior medicina sit: τοὔσχατον.

§ 11: ὑπερβαίνω τοὺς ὅρους τοὺς Ἀττικούς. Scripsissem equidem: τοὺς ὅρους τῆς Ἀττικῆς.

§ 20: τάχα δ' ἂν τοὺς ἄλλους τοὺς ἐν Συρίᾳ προσλάβοις ὁμοψήφους, εἰ λέγεις μηδὲν πονηρόν — βεβιῶσθαί σοι. Syntaxis postulat: εἰ λέγοις.

§ 23: καὶ μάλιστα πρὸς οὓς ἥκις' ἐχρῆν [καὶ] τοὺς ὁμιλητάς. Vides quid velim. De locutione πρὸς οὓς ἥκις' ἐχρῆν Cobetus dixit *Mnem.* 1858 p. 45.

§ 27: καὶ γὰρ οὐδὲν ἄτοπον ὑπὲρ σοῦ λέγοντα ψυχρολογεῖν. Correxeram αἰσχρολογεῖν, sed post Guyetum sero veni.

§ 27: ὡς ἔνι πλατύτατον κεχηνὼς ἠνείχου τυφλούμενος ὑπ' αὐτοῦ τὴν γνάθον. Hoc quidem sine sensu editur; sed quid latet? Cogitaram de τυλούμενος· sed in his sordibus volutari nolo.

De Domo.

§ 3: τοῦτο μὲν γὰρ ἴσως ἐκείνῳ τῷ νησιώτῃ μειρακίῳ ἔπρεπε. Notabile est non fuisse additum proprium Telemachi nomen et eiusmodi locis utendum est quo firmius tibi persuadeas alibi propria nomina saepe inutiliter interpolata fuisse. Ecce exempla: adv. Indoct. 3: εἰ μή ποτε παρὰ τῶν Μουσῶν κλῶνα δάφνης καθάπερ ὁ ποιμὴν ἐκεῖνος λαβών· satis hoc erat, nam Hesiodi omnes lectores meminerant. Scyth. 9: οἷόν τι καὶ ὁ νησιώτης ἐκεῖνος νεανίσκος ἐπεπόνθει πρὸς τὴν τοῦ Μενελάου οἰκίαν. Pariter Philopatr. 23: ἅπαντα ἐσκοπίαζον ὅσα ὁ νησιώτης ἐκεῖνος νεανίσκος. Hinc Ver. Hist. II 5: αὔρα περιέπνευσεν ἡμᾶς, οἵαν φησὶν ὁ συγγραφεὺς Ἡρόδοτος ἀπόζειν τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας. Similiter adv. Indoct. 7 primum describitur παγγέλοιος ἄνθρωπος διάστροφος τὸ σῶμα καὶ λελωβημένος· deinde pergit ita: ἐκεῖνος

Digitized by Google

τοίνυν ὁ Θερσίτης ὁ τοιοῦτος κτἑ. Utrobique proprium nomen furcellis expungendum.

§ 4: οὐκ ἠσχύνετο γέρων ἄνθρωπος παρακαλῶν παρθένους συνεσομένας τὰ παιδερασικά. Correxit Dindorfius συνεισομένας itaque edidit Iacobitzius; equidem supplere malim: συνεσομένας (ἐπὶ) τὰ παιδερασικά.

§ 7. Plura describenda erunt ut confirmem id quod velim. Sermo fit de meretriculis: ἡγοῦνται γὰρ καὶ τὴν ὠλένην αὐταῖς σιλπνοτέραν φαίνεσθαι συναπολάμπουσαν τῷ χρυσῷ καὶ τοῦ ποδὸς τὸ μὴ εὐπερίγραφον λήσειν ὑπὸ χρυσῷ σανδάλῳ καὶ τὸ πρόσωπον αὐτὸ ἐρασμιώτερον γενήσεσθαι τῷ φαεινοτάτῳ συνορώμενον. Quemadmodum futura sunt λήσειν et γενήσεσθαι, pariter requiritur φανεῖσθαι.

§ 15. Supplendum: κἀμοὶ ἐπιτρέψατε χρήσασθαι τῷ (αὐτῷ) παραδείγματι.

§ 23: ἐκεῖνοι γὰρ ὁμοίαν ἐγραψάτην εἰκόνα. Iam Solanus vidit postulari ἐκείνω.

§ 32: τοῖς οὕτω δυσκόλοις ἑαυτὸν ἑκὼν φέρων ἐπέβαλε. Dele ἑκών et vide de participio φέρων Hemst. ad Dial. Mort. VI. 3.

Macrobii.

§ 3: πιθανὸν δ' ἂν εἴη ἄνδρα θεοῖς ἀνακείμενον καὶ καθαρωτέρᾳ διαίτῃ χρώμενον τὸν Τειρεσίαν ἐπὶ μήκιστον βιῶναι. Praestabit καθαρωτάτῃ et expungendum proprium Tiresiae nomen, de quo in praecedentibus sermo fuit. Sed Fritzschius cfdus Quaest. Luc. p. 4.

§ 7. Appellat scriptor quisquis fuit εὐσεβεστάτην μεγάλου θειστάτου αὐτοκράτορος τύχην. Parum nitida haec compositio est et Gesnerus iam hic haesit. Leniter refingam: ἡμετέρου θειοτάτου αὐτοκράτορος. Sed vide Fritzschium Progr. Oct. 1853 p. 12.

Digitized by Google

§ 25: Κρατῖνος δ' ὁ τῆς κωμῳδίας ποιητὴς ἑπτὰ πρὸς ἐνενήκοντα ἔτεσιν ἐβίωσε καὶ πρὸς τῷ τέλει τοῦ βίου διδάξας τὴν Πυτίνην καὶ νικήσας μετ' οὐ πολὺ ἐτελεύτα. Hoc si probabitur, quum Cratinus Πυτίνην docuerit anno 423, sequitur natum eum esse anno 519; sed ante sedecim annos in Actis Academiae Regiae suscepi demonstrare hanc πεπλασμένην esse παράδοσιν nullaque fide dignam. Praecipuum argumentum repetendum duxi ex Aristophane, qui in Equitum parabasi vs. 518 ita scribit:

ὑμᾶς τε πάλαι διαγιγνώσκων ἐπετείους τὴν φύσιν ὄντας
καὶ τοὺς προτέρους τῶν ποιητῶν ἅμα τῷ γήρᾳ προδιδόντας.

Quod ut ostendat, affert exempla Magnetis et Cratini, quem cum cognoverimus praecedenti anno, quo anno Aristophanes Acharnenses exhibuit, secundum in poetarum certamine fuisse renunciatum, sequitur non senem nonagenarium Cratinum fuisse, qui victoriam reportaverit. Crediderim equidem poetam natum esse circa annum 480, ut sexaginta fere annorum fuerit, quo anno Aristophanes Pacem docuit. In ea fabula poeta de aemulo loquitur tanquam mortuo, sed Cobetus ad Platonem Comicum p. 87 festivissimum iocum felicissime expedivit idemque argumentum Zielinskius retractavit in *Museo Rhenano* XXXIX p. 301.

Patriae Encomium.

§ 8. Qui peregre inclaruerunt, eos ἔξιν ἰδεῖν εἰς τὴν πατρίδα πάντας ἐπειγομένους. Hoc quidem nimium est et praeferendum: πάντως. Continuo sequitur: ὡς οὐκ ἂν ἐν ἄλλοις βελτίοσιν ἐπιδειξομένους τὰ αὑτῶν καλά et miror Iacobitzium qui talia non correxerit. Sed constructionem excusat Hartmannus Stud. Lucian. p. 23.

§ 11: ὁ τῆς πατρίδος αὐτῷ καπνὸς λαμπρότερος ὀφθήσεται τοῦ παρ' ἄλλοις πυρός. Malo: φανήσεται.

De Dipsadibus.

§ 4: βοῶσιν ὥσπερ οἱ ἐν πυρᾷ κείμενοι. Mirum ni verum est: καόμενοι.

Digitized by Google

Navigium s. Vota.

§ 4: εἰκὸς γὰρ ἤδη παρεληλυθέναι ἐκεῖνον ἀποσοβοῦντα εἰς τὸ ἄφυ. Verior scriptura est: προεληλυθέναι.

§ 7: ἀπάραντας οὐ πάνυ βιαίῳ πνεύματι. Supple: βιαίῳ (τῷ) πνεύματι.

§ 10: ἐμβοήσωμεν οὖν· Ἀδείμαντε, σέ φημι τὸν Μυρρινούσιον, τὸν Στρομβίχου. Expungendum Adimanti nomen et dixerim Lucianum memorem fuisse eorum quae legisset initio Convivii Platonis: τῶν οὖν γνωρίμων τις ὄπισθεν κατιδών με πόρρωθεν ἐκάλεσε, καὶ παίζων ἅμα τῇ κλήσει, Ὁ Φαληρεύς, ἔφη, οὗτος Ἀπολλόδωρος, οὐ περιμενεῖς; ubi plane non perspicio quid Apollodori amicus iocatus fuerit, nisi sumam insiticium esse nomen Ἀπολλόδωρος. Iocus erit de eo genere quo etiam hodie populares mei interdum utuntur.

§ 14: ὃς γὰρ ἔτι ἑνὸς πλοίου τουτουὶ δεσπότης ὢν παρήκουες βοώντων, εἰ πέντε κτήσαιο πρὸς τούτῳ τριάρμενα πάντα καὶ ἀνώλεθρα, οὐδ' ὄψει δηλαδὴ τοὺς φίλους. Mire languet additum τουτουί, quod non delebo, sed corrigere praestabit: τυννουτουί. Cf. ad Icarom. 12.

§ 16: ἐπίδειξις ἔσαι τὸ πρᾶγμα, ὅσις ἂν ἄρισα χρήσαιτο τῷ πλούτῳ καὶ τῇ εὐχῇ. Hic quam inutiliter additum est quod additur: δηλώσει γὰρ οἷος ἂν καὶ πλουτήσας ἐγένετο. Sed etiam expunctis illis τῷ πλούτῳ καί, simpliciter scribere malim: ὅσις ἂν ἄρισα χρήσαιτο τῇ εὐχῇ.

§ 19: τὴν Πάρνηθα ἐκείνην, εἰ θέλεις, ὅλην χρυσῆν ποιήσας ἔχε κἀγὼ σιωπήσομαί σοι. Non intelligo: num forte κἀγὼ ἐκχήσομαί σοι?

§ 19: ἀλλ' ὑπὲρ ἀσφαλείας ἔγωγε τῆς σῆς τοῦτ' ἐποιησάμην. At Lucianus nil quidquam fecerat nec magis curarat faciendum, nam sic Fritzschius mediam verbi formam interpretatus est. Conieci equidem: προὐνοησάμην.

Digitized by Google

§ 19: *οἱ δελφῖνες γὰρ αὐτὸ ὑποδύντες ἐξοίσουσιν ἐπὶ τὴν γῆν.* Elegantius scribetur: *αὐτοὶ ὑποδύντες.* Vide modo Herodt. I 31: *ὑποδύντες αὐτοὶ ὑπὸ τὴν ζεύγλην εἷλκον τὴν ἅμαξαν.* Item Demonact. 67 praestat: *αὐτοὶ μέντοι ὑποδύντες ἐκόμιζον αὐτόν*, prae *οὗτοι.*

§ 22: *ἐγὼ δὲ προκύψας ὥσπερ ὁ ἥλιος ἐκείνων μὲν οὐδ' ἐπιβλέψομαι ἐνίους.* Ut hoc lepide dictum sit, inseram: *ὥσπερ ὁ (χρυσοῦς) ἥλιος.* De compendiolis quibus *χρυσός* et *ἥλιος* scribuntur omnia nota.

§ 29: *τὸ πρᾶγμα οὐχ ὁμοίως ἡδύ, ὥσπερ ὅταν ἤ τις αὐτὸς δι' αὑτοῦ κτησάμενος τὴν δυναστείαν.* Ita Fritzschius edidit „ex praeclara planeque certa Sommerbrodtii emendatione." Non assentior: libri habent: *ὅταν ἴδῃ τις* et *ὅτ' ἂν ἥδη τις·* ducit haec scriptura ad: *ὅτὰν εἰδῇ τις.*

§ 29: *ἐθέλω γὰρ εἰδέναι — ἐπὶ τίνας ἀθλίους πρώτους ἀφίξεσθε.* Mirum ni verum videbitur *ἄθλους.*

§ 32: *ἐπευξάμενοι τῷ βασιλείῳ Διί.* Dici solet *Ζεὺς βασιλεύς* non *βασίλειος.*

§ 35: *κατὰ μεσημβρίαν γὰρ ἤδη μάλιστα.* Omnino legendum: *ἵσταται μεσημβρία*, quem flosculum Lucianus decerpsit ex Plat. Phaedr. p. 242 A, ubi hoc ipsum legitur cum glossula: *ἡ δὲ καλουμένη σαθερά*, quam Ruhnkenius expunxit. Ipse vides quantillum intersit inter *ἵσταται* et *κατά*, cum millies confundi soleant **K** et **IΣ**.

§ 38: *ὑμῶν δὲ κατὰ τὸν Ἑλλήνων νόμον εἷς στρατηγὸς ὀνομαζόμενος.* Haud displicet: *πρωτοστράτηγος.*

§ 39: *παρὰ πολὺ ἐπιπονώτερα καὶ βιαιότερα τῶν Ἀδειμάντου.* In optimo codice Φ legitur *βεβαιότερα*, quod ducit ad *ἀβεβαιότερα*, sicuti recte scribitur § 41.

Digitized by Google

§ 40: καὶ γὰρ οὖν καὶ τόδε πῶς οὐ ταπεινόν; Corrigit Fritzschius καὶ γὰρ αὖ, sed lenius est: καὶ γὰρ δή.

§ 46: καὶ αὐτὸς εὔξῃ τι ἤδη ποτέ. Requiritur imperativus εὔξαι.

Dialogi Meretricii.

IV. § 3: Supplendum: κατὰ τοίχου τινὸς ἔλεγε καταγεγράφθαι (τοὔμὸν) ὄνομα ἐν Κεραμεικῷ.

IV. 5: τῆς Φοιβίδος, ᾗ συνῆν, πολλὰ αἰτούσης. Iam Solanus hic offendit: „Mendose", inquit, „in omnibus legitur αἰτούσης, aut certe aliqua vox excidit: nam πολλὰ αἰτούσης est Graece *magna petere*, cum dicere debuerit: *enixe ut apud sese maneret orante.*" Nec tamen coniecturam periclitatus est, nam Guyeti αἰτιώσης nihili est. Equidem coniicio: λιπαρούσης.

VI. 1: ἀλλὰ (τὰ) δύο ἔτη ταῦτα ἐξ οὗ τέθνηκεν ὁ μακαρίτης πατήρ, οὐκ οἶσθα ὅπως ἀπεζήσαμεν. Dele negationem.

VI. 3: οὔτε πλέον τοῦ δέοντος φθέγγεται οὔτε ἀποσκώπτει ἔς τινα τῶν παρόντων, ἐς μόνον δὲ τὸν μισθωσάμενον βλέπει. Convenientius est: ἀποσκοπεῖ.

VII. 1: τὰ δύο περιδέραια — ἃ σοι ὁ Χῖος Πραξίας ἐκόμισε ποιησάμενος ἐν Ἐφέσῳ. Malo πριάμενος, in quod etiam Guyetum incidisse video.

VIII. 2: μεγάλοι ἔρωτες γίγνονται, εἰ πύθοιτο ἀμελεῖσθαι. Herwerdenus *Mnem.* 1873 p. 391 τις inseruit, sed non satis hoc est: legendum: εἴ τις οἴοιτο.

IX. 3: οὔτε γὰρ τοῦτον ἀποπέμψαι καλὸν τάλαντον ἔναγχος δεδωκότα καὶ τἄλλα ἔμπορον ὄντα καὶ πολλὰ ὑπισχνούμενον. Philostratus revera mercator erat, quod efficitur ex § 4, et tamen malo: εὔπορον.

Digitized by Google

IX. 5: *σὺ γὰρ ἀλεκτρυόνα πώποτε ἀπέκτεινας ἢ πόλεμον εἶδες;* Legam: *οὐ γὰρ ἀλ. — εἶδες.*

X. 3. Aliquid excidit; sermo est de literulis quas meretricula accepit ab amatore: *λέγει δὲ· πῶς μὲν ἐφίλησά σε, ὦ Δροσί, τοὺς θεοὺς ποιοῦμαι μάρτυρας.* Supplebo in hunc modum: *λέγει δὲ ὧδέ πως· ὡς μὲν ἐφίλησά σε, κτέ.*

XIV. 2: Narrabam *Mnem.* 1895 p. 253 apud Venetos et reliquos omnes qui galeas armabant, etiam in Freto Gallico, remiges nudos remigasse; suspicabar autem apud illos demum creberrimum flagelli usum necessitatem attulisse nudandi corpora, apud veteres autem remigum conditionem fuisse tolerabiliorem. Nunc demum locus sese mihi obtulit quo suspicionem illam comprobarem. Dederat meretricula amatori iamiam profecturo *τὸ μικρὸν ἐκεῖνο χιτώνιον τὸ μέχρι τῶν μηρῶν, ὡς ἔχοις ἐρέττων, Ἐπικούρου τοῦ πρωρέως ἐκλαθομένου αὐτὸ παρ' ἡμῖν.*

XIV. 3. Rogat nauta quaenam dona alius amator dederit: respondet Myrtale: *τουτὶ πρῶτον ὁρᾷς τὸ χιτώνιον.* Supple: (ὃ) *ὁρᾷς.*

De morte Peregrini.

§ 11. Hic locus admodum memorabilis est. Postquam Peregrinus Christianus factus est, *ἐν βραχεῖ παῖδας αὐτοὺς ἀπέφηνε προφήτης καὶ θιασάρχης καὶ ξυναγωγεὺς καὶ πάντα μόνος αὐτὸς ὤν. καὶ τῶν βίβλων τὰς μὲν ἐξηγεῖτο καὶ διεσάφει, πολλὰς δὲ αὐτὸς καὶ ξυνέγραφε καὶ ὡς θεὸν αὐτὸν ἐκεῖνοι ἡγοῦντο καὶ νομοθέτῃ ἐχρῶντο καὶ προστάτην ἐπέγραφον. τὸν μέγαν γοῦν ἐκεῖνον ἔτι σέβουσι τὸν ἄνθρωπον τὸν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ ἀνασκολοπισθέντα, ὅτι καινὴν ταύτην τελετὴν εἰσήγαγεν εἰς τὸν βίον.* Hunc locum, etsi paulo longiorem, *αὐτολεξεὶ* descripsi, ut luculenter appareret quidnam ad integritatem deesset. „Librarii", uti Cobetus contendit in *Variis Lectionibus* p. 207, „his verbis plus detrimenti attulerunt quam fanatici homunciones Christiani: hi enim summa ope delere librum nequidquam conati sunt, illi ita afflixerunt ut quid Lucianus dixerit non intelligatur. Ac primum quidem transpone *καὶ αὐτὸς ξυνέγραφε* pro *αὐτὸς καί*,

Digitized by Google

deinde expende an haec vera lectio esse videatur: *καὶ ὡς θεὸν αὐτὸν ᾐδοῦντο καὶ νομοθέτῃ ἐχρῶντο καὶ προσάτην ἐπεγράφοντο. μετὰ γοῦν ἐκεῖνον ἔτι σέβουσι τὸν ἄνθρωπον κτέ.*" Sciendum est Lionellum Levi illud ipsum *καὶ αὐτὸς* invenisse in Cod. Vatic. 87 et Palat. 174, deinde Fritzschius qui cum discipulo Iacobitzio Cobeti correctiones strenue solet impugnare, hic tamen, quod ad summam rei attinet, significavit se facere cum collega Batavo. „Pro *μέγαν γοῦν*", inquit, „correxi *μετὰ γοῦν* et verba *τοσοῦτον χρόνον* supplevi ceteris non mutatis: *ἐπεγράφοντο. μετὰ γοῦν (τοσοῦτον χρόνον) ἐκεῖνον ἔτι σέβουσι τὸν ἄνθρωπον.* — Et ΜΕΤΑ quidem in literis ΜΕΓΑΝ latere Cobetus recte vidit. cuius tamen coniecturam: *ἐπεγράφοντο. μετὰ γοῦν ἐκεῖνον ἔτι σέβουσι τὸν ἄνθρωπον* non intelligo, ut Oedipo opus sit interprete" — „hinc post *ἐπεγράφοντο* signa posui lacunae." Nempe hoc habet Fritzschius: dum nimis etiam anxie tuetur traditos literarum apices, libenter ac saepe minus necessario contendit lacunam in textu delitescere. Equidem concedo non commode posse intelligi id quod rescripsit Cobetus; sed licet Oedipus non sim, credo tamen me nodum solvere posse. Ut perspicua verba fiant, ausim coniicere Cobetum delere voluisse verba *ἔτι σέβουσι*, sed hoc casu quodam adnotare neglexit. Scilicet postquam *μετὰ* in *μέγαν* abiit, post *ἐπεγράφοντο* plene interpunctum fuit et verbum deesse videbatur, deinde perperam suppletum fuit *ἔτι σέβουσι*. Hoc scribit Lucianus soli Christo Peregrinum posthabitum fuisse. Hic etiamsi Cobetus animum non attenderit, plane non dubito quin certa correctio sit. Vide etiam particulam *γοῦν*, quae in Cobeti scriptura Fritzschio merito displicebat, me si sequeris rectissime posita erit. Equidem quum *Varias Lectiones* primum legebam, i. e. ipso anno 1854 quo prodiere, in eam suspicionem iam incideram; sed uti fit, semper distuli scriptorem de ea re interpellare; post occasio calva est.

§ 24: *ὅπου μηδ' αὐτῶν τις τῶν μαθητῶν ζηλώσειεν ἄν.* Praestat: *εἷς.*

§ 25, De Brachmanibus ita legimus: *ἐκεῖνοι γὰρ οὐκ ἐμπηδῶσιν εἰς τὸ πῦρ, ἀλλ' ἐπειδὰν νήσωσι πλησίον παρασάντες ἀκίνη-*

Digitized by Google

§ 8: *ὡς μὴ ἀνιᾶσθαι ἡττηθέντα μηδὲ δακρύειν ἀεὶ ἄσιτον ὄντα μόνον τῶν ἄλλων.* Dele inutile *ἀεί.*

§ 9: *ἱκανὰ γὰρ ἀποκέκρισαι καὶ τὰ πρῶτα.* Emendandum est: *πρὸς τὰ ἠρωτημένα.* Cf. adv. Indoct. 5.

Cronosolon.

§ 11: *ὡς τὴν πενίαν δυσχεραίνοιμι οὐ κατὰ τὴν ὥραν μονοχίτων.* Cum Guyeto in fine supplendum: *ὤν.*

§ 11: *τοῦ ὠτός μου λαβόμενος καὶ διασείσας, ὥσπερ μοι προσεικάζειν εἴωθε.* Guyetus et Solanus commendarunt *προσπελάζειν* eamque coniecturam Iacobitzius etiam recepit; equidem cum Gesnero scripserim: *προσπαίζειν.* Cf. de Domo 24: *ὁ Βράγχος ἐπὶ πέτρας καθεζόμενος ἀνέχει λαγὼν καὶ προσπαίζει τὸν κύνα*, ubi notabilis est constructio cum quarto casu, quam immutare non ausim, cum alia exempla non desint; vide copias Lobeckii ad Phrynichum p. 463 et Stallbaumium ad Platon. Euthyd. 285 A. Itidem *προσπτύειν* cum accusativo construitur Conviv. s. Lapith. 33.

§ 12: *γελοῖος ἂν εἴην τὸν μὲν πατέρα ἐκτομίαν πεποιηκώς ...* expungendum quod in fine adscriptum fuit *τὸν Οὐρανόν.* Sed cf. de Sacrif. 5 et de eo loco Fritsch. Quaest. Lucian. p. 4.

Epistulae Saturnales.

§ 20: *ἡμεῖς δ' αὐτοὶ μὲν οὐδὲ μόλυβδος ἂν εἰκότως δοκοίημεν.* Vide apud Boeckhium Oec. Civ. I p. 46 quam vili pretio plumbum olim venale fuerit. Hoc pretium per saeculorum decursum nescio quomodo mirifice fluctuavit.

§ 21: *ἀλλ' ἀπὸ μεδίμνων τοσούτων χρυσίου χοίνικά γε ἡμῶν πάντων κατασκεδάσαι.* Apposite corrigetur: *πάντως.*

§ 23: *τὸν κύνα δὲ παρεισπεσοῦσαν τὸν ἀλλᾶντα ὅλον καταφαγεῖν.* Rectius erit *παρεισπαίσασαν·* conferantur loci quos Reitzius collegit tum ad hunc locum tum ad Conv. s. Lapith. 12.

Digitized by Google

§ 25: τὸ δὲ ἑτέρου ἂν εἴη, τοῦ νῦν ἄρχοντος. Suppleo: τὸ δὲ ἑτέρου (θεοῦ) ἂν εἴη.

Convivium s. Lapithae.

§ 16. Procedente convivio Alcidamas Cynicus etiam mulieribus quae aderant, molestus est, ἐπεπώκει γὰρ ἤδη. Scilicet iam nimio potu se ingurgitarat, h. e. ὑπεπεπώκει.

§ 17: ὁ δὲ Ἰσιαῖος ὁ γραμματικὸς ἐρραψῴδει ὕστερος κατακείμενος καὶ συνέφερεν εἰς τὸ αὐτὸ τὰ Πινδάρου καὶ Ἡσιόδου καὶ Ἀνακρέοντος, ὡς ἐξ ἁπάντων μίαν ᾠδὴν παγγέλοιον ἀποτελεῖσθαι. Diversissima commiscuit in unum, h. e. συνέφυρεν, quam correctionem etiam Iongio probavi, qui p. 97 praeterea addit Rothsteinium correxisse: ἐρραψῴδει ὕπτιος κατακείμενος.

§ 17: ὁ Ζηνόθεμις δ' ἀνεγίνωσκε παρὰ τοῦ παιδὸς λαβὼν λεπτογραμμόν τι βιβλίον. Herwerdenus in *Mnem.* 1879 p. 96 mavult legere λεπτογράμματόν τι βιβλίον· esto hoc; verum auditorum quid interest utrum aliquid praelegas ex codice minutis literis perscripto an grandiusculis, quales Paulus Apostolus usurpabat? Aliud latere certum est. Confer autem Suidam qui de grammatico Nestore retulit, qui floruit sub Rege Seleuco et scripsit Ἰλιάδα λιπογράμματον ἤτοι ἀστοιχείωτον· ὁμοίως δ' αὐτῷ ὁ Τρυφιόδωρος ἔγραψεν Ὀδύσσειαν· ἔστι γὰρ ἐν τῇ πρώτῃ μὴ εὑρίσκεσθαι Α, καὶ κατὰ ῥαψῳδίαν οὕτως τὸ ἑκάστης ἐκλιμπάνει στοιχεῖον. Paulo aliter Eustath. ad Odyss. p. 1379. 55: Τρυφιόδωρος Ὀδύσσειαν λιπογράμματον ποιῆσαι ἱστόρηται, ἀπελάσας αὐτῆς τὸ σίγμα. Itaque hoc intelligere mihi videor recitasse Zenothemin λιπογραμμάτόν τι βιβλίον. Denique cf. Dion. Halic. de Comp. Verb. c. 14: εἰσὶ δ' οἱ ἀσίγμους ᾠδὰς ὅλας ἐποίουν. Patrum memoria etiam apud nos fuerunt qui tale quid luderent.

§ 20. Appellat Πολυπρέποντα τὸν αὐλητήν. Est hoc nomen mihi caeteroquin incognitum et contra analogiam videtur formatum. Fortasse latet Πολυπέρχοντα, vel, si hoc mavis Πολυσπέρχοντα.

Digitized by Google

§ 21: κελεῦσαί οἱ ἔφη τὸν δεσπότην ἐν τῷ κοινῷ ἀναγνόντα εἰς ἐπήκοον ἅπασιν, ὀπίσω αὖθις ἀπαλλάττεσθαι. Apposite scribetur: ὀπίσω εὐθὺς ἀπαλλάττεσθαι.

§ 23: εἰπάτω τις αὐτῶν, τί ἐςι Φίλοσοφία; ἢ τὰ πρῶτα ταῦτα, τί διαφέρει σχέσις ἕξεως; Malim: τὰ πρόχειρα ταῦτα, quemadmodum recte legitur § 34.

§ 33: ἀπέλαυσε δὲ καὶ ὁ Ἴων τῆς γειτονήσεως οὐκ ἀνάξιος ὤν. Non concedo Fritzschio hanc sinceram scripturam esse; nondum enim Ion commeruit ut tam contumeliose tractaretur. Malim: οὐκ ἄξιος ὤν· non enim necesse videtur cum Iongio corrigere: οὐδὲν αἴτιος ὤν.

§ 35: ἀνέςραπτο οὖν τὸ πρᾶγμα. Ἀντιςροφὴ ea erat, nam philosophis rixantibus οἱ ἰδιῶται modeste ac silentio „rumorem in casa" spectabant. Hinc malo: ἀντέςραπτο.

§ 38: μέμνησό μοι τούτων διότι δή ἐςι καὶ ἐν αὐτοῖς χρήσιμον ἐν τοῖς λόγοις. Quantum video, Fritzschius a vero prorsus aberravit; scripserim equidem: ἐν τοῖς χρήσιμον, h. e. χρησιμώτατον. Cf. Fritzsch. Quaest. Lucian. p. 220.

De Syria Dea.

§ 12. De Deucalione legimus: ἐς ταύτην ἐσβιβάσας παῖδάς τε καὶ γυναῖκας ἑωυτοῦ ἐσέβη. Habuitne praeter Pyrrham etiam alias uxores? Nonne verius est γυναῖκα?

§ 13: δὶς ἑκάςου ἔτεος ἐκ θαλάσσης ὕδωρ ἐς τὸν νηὸν ἀπικνέεται. Non sponte provenit illa aqua, sed undique comportatur, unde malo: ἀγινέεται.

§ 14: τὰ δὲ γιγνόμενα δοκέει αὐτοῖσι ποιέεσθαι Δερκετοῦς καὶ Σεμιράμιος εἵνεκα. Lege: δοκέω.

§ 13. Traditur Stratonices historia. Medici verba sunt ad patrem: ἥδε ἡ νοῦσος τὴν ὁ παῖς ὅδε ἀρρωςέει, οὐ νοῦσός ἐςιν

Digitized by Google

ἀλλ' ἀδικίη. Quaenam illa iniustitia est? Nihil lucis dabunt quae adduntur: ὅδε γάρ τοι ἀλγέει μὲν οὐδέν, ἔρως δέ μιν καὶ φρενοβλάβεια ἔχει. Nisi me omnia fallunt, latet vocabulum μαλακίη, de cuius potestate vide quae habet Stephanus.

§ 20: εἰ μὴ ἔγωγε πᾶσαν αἰτίην κακοῦ ἀποθήσομαι. Praestabit: ἀπωθήσομαι. Cf. varias lectiones Epist. Saturn. 16.

§ 22: ἀπειλούσης δὲ μέγα τι κακὸν ἑωυτὴν ἐργάσασθαι. Satis est locum describere: apparet quid velim.

§ 27: καὶ ἔτι ἐς τιμὴν ἐν τῷ ἱρῷ Κόμβαβος χάλκεος. Immo legendum est ἕςηκεν, cf. Iong. p. 98.

§ 41: ἐν δὲ τῇ αὐλῇ ἄφετοι νέμονται βόες μεγάλοι καὶ ἵπποι καὶ αἰετοὶ καὶ ἄρκτοι καὶ λέοντες. Ridicula aquilarum mentio; scribe vocabulum uncialibus literis et ἔλαφοι emergent.

§ 42. Sacerdos πορφυρέην τε μοῦνος οὗτος φορέει καὶ τιάρῃ χρυσέῃ ἀναδέεται. Praestabit perfectum ἀναδέδεται.

§ 48. Omnem fidem superat quod legimus: ἔςιν ἀλεκτρυὼν ἱρός, οἰκέει δ' ἐπὶ τῇ λίμνῃ, ὃς ἐπεὰν σφέων δέξηται τὰ ἀγγήια τήν τε σφρηγῖδα ὀρῇ, κτέ. Plane requiritur: ἔςι Γάλλος estque ea in paucis memorabilis corruptela. Iam Palmerius simili modo eam sanare voluerat.

§ 49: δένδρεα μεγάλα ἐκκόψαντες ἐν τῇ αὐλῇ ἐςᾶσι. Quidni ἑςᾶσι?

§ 51: τὰ δὲ πολλὰ ἕτεα, ἐμοὶ δοκέει, διὰ τοῦτο ἕςηκε. De gladiis hoc dictum; sed quid est ἕτεα? Intelligam: ὀρθά.

Demosthenis Encomium.

§ 2: δοκῶ μοι τῆς εὐροίας τὸν Ὅμηρον ἐπιγράψασθαι. Lege: ἐπιγράψεσθαι.

Digitized by Google

§ 24: *τὸν οὖν Παύσωνα τοῦ πίνακος τὰ μετέωρα κάτω περιαγαγόντα τῷ παιδὶ τὴν γραφὴν ἐπιδεῖξαι κελεῦσαι.* Hic primum evolvamus Cobeti *Var. Lect.* p. 90, qui apud Lucianum adv. Indoct. § 1: *οἶει μὲν γὰρ ἐν παιδείᾳ καὶ αὐτὸς εἶναί τις δόξειν σπουδῇ συνωνούμενος τὰ κάλλιστα τῶν βιβλίων. τὰ δέ σοι περὶ τὰ κάτω χωρεῖ*, reposuit: *περὶ κάτω χωρεῖ*, quemadmodum *περιιέναι, περιίστασθαι ἐπὶ τὰ χείρω, εἰς τοὐναντίον* et similia dicuntur. Affert praeterea Strattidis fragmentum ap. Athen. XI p. 467 E:

οἶσθ' ᾧ προσέοικεν, ὦ Κρέων, τὸ βρέγμα σου;
ἐγᾠδα, δίνῳ περὶ κάτω τετραμμένῳ.

Photius quoque testis est in voce: *περὶ κάτω τραπήσεται· ἀντὶ τοῦ περιτραπήσεται κάτω, συνήθως λέγουσι.* Quo hoc Cobetus tempore scribebat, in uno praeterea loco fraudem deprehenderat, nempe apud Aristophanem in Eccles. vs. 730:

χώρει σὺ δεῦρο κιναχύρα καλὴ καλῶς
πολλοὺς κάτω δὴ θυλάκους στρέψασ' ἐμούς,

sed quemvis Aristophanis amicum adigit scripseritne:

πολλοὺς περὶ κάτω θυλακοὺς τρέψασ' ἐμούς.

Octo annis post, *Mnem.* 1862 p. 174, novum locum indicavit, nempe apud Platonem Rep. p. 59 B: *ἡδοναῖς τε καὶ λιχνείαις περὶ τὰ κάτω στρέφουσι τὴν τῆς ψυχῆς ὄψιν*, ubi itidem emendavit: *περὶ κάτω στρέφουσι*, nec videtur animadvertisse hanc ipsam esse lectionem codicis Parisini. Supervenit Madvigius qui *Advers.* p. 27 Cobeti immemor primum Platonis locum ex Parisino libro similiter perpurgavit; deinde indicavit Plutarch. Moral. p. 943 D, ubi editores ex interpolatis codicibus exhibuerant: *ἐνίας δὲ καὶ τῶν ἐκεῖ (ψυχῶν) περὶ τὰ κάτω τρεπομένας οἷον εἰς βυθὸν αὖθις ὁρῶσι καταδυομένας*, donec Bernardaces post Madvigium edidit: *περικάτω*, sic enim amat scribere ut unum vocabulum sit. Itidem in *Adv.* p. 576 tractavit Plutarchi locum in vita Alcibiadis 13: *κατὰ τοῦ Ὑπερβόλου τὴν ὀστρακοφορίαν ἔτρεψεν.* „Codices", inquit, „*τῷ Ὑπερβόλῳ κάτω τὴν ὀστ. ἔτρ.*, quod ex illo non ortum esse manifestum est. Aut *τῷ Ὑπερβόλῳ περικάτω τὴν ὀστ. ἔτρ.* Plutarchus scripsit, aut, quod minus credo, *κάτω ἔτρεψεν* eodem ferme significatu dixit." Sed nec mihi haec correctio placet et scribit Cobetus *Mnem.* 1878 p. 166: „in omnibus libris est *τῷ ὑπερβόλῳ κάτω*, in quo quid

Digitized by Google

lateat neque Madvigius reperire potuit et ego diu frustra quaesivi." — Quae hisce duumvirum copiis addere possum, pauca sunt. Videor olim alium praeterea locum in Plutarchi Moralibus invenisse, ubi eadem locutio restituenda est, sed multum quaerens ubi legatur investigare non potui. Apud Dionem Cassium XL 18: *ἐς τὸν ποταμὸν ἀπὸ τῆς γεφύρας περιτραπὲν ἐνέπεσε*, haud satis scio an verba ad eandem normam refingenda sint. Sed in Luciani loco, a quo hanc disputationem exorsi sumus, minime ambigo quin scribendum sit: *τὰ μετέωρα περὶ κάτω ἀγαγόντα*.

§ 27: *οὐδέν τι περιτρέψας ἀλλ' ἐπ' αὐτῶν τῶν ὀνομάτων τε καὶ ῥημάτων ὑμῖν ἀναλέξομαι*. Lege: *παρατρέψας*.

§ 36. Appellat scriptor quisquis ille fuit *τὸν ζῆλον τῶν Μαραθῶνι καὶ Σαλαμῖνι κατειργασμένων*. Adverbia *Μαραθῶνι*, *Ἐλευσῖνι*, cett. satis nota sunt, de quibus tum alii dixerunt, tum Cobetus *Var. Lect.* p. 201 et *ἐν τῷ λογίῳ Ἑρμῇ* p. 242. Contra *Σαλαμῖνι* perraro invenitur: tres locos novi, quamquam ad eam rem per multos annos attenderim: Demosth. Symm. 30, Platon. Menex. p. 245 A et eum quem hic invenimus in Demosthenis Encomio. Cf. *Mnem.* 1882 p. 364. Itidem *Σαλαμῖνι* videtur inveniri in inscriptione vetusta C. I. A. IV. 1 p. 57: *οἰκεῖν ἐᾶν Σαλαμῖνι*, cf. Iudeich. Mittheil. Archaeol. Instit. Athen. Abth. XXIV p. 321.

§ 43. Stulte editur: *καὶ ἡμεῖς οἱ τεθεαμένοι διαφέρομεν οὐδὲν ἐκπλήξει τε καὶ ἀπιστίᾳ τῶν ὁρώντων*. Supplendum: *οἱ (ἐγγὺς) τεθεαμένοι — τῶν (πόρρωθεν) ὁρώντων*.

§ 46. Demosthenis postrema vox est: *οὐ καταισχύνω τὰς Ἀθήνας*. Requiritur futurum *καταισχυνῶ*. Eodem modo Hermot. 84 correxit Fritzschius Quaest. Lucian. p. 165.

§ 47: *Δημοσθένης δὲ εὐσχήμονος θανάτου βίον προκρινεῖ ἀσχήμονα τῶν Ξενοκράτους καὶ Πλάτωνος ὑπὲρ ἀθανασίας λόγων ἐκλαθόμενος*; Immo: *ὑπὲρ εὐθανασίας*. Solemne hoc vitium est. Legitur in Vaticano palimpsesto Polybii p. 79. 32 Heysii:

Digitized by Google

Λυκῖνος κάκιστος ὢν καλῶς κατέστρεψε τὸν βίον ὥστε τοὺς πλείστους εἰκότως ὀνειδίζειν τῇ τύχῃ διότι τὸ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἄθλον, τὴν εὐθανασίαν, τοῖς χειρίστοις ἐνίοτε περιτίθησιν· Maius absurde ediderat τὴν ἀθανασίαν, cf. Cobetus *Mnem.* 1862 p. 34. Idem Cobetus ἐν τῷ Ἑρμῇ Λογίῳ p. 226 indicavit locum Clementis Alexandrini: μυρία ὅσα δεδώρηται ἡμῖν ὁ θεὸς ὢν αὐτὸς ἀμέτοχος, γένεσιν μὲν ἀγένητος ὤν, τροφὴν δὲ ἀνενδεὴς ὢν καὶ αὔξησιν ἐν ἰσότητι ὤν, εὐγηρίαν τε καὶ ἀθανασίαν ἀθάνατός τε καὶ ἀγήρως ὑπάρχων, ubi vel caecus videbit εὐθανασίαν necessarium esse. Addo testimonium Imperatoris Augusti apud Suetonium c. 99: Quoties audisset cito ac nullo cruciatu defunctum quempiam, sibi et suis εὐθανασίαν similem, hoc enim verbo uti solebat, precabatur. — Etiam alios locos addere perfacile est: vide v. c. discrimen Deor. Concil. 6: Ἡρακλῆς οὐκ ὀλίγων πόνων ἐπρίατο τὴν ἀθανασίαν.

Deorum Concilium.

§ 6: ἀλλὰ καὶ ἄλλο τι περὶ σοῦ λέγουσι. Lege: ἀλλὰ καὶ ἄλλοτε ἄλλο τι. Cf. infra: ἐν ἄλλοτε ἄλλῳ σχήματι et § 3: ὡς πολλοὺς εἰκάζειν καὶ ἐφαρμόζειν ἄλλοτε ἄλλον τοῖς λεγομένοις.

§ 7. Momus loquitur: ἀλλ' ἐμπέπληκάς γε τὸν οὐρανὸν ἡμιθέων τούτων· οὐ γὰρ ἂν ἄλλως εἴποιμι. Convicium non est τοὺς ἡμιθέους ἡμιθέους appellare et coniicio legendum esse: τῶν ἡμιόνων τούτων. Sic demum recte sequitur: οὐ γὰρ ἂν ἄλλως εἴποιμι.

§ 14: ἐπιλέποιπε δὲ ἡ ἀμβροσία καὶ τὸ νέκταρ, ὥστε μνᾶς ἤδη τὴν κοτύλην εἶναι. Haec recte; sed perperam e margine in textum illatum fuit: διὰ τὸ πλῆθος τῶν πινόντων.

Cynicus.

§ 13: ὁ δὲ Θησεὺς οὐ βασιλεὺς ἦν πάντων Ἀθηναίων. Praefero: Παναθηναίων.

Pseudosophista.

§ 3. Luciani verba sunt: σὺ δ' ὑπὸ τῆς ἄγαν παιδείας διέφθορας, ὥστε μηδ' αὐτὸ τοῦτο σολοικίζοντα κατανοῆσαι. Soloecista non intelligit quid peccarit, nempe διέφθορας pro διέφθαρσαι et

Digitized by Google

reponit: *τοῦτο μὲν οὐκ οἶδα πῶς λέγεις· ἐγὼ δὲ πολλοὺς ἤδη σολοικίζοντας κατενόησα.* Itaque non fuit Lucianus qui post *κατανοῆσαι* addidit: *οὐ γὰρ πρόσεσιν αὐτῷ τὸ τίνα*, neque explicavit quodnam in *διέφθορας* inesset vitium. Vide nubem exemplorum apud Graevium et res est hodie in vulgus nota.

§ 5. Erat quidam Socrates *ὁ ἀπὸ Μόψου* dictus. Hic lepide redarguere solebat *τοὺς σολοικίζοντας·* veluti quum dixisset quis: *λῆμμα πάρεσιν αὐτῷ, διὰ τῶν δύο* MM, *Οὐκοῦν, ἔφη, λήψεται εἰ λῆμμα αὐτῷ πάρεσιν.* Tum lectoribus tum auditoribus inutiliter additum est: *διὰ τῶν δύο* MM· praeterea Socrates ille breviter et acute vitiorum quaeque notabat, quod exemplis ostenditur: hinc expungam quod languet: *εἰ λῆμμα αὐτῷ πάρεσιν.* Ceterum vide illud ipsum *λῆμα πάρεσι* Arist. Nub. 457 itemque quae copiose adnotavit Graevius.

§ 6: *ἐρομένου δέ τινος εἰ μελετήσει ὁ δεῖνα,* Πῶς οὖν, *ἔφη, ἐρωτῶν εἰ μελετήσομαι, λέγεις ὅτι ὁ δεῖνα*; Facile hoc intellectu est nec locum descripsissem, nisi etiam hodie esse viderem qui dubitarent de formis secundarum personarum in verbis mediis. Aperta tamen res est: indicativi modi formae sunt *βουλεύομαι, βουλεύει, βουλεύεται·* coniunctivi autem *βουλεύωμαι, βουλεύῃ, βουλεύηται*, vocalibus productis. Qui aliter statuunt, non intelligent quid Socrates dicat. Sed continuo sequitur: *ἀττικίζοντος δέ τινος καὶ τεθνήξει εἰπόντος ἐπὶ τοῦ τρίτου,* Βέλτιον, *ἔφη, καὶ ἐνταῦθα μὴ ἀττικίζειν καταρώμενον.* Contendere ausim haec verba non intellexisse Cobetum quum scriberet adnotationem post Orationem Inauguralem p. 46. Etenim, quod nemo dubitat, Atticae formae sunt *τεθνήξω, τεθνήξεις, τεθνήξει* itaque recte ille qui *ἐπὶ τοῦ τρίτου* dixerat *τεθνήξει.* Socrati tamen, quamquam hoc optime nosset, errasse visus est. Cur tandem? Scilicet noviciae formae sunt Graeculis usurpatae: *τεθνήξομαι, τεθνήξει* vel *τεθνήξῃ* si hoc mavis, *τεθνήξεται.* Itaque qui *ea aetate* dicebat *τεθνήξει*, etiamsi *ἐπὶ τοῦ τρίτου* usurparet, videbatur *καταρᾶσθαι* ei quocum colloquebatur: hinc Socrates ei auctor fuit ut, spreto Atticorum usu tertia persona pronunciare mallet: *τεθνήξεται.* Hoc est illud: *βέλτιον ἐνταῦθα μὴ ἀττικίζειν.* Hinc ipse Lucianus Dial. Mort. VI. 2: *τεθνήξεται τῶν γερόντων ἕκαστος.*

Digitized by Google

§ 8: *κἀγὼ μὲν καλῶ τοὺς βελτίσους εἶναι ὄλους.* Lege: *τοὺς βελτίσους θεῖν.* Respicit metaphoram quam § 4 ab lepore duxerat.

§ 9. Interpolata verba sunt: *ἔοικε δὲ σολοικίσαι τὸ νυνδὴ γενήσομαι.* Verbum non addam.

Philopatris.

§ 3: *καὶ γὰρ κνήμην γαστέρα τεθέασαι καὶ κεφαλὴν κύουσαν καὶ ἀνδρείαν φύσιν ἐς γυναικείαν ἐνεργοβατοῦσαν.* Praefero: *γαστροκνημίαν.* Cf. Ver. Hist. I. 22. Ostendi *Mnem.* 1900 p. 87, quomodo librarii composita in partes dissecare soleant.

§ 4: *Σὺ μὲν πάντα παρέδραμες τὰ τοῦ Διός, ἀλλ', εἴ σοι φίλον, ἄκουε.* Melius: *Εὖ μὲν πάντα.*

§ 13. Supplendum: *καὶ (θεὸς) ἔστιν ἐν οὐρανῷ βλέπων δικαίους τε καὶ ἀδίκους.*

§ 29: *τοῦτο ἀρκεῖ τοῖς παισίν, αἱ ἡμέραι τοῦ αὐτοκράτορος.* Scribam: *εὐημερία τοῦ αὐτοκράτορος*, i. e. Imp. Nicephori Phocae.

AD TACITUM.

Ann. VI, 4 Seiani filiola, ubi ad mortem agitur, lamentatur: *neque facturam ultra et posse se puerili verbere moneri.* Mire dictum videtur *puerile verber*, sive scriptor ipse hunc flosculum excogitavit pro vulgato *ferula*, sive eiusmodi locutione puellam fingit utentem. Neque sine causa suspectam esse lectionem duae res indicio sunt: 1° rarissimum est *verber* in sing.; apud Tac. praeterquam hoc loco bis tantum invenitur: Ann. VI, 24, G. 19 (utrobique de poena gravissima). 2° in codice est *puerilimo verbere monerit*, quorum vitiorum nasci non potuisset prius (nam *monerit* e dittographia ortum) si vera esset lectio quam praebent editiones. Quid ergo scripsit Tacitus? Nempe *puerili modo moneri.* Medicei librarius ante oculos habebat *puerili* $\overset{\text{verbere}}{\text{m}}$ *moneri* et cuncta fideliter exscripsit. En iterum emblema ineptissimum in Tacito, quod manifesto tenetur (cf. de Emblematis in Plat. p. 3).

J. J. H.

Digitized by Google

AD TITULOS ACRAEPHIENSES.

SCRIPSIT

H. VAN GELDER.

Tituli Acraephienses cum iam pro exiguitate urbis sat multi exstarent, hisce postremis annis iis, qui antea innotuerant, numerum repente adiecit minime contemnendum vir doctissimus Paul Perdrizet. Duce fortuna usus, quae in talibus rebus viam saepe monstrat, lapides haud minus triginta eruit, quos deinde qua solet esse diligentia et acuta sollertia commentario instructos copiosissimo edidit in diario, quod inscribitur Bulletin de Correspondance hellénique (22. 241—260; 23. 90—96; 193—205). Laudandus profecto est, qui inscriptiones vix in lucem extractas publici iuris esse voluerit, qui multa congesserit ad eas interpretandas utilissima. Cum tamen plurima elaboravisset, nonnulla, quae leviter perstringere maluit quam penitus in illa se abdere, aliis retractanda reliquit. Si verbi causa studiosissime titulos nuper a se repertos cum iis contulisset, quos iamdudum Acraephienses esse cognoveramus, de temporum ratione, quae inscriptiones huius urbis haud paucas inter sese coniungit, plura ac certiora profecto nos docuisset quam quae nunc invenire ei contigit. Coniecturis deinde emendare et suas lectiones et eorum, qui ante eum titulis Acraephiensibus operam dederant, interdum potuisset satis certis. Quae quamvis parvi sint facienda ad ea, quae nobis largitus est, observatu tamen non prorsus sunt indigna. Titulis Acraephiensibus identidem exploratis universis paucula in sequentibus proferam ad interpretationem emendationemque horum lapidum pertinentia.

Digitized by Google

Initium faciamus a catalogo epheborum, cui inter „Inscriptiones Graeciae Septentrionalis" locum bis millesimum septingentesimum sextum decimum Dittenberger assignavit (= Michel Recueil no. 624). Praemittitur catalogo hoc caput: „Δορκύλω ἄρχ[οντος] Βοιωτοῖς, ἐ[πὶ δὲ πόλι]ος Νι[κ]αρέ[τ]ω, | πολεμαρχιό[ν-τ]ων Ἀργιλίαο Λαονι[κίω], Ἀριστογίτονος | Ξενωνίω, Πτωϊοκλεῖος Ἀθανο[δω]ρίω, γραμματίδδοντος | Πολυξένω Διογενίδαο." Sollemnia talia exordia sunt in titulis decreta publica Acraephiensium exhibentibus; nec desunt in aliis civitatibus Boeoticis, occurrunt quoque apud Orchomenios, apud Hyettios, apud Lebadenses. Dubitari tamen hoc loco potest, utrum τοῦ κοινοῦ τῶν Βοιωτῶν hi polemarchi fuerint qui enumerantur, an singularum civitatum in quarum titulis sese offerunt. Vulgaris opinio haec est, civitatum magistratus eos fuisse, in quarum titulis memorantur. Quam opinionem, ne ceteros viros doctos laudem, qui in studium titulorum Boeoticorum incubuerunt, tuentur Holleaux et Dittenberger; nec quemquam invenio, qui in contrariam viam abierit. Est sane haec sententia verisimilior, certa tamen non est. Praecipue ea re commendatur, quod disertis verbis in titulis qui aetatem tulerunt polemarchi Acraephienses laudantur (IGS 1 no. 4131_{24}; 4138_{7}), quod nulli polemarchi hucusque innotuerunt qui σύμπασι Βοιωτοῖς praefuerunt. Obstant tamen alia vi non omnino carentia. Suspicionem primam mihi movebat, quod semper in titulis Acraephiensibus, Orchomeniis, Hyettiis, Lebadensibus tres numero hi polemarchi fuisse inveniuntur; quae res per se intellegitur, si magistratus fuerunt τοῦ κοινοῦ τῶν Βοιωτῶν, minus facile tamen explicatur, si magistratum gesserunt in singulis civitatibus. Supervenit alia res paulo gravior. Duo sunt praescriptionum genera, quibus tituli Acraephienses, Orchomenii, Hyettii, Lebadenses ornantur. Alterum quomodo sese habeat, modo exposui, cum caput exscriberem inscriptionis IGS 1 no. 2716; plures tamen tituli sic incipiunt (exemplo mihi sit exordium tituli IGS 1 no. 2718): „Ἀγασσιγίτονος ἄρχοντος, | πολε[μ]αρχιόντων Καλοκλίδαο Μαν|[τ]ιξέν[ω], Νίκωνος Μελίσσω, Ἀμφικρίτω Γλαφ|ο[ρ]ίδαο, γραμματίδδοντος Χωροφίλω Φιλομείλ|λω." Videtis quid intersit: in altero genere ἄρχων memoratur Boeotorum, deinde ἄρχων Acraephiensium etc., in altero non nisi unus ἄρχων designatur. Explicari res hoc modo solet:

Digitized by Google

tituli, quibus longior praescriptio praemittitur, ceteris antiquiores esse videntur. Quae explicatio probabilis admodum est, neque ideo certa. Possis etiam sic explicare: tituli, qui praefectum Boeotorum memorant, deinde praefectum urbis, illis temporibus inscripti sunt, cum τοῦ κοινοῦ τῶν Βοιωτῶν omnia in Boeotia essent, cum a Thebanis ceterae civitates penderent; tituli, qui praefectum Acraephiensium tantummodo laudant, illorum temporum memoriam servant, cum liberi a Thebanis Acraephienses essent, cum nullam vel exiguam vim haberet foedus Boeotorum. Unde facile efficitur, polemarchos scribasque, qui in altero genere inscriptionum enumerantur, συμπάντων Βοιωτῶν fuisse, alteros contra Acraephiensium. Non affirmaverim, hanc explicationem veram esse; gravissimum tamen huius rei subsidium peti videtur ex titulo, a quo haec disputatio initium cepit, ex inscriptione IGS 1 no. 2716. Nam polemarchorum trium, qui in capite huius tituli recensentur, Ἀργιλίας Λαονίκιος Orchomenius fuisse videtur, non Acraephiensis. Recurrit enim in inscriptione Orchomenia nobilissima IGS 1 no. 3206_{15} (= Michel no. 1112). Quod nullo negotio explicatur, si τοῦ κοινοῦ τῶν Βοιωτῶν fuerunt hi polemarchi, nullo modo, si Acraephiensium.

Titulum illum memorabilem Orchomenium IGS 1 no. 3206 [1]) equites nonnulli lapidi incidi iusserunt, qui cum Alexandro rege rem in Asia gesserant („Τοὶ ἱππότη τοὶ ἐν τὰν Ἀσίαν στρατευσάμενοι βασιλεῖος Ἀλεξάνδρω στραταγίοντος"). Longa serie multi homines enumerantur; quorum duos, Θοίνωνα Τιμογιτόνιον et Μνασίδικον Ἀθανοδώριον, in aliis lapidibus Boeoticis recurrere, iam observavit Dittenberger (ad IGS 1 no. 2723 et 3175). De nostro homine, in titulo IGS 1 no. 2716 recurrenti, vocem premit; nisi quod in „Indice nominum propriorum", quem

1) Hunc titulum sic explevit Dittenberger versu sexto: „Δορκείδας Μελαμβί[χιος, Πολο]|ύξενος Ξενοτίμιος". Μελάμβιχος nomen proprium est, quod non nisi semel occurrit (in inscriptione Lebadensi IGS 1 no. 3065); verisimilior est restitutio Μελάμβι[ος]. Versu septimo Ἀντιγενίδας Σιμού[λιος] suppletur. Quidni Σιμου[λίνιος] vel Σιμού[ρτιος]? Nomen ad nos pervenit Σιμυρτίου Ἀθανίαο Ἐρχομενίου (IGS 1 no. 3180). Nostro quoque loco civis Orchomenii nomen requiritur. Admirationem denique movet, cum equites omnes patronymicis designentur, solum Ἀπολλόδωρον Τελέσταο (vs. 11) ab hoc usu recedere. Fuitne re vera Τελέσταο in lapide, sicut tradidit Foucart?

Digitized by Google

copiosissimum „Inscriptionibus Graeciae Septentrionalis" adiunxit, diversum hunc ab illo fuisse censet, alterum Ἀργιλίαν Λαονίκιον Orchomenium fuisse iudicans, alterum Acraephiensem. De hac re tamen statim addubitabam, num verum vidisset vir doctissimus. Nam casui non nimis multum dandum est in rebus humanis, nomina propria paulo rariora sunt et Ἀργιλίας et Λαόνικος. Quis facile sibi hoc persuadeat, cum apud Orchomenios fuisse Ἀργιλίαν Λαονίκιον aliquem, tum apud Acraephienses? Optio est facienda: aut Acraephiensis erat aut Orchomenius. Argumenta tamen etiam validiora desiderabit quispiam. Quid, si secundo exemplo uti licet hominis eiusmodi, qui in catalogo nostro Orchomenio enumeretur, deinde polemarchi munere fungi tradatur in titulo, qui profecto Orchomenius non est? Est titulus Copaeus, quo tirones recensentur civitatis Copaeae (IGS 1 no. 2781 = Michel no. 625), cuius initium hoc est: „[Θι]ός. Μελαντίχω ἄρχοντος, τοῖ ἀπεγράψαντο ἐν ὁπλίτας, πολεμαρχιόντων Ϝαναξίωνος Σαώνδαο, etc.". Nomen proprium rarissimum Σαώνδας est, rarum Ϝαναξίων. Hunc autem Ϝαναξίωνα Σαώνδαο, quem polemarchum fuisse invenimus in titulo Copaeo, iterum laudat lapis idem Orchomenius: hic quoque inter equites fuit, qui in Asia sub Alexandro stipendium meruerant (IGS 1 no. 3206_{13}). Ne mihi obiciatur, in inscriptione Copaea, cuius subsidio nitor, ἄρχοντος Boeotorum omnium omnino mentionem non fieri, polemarchum igitur τοῦ κοινοῦ τῶν Βοιωτῶν nullo umquam modo esse potuisse Ϝαναξίωνα. Haec observatio valeret, si de titulo Orchomenio sermo esset, de titulo Acraephiensi, Hyettio, Lebadensi. Apud Copaeos contra, Plataeenses, Thespienses, Thisbenses, Haliartios, Coronaeos, Chaeronenses, qui aeque Thebanorum legibus interdum, ne dicam vulgo, subjecti erant ac ceteri Boeoti, in praefationibus titulorum, quotquot aetatem tulerunt, nusquam ἄρχων Boeotorum memoratur, nec causa certa ergo impedimento est, quin archontes, polemarchos, scribas ibi laudatos foederis Boeotici magistratus fuisse sumamus. Verisimilius quidem videtur, singularum civitatum eos fuisse, possunt tamen τοῦ κοινοῦ fuisse. Ut ad Ϝαναξίωνα nostrum redeamus, etiam de hoc homine Dittenberger in „Indice" scripsit, duos fuisse Ϝαναξίωνας Σαώνδαο, alterum Copaeum, alterum Orchomenium. Cui tamen sic scribenti fides est deneganda: aut Or-

Digitized by Google

chomenius fuit Φαναξίων, aut Copaeus, nulla optio relinquitur. Si tamen Orchomenii fuerunt Ἀργιλίας Λαονίκιος et Φαναξίων Σαώνδαο, polemarchi, qui in praescriptionibus celebrari solent titulorum Boeoticorum, polemarchi non sunt intellegendi civitatum, in quarum titulis occurrunt, sed τοῦ κοινοῦ τῶν Βοιωτῶν.

Quae res, si vera quidem esse potest, veritatis speciem tamen prae se non fert. Iam dictum est de testimoniis titulorum ipsorum, quae obstare videntur, iam dictum de virorum doctorum sententiis, quae omnes discrepant. Altera ratio restat, qua difficultates tollere posse videmur. Fac, Orchomenios non fuisse Ἀργιλίαν et Φαναξίωνα, fac, alterum fuisse Copaeum, priorem Acraephiensem. Nec vero hanc viam expeditam esse mox patebit; lubrica est, sicut altera. Orchomeni enim repertus est titulus IGS 1 no. 3206; et omnes, qui hunc catalogum ediderunt, qui ei operam dederunt, in ea re consentiunt, Orchomenios ibi recenseri, ac solos Orchomenios. Cum quibus libentissime facerem, nec dubitarem, quin hanc opinionem altera longe verisimiliorem, quin fere certam esse acciperem; sed refragatur, quod tunc nullo modo Acraephiensis fuit Ἀργιλίας, Copaeus Φαναξίων. Causam probabilem frustra quaerimus, quare Copaeus, quare Acraephiensis in hoc titulo Orchomenio occurrant, quare Orchomeni in urbe catalogum ipsorum dedicaverint equites Boeotici cuncti, qui anno 329 ex Asia redierant; sic tamen rem sese habuisse, non solos Orchomenios enumerari, credendum est, nisi forte altera via ingrediendum esse censueris, polemarchos, in praefationibus titulorum laudatos, Βοιωτῶν fuisse συμπάντων. Verum utro verteris, difficultas aliqua remanet, quam facilius digito monstraveris quam prorsus eliminaveris.

Hac disquisitione ad finem perducta iam revertamur ad eius originem, ad inscriptionem IGS 1 no. 2716. Nullo certo indicio nisus Dittenberger praeeunte Holleauxio medio saeculo tertio eam assignavit. Nunc autem apparet, antiquiorem titulum esse. Nam IGS 1 no. 3206, catalogus ille equitum, qui Alexandri fortunam in Asia secuti erant, pretiosissima inscriptio hoc nomine praecipue nobis est, quod inter paucas illas est, in Boeotia repertas, quarum aetas accurate cognosci potest. Anno 329

Digitized by Google

exaratam eam esse certis argumentis evicit Foucart, qui solus nostrorum hominum lapidem nunc deperditum vidit; neque umquam quisquam oblocutus est. Ἀργιλίας igitur Λαονίκιος, qui anno 329, ex Asia redux, donarium in templo Orchomenio vovit, non ita multo post annum 310 polemarchus sive Acraephiensium sive foederis Boeotici fuit. Nisi forte nepos potius intellegendus est titulo nostro vel pronepos Ἀργιλίαο Λαονικίω, qui nomine designabatur eodem, circa initium ergo saeculi tertii incisus est IGS 1 no. 2716.

Idem valet de titulo Acraephiensi IGS no. 2724 b (= Michel no. 1107), quo, uti iam annotavit Dittenberger, Θοίνων Τιμογιτόνιος Ἐρχομένιος laudatur, cuius nomen in catalogo equitum recurrit (IGS 1 no. 3206_9); idem de titulo Copaeo, qui Ϝαναξίωνος Σαώνδαο memoriam servavit (IGS 1 no. 2781). Solebat hucusque haec inscriptio ei temporis spatio adscribi, quod est inter saeculi tertii initium et medium illud saeculum. Paulo antiquiorem tamen lapidem esse iam patet.

E numero inscriptionum, quas nuper ex Ptoi montis visceribus effodit Perdrizet, catalogi epheborum Acraephiensium octo sunt (BCH 23. 193 sqq. no. 1—8), de quorum aetate nunc disputare libet. Paucula quidem iam Perdrizet disseruit, haec tamen non omnia aeque feliciter. Sic verbi causa catalogi eius tironum, quem edidit BCH 23. 198 no. 6, aetas non recte definiri videtur „aux alentours de 215" (l.l. p. 205), paulo antiquior habendus est lapis. Namque ex polemarchis tribus, qui olim in catalogo illo legebantur, unius tantum nomen integrum ad nos pervenit; Πτωϊοκλεῖς is est Ἀθανοδώρω. Hunc hominem tamen agnoscere videmur; in catalogo enim IGS 1 no. 2716, quem modo demonstrabam anni fere 300 esse, eius nomen recurrit (vs. 3).

Recurrit quidem nomen; recurritne quoque homo idem? Nihilne distabant Πτωϊοκλεῖς Ἀθανοδώριος et Πτωϊοκλεῖς Ἀθανοδώρω? Crediderim fere, alterum alterius fuisse nepotem, inscriptionem igitur IGS 1 no. 2716 anno ± 300, BCH 23. 198 no. 6 anno ± 240 esse assignandam. Argumento primo eiusmodi utar, qualia hucusque in aetate titulorum Boeoticorum definienda usurpari vulgo solebant: alteram inscriptionem alteri aetate

Digitized by Google

paululum antecedere perhibuerim, cum dialecto, qua enuntiatae sunt, leviter inter sese differant, cum in priore titulo formae grammaticae occurrant vere Boeoticae, magis a communi Graecorum sermone abhorrentes, cum patronymica adhibeantur in hominibus designandis, quae in titulo altero omnino desunt. Accedit tamen etiam alia res. Polemarchus fuit Πτωϊοκλεῖς Ἀθανοδώριος, polemarchus quoque Πτωϊοκλεῖς Ἀθανοδώρω. De quo magistratu nihil fere novimus; ne hoc quidem constat, sintne polemarchi intellegendi Acraephiensium an cunctorum Boeotorum. Liquido tantum apparet, maximi momenti fuisse magistratum. Si unus homo est accipiendus in inscriptione utraque, aut prorogata polemarchia ei fuit aut bis hoc munere functus est. Quae quidem absurda non sunt neque est quin fieri potuerint; verisimilius tamen videtur, magistratum maximi momenti in civitate libera Graeca nec prorogatum umquam fuisse nec bis terve homini eidem concessum. Verum si haec recte coniectata sunt, Πτωϊοκλεῖς alter ab altero diversus est, alterius nepos fuisse videtur.

Hic titulus BCH 23. 198 no. 6, uti recte iam scripsit Perdrizet, non amplius uno anno distat a catalogo epheborum BCH 23. 198 no. 7; nam titulum utrumque lapis idem exhibet. Paulo recentior tamen catalogus est, cui locum omnium ultimum assignavit vir doctissimus (BCH 23. 200 no. 8). Φιλοκλίδας enim Ἀσκλαπίνω, qui in catalogo BCH 23. 198 no. 7 tiro est, prima stipendia meriturus (vs. 17), catalogo, qui locum octavum obtinet, in capite praemittitur, scribae munus administrans („γραμματίδδοντος Φιλοκλίδαο Ἀσκλαπίνω"; vs. 3). Circa annum 210 lapidi ergo commissus est BCH 23. 200 no. 8. Aetas deinde cognosci quoque potest catalogi eius, qui legitur BCH 23. 193 no. 1. Nam polemarchus, uti docet BCH 23. 200 no. 8_2, circa annum 210 fuit Ἀμινοκλεῖς Θέμωνος. Quem hominem recurrere videmus in titulo BCH 23. 193 no. 1_6, qui decimo fere anno ante incisus esse inde efficitur: scriba polemarchorum tunc erat.

Catalogus epheborum BCH 23. 193 no. 2, quem iam vidit Perdrizet unius anni intervallo separari ab catalogo praecedenti no. 1 (marmori enim eidem insculpti sunt), ansam nobis praebet discernendi, num vere haec omnia hucusque disputata sint. Si

Digitized by Google

vera est argumentatio, qua utebar, circa annum 220 incisus est hic catalogus BCH 23. 193 no. 2, circa annum 240 catalogus BCH 23. 198 no. 6. In titulo priore polemarchum, id est hominem aetate provectiorem, offendimus Ἐπιχάρη Λιούσωνος (vs. 6); in altero catalogo ephebi alicuius mentio fit Λιούσωνος Ἐπιχάριος (vs. 7), qui sine dubio polemarchi supra laudati filius maximus natu fuit.

Inter ephebos, qui memorantur BCH 23. 198 no. 6, memorabilis quoque is est, qui locum ultimum obtinet, Ἀθανίαν volo Πουθίωνος (vs. 9). Nam in catalogo, de cuius aetate hucusque nihil omnino indagari poterat, in inscriptione BCH 23. 195 no. 3, nomina eadem recurrunt; Πουθίων ibi laudatur Ἀθανίαο. Quem quis dubitaverit nostri hominis sive patrem sive filium agnoscere? Filium eum fuisse, ex sequentibus apparebit. Natus est Ἀθανίας circa annum 260, natus Πουθίων filius circa annum 235. Polemarchum hunc fuisse docet BCH 23. 195 no. 3_3; insculpta est ergo haec inscriptio circa annum 180.

Ambagibus longioribus opus est, ut demonstrem Πουθίωνα Ἀθανίαο polemarchum Ἀθανίαο Πουθίωνος tironis filium fuisse, non patrem. Exponendum est, hunc Πουθίωνα, cum polemarchi munus suscepisset, collega usum esse Ἀπολλοδώρῳ Γασάνδρω, hunc Ἀπολλόδωρον iterum memorari in inscriptione IGS 1 no. 2720, hanc inscriptionem sub annum 210 exaratam esse, prima stipendia tunc meruisse Ἀπολλόδωρον, aetate igitur fuisse polemarchiae gerendae apta circa annum 180.

Inter singulos catalogos epheborum IGS 1 no. 2718, 2719, 2720 et 2721, qui lapide eodem continentur, singulos tantum annos intercedere, rectissime iam observaverunt Dittenberger et Perdrizet. Nec minus recte Perdrizet annotavit (BCH 23. 204), aetatem tituli IGS 1 no. 2718 pendere ab aetate tituli BCH 23. 198 no. 6, sic tamen ut haec illi tempore praecedat. Καλχαλίδας enim Μαντιξένω, qui in altero titulo tiro est (vs. 8), ad polemarchi honorem elatus recurrit in priore (vs. 3). Circa annum 240 incisam esse comperimus inscriptionem BCH 23. 198 no. 6; exeunti saeculo tertio tribuendi igitur sunt catalogi IGS 1 no. 2718—2721.

In catalogo IGS 1 no. 2720 praeter ceteros adolescentes, qui militiam capessunt, ora nostra in se convertit Ἀπολλόδωρος

Digitized by Google

Fισάνδρω (vs. 15). Namque, uti dixi, recurrere eius nomen videtur in titulo recens reperto BCH 23. 195 no. 3, quo titulo polemarchus quidam laudatur Ἀπολλόδωρος Fασάνδρω (vs. 4). Hunc lapidem Perdrizet exscripsit, illum Lolling; utri vitium oculorum imputandum sit, quod α cum ι confuderit, diiudicari adhuc non potest. Lapides iterum perscrutandi sunt; fortasse tunc patebit, lectionem utriusque valere, sed lapicidam iam antiquitus in altero lapide peccavisse. Nam — hoc mihi fere constare videtur — error latet nescio quis, hominem eundem in inscriptione utraque tenemus. Quod certe mirum in modum conspirat cum iis, quae supra de aetate tituli utriusque apparuerunt. Catalogus enim IGS 1 no. 2720 circa annum 210 incisus est, polemarchus itaque fuit Ἀπολλόδωρος Fασάνδρω circa annum 180. Πουθίων Ἀθανίαο, qui polemarchus simul cum eo fuit (BCH 23. 195 no. 3_3), sive filius sive pater fuit Ἀθανίαο Πουθίωνος, quem anno circiter 240 ephebis Acraephiensibus adscriptum esse novimus.

Restat, ut de aetate dicamus catalogorum BCH 23.196 no. 4 et 5. Quae inscriptiones idcirco tempore inter sese non distant, cum in lapide eodem sese excipiant. Initium disputationis est faciendum ab inscriptione IGS 1 no. 4127 (= Michel no. 234). Demonstravit enim iam Perdrizet, supparem esse aetati tituli BCH. 23. 196 no. 5 hunc titulum IGS 1 no. 4127. Quae aetas tamen unde cognoscitur? Sollerti Holleauxii ingenio, qui primus lapidem edidit, iampridem contigit, cum hac inscriptione aliam conferre. Vidit enim, Δινόμαχον Χιοννίδαο polemarchum, qui in capite tituli IGS 1 no. 4127 laudatur, Χιοννίδαο Δινομάχω, cuius legem inter Acraephienses ferentis memoriam servavit inscriptio IGS 1 no. 2708 (= Michel no. 233), sive patrem sive filium fuisse. Filium, non patrem fuisse nunc ostendam. Titulus IGS 1 no. 2708 aetate non diversus est ab titulo praecedenti IGS 1 no. 2707; nam lapide eodem continentur. Frustum inscriptionis IGS 1 no. 2707 est: non amplius nomina quinque ad nos devenerunt. E quorum numero Σωκράτεις Εὐμείλω est (vs. 2). Hunc autem hominem aliunde cognovimus; recurrit enim in titulo IGS 1 no. 2721 (vs. 6). Aetas iam supra innotuit huius tituli: circa annum 210 lapidi commissus est. Quae probant, circa annum 210 exaratos esse titulos IGS I

Digitized by Google

no. 2707 et no. 2708, circa annum sive 240 sive 180 scripto mandatos titulos IGS 1 no. 4127 et BCH 23. 196 no. 5. Utra optio facienda sit, apparet ex observatione, a Dittenbergero rectissime ad titulum IGS 1 no. 4127 facta: annotavit enim, hoc titulo triginta fere annis recentiorem esse inscriptionem IGS 1 no. 4148, „quae inscriptio," ut verba eius laudem, „cum aliis de causis tum propter denariorum mentionem (vs. 9) anno 146 a. Chr. n. antiquior non est iudicanda."

Alia sunt, quae confirmant, circa annum 180 incisos esse titulos BCH 23. 196 no. 4 et 5. Iterum demonstratio procedat ab titulo cuius aetatem tenemus IGS 1 no. 2721. Tiro ibi laudatur Θιοτέλεις Μνασίππω (vs. 3); qui adolescens, postquam de patria bene meruit, deinde, uti docet inscriptio IGS 1 no. 2714_3, sagittariis praepositus est in exercitu Acraephiensium. Aetatem hinc deprendimus tituli IGS 1 no. 2714: circa annum 180 exaratus est. Diversus ab hoc aetate non est titulus IGS 1 no. 2715: marmori enim eidem insculpti sunt. Hic catalogus mutilissimus, cuius non nisi praescriptio superest, nomina propria duo exhibet, huic disquisitioni utilissima. Exordium enim tituli hoc est: „Πτωΐωνος ἄρχοντος, πολεμαρχιόντων Ξεν[ο]|κλίαο Ἀρκεσιλάω, Εἴρωνος Ξεναρτίχω", etc. Lectionem meliorem Ξεναντίχω (Ξεναρτίχω est apud omnes, qui hucusque lapidem ediderunt) felici Perdrizeti acumini debemus, qui simul vidit, Ξενάντιχον Εἴρωνος, qui in titulo BCH 23. 196 no. 4_5 ephebis Acraephiensibus adnumeratur, Εἴρωνος nostri sive patrem sive filium fuisse. Quem accipe filium, non patrem fuisse, et omnia optime sese habebunt. Nam anno circiter 180 incisus est titulus IGS 1 no 2714, anno fere eodem, uti modo inveniebamus, titulus BCH 23. 196 no. 4. Quis autem dubitet, quin, quo anno polemarchi munus administravit Εἴρων Ξεναντίχω pater, eodem fere temporis spatio militiam primam susceperit Ξενάντιχος Εἴρωνος filius?

Etiam tertia argumentatione idem de aetate edocemur titulorum BCH 23. 196 no. 4 et 5. Fuit tiro aliquis inter Acraephienses, cui nomen erat Διοδώρῳ Καφισοδώρω. Occurrit in titulo, quem circa annum 210 exaratum esse comperimus, IGS 1 no. 2720_{14}; laudatur autem in titulo BCH 23. 196 no. 4_6 Καφισόδωρος Διοδώρω tiro. Filium agnoscimus Diodori patris

Digitized by Google

novoque gaudemus testimonio, circa annum 180 incisos esse titulos BCH 23. 196 no. 4 et 5.

Titulus est IGS 1 no. 4132 (= Michel no. 236), quo publici honores decernuntur civi optime de Acraephiensibus merito Ξενοκλεῖ Ἀρκεσιλάου. Hic titulus e parvo numero eorum est, qui sermonem vulgarem exhibent, quo omnes Graeci utebantur. Hanc ob causam alteri secundi a. Chr. n. saeculi parti inscriptionem vindicavit Holleaux, qui primus edidit. Neque oblocutus est in re incerta Dittenberger neque Michel, neque ego habeo, quod melius proponam. Hos viros doctos tamen nescio quo casu fugit omnes, hominem, in cuius honorem scriptus est titulus recens repertus IGS 1 no. 4132, iamdudum innotuisse, vel saltem innotuisse videri, per catalogum tironum Acraephiensium, quem ceteris ordine praecedere voluit Dittenberger, IGS 1 no. 2715. Investigatum iam est de huius tituli aetate; incisus est circa annum 180. Exscriptum quoque est huius tituli initium, quo polemarchus laudatur Ξενοκλίας Ἀρκεσιλάω. Differtne Ξενοκλίας Ἀρκεσιλάω ab Ξενοκλεῖ Ἀρκεσιλάου? Nemo pro certo dixerit. Hoc constat, communi Graecorum sermone certe titulum IGS 1 no. 2715 expressum non esse. Coniecerim, Ξενοκλίαο Ἀρκεσιλάω, qui circa annum 180 vixit, Ξενοκλέα Ἀρκεσιλάου, qui altera secundi a. Chr. n. saeculi parte floruisse videtur, fuisse nepotem. Quod si ita sese habet, circa annum 120 scripto mandatus est titulus IGS 1 no. 4132.

Novem tironum catalogos effodit Perdrizet. E quibus octo, quorum aetatem iam exploratam habemus, edidit BCH 23. 194 sqq., omnium primum tamen edidit catalogum, qui legitur BCH 23. 92 no. 3. Huius tituli versus secundus memoriam servavit Ἡσχριώνδαο Πραξίλλιος. Hominis nomen recurrit in titulis IGS 1 no. 4147 et 4148, qui scripti sunt in honorem Αἰσχριώνδου Πραξίλλους. Hos titulos iam supra circa annum 140 incisos esse invenimus. Iterum ancipites haeremus, fueritne diversus ab Αἰσχριώνδᾳ Πραξίλλους Ἡσχριώνδας Πραξίλλιος necne. Cum vulgari Graecorum sermone edita sit inscriptio IGS 1 no. 4148, Boeotice autem loquatur BCH 23. 92 no. 3, crediderim fere, alterum hominem alterum avum salutavisse, alteram ergo inscriptionem anno esse conscriptam circiter 200, cum prior anni sit circiter 140.

Digitized by Google

Haec etiam aliunde confirmantur. Aetatem enim catalogi BCH 23. 92 no. 3 iam sic definivit Perdrizet, ut paululum discreparet ab titulo sequenti BCH 23. 94 no. 4, qui necessario ante annum 171 exaratus est; deinde saeculo alteri ineunti titulum assignandum sibi videri scripsit. Quae vera nimirum sunt. Accedit porro, quod Μαντίας Ἐπικλίος, quem haec inscriptio BCH 23. 94 no. 4 celebrat (vs. 12), filius fuisse videtur Ἐπικλίος Μναπίαο, quem saepius in titulo altero offendimus.

Filius Ἡσχριώνδαο Πραξίλλιος eius, qui titulo nostro laudatur BCH 23. 93 no. 3, Πραξίλλεις Ἡσχριώνδαο fuisse videtur, in cuius mentionem incidimus in inscriptione IGS 1 no. 4127_2, quam circa annum 170 insculptam esse iam comperimus, itemque in inscriptione BCH 23. 196 no. 5_{19}; scriba publicus is erat apud Acraephienses, deinde polemarchus, sicuti pater fuerat.

De tempore dictum est catalogorum, quos Perdrizeto debemus. Restant quaedam alia, quae annotare lubet. Sic verbi causa in hac inscriptione BCH 23. 92 no. 3_4 mentio fit adulescentuli alicuius Acraephiensis Πτωΐνο[υ] Εἴρωνος. Admirationem movet nomen ignotum Πτώϊνος (cf. Perdrizet BCH 23. 203); nullam tamen hoc loco video causam nominis mutandi vel abiiciendi. Subsidium ferre videtur titulus alius. Catalogus, a quo haec disputatio originem cepit, IGS 1 no. $2716_{\Pi 8}$, tironem laudat Εἴρωνα Πτωϊοτίμω. Si hunc ephebum cum altero comparas, Πτώϊνον et Πτωϊότιμον formas diversas nominis eiusdem esse fere dixeris. In brevius abisse Πτωϊότιμος videtur, cuius rei exempla pullulant in nominibus propriis Graecis, evasit deinde forma contracta Πτώϊνος.

In catalogo BCH 23. 193 no. 1 versum decimum sic explevit Perdrizet: „[Θιό]δοτος Ὀνασίχω". Cum tamen in catalogi eiusdem versu vicesimo primo legatur „[Φί]λων Θιοζότω", veriorem esse nominis formam existimaverim „[Διό]δοτος", ne laudem „[Ἰσί]δοτος" vel „[Ἰσό]δοτος", quorum nominum ad nostra tempora in Boeotia singulare tantum exemplum repertum est.

In catalogo eodem in nomine haereo paenultimo. [Φί]λων ibi memoratur Θιοζότω. Verisimilis quidem haec lectio est, certa vero non est. Nam Ϝίλων nomen proprium bis in titulis Boeo-

Digitized by Google

ticis occurrit; quod quominus suppleatur quid impedit? Laudatur Φίλλων Τειλεφάνειος Θειβῆος in titulis IGS 1 no. 2431_{10} et no. $2724\,d_6$, deinde Ἴλωνος Eretriensis memoriam servat titulus, qui invenitur Ἐφ. ἀρχ. 1887. 86 (= Ἐφ. ἀρχ. 1895. 134) II_{48}.

Quid sibi velit nomen decurtatum .ιμμεις Πεισίαο, hoc titulo traditum, haud facile pro certo quispiam dixerit. Conjecturam tamen proferre liceat fortasse non prorsus inutilem. Litera quae deest partim exstat; hinc efficitur, aut Α eam fuisse aut Δ aut Λ. Ἀείμνηστος nomen proprium Graecum est. Inde derivatur nomen muliebre Ἀϊμνάστα, cuius apud Tanagraeos invenitur exemplum (IGS 1 no. 748), quod in brevius contractum in formam abit Ἀϊμνώ (exemplum iterum praebent Tanagraei, IGS 1 no. 555). Uti Ἀϊμνάστα in novum nomen corripitur Ἀϊμνώ, sic Ἀΐμναστος (quae forma hucusque nondum reperta est) nullo negotio in nomen brevius comprimitur, quod Boeotis Ἀΐμνεις est. Huius nominis exemplum primum hoc loco fortasse tenemus. Ne multa dicam de litera N, ab viro doctissimo, qui lapidem exscripsit, nec tamen perspexit, quod nomen requireretur, iniuria in M mutata; quis enim miretur, hunc errorem facillime nasci potuisse?

In catalogo BCH 23. 194 no. 2 polemarchi mentio fit Νι..νο——. Nomen paternum obliteratum est, nominis polemarchi ipsius pars quaedam superest. Quid sit explendum rogamus. „Νι[κά]νο[ρος]" edidit Perdrizet. Haec coniectura incerta est, nam aeque bene loco nostro convenit Νι[κο]νό[μου]; verisimilis idcirco non est, cum inter milia multa Boeotorum, quorum nomina aetatem tulerunt, tres tantum quattuorve Νικάνορα nomen, per ceteros quidem Graecos late diffusum, gessisse inveniantur. Ambagibus longis opus non est: apud Acraephienses enim, quoad appellationes eorum ad nos devenerunt, si unum nomen Ἀπολλόδωρον excipis, nullum fortasse usitatius erat quam Νίκων. Quare non multum haesitaverim, loco nostro Νί[κω]νο[ς] reponere, quod si non verum, at certe longe verisimillimum est.

Huius inscriptionis versus octavus Μαντίαν laudat Πατροκλείιον. Scriba is erat publicus civitatis Acraephiensis. Patrem hunc hominem fuisse tironis eius, qui in titulo memoratur IGS 1 no. $2716_{\Pi_{16}}$, scripsit Perdrizet. Coniecerim equidem, filium eum fuisse. Nam circa annum 220 incisum esse diximus catalogum

Digitized by Google

BCH 23. 194 no. 2. Qui tunc scribae publici munere fungebatur, provectior utique aetate erat: natus esse videtur circa annum 280. Commissa lapidi videtur esse inscriptio IGS 1 no. 2716 circa annum 300; tirocinium igitur posuit Πατροκλεῖς Μαντίαο pater circa illum annum. Natus est circa annum 320 filiumque procreavit Μαντίαν Πατροκλείιον circa annum 280.

In titulo BCH 23. 195 no. 3 in adolescente haereo, cui nomen indidit Perdrizet Σκάλει Ἀγαθάρχω (vs. 11). Suspicionem movet nomen prorsus ignotum Σκάλεις. Explicare conatus est Perdrizet allatis locis Hesychii et Athenaei. Cui interpretationi unum tamen obest: quod in imagine lapidis, quam vir doctissimus, uti facere solent ii qui lapides edunt, transscriptioni suae praemisit, sine ulla controversia non est Σκάλεις, verum ΣΟΚΑΛΕΙΣ. Sane quid sibi velit Σοκαλεις nomen proprium, non magis intellego; leviter erravisse videtur Perdrizet, cum titulum exscriberet, nec facile diiudicaverit qui lapidem ipse non vidit, utrum in eo scriptum sit Σαυκλεῖς an Σαμοκλεῖς. Horum nominum utrumque in Boeotia offendimus.

In catalogo BCH 23. 196 no. 4 versui duodecimo hoc modo subvenit Perdrizet: „Ἀ[ριστο]κλεῖς Ἐπικούδιος, Θ[εόξε]ν[ος] Ξενοδόκω". Quidni Ἀ[ριστο- vel -μεινο]κλεῖς? Certe Ἀμεινοκλεῖς nomen proprium est apud Boeotos tritissimum. Deinde veram formam substitue: Θ[ιόξε]ν[ος].

Catalogi, cui locum quintum assignavit Perdrizet (BCH 23. 196 no. 5), versu vicesimo tertio adolescens laudatur Ἀμφισίας Σκαφίαο. Quo uno adolescente nomina propria duo lucramur omnino incognita. Originem tamen structuramque horum nominum non satis perspicimus. Annotavit Perdrizet: „La lecture est certaine"; cui sic scribenti fidem denegare hominis esset inhumani nimisque suspiciosi. At si quis contradixerit contenderitque, haec nullo modo stare posse, scriptum esse loco nostro {Κα}φισίασς Καφι(σί)αο, vel saltem sic scribendum fuisse, ego certe non vehementer obloquar.

Tituli eiusdem versum ultimum sic tradidit Perdrizet: „Νικόμαχος Ταπίουος, Νικίας Δεξίλλω". Ad formam inauditam Ταπίουος haec scripsit: „La lecture de ce génitif est certaine, et l'estampage la confirme." Itane vero? Si Καπίουος scriptum esset, genetivum intellegeremus nominis proprii Κᾶπυς, quod,

Digitized by Google

ab voce „κῆπος" derivatum, terminationem exhiberet haud ita raram „υς" (cf. Πρᾶτυς, Νῖκυς, Ξένυς, Ἵππυς). Magis etiam placeret lectio Καπίωνος; Καπίων enim nomen proprium est, apud Boeotos frequentissimum. In re tam dubia omnium optimum tamen esse videtur, locum laborantem indicasse, deinde manus abstinuisse. Patrem Νικίαο non magis comprobo. Taceo, quod Δέξιλλος nomen proprium est, hucusque, quoad scio, nondum repertum. Namque hoc casui dandum est nescio cui: etenim nomen Δεξίλεως, nemini ignotum, in brevius contractum necesse est in formam abeat Δέξιλλον. Sed gravius hoc est, apud Acraephienses, uti tituli demonstrant, usu floruisse nomen proprium Δεξίλαον. Quare non dubitaverim, cum tam multa aut minus bene incisa aut minus bene lecta sint in titulis Acraephiensibus, Νικίᾳ nostro patrem adiudicare Δεξίλαον, non Δέξιλλον.

In catalogo BCH 23. 198 no. 7 unus ex adolescentibus appellatur .. ὁμαχος Χιοννίδαο (vs. 13). Ad locum annotavit Perdrizet: „La restitution [Διν]ὁμαχος Χιοννίδαο (cf. IGS 1 no. 2708; no. 4127) excéderait la lacune". Quod vi non careret, si accurate insculpti (vel lecti) hi lapides essent. Cum tamen vitiosi esse inveniantur (hic ipse titulus, ut ceteros praetermittam, vs. 15 formam exhibet Ϝαδένικος, quam non admittit Perdrizet, vs. 20 formam Ἀθαναδώρω, quae etiam certius damnanda est), non video, quidni [Διν]ὁμαχον reponamus. Δινόμαχος Χιοννίδαο, in cuius mentionem hoc loco incidimus, avus fuisse videtur Δινομάχω Χιοννίδαο eius, quo polemarcho circa annum 170 civi Romano honores habiti sunt ab civitate Acraephiensium (IGS 1 no. 4127); deinde Χιοννίδας Δινομάχω, quem inscriptio laudat IGS 1 no. 2708$_1$ (circa annum 210 hoc decretum editum esse demonstravimus), Δινομάχω nostri, nisi valde fallor, filius maximus natu fuit.

Catalogi epheborum Acraephiensium sex hucusque ad nos devenerant, novem adiecit Perdrizet. Formula, qua conscribuntur adolescentes tirocinium posituri, constanter haec est: τυῖ ἀπεγράψανθο ἐσς (ἐς) ἐΦήβων (ἐΦείβων) ἐν πελτοΦόρας (θυρεαΦόρως), deinde sequuntur nomina. Praepositio ἐσς ter temporis vitio interiit, decies aetatem tulit; bis tamen, si Perdrizeto fides est habenda, ἐξ ἐΦήβων in lapide superest. Hanc veram lectionem

Digitized by Google

esse tradit in titulo BCH 23. 196 no. 5_{21}, deinde in titulo BCH 23. 92 no. 3_3. Priori tamen loco, cum lacuna sequatur, nullo negotio subsidium ferri potest. In apographo est ΕΞ —|φείβων; haec supple: ΕΣ[Σ Ε]φείβων. Alter locus num recte circumferatur addubito; quem enim fugit, quam facile Σ et Ξ confundi potuerint?

Praeter catalogos novem tironum inscriptiones quoque alias Acraephienses edidit Perdrizet. Sic verbi causa titulus est BCH 22. 243 no. 1 (= Michel no. 1110), in quo explendo paululum a vero mihi aberravisse videtur vir doctissimus. Haec est inscriptio: „Ἀκραφιεῖες [Ε]ἴρωϊ Πτωΐοι, ἀρξάντων Εὐμάριος | Καφισοδωρίω, Ὀλυνπίωνος Λυσ[α]νίω, Μελίτωνος | Ὁμολωϊχίω, Καφισοδώρω Πτωϊοδωρίω, | Ἀθανοδώρω Δαμαγαθίω. — ‖ Μενέστρατος Ἀθηναῖος ἐπόησε. Ferri non potest huius tituli restitutio Λυσ[α]νίω. Nam fac genetivum hoc loco requiri nominis proprii „Λυσανίας", at is nimirum Boeotis Λυσανίαο erat quo tempore haec inscriptio lapidi commissa est; fac adiectivum patronymicum desiderari — quod longe verisimilius est —, id vero Λυσανιῆος tunc erat. Exempla huius rei pullulant ex titulis Boeoticis petita paulo antiquioribus; qualia sunt Ἀγασιῆος (IGS 1 no. 2723_4), Ἀθανιῆος (IGS 1 no. 3175_{23}), Δαμεῆος (IGS 1 no. 1740_1), Ἰσμεινιῆος (IGS 1 no. 2430_8), Καλλιῆος (IGS 1 no. 2781_{19}), Λαμπριῆος (IGS 1 no. 2427_1), Μειλιῆος (IGS 1 no. 3175_{33}), etc. Pater igitur Olympionis nostri, quisquis fuit, certe Lysanias non fuit. Quid tamen reponendum sit, pro certo indicari nequit. „Λυσ[ι]νίω" loco laboranti medelam fert; verum obstat, quod singulari tantum exemplo nomen Λυσῖνος in titulis Boeoticis invenitur. Etiam magis „Λυσ[ω]νίω" placet: Λύσων certe e nominibus propriis est, quae saepius apud Boeotos occurrunt.

Elogium est inscriptio BCH 22. 252 no. 2; defuncto nomen fuisse scribit Perdrizet Χαρμόχῳ. Cui dubito num fides sit habenda. Suspectum enim hoc nomen est, cuius nullum exemplum datur. Contra apud Boeotos aliquoties occurrit Χάρμιχος (v. c. IGS 1 no. 2718_{16}, in titulo Acraephiensi; WF Inscr. Delph. no. 5_{23}). Vereor, ne leviter erraverit sive is, qui lapidem incidit, sive is, qui nuper exscripsit.

Digitized by Google

Elogium aliud superest (BCH 22. 252 no. 7), quo mulier, cuius nomen lapis exhibet, teste Perdrizeto dicta est Κεραιώ. Admirationem movet nomen incognitum Κεραιώ neque eius originem perspicimus. Verum novimus, apud Boeotos in honore fuisse Iovem Καραιόν (Hesych. s. v.), nec pauca nomina ab illo derivari. Καράϊχος nomen est (v. c. IGS no. 3174_2), Καραΐων (IGS 1 no. 3175_{20}), Καραϊόγειτος (IGS 1 no. 1757_{10}), Κάρων (IGS 1 no. 1737_{10}), Καραῖος (GDI no. $3398\,b_{15}$), Καραΐς (IGS 1 no. 4175_1). Suspicor, mulierem nostram quoque Καραιώ nomen gessisse.

Ad eas inscriptiones Acraephienses transeamus, quae, iam antea publici iuris factae, in Corpus Inscriptionum Graeciae Septentrionalis sunt receptae. Catalogus epheborum qui designatur IGS 1 no. 2717 aetate non multum distare videtur ab no. 2716, cum in latere lapidis eiusdem scriptus sit, qui in fronte titulum exhibet no. 2716. De huius tituli aetate investigavimus; circa annum igitur 300 incisus quoque titulus no. 2717 esse videtur. Versu octavo catalogi no. 2717 tiro laudatur [Ἀμ]ούν[ι]χος Ἀπολλοδώρω. Infelici coniectura „[Ἀμ]ούν[ι]χος" reposuisse videtur Dittenberger; etenim nominis proprii rarissimi Ἀμυνίχου ne singulare quidem exemplum apud Boeotos exstat, saepius tamen invenitur nomen proprium [Φρ]ούν[ι]χος. Ad hunc hominem monitum velim, in inscriptione IGS 1 no. 4259, cuius aetas obscura est, πρόξενον κὴ εὐεργέταν τῶ κοινῶ Βοιωτῶν renunciari Ἀπολλόδωρον Φρουνίχου Ἀθανῆον; fieri potuit, ut huius hominis filius inter ephebos recenseretur civitatis Acraephiensis.

In titulo eodem IGS 1 no. 2717 nescio deinde an pater reiiciendus sit adolescentis Ἀθανοδώρω Ὀφ[ε]ιλέμ[ω] (vs. 13). Namque inauditum nomen Ὀφείλεμος est neque ullo loco hucusque repertum; accedit quod lacuna fortasse spatium literae unius excedit. Causa tamen, cur praecipue nostro loco „Ὀφελείμ[ω]" recipiendum esse suspicer, spreta forma „Ὀφ[ε]ιλέμ[ω]", quam Lolling exscripsit, haec est: apud solos Boeotos non minus sexies nomen propium Ὀφέλειμος exstat (IGS 1 no. 2786; 2788; 2814; 3068; 3179; 3180), deinde occurrunt Ὀφελειμίς (IGS 1 no. 4160) et Ὀφελήμα (IGS 1 no. 2999). Apud Thessalos in huius nominis formam incidimus „Οὐφέλιμος" (GDI

Digitized by Google

no. 325 I_{17}). Nomen Ὀφέλειμος elegantissime explicavit Bechtel GP² 227.

Expositum iam est de aetate titulorum IGS 1 no. 2718—2721: circa annum 210 insculpti sunt. In catalogo, quem numero indicamus IGS 1 no. 2718, Νίκων Μελίσσω tironibus adscribitur (vs. 16 A), quod nomen recurrit in inscriptione IGS 1 no. 2716 (vs. 2). Explorata quidem aetas non est catalogi IGS 1 no. 2716; videtur tamen initio assignanda esse saeculi tertii. Νίκωνος igitur alterius, qui polemarchus fuit circa annum 300, alter, qui prima stipendia meruit circa annum 210, pronepos fuisse videtur.

Uni ex ephebis, qui titulo IGS 1 no. 2718 enumerantur, nomen indidit Dittenberger [Ν]ό[μ]ωνι Κλιαρ|ι|στίδαο. Quae coniectura, nisi fallor, reiicienda est. Nam Νόμων nomen proprium Graecum non exstat, certe hucusque inventum non est. Circumfertur quidem, homini cuidam Rhodio fuisse nomen Νόμωνι Μενεκράτευς (Newton Inscr. Brit. Mus. no. 344 II_{50}); lapide retractato veriorem tamen nominis formam esse Κόμωνα invenit Hiller von Gärtringen (IGI 1 no. 4 II_{50}). Nec dubito, quin nostro quoque loco substituendum sit „[Κ]ό[μ]ων". Cuius nominis haud inusitati apud Rhodios, Coos, Cnidios, Mylasenses exemplum quoque exstat apud Boeotos (IGS 1 no. 538_8).

In titulo IGS 1 no. 2719, qui mutilissimus est, adolescens laudatur —ΑΤΙΟΣ Ἀγλαοδώρω. In promptu sane non sunt nomina propria Graeca in ἄτιος desinentia. In Boeotia tamen nomen occurrit Ἐχθάτιος (IGS 1 no. 1712), ceteroquin incognitum; memoratur deinde Ἐχθατία aliqua in inscriptione CIG no. 5146_{13}.

Catalogum, qui dicitur IGS 1 no. 2720, circa annum 210 conscriptum esse supra probavimus. Res tamen etiam aliunde constat. Subsidio enim est adolescens, qui versu duodevicesimo laudatur, Μένανδρος Ἀντιγένιος. Quem recurrere videmus in titulo BCH 23. 194 no. 1_4. Hunc autem titulum exaratum esse invenimus circa annum 220.

Subsidio quoque esse potest alius adolescens, qui titulo eodem tironibus Acraephiensibus adscribitur, Δαμάτριον volo Καφισίαο (IGS 1 no. 2720_9). Hic enim filius maximus natu fuisse videtur ephebi eius, quem catalogus laudat BCH 23. 193 no. 2_{21},

Digitized by Google

Καφισίαο Δαματρίαο. Lapidi mandatum esse exposui titulum recens repertum BCH 23. 193 no. 2 circa annum 220.

Hinc apparet, lapicidam, cum genetivum plane inauditum Δαματρίαο insculperet, errorem commisisse (nisi forte errorem imputare mavis ei, qui nostris diebus lapidem exscripsit); nulla est causa, cur novum nomen hucusque incognitum „Δαματρίας" hinc colligamus.

Inter tirones, qui titulo nostro enumerantur, Καφισόδωρος est Μνασίαο (IGS 1 no. 2720_{13}). Natus hic est circa annum 230. In catalogo epheborum IGS 1 no. 2717, quem lapidem initio saeculi tertii incisum esse conieci, polemarchus quidam memoratur —ωρος Μνασίαο. Natus is homo itaque est circa medium saeculum quartum. Nisi valde fallor nomen ei fuit Καφισοδώρῳ Μνασίαο proavusque fuit hominis eius, qui nomen cum eo commune gerebat.

Tironum, qui enumerantur in catalogo sequenti IGS 1 no. 2721, primus est —μοδώρω. Nomen paternum Dittenberger nescio qua de causa non supplevit. Dubitatio non admittitur quin Ποταμόδωρος fuerit, quod nomen in Boeotia tritissimum est. Suspecta deinde mihi Dittenbergeri coniectura est (vs. 4) Μνάσαρχος Ῥί[νθ]ωνος (quid enim hoc nomen Tarentinum, ceteroquin ignotum, inter medios Boeotos?), suspectius etiam supplementum (vs. 5) [Κ]ώπων Σάωνος. Nam facile dictu certe non est, unde derivetur nomen prorsus incognitum Κώπων. Adolescenti, qui .ώπωνι Σάωνος ordine praecedit, nomen est Ἀσώπωνι Φίλωνος. Crediderim equidem, nostro quoque tironi nomen idem Ἀσώπωνι fuisse. Sed si re vera spatium unius literulae lacuna non excedit, Θώπωνα novum nomen hoc loco introduxerim, non Κώπωνα. Hoc nomen certe sensu vacuum non est; nam quid sit θωπεύειν nemo ignorat, et innotuit iamdudum nomen affine Θωπίας (WF Inscr. Delph. no. 284).

Huius tituli versibus nono decimoque haec leguntur: ΔΑΜΑΤΡΙΟΣΑΜΙΝΟΝΙ . . ΧΩ — | . . . ΣΑΩΝ . . . ΑΡΧΙ . ΣΑΘΑ —. Quae sic transscripsit Dittenberger: „Δαμάτριος Ἀμινον[ικί]χω, [Πο|λυ]σάων [κή] Ἀρχί[α]ς Ἀθα[ν . . . . .]." Hic in duabus rebus haereo. Primo loco Ἀμινονίκιχος nomen Graecum hucusque repertum nondum est, nec me iudice umquam reperietur; nam quae sunt nomina Graeca, quae in ίκιχος desinunt?

Digitized by Google

Deinde offendit Πολυτάων κὴ Ἀρχίας. In catalogis enim epheborum Acraephiensium, quorum plus viginti aetatem tulerunt, si fratres enumerantur, non inter se coniunguntur copula κή, sed singuli recensentur iterato nomine paterno. Hanc lectionem equidem commendo: „Δαμάτριος Ἀμινονί[κω], Χω[ρόφι|λος(?)] Σαών[δαο], Ἀρχί[α]ς Ἀθαν[οδώρω(?)]."

In catalogo IGS 1 no. 2724 Μοιρίχω Εὐβώμω Πλαταιεῖος memoria servatur (vs. 5), in titulo IGS 1 no. 2724b fratris eius Ἡροδώρω Εὐ(β)ώμω Πλαταιεῖος. In inscriptione utraque Dittenberger contra lapidum disertum testimonium Εὐβω(λί)ω mutavit; quem, quamvis sit vir lapides edendi unice peritus, tamen hac in re iure non secutus est Michel, qui novissime hos titulos retractavit (Recueil no. 1106 et 1107). Nec rem repeterem, mea sententia iam absolutam, nisi homines invenirem tantae auctoritatis in rebus grammaticis, quantae sunt Bechtel et Fick, cum Dittenbergero facientes. „Dittenberger hat evident Recht, das überlieferte ΕΤΒΩΜΩ in das patronymische Adiectivum ΕΤΒΩΛΙΩ zu ändern" (GP² 82 ann.) Rem aliter sese habere, nullam ei fuisse causam nominis traditi mutandi, statim efficitur, si totum lapidem accurate perlegimus. Sane in catalogo nostro tironum patres adiectivis patronymicis indicari vulgo solent; nec tamen eam constantiam in hac re sectabantur Boeoti antiqui, qualem nostri homines hodie desiderarent. Quod nullo negotio arguitur. Titulus noster homines sex enumerat, quorum patres adiectivis patronymicis significantur; recedunt tamen ab hoc usu Ἀμεινοκλεῖς Ἀμεινίαο Ταναγρῆος (vs. 7), Μοσχῖνος Θεδωρίδαο (vs. 8) et Μοίριχος noster Εὐβώμω. Sic in catalogo simillimo IGS 1 no. 2723 (= Michel no. 1105) hominibus octo adiectiva patronymica adiiciuntur, sicubi nominibus paternis opus est; differt ab hac consuetudine Νικίων Γρυλίωνος (vs. 3). Sic, ut exemplum quoque afferam catalogi, qui rationem inversam exhibet, in titulo IGS 1 no. 2716 nomina propria quinque adiectivis patronymicis ornantur, contra nomina propria sunt non minus triginta duo, quae nomina paterna casu genetivo exprimunt. Et in universum, rem subtilius si exquiris, nullam huius rei severam diligentiam in titulis Boeoticis invenies. Quare noli cum Dittenbergero lectionem bis traditam Εὐβώμω sollicitare.

Digitized by Google

In titulo dedicatorio IGS 1 no. 2724a bis Πολυκλείω editur, cum requiratur Πολυκλειΐω; deinde Ἡσχριώνδαο Θιομναστίω Θειβήω mentio fit, qui in titulo sequenti (no. 2724b$_1$) minus recte (nam Ἡσχριώνδας nomen proprium saepius in Boeotia occurrit, numquam autem Ἡσχρώνδας) Ἡσχρώνδας dici videtur. Vitione haec danda sunt lapicidae antiquo an homini certe doctissimo, qui nostris temporibus lapides exscripsit?

Inscriptio eadem versu quinto virum primarium laudat [Κ]ράτυλλον Ἀμφιδάμιον Ὠρώπιον. Nomen hominis incertum est; [Ἐ]ράτυλλος fortasse fuit.

Titulus IGS 1 no. 2724d nomen celebrat Εὐφαμίδαο Θιογέν[ιος ..]ρωνεῖος. Admirationem movet lacuna non expleta, uniuscuiusque enim est [Κο]ρωνεῖος reponere. Graviore tamen incommodo haec inscriptio laborat. In fine (vs. 7) occurrit Δαμήνετος Ἰσσχί[ν]αο Ταναγρῆος. Plane inauditum est nomen Ἰσχίνας. Si tamen mente revolvis, homines, qui Athenis „Αἰσχίνης" appellabantur, sermone, quo Boeoti utebantur, „Ἡσχίνας" dici solere, statim „Ἡσσχίναο" rescribere paratus eris. Accedit, quod Ἡσχίνας, uti Indices demonstrant, quibus „Inscriptiones Graeciae Septentrionalis" ornatae sunt, nomen est in Boeotia celeberrimum. Denique, si forte paululum dubites, num formae traditae ΙΣΣΧΙ . ΑΟ nomen tritissimum ΗΣΣΧΙ . ΑΟ substituas, velim in mentem tibi veniat coniecturae elegantissimae, quam ad tituli eiusdem versum quintum fecit Dittenberger. Traditur versu illo „Ἀρισστοκράτιος ΚΩΠΙΩ"; lenissima sed certissima medela reposuit vir summus „Κωπήω".

Inscriptio, quae designatur IGS 1 no. 2727, sic incipit: „Ἀντίου ἄρχοντος". Dittenberger homini nomen fuisse scripsit Ἀντίῳ (cf. Index nominum). Non nego, nomen proprium Ἀντίον Graecis in usu esse potuisse; exemplum tamen hucusque nullum repertum est (Ἄντιος is, cuius mentio fit App. B. C. 4. 40 Romanus est, non Graecus). Contra Ἀντίας nomen est minime ignotum (v. c. CIA 2 no. 1915); unde vere me iudice iam Benseler genetivum nostrum Ἀντίου derivaverat (Pape-Benseler^3 94).

Titulus IGS 1 no. 2756 elogium est, unum vocabulum exhibens „Ἄθανις". Mulierem Ἀθανίδα fuisse scribit Dittenberger; pro certo equidem affirmaverim, defuncto nomen fuisse virile

Digitized by Google

Ἄθανιν. Nam nominis muliebris Ἀθανίδος ne unum quidem exstat exemplum; nemini contra incognitum est nomen masculinum Ἄθανις, rerum scriptore Siculo et statuario Chio insigne. Accedit, quod nomen integrum Ἀθανίας, unde originem petit Ἄθανις, apud Acraephienses celeberrimum fuisse invenitur (IGS 1 no. 2717_{13}; no. 4138_4, no. 4141_2 et BCH 23. 195 no. 3_3; no. 4159_3; Michel no. 624 I_{20}; BCH 23. 196 no. 4_9; 23. 196 no. 4_{13}; 23. 196 no. 5_{17}; 23. 198 no. 6_9).

Inscriptio brevissima IGS 1 no. 2776 hominis memoriam servavit, cui nomen fuit Κλιοφάν[ει]. Defendi tamen potest, hominem nomine gavisum esse Κλιοφάν[τῳ].

Inscriptio est IGS 1 no. 4132 (= Michel no. 236), qua versu tertio laudatur Θεόδωρος Τιμάρχου. Anno circiter 120 incisum hunc lapidem esse supra ostendimus. Tituli BCH 23. 195 no. 3, quem circa annum 180 exaratum esse invenimus, versu quarto decimo Θιόδωρος occurrit Τιμάρχου. Quis alterum alterius avum fuisse addubitet?

Haud iniuria ad titulos IGS 1 no. 4135—37 (= Michel no. 700) Dittenberger annotavit, omnium inscriptionum, quas Francogalli in delubro Apollinis Ptoi eruerunt, has sine controversia gravissimas esse et maxime memorabiles. In iis enim agitur de prima origine ludorum, quos in honorem Apollinis Ptoi Acraephienses instituerunt. De tempore, quo lapidi commissi sunt hi tituli, omnia adhuc obscura erant. Fortasse tamen aliquid certi indagari potest. Responsa exstant, quibus Orchomenii, Thisbenses, Haliartii, civitates aliae invitantibus Acraephiensibus se cum iis ludos sollemnes nuper deo oblatos celebraturos pollicentur (IGS 1 no. 4138—44). Quae responsa apparet eo ipso tempore data esse, cum Ptoïa instituerentur, „ita ut — verba sunt Dittenbergeri — hi omnes tituli aetate suppares habendi sint decreto Amphictyonum no. 4135." Ex his autem efficitur, quo anno Ptoïa prima acta sunt, prophetam Apollinis fuisse Πυθίωνα Ἀθανίου. Conferre iam licet cum hoc viro primario polemarchum in titulo laudatum nuper a Perdrizeto reperto Πουθίωνα Ἀθανίαο (BCH 23. 195 no. 3_3). Quid obstat, quin polemarchum et prophetam Apollinis eundem hominem fuisse accipiamus? Catalogum autem BCH 23. 195 no. 3 circa annum 180 exaratum esse supra demonstratum est. Haec aetas

Digitized by Google

ea ipsa est, quam Holleaux et Dittenberger solis argumentis petitis ex sermone titulorum IGS 1 no. 4135—37 et ex scripturae genere dubitanter his lapidibus iam antea vindicaverant. Certe recentiores esse mihi quidem non posse videntur anno 171. Nam nisi omnia me fallunt, in inscriptione mutilissima IGS 1 no. 4143 b responsum latet ab Haliartiis Acraephiensibus datum; quam urbem anno 171 funditus everterunt Romani.

Inscriptio, quae dicitur IGS 1 no. 4161, Ἀριστι — Χρυσίππου laudat, civem Acraephiensem. Lacunam hoc modo explevit Dittenberger praeeunte Holleauxio: „Ἀρίστι[ππον]." Spatium tamen lacunae nomina propria quoque admittit Ἀριστί[δαν] et Ἀριστί[ωνα]. Ἀριστί[ωνα] ideo prae ceteris coniecturis speciem veritatis fert, cum titulo IGS 1 no. 4147_{13} in mentionem incidamus Χρυσίππου Ἀρίστωνος Ἀκραιφιῶς poëtae epici, quem iam Dittenberger fortasse patrem fuisse scripsit hominis nostri. Quae coniectura sane multo probabilior erit, si filio nomen fuerit Ἀριστίωνι Χρυσίππου, patri autem Χρυσίππῳ Ἀριστίωνος, quam si alteri Ἀριστίππῳ Χρυσίππου, alteri autem Χρυσίππῳ Ἀρίστωνος. At si res ita sese habet, necessario levem errorem commisit sive lapicida sive vir doctus, qui nuper lapidem utrumque exscripsit: aut legendum est „Χρύσιππος Ἀριστίωνος Ἀκραιφιεύς" in titulo IGS 1 no. 4147_{13}, aut „Ἀρίστ[ωνα] Χρυσίππου" in titulo nostro IGS 1 no. 4161_1.

AD PLUTARCHUM.

Lyc. 14 (Sint.). Virgines corporis uti exercitationibus iussit Lycurgus, ut fortis ex iis nasceretur progenies αὐταί τε μετὰ ῥώμης τοὺς τόκους ὑπομένουσαι καλῶς ἅμα καὶ ῥᾳδίως ἀγωνίζοιντο πρὸς τὰς ὠδῖνας. Prorsus idem est μετὰ ῥώμης τοὺς τόκους ὑπομένειν et καλῶς ἀγωνίζεσθαι πρὸς τὰς ὠδῖνας. Non τόκους sed πόνους scripsit Plutarchus; sed librarium in errorem induxit vocabulum quod ei, totam narrationem legenti in mentem venit. Fortiter certaminum et exercitationum labores atque dolores perferre discentes etiam puerperii doloribus ferendis pares fiebant.

J. J. H.

Digitized by Google

DEORUM CORONAE.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

Collega meus aestumatissimus Iohannes Vlitius, huius voluminis p. 207, postquam lecta dissertatione Academica docti iuvenis Caroli Henrici Eduardi de Jong incidit in Heliodori locum, quem statim afferam, contulit celebratissimam Indorum fabulam de amoribus Nali et Damayantidis. Notum est quod ibi traditur, nam etiam ii qui extremis labris ex illo largo Sanscriticarum literarum fonte pauculas guttas hauserunt, generosam virginem admirati sunt, quae Helenae et Agaristes ritu maritum invenit et brevi post Penelopes exemplum longe creditur superasse. Sed quum pater filiae maritum dare vellet, convocavit undecumque adulescentes qui conditionem expetebant. Cum alii tunc advolarunt, tum Nalus qui iamdudum Damayantidis amore captus erat; ipsa autem Damayantis non leviore urebatur amore Nali quem miris modis quamquam absentem cognoverat. Postquam dies advenit, cum reliquis procis stabat Nalus in aula, sed praeterea aderant quatuor de coelo delapsi immortales dii, qui humanam Nali formam induerant. Hic tum Damayantis trepida et anceps haerens quem ex quinque illis eligeret — suspicabatur autem quatuor adesse deos qui sub illa forma latitarent — precata est ut coelestes se darent agnoscendos. Tandem dii enixe petenti morem gerentes ostenderunt signa quibus a mortalibus internosci possent atque sic regia virgo, Nalo agnito, laetis ominibus voti compos facta est. Fuerunt autem ea signa secundum veterem poetam *quinque* numero: I. Dii sudoris expertes sunt nec vestes pulvere commaculantur.

Digitized by Google

II. Non nictant. III. Labuntur magis quam humi incedunt. IV. Coronae quas capite humerisque gestant, non marcescunt. V. Nulla eos umbra sequitur.

Hunc igitur locum Vlitius admovit ad Heliodori Aethiopica p. 278 Ed. Didot. Disputat ibi Calasiris, qui — quod minime negligendum — apud Aegyptios sacerdos erat, in hunc ferme modum: *Θεοὶ καὶ δαίμονες ἐπιφοιτῶντές τ' ἐς ἡμᾶς καὶ ἀποφοιτῶντες, εἰς ἄλλο μὲν ζῷον ἐπ' ἐλάχιστον, εἰς ἀνθρώπους δ' ἐπὶ πλεῖστον αὐτοὺς εἰδοποιοῦσι, τῷ ὁμοίῳ πλέον ἡμᾶς εἰς τὴν φαντασίαν ὑπαγόμενοι. Τοὺς μὲν δὴ βεβήλους κἂν διαλάθοιεν, τὴν δὲ σοφοῦ γνῶσιν οὐκ ἂν διαφύγοιεν, ἀλλὰ τοῖς τ' ὀφθαλμοῖς ἂν γνωσθεῖεν ἀτενὲς ἰδόλου βλέποντες καὶ τὸ βλέφαρον οὔποτ' ἐπιμύοντες καὶ τῷ βαδίσματι πλέον, οὐ κατὰ διάςησιν τοῖν ποδοῖν οὐδὲ μετάθεσιν ἀνυομένῳ, ἀλλὰ κατά τινα ῥύμην ἀέριον καὶ ὁρμὴν ἀπαραπόδιςον τεμνόντων μᾶλλον τὸ περιέχον ἢ διαπορευομένων.* Quod apparet, hic habemus *secundum* uti et *tertium* signum et operae pretium est videre quod Aegyptiis sacerdotibus ex Chaeremone laudi dat Porphyrius de Abstinent. IV. 6 p. 311: *πορεία τε γὰρ εὔτακτος ἦν καὶ βλέμμα καθεςηκὸς ἐπετηδεύετο, ὡς ὅτε βουληθεῖεν μὴ σκαρδαμύττειν.* Etiam ea considerandа sunt quae apud Heliodorum continuo sequuntur: *Διὸ δὴ καὶ τὰ ἀγάλματα τῶν θεῶν Αἰγύπτιοι τῷ πόδε ζευγνύντες καὶ ὥσπερ ἑνοῦντες ἱςᾶσιν. Ἃ δὴ καὶ Ὅμηρος εἰδώς, ἅτε Αἰγύπτιος καὶ τὴν ἱερὰν παίδευσιν ἐκδιδαχθεὶς συμβολικῶς τοῖς ἔπεσιν ἐναπέθετο, τοῖς δυναμένοις συνιέναι καταλιπών· ἐπὶ μὲν τῆς Ἀθηνᾶς· δεινὼ δέ οἱ ὅσσε φάανθεν, εἰπών, ἐπὶ δὲ τοῦ Ποσειδῶνος τὸ· Ἴχνεα γὰρ μετόπισθε ποδῶν ἠδὲ κνημάων Ῥεῖ' ἔγνων ἀπιόντος· οἷον ῥέοντος ἐν τῇ πορείᾳ.*, nam est ea mirifica, uti vides, boni sacerdotis opinio adverbium *ῥεῖ' παρὰ τὸ ῥεῖν* esse ductum; hinc addit: *τοῦτο γάρ ἐςι τὸ ῥεῖ' ἀπιόντος καὶ οὐχ ὥς τινες ἡπάτηνται, ῥᾳδίως ἔγνων ὑπολαμβάνοντες.*

Primum signum de sordibus divino corpori non adhaerescentibus apud Aegyptios memoratum non invenio et in ea re Graeci certe ab Indis dissidebant; etenim Iunonem, Ξ 171, videmus *λύματα πάντα καθαίρουσαν καὶ ἀλειφομένην λίπ' ἐλαίῳ*, Vulcanum autem, Σ 414, *σπόγγῳ ἀμφὶ πρόσωπα καὶ ἄμφω χεῖρ' ἀπομοργνύντα.*

Quintum signum est de umbrae defectu, de quo ipse quoque

Digitized by Google

Plutarchus dixit *de Sera Numinis Vindicta* p. 564 D: *σύμβολον δέ σοι νῦν καὶ αὖθις ἔσω τὸ τὰς ψυχὰς τῶν τεθνηκότων μήτε σκιὰν ποιεῖν μήτε σκαρδαμύττειν*, quem locum Iongius excitavit et praeterea Wyttenbachius conferri poterit p. 433 Ed. Oxon., quem tamen miror non esse assecutum quid esset quod manes non dicerentur *σκαρδαμύττειν*; idem tamen multa congessit ut probaret tum secundum Persarum magos tum apud Pythagoreos beatorum animas post mortem *σκιὰν μὴ ποιεῖν*. Contra si *vivos* umbra non sequeretur, vetus erat opinio vulgi divinam poenam esse, qua de re cum multi alii testes adduci possunt, tum Polybius XVI 12. 7 et Pausanias VIII 38. Atque sic superstitionis historia aliquando ab aliquo Caxtone pertexi poterit ab illo Damayantidis *svajamvara*, nam proprium nomen nec Graeci nec Romani habent, usque ad Petrum Schlemihl.

Denique venio ad *quartum* signum corollarum deorum non marcescentium. Nimirum quantum mihi comparuit, nondum observatum fuit ea in re Indis convenire cum Aegyptiis, quemadmodum certo convenit de secundo signo et de tertio et fortasse etiam de quinto. Hic provoco ad Hellanicum qui secundum Athenaeum XV p. 679 F *περὶ τῶν ἀεὶ ἀνθούντων στεφάνων* haec scripsit *ἐν τοῖς Αἰγυπτιακοῖς· Πόλις ἐπιποταμία Τίνδιον ὄνομα. αὕτη θεῶν ὁμήγυρις καὶ ἱερὸν μέγα καὶ ἁγνὸν ἐν μέσῃ τῇ πόλει λίθινον καὶ θύρετρα λίθινα. ἔσω τοῦ ἱεροῦ ἄκανθαι πεφύκασι λευκαὶ καὶ μέλαιναι. ἐπ' αὐταῖς οἱ στέφανοι ἐπιβέβληνται ἄνω τῆς ἀκάνθου τοῦ ἄνθους καὶ ῥοιᾶς ἄνθους καὶ ἀμπέλου πεπλεγμένοι. καὶ οὗτοι ἀεὶ ἀνθέουσι. τοὺς στεφάνους ἀπέθεντο οἱ θεοὶ ἐν Αἰγύπτῳ, πυθόμενοι βασιλεύειν Βάβυν, ὃς ἐστι Τυφῶν*. Locus male habitus est; sed satis intelligimus coronas quotidie ab sacerdotibus renovatas fuisse, scilicet ne marcescerent quas dii aliquando gestassent. Nempe apud eundem Athenaeum V p. 196 E legimus in Aegypto *οὔτε ῥόδον οὔτε λευκόϊον οὔτ' ἄλλο ῥᾳδίως ἄνθος ἐκλιπεῖν οὐδὲν οὐδέποτ' εἰωθέναι* atque sic etiam *κατὰ μέσον χειμῶνα* omnem narium copiam convivis praebitam fuisse. Multiplicem florum et corollarum usum apud Aegyptios exposuit Franciscus Wönig in libro *de Flora Aegyptiaca*, Lips. 1886.

Digitized by Google

OBSERVATIONES CRITICAE

AD

DIONYSII HALICARNASSENSIS

ANTIQUITATES ROMANAS.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

Complures codices sunt, quibus Dionysii Antiquitates Romanae continentur, sed omnium iudicio inter eos duo longe eminent, qui decem priores libros nobis servarunt, Chisianum (A) dico et Urbinatem (B). Quodsi autem quaeris quid uterque liber conferat ad corruptorum locorum emendationem, cum admiratione audies viros doctos magis inter se dissentire videri quam revera dissentiant. Ita tamen est: Ritschelius summa cura totam quaestionem pertractavit et re ab omni parte considerata et non sine anxia diligentia pensitata, eo fere pervenit quo reliqui post eum omnes; sed discipulus eius Kiesslingius et post eum Cobetus impugnaverunt quod non cognoverant et post multas ambages id statuerunt, quod Ritschelius aut potuisset probare, aut certe non vehementer improbasset, quamquam optimo iure queri posset se intricatam rem iam multo plenius examinavisse quam ab aliis factum esset. Mihi operae pretium videtur quaestionem in clara luce collocare et veniam dari mihi postulo, si rem propter magnorum ingeniorum incuriam paulo fusius quam pro instituto meo enarravero. Id tantum enixe peto, ut lectores si quos habeam ad annorum notationes attendere velint, sine quibus vix intelligi poterit unde σκιαμαχία orta sit.

Digitized by Google

Adolphus Kiesslingius est, qui apud Teubnerum anno 1860 Dionysium edere aggressus est. Hic postquam breviter retulit de veteribus scriptoris editoribus quid quisque ad textum melius constituendum contulerit vel etiam non contulerit, tandem in praefatione incipit narrare quae subsidia eaque prorsus egregia Ritschelii insigni liberalitati debeat. Primo loco enumerat duorum librorum praestantissimorum, Chisiani et Urbinatis, diligentissime factas collationes; accesserunt praeterea alia minime spernenda, sed quae nunc nihil ad nos; deinde ita pergit: „Cum autem Chisiani libri antiquissimi auctoritas apud Ritschelium Ambrosiumque tantum valuerit, ut ad eius praecipue fidem scriptoris verba exigi posse existimarent, mihi res longe aliter sese habere videtur. Urbinatis enim praestantia, quamquam levioris cuiusdam interpretationis commaculata vestigiis, ea est, ut emendationem totam fere ab hoc libro repetendam esse mihi persuasum sit. Eam igitur legem mihi proposui ut Urbinatem quantum fieri posset fideliter exprimerem." Non sunt sane haec verba ambigua: sordet Chisianus, Urbinatis est quoddam quasi τηλαυγὲς πρόσωπον.

Septendecim annis post, anno 1877, secutae sunt Cobeti *Observationes ad Dionysium*. Hic narrat se iuvenem multum et diu versavisse Sylburgianam editionem; aliquanto post demum nactum esse Reiskianam editionem et comperisse bonam partem eorum quae correxisset aut ex optimo codice Urbinate esse in integrum restitutam aut ab aliis, praesertim ab Reiskio, occupatam. „Tandem", inquit, „prodiit Kiesslingiana editio, in qua non pauca eorum quae per multos annos emendaveram et aliorum et ipsius Kiesslingii ingenio et doctrina iampridem mihi praerepta esse cognovi." Nec sane est cur hoc miremur, nam Kiesslingius omnium primus uti potuit collatione codicis Chisiani, quam commodaverat Ritschelius.

Postquam Cobeto satisfactum fuit de doctrina Kiesslingii et de fide, qua is retulit de iis quae iampridem ab aliis allata erant ad Dionysii textum perpurgandum, evenit id quod ex multis et claris indiciis demonstrari potest: nimirum in Observationibus conscribendis Cobetus senex — nam senectus ei multo prius obrepsit quam putaverit quispiam — nullum alium librum ad manum habuit praeter Kiesslingianum exemplar, nec suspi-

Digitized by Google

catus est non impune negligi Reiskianam operam. Erat Kiesslingius ei omnia: „est ea eximia laus Kiesslingii iuvenis, quod ausus est modeste dilecti praeceptoris in ea re auctoritatem deserere, quia optime intellexerat Urbinatem librum fide et auctoritate longe longeque Chisiano praestare. Itaque rectissime ille quidem omnem Dionysii emendationem et textus constitutionem Urbinati libro tanquam stabili fundamento superstruxit, sed non semper in ea re modum servans et contra vetustissimi monumenti auctoritatem rationi parens nonnumquam optimas et verissimas lectiones et certa lacunarum supplementa in codice Chisiano servata inconsulto sprevit." De Germanis nescio et suspicor fuisse, qui statim Ritschelii causam adversus Kiesslingium tutarentur; sed in his terris anno 1877 paucissimi erant qui animadverterant divinum quod in Cobeto fuisset ingenium iam vergere ad occasum; Cobeti fide stabatur satisque credebant literati homines Kiesslingium iuvenem devicisse Ritschelium septuagenarium, qui ultra Plautinas comoedias sapere voluisset.

Meliora nos docere poterunt Ritschelii collecta *Opuscula Philologica*, quorum primum volumen prodiit anno 1866, h. e. undecim annis *ante* Cobeti Observationes. In hoc volumine invenimus p. 471 duplicem commentationem *de Emendandis Antiquitatum Libris Dionysii Halicarnassensis:* programmata sunt quae appellare consuevimus, primum edita annis 1838 et 1846. In nova editione repetita ea tantummodo sunt quae aliquem usum habitura erant; summa autem disputationis est quam legimus p. 484: „Reliquum est ut qui plura bona Codex habeat, indagetur: quo is, etiam ubi integrum esse, e pluribus quid potissimum eligas, videatur, propius abesse ab ipsa scriptoris manu existimetur. Et hanc quidem laudem inter Dionysii libros mss. non dubito equidem Chisiano potius quam Urbinati codici deferre." Itaque nunc fortasse dices victricem causam fuisse Kiesslingii qui Cobeto iudice et reliquis doctis viris propemodum omnibus hanc opinionem recte reiecerit et susceperit patrocinium Codicis Urbinatis.

Duae commentationes Ritschelii quas dixi, prodiere 1838 m. Aug. et 1846 m. Oct. Sed secuta est anno 1847 tertia disputatio de Codice Urbinate, quam nunc vide in *Opusculis Philologicis*

Digitized by Google

inde a pag. 516. Hanc commentationem Cobetus numquam vidit; Kiesslingius autem aut non legit aut indiligenter legit; certe mox oblitus est. Operae pretium est cognoscere quid boni unus annus attulerit Ritschelio, postquam Iacobum Bernaysium adulescentem in operis societatem adscivisset. Primum narrat hoc paucorum mensium intervallo duorum doctorum virorum iudicia sibi innotuisse, Cobeti et Sintenisii. Dixeris in priore utique commentatione Ritschelium satis magnifice scripsisse de Codice Chisiano: non satis hoc fuit Sintenisio, qui „comprobato eo iudicio quo promiscuam Chisiani Urbinatisque virtutem dixeram, in eo tamen se dissentire significavit, quod paulo plus quam debuissem Urbinati tribuissem, detraxissem Chisiano: hunc enim non tantum in singulis diligentius scriptum esse, sed etiam ab eis interpolationibus liberum, quibus Urbinatem laborare recte ipse dixissem. Vere ille quidem utrumque: et tamen de Urbinate multo quam aequum fuit contemptius." Miror hoc Ritschelii iudicium, qui tamen ante scripserat, p. est 487: „Maior in Chisiano est bonarum, in Urbinate maior numerus pravarum scripturarum." Itidem p. 488: „A Chisiani parte stamus quamdiu possumus, nec tamen veremur ad Urbinatis fidem confugere, ubicumque id ipsa ratio vel poscit vel nonnumquam tantum suadet." Vix intelligo quo pacto Sintenisius in ea opinione in qua *tunc* erat, Ritschelii rationes probabiliter impugnare potuerit, nec magis video quo iure Ritschelius *tunc* quidem id regerere potuerit quod audivimus. Sed suorum quisque verborum optimus interpres est et praeterea verba quae laudavi, scripta fuerant anno 1838; octo annis post, in altera commentatione iam elevari coepit Chisiani libri auctoritas, Urbinas autem fere eodem habetur loco ac pretio; p. est 492: „Mira quadam et aequabilitate et varietate vel potius aequabili varietate per binorum testium inter se discrepantium memoriam fides verborum Dionysianorum tanquam diffusa est. Quod apparet non posse non in causa esse, cur saepius quam velles fluctuet iudicium deque multis scripturis in utramque partem disputari possit pari probabilitate." Sed misso Sintenisio, qui ipse quoque postea Chisiani libri patrocinium deseruit, sciendum est brevi postquam anno 1846 prodierit altera Ritschelii commentatio, Cobetum occupatum fuisse in componendis adnotationibus vere

Digitized by Google

aureis ad Orationem Inauguralem. Itaque p. 134 postquam vituperavit nimiam Ritschelii diligentiam in orthographicis quibusdam quisquiliis enotandis, pergit in hunc modum: „quantivis pretii codicem quem in Chisiana bibliotheca Romae vidi saeculi fere XI in membranis nitidissime scriptum, habemus omnium auctorem ac testem idoneum." Supra vidimus triginta annis post Cobetum longe aliter iudicavisse, sed iam statim, anno 1847, nimia Chisiani laus Ritschelii visa est, qui in dies didicerat pluris facere codicem Urbinatem. Nec quisquam negabit eum illo anno 1847 pressius ac doctius disputare quam fecisset anno 1838 vel etiam anno 1846. Summa rei haec est: Iacobo Bernaysio in operis societatem assumto, credo etiam post saepius repetitam lectionem praeclarae orationis Leidensis, „cognovimus," inquit, „raram ac prope singularem Urbinatis codicis indolem, qui et correctoris manum passus manifestam et cetera negligentius ab librario habitus, tamen utrumque vitium tam eximiis dotibus compensaret, ut si paucis volumus rei summam complecti, *deterioris generis melius exemplum Chisianus, deterius autem melioris generis repraesentare Urbinas existimandus sit.*" Est igitur secundum Ritschelium inter eos codices eadem ratio quam Cobetus docuit, quum anno 1882 ostenderet quanti esset habendus Herodoti liber Romanus cum libro Florentino compositus. Hoc credo interest: duo Herodoti libri longe maiore inter se intervallo discriminantur, quam Dionysii Urbinas et Chisianus. Ceterum Cobeto venia dari poterit, quod programma Bonnense anni 1847 non cognovit, quum satis crederet Kiesslingium de Ritschelio recte ac vere retulisse; sed vix ac ne vix quidem excusabilis Kiesslingii socordia, qui quum praeceptorem suum impugnare et redarguere vellet, non antea diligenter legerit et relegerit, quae fugere eum vix potuerunt nec sane debuerunt. Hinc factum est ut anno 1866 ipse Ritschelius in *Opusculis* p. 518 adscriberet ad ea verba, quae modo tantum non *αὐτολεξεὶ* laudavi: „Scripsit Adolphus Kiesslingius *mira sive oblivione sive ignoratione* commentationis meae." Sed nonnihil irarum intercessisse suspicor, nam neque in praefatione tertii voluminis quod prodiit anno 1867, neque in praefatione quarti voluminis, quod prodiit anno 1870, Kiesslingius a se impetrare potuit ut *παλινῳδίαν* caneret: satis habet morbum excusare. Bene factum

Digitized by Google

quod hodie post tot annorum intervallum illae lites compositae et sepultae sunt: efficio hoc ex praefatione Caroli Iacoby, qui anno 1885 novam paravit Dionysii editionem. Hic cum Ritschelio de duorum codicum propriis dotibus prudentissime iudicavit: vellem tamen reliquos quoque minime contemnendos Codices paulo constantius consuluisset et interdum etiam secutus esset, nam etsi bonitate cedant duobus optimis libris, est tamen ubi eos cum fructu audias. Ac fuit quidem Iacobius longe quam Kiesslingius accuratior: supersunt tamen haud ita pauca quae melius constitui potuerant, qua de re infra quaedam adnotabo.

Quemadmodum dixi, Kiesslingius unice fere sollicitus fuit de lectionibus Codicis Urbinatis, a quo non nisi raro recedit nec nisi ultima necessitate coactus. Etiam scripturas Chisianas affert, sed de reliquis libris est plerumque altum silentium. Cognoscat nunc mihi quis, quid Cobeto inde acciderit. Fuit tempus, quo nihil mihi praesto erat praeter Tauchnitzianam editionem anni 1829, in qua editor, quisquis ille fuit, fideliter sequitur textum Reiskianum; Reiskius autem per Hudsonem cognoverat quidem scripturas codicis Urbinatis; sed ceterum nihil erat cur vulgatam sive Sylburgianam recensionem reiiceret. Etiam emendationes Reiskianae in marginibus delitescentes novum editorem Lipsiensem tantum non semper fugerunt. Comperi autem id quod dicam, quum Cobeti Observationes cum Tauchnitziano exemplari haud incuriose conferrem. Sicuti supra dixi, hic sibi persuaserat duorum praestantissimorum codicum ope Dionysii textum sat bene constitui posse, nec curavit, quod fugere eum neutiquam potuit, Kiesslingium tantum non ubique acquiescere duorum librorum auctoritate et raro nec nisi parce aliquid afferre aliunde. Itaque Cobetus, dum studebat emendare Dionysium, eadem opera suam probavit festinationem suumque quo etiamtunc valebat, ingenii acumen; nam locis non minus quam CXXV incidit in ipsas verissimas lectiones quae ante Kiesslingium vulgo circumferebantur. Sed satis de his: reliqua ordiamur.

Dion. Halic. Antiq. Rom. I 1 p. 3 Rsk.: περιουσίαν ἀποδείξασθαι τῆς περὶ λόγους δυνάμεως βουλόμενοι. Schwarzius in *Mnem.* 1885 p. 12 sic simpliciter commendavit ἐπιδείξασθαι· recte illud quidem, sed haud alienum erit horum verborum discrimen,

Digitized by Google

quae tum apud alios omnes tum apud Dionysium crebro leguntur, paulo diligentius constituere. Initium mihi sumam ab Schneideri adnotatione ad Xen. Memor. IV. 4. 18: „Verbum ἀποδείκνυσθαι iunctum vocabulo γνώμην, uti ἀποφαίνεσθαι, dicitur uti latinum *sententiam dicere*, *declarare*: ἐπιδείκνυσθαι vero de factis dicitur, ubi virtutis vel morum aliquod specimen vel documentum editur." Est hoc quidem aliquid, nec tamen ab omni parte probari potuit Ritschelio *Opusc.* I. p. 495, qui mihi Schneideri locum indicavit. Sed quum Ritschelius paucos tantum locos attulerit ipseque nihil certi admodum pronunciaverit, equidem complusculos ex Dionysio excerptos locos delibabo, nam plane infinitum est percensere omnia. Res redit ad id quod dicam. Qui γνώμην ἀποδείκνυται sententiam dicit vel in Senatu vel alibi. Qui fortia facta edit πράξεις λαμπρὰς ἀποδείκνυται vel γενναῖον ἔργον ἀποδείκνυται. Poterit hic virtutis suae testes habere, sed etiamsi solus esset relictus vel rem in umbra gereret, tamen capitis periculum non detrectaret; quidquid enim facit, id facit minime ἀλαζονευόμενος. Contra qui aliquid ἐπιδείκνυται artis suae specimen coram populo exhibet ut placeat. Omnes gloriosi aliquid cupiunt ἐπιδείκνυσθαι. Hinc ut hoc utar, mathematici ἀποδείξεις ποιοῦνται et *demonstrant*, rhetores dum declamitant ἐπιδείξεις ποιοῦνται. Qui ἐπιδείκνυται, idem necessario etiam ἀποδείκνυται, non contra; unde minime mirum est ἀποδείκνυσθαι longe frequentius legi quam ἐπιδείκνυσθαι. Dabo exempla. Iam statim γνώμην ἀποδείξασθαι saepissime invenies, veluti V 57 p. 983; VIII 5 p. 1513; VIII 74 p. 1688; X 43 p. 2104 et XI 15 p. 2191: non opus est immorari, nam de ea locutione nulla umquam dubitatio fuit. Sed I 5 p. 15 Dionysius dicturus est περὶ τῶν πράξεων ἃς εὐθὺς μετὰ τὸν οἰκισμὸν ἀπεδείξαντο ii qui Romam condiderunt. Narrabit IV 1 p. 634 τίνας ἀπεδείξατο πράξεις Servius Tullius ἰδιώτης ὢν ἔτι. Omnibus magnis viris, V 17 p. 887, ἐὰν πράξεις ἀποδείξωνται καλάς, Romani hoc concesserunt ut pro rostris laudarentur. In populi contione, X 36 p. 2085, multi προφέρονται τὰς ἑαυτῶν πράξεις ἃς ἐν τοῖς πολέμοις ἀπεδείξαντο. Scribit Pyrrhus rex in epistula XIX p. 238. 1 Ksl., non ignorare Romanos τίνας ἀποδέδειγμαι πράξεις. Hinc colligimus recte edi I 2 p. 5, ubi quaeritur ecquod imperium ἀρχήν τε μεγίσην ἐκτήσατο καὶ πράξεις ἀπεδείξατο

Digitized by Google

λαμπροτάτας, cum perperam legatur in Chisiano ἐπεδείξατο. Avus regis Tulli Hostilii moritur, III 1 p. 405, μεγάλα ἔργα ἀποδειξάμενος ἐν ταῖς πρὸς Σαβίνους μάχαις ipseque rex seq. pag. statim postquam rerum potitus est, plebem sibi conciliavit ἔργον ἁπάντων μεγαλοπρεπέστατον ἀποδειξάμενος. Sabini, ut est III 64 p. 573, metu perculsi οὐδὲν ἔτι γενναῖον ἔργον ἀπεδείξαντο, quae verba recurrunt IV 52 p. 769. Etiam Horatius Cocles describitur V 25 p. 902: θαυμαστὸν ἔργον ἀποδειξάμενος. Nunc facile est ad intellegendum cur ἐπιδείξασθαι omnino recte positum sit I 3 p. 12, ubi Dionysius profitetur esse se scripturum περὶ πράξεων ὧν ἂν ἔχοι τις ἑτέρας ἐπιδείξασθαι λαμπροτέρας, nam Romani sunt qui res gesserunt et ἀπεδείξαντο, quas historiarum scriptores ἐπιδείξονται. Huic rationi pauci omnino loci repugnant, qui proinde corrigendi sunt. In contione tribuni pl. de patriciis ita legitur X 37 p. 2092: οὐθὲν ἔχοντες ἐπιδείξασθαι μέγα καὶ νεανικὸν ἔργον ἀναισχυντοῦσι, verius iudico ἀποδείξασθαι. Consul, uti legimus V 54 p. 973, indicibus quibusdam maria ac montes pollicetur, ἐὰν καὶ τὰ ἔργα ὅμοια τοῖς λόγοις ἐπιδείξωνται, sed Garrerus recte rescripsit ἀποδείξωνται. Item II 30 p. 299: αἱ πόλεις οὐκ ἂν συνέλθοιεν αὐτοῖς λαμπρὸν ἔργον ἐπιδεδειγμένοις οὐδέν, idem Garrerus correxit ἀποδεδειγμένοις. Denique VIII 69 p. 1674: τοῖς πολλὰ ἐννοίας ἔργα ἐπιδειξαμένοις, satis fidenter emendo ἀποδειξαμένοις.

Quemadmodum hic habebamus εὐνοίας ἔργα ἀποδείκνυσθαι, itidem legitur εὔνοιαν ἀποδείκνυσθαι VIII 24 p. 1554; VIII 42 p. 1603; εὔνοιαν καὶ προθυμίαν X 16 p. 2028; προθυμίαν autem VII 52 p. 1431 et VII 54 p. 1435; quocirca VII 41 p. 1401: περὶ τὴν ἀπαλλαγὴν τῶν πολέμων πλείστην ἐπιδειξάμενοι προθυμίαν, fere malim: ἀποδειξάμενοι. Sed pergo reliqua annectere. Quod legitur I 1 p. 2: τοὺς ἐμαυτοῦ λογισμοὺς ἀποδεικνύμενος et III 12 p. 441: τὴν αὐτὴν ἑκατέρου τῶν στρατηγῶν διάνοιαν ἀποδεικνυμένου, hi loci satis ostendunt I 6 p. 19 Ritschelium recte scripsisse ἀποδείξασθαι τὴν ἐμαυτοῦ διάνοιαν, cum in libris sit ἐπιδείξασθαι. Itidem probabimus V 12 p. 873 de Valerio Publicola: Φιλοσοφία τις ἐγένετο περὶ αὐτὸν ἣν ἐν πολλοῖς ἀπεδείξατο πράγμασιν, nam in ἐπεδείξατο foret vanitatis significatio, a qua ille vir quam maxime alienus erat.

Digitized by Google

Horatium Coclitem videmus V 25 p. 902 τοιαύτην ἀρετὴν ἀποδειξάμενον itemque Coriolanum VIII 30 p. 1570. Confer praeterea V 48 p. 956: εἴ τι πολίτευμα καλὸν ἀπεδείξατο, VII 12 p. 1340: ἐκφανέςατα καὶ τότε τὴν ἐαυτῆς δύναμιν ἀπεδείξατο, VII 33 p. 1383: λαμπρὸν οὐθὲν ἀποδειξάμενος, VIII 54 p. 1633: τὰς εὐεργεσίας ἀποδειξάμενον et X 38 p. 2094: τοσαύτην δεινότητα ἀποδειξάμενον. Atque haec quidem omnia recte se habent, sed vitiosus locus est VIII 1 p. 1505, ubi Coriolanus ab Tullo Attio petit ne velit εἰς τοὺς ἀτυχοῦντας καὶ τεταπεινωμένους ἀποδείκνυσθαι τὴν ἰσχύν. In Chisiano libro est ἐπιαποδείκνυσθαι, quod et ipsum indicio est rescribi oportere: ἐπιδείκνυσθαι. Quid intersit longe melius sentiri potest quam tribus verbis declarari. Sed etiamnunc dubito de III 13 p. 443: πολλῶν οὐ λόγῳ σπουδαζόντων μόνον ἀλλὰ καὶ ἔργῳ φιλοτιμίαν ἀποδεικνυμένων, ut tamen non ausim asseverare correctionem prorsus esse necessariam. Alii videant.

Nondum exhausta omnia, nam describendi loci nonnulli, e quibus etiam melius apparere poterit quomodo verbum ἐπιδείκνυσθαι ab Dionysio usurpetur. Veluti Attus Naevius III 70 p. 587 ὁμολογεῖται μεγίςου τυχεῖν ὀνόματος ἀπίςους τινὰς ὑπερβολὰς τῆς οἰωνομαντικῆς ἐπιςήμης ἐπιδειξάμενος. Eodem modo paulo infra regis verba sunt III 71 p. 590: νῦν καιρὸς ἐπιδείξασθαί σε τὴν ἀκρίβειαν τῆς μαντικῆς. Itidem rectissime VII 62 p. 1458 Coriolanus τὴν ἐσθῆτα περιρρηξάμενος ἐπεδείξατο τὰ ςέρνα τραυμάτων μεςά. Praeterea quod legitur VII 23 p. 1365: tribuni pl. ἐπεδείξαντο αὐθάδειάν τε καὶ ἀκοσμίαν, scripturae sinceritas confirmatur infra VII 34 p. 1385 de Coriolano: τοιαύτην αὐθάδειαν ἐπεδείξατο λόγων. Sed confiteor me alibi ancipitem haerere quid statuam. Veluti X 5 p. 1994 Cincinnatus Caesonis filii causam perorat, pleraque ὑπὸ φιλοτιμίας μειρακιώδους γεγονότα ἐπιδεικνύμενος. Magis etiam displicet XI 34 p. 2245: τὰς ἐπὶ τοῦ τόκου παραγενομένας καὶ τικτόμενον τὸ παιδίον ἰδούσας ἐπεδείκνυντο. Itidem IX 46 p. 1870: τοὺς νόμους ἐπεδείκνυτο οὓς ὁ δῆμος ἐπεκύρωσεν. Vel III 2 p. 409: τραυματίας συχνοὺς ἐπιδεικνύμενος. Sed utcumque de his locis existimabitur, plane non dubito quin eo loco a quo disputandi initium fecimus, erat autem I 1 p. 3, Schwarzius recte reposuerit: περιουσίαν ἐπιδείξασθαι τῆς περὶ λόγους δυνάμεως βουλόμενοι.

Digitized by Google

Illud quoque addam. Vix verendum est ne quis confundat activum verbum *ἀποδεικνύναι* cum medio *ἀποδείκνυσθαι*, nam discrimen in aprico est; sed aliquando confusa fuerunt verba *ἐπιδεικνύναι* et *ἐπιδείκνυσθαι*. Primum dabo aliquot exempla ubi recte activum invenitur. Veluti I 5 p. 15: *Ἕλληνας αὐτοὺς ὄντας ἐπιδείξειν ὑπισχνοῦμαι*. III 10 p. 433: *οὐκ ἂν ἔχοι τις ἐπιδεῖξαι φῦλον ἀνθρώπων ᾧ τῆς πολιτείας μεταδεδώκαμεν*. III 11 p. 437: *ὁ πολλοὺς πατέρας ἐπιχωρίους ἐπιδεῖξαι δυνάμενος*. X 33 p. 2080: *τοὺς ὑπηρέτας κακῶς διακειμένους ἐπεδείκνυσαν*. Denique: X 38 p. 2092: *τὸ δέκατον ἐπιδειξάτω μέρος ὧν ὑμῖν ὑπέδειξα ἐγώ*. Sed alibi fluctuant codices et editores titubarunt. Animadverti V 48 p. 956: scriptores debent imperatorum *τοὺς βίους εἰ μέτριοι διετέλεσαν ἐπιδείκνυσθαι*· hic miror Kiesslingium qui coniecerit *ἐπιδεικνύναι* et tamen I 8 p. 23 ediderit: *ὅλον ἀποδείκνυμι τὸν ἀρχαῖον βίον τῆς πόλεως*, cum in Chisiano sit *ἐπιδείκνυμι*. Itidem II 64 p. 364: *βουλόμενον ἐπιδείξασθαι τοῖς ἀπιστοῦσιν ἐναργές τι μήνυμα τῆς πρὸς τὸν δαίμονα ὁμιλίας*, verior scriptura est: *ἐπιδεῖξαι*, coll. Cobet. *Observ.* p. 52, sicuti habemus IV 35 p. 729: *τὴν τούτου συκοφαντίαν ἐπιδείξασθαι βουλόμενος*, ubi Cobetus probavit quod Kiesslingius correxit *ἐπιδεῖξαι*. Sed ohe, iam satis est! tercentos insero.

I 3 p. 12: *περὶ πόλεως γράφω τῆς περιφανεστάτης*. Dionysius scripsit praefationem aut certe se scripsisse simulat *ante* reliqua omnia. Hinc habemus c. 1 p. 2: *τὴν ἐμπειρίαν ἔλαβον τῶν γραφησομένων*. C. 5 p. 15: *ἐν ταύτῃ δηλώσω τῇ γραφῇ*. Ibid. *ἀπὸ τῆς μετὰ ταύτην ἀρξάμενος ἀναγραφῆς ἀφηγήσομαι*. C. 8 p. 24: *ἡ ἱστορία περὶ τοιούτων γενήσεται πραγμάτων*. Unde consequitur rescribendum esse: *περὶ πόλεως γράψω τῆς περιφανεστάτης*. Vide etiam futura *γενήσεται* et *τεύξεται* I 8 p. 24.

I 5 p. 16: *εἰ δὴ ἀπέστραι τοῦ λόγου τὸ ἐπίφθονον*. Hic haereo. Nulla urbs, inquit, viros domi praestantiores quam Roma tulit, nulla militiae, *εἰ δὴ ἀπέστραι τοῦ λόγου τὸ ἐπίφθονον*. In Codicibus parum est praesidii: Chisianus *εἰ δέ* habet, Stephanus coniecit *εἴγε*, quo non multum proficimus. Scripserim equidem: *εἰ δέ .... ἀπέστω τοῦ λόγου τὸ ἐπίφθονον*, quibus verbis inter-

Digitized by Google

pellat se ipsum: hinc recte sequitur: ἔχει γὰρ τι καὶ τοιοῦτον ἡ τῶν παραδόξων καὶ θαυμασῶν ὑπόσχεσις.

I 5 p. 16. Nulla est Graeca de initiis rerum Romanarum historia, ὅτι μὴ κεφαλαιώδεις ἐπιτομαὶ πάνυ βραχεῖαι. Inseram: ἐπιτομαὶ (μόναι). Idem vitium Stephanus sanavit I 8 p. 23.

I. 15 p. 41. Cutiliae lacus est in quo fluctuat insula, sicuti Plinius scribit H. N. III 12, cui lacui hodie nomen est *Lago Contigliano*. Describit autem Dionysius his verbis usus: ταύτην (τὴν λίμνην) ἔχουσάν τι θεοπρεπὲς ἱερὰν τῆς Νίκης οἱ ἐπιχώριοι νομίζουσι καὶ περιείρξαντες κύκλῳ σ ἐ μ μ α σ ι τοῦ μηδένα τῷ νάματι πελάζειν ἄ β α τ ο ν φυλάττουσιν. Plane non perspicio quomodo infulae homines avicularum instar arcere potuerint; hinc corcorrexeram σ α υ ρ ώ μ α σ ι *Mnem.* 1893 p. 352; sed quatuordecim annis ante, quod nunc demum comperi, eodem modo Dionysium sanaverat Petrus Iacobus Smit in dissertatione Academica. Non intelligo cur anno 1885 Iacobius tam evidentem correctionem ne memoraverit quidem, quum tamen in praefatione Smitii mentionem faciat. Nempe cognovit quatuor dissertationes Academicas Batavas: ex his haud raro utitur in adnotatione critica observationibus Garreri et Reudleri. Smitium non inspexisse videtur et certo certius numquam vidit eum qui in eo numero quartus est, Schwartzium dico, qui fragmenta collegit non huius Dionysii sed *Aelii* Dionysii, cuius lexicon rhetoricum Photius et per Photium Suidas partim certe ab interitu servaverunt. Sed illuc redeo. Noli mirari confundi vocabula σαυρός, σαύρωμα, σόμα, σράτευμα, σρῶμα· praeter exempla quae illic attuli, vide σαυρώματα et σρώματα confusa apud Polyaenum VIII 23. 9: γεφύρας διακεκομμένης, τὰ μὲν σ ρ ώ μ α τ α πεπηγότα ἐχούσης, τὰς δ' ἐπάνω δοκίδας ἀφῃρημένας, ubi vel puer emendabit σ α υ ρ ώ μ α τ α. Sunt omnes illae corruptelae repetendae ab noto compendio, quo σαυρός iam antiquitus scribi solebat. Σταυρώματα praeterea Dionysius appellavit I 26 p. 70 et VIII 67 p. 1668. Est autem toto coelo diversum quod Strabo tradidit V. 3: τὰ ἐν Κωτιλίαις ψυχρὰ ὕδατα, ἀφ' ὧν καὶ πίνουσι καὶ ἐγκαθίζοντες θεραπεύουσι νόσους. Ceterum lacum illi non ἄ β α τ ο ν servabant, sed ἀ π ρ ό σ β α τ ο ν.

Digitized by Google

I 17 p. 45: Ἐδέξαντο δ' αὐτοὺς scil. Pelasgos οἱ Ἀβοριγῖνες ἴσως μὲν καὶ κατὰ τὴν τοῦ [illegible] κτλ. ὡς δ' ἐγὼ πείθομαι κατὰ τὸ συγγενὲς μάλιστα. Supervacanea est particula καί saepeque videmus tum apud alios tum apud Dionysium coniunctionis καί et praepositionis κατά fuisse compendia simillima, quae etiam interdum sine vestigio perierunt. Veluti I 20 p. 52: τοπουμένους legitur pro κατατοπαζομένους. cf. Cobet. p. 24. Item Orator. p. 33 delevit καί I 27 p. 72: πόλεις τὰς ἔτι καὶ κατ' αὐτὸν ἐκεῖ οὔσας. Item I 46 p. 115: καὶ τὰ γηραιὰ σώματα, olim edebatur καὶ καταγηραιά. Denique II 6 p. 249: μεγίστη καὶ κατὰ τὴν ἐμὴν ἡλικίαν, Ambrosius coniunctionem expulit et ubique larga est talium copia. Hoc semper fugit Iacobium, veluti IV 30 p. 717.

I 20 p. 53. Exempla ponit Dionysius vocabulorum, quae olim a fronte Aeolicam literam habuerunt: ϝελένη, ϝάναξ, ϝοῖκος, ϝαήρ, καὶ πολλὰ τοιαῦτα. Ita Iacobius edidit cum codice Urbinate, nam in Chisiano ϝανήρ est; nec tamen opus est ostendere numquam haec vocabula habuisse digamma. Quam est mirum anno demum 1894 Leeuwenium vidisse *Enchirid. diction. epic.* p. 131 scribendum esse ϝαρήν! Quid potest esse evidentius?

I 28 p. 73. Sunt duae gentes, Lydi et Torebi; quarum sermo, ut scribit Xanthus, ὀλίγον παραφέρει, καὶ νῦν ἔτι σιλλοῦσιν ἀλλήλους ῥήματα οὐκ ὀλίγα, ὥσπερ Ἴωνες καὶ Δωριεῖς. Gravem corruptelam multi tollere conati sunt, uno excepto Meutznero, qui illud σιλλοῦσιν nescio quibus argutiis defendit. Ritschelius autem coniecit συλῶσιν, Reiskius ζηλοῦσιν ἀλλήλους εἰς ῥήματα, Sintenisius ὁμολογοῦσιν ἀλλήλοις, Meinekius ξυνοῦσιν ἀλλήλοις, Iacobius συνᾴδουσιν. Cobetus p. 26, postquam adscripsit Meinekianum inventum, quod Iacobius neglexit, de emendatione desperasse videtur, cum ne de sententia quidem constet. „Nam", inquit, „si utriusque gentis lingua *parum discrepat*, stultum est addere non pauca vocabula eos communia habere." Esto hoc; tamen quaesivi quid tandem sub illo σιλλοῦσιν lateret, nam facile nobis persuademus coniecturas quotquot hucusque prolatae sint, stare non posse. Equidem incidi in ξυνιᾶσιν ἀλλήλων, vel, si hoc mavis, Ionice ξυνιεῖσιν. Cf. I 35 p. 90.

Digitized by Google

I 34 p. 86 bis. Nonnulli eorum qui Herculem comitabantur, perdomita Hispania per Italiam in Graeciam redeuntes illic remanserunt παραιτησάμενοι τῆς πραγματείας ἀφεθῆναι. Si dixero me corrigere velle: τῆς στρατείας ἀφεθῆναι, etiamsi digitum intenderim in ea quae seq. pag. inveniuntur: ἄφεσιν τῆς στρατείας αἰτησάμενον, multi tamen fortasse refragabuntur, quum nimis violentam esse correctionem contendant. Sed quam est utile in tempore meminisse si qua forte literarum confusio etiam alibi inveniatur. Apud Platonem autem in Theage p. 129 D itidem στρατεία et πραγματεία confusa fuerunt et vide praeterea Bastium ad Greg. Cor. p. 931.

I 34 p. 87 bis: ἐμέμικτο δέ τι καὶ Τρωϊκὸν αὐτοῖς. Legam: ἐνεμέμικτο, quemadmodum est I 60 p. 153: οἷς καὶ Τρωϊκόν τι ἐμμέμικται. Hoc habet Dionysius supra ceteros plerosque omnes: eadem semper enunciat modo eodem.

I 34 p. 87 bis: πᾶν εἴ τι καματηρὸν ἢ τῇ πλάνῃ ἀχθόμενον ἦν. Non est dubium quin multi ex Herculis comitibus longinquo itinere et immensis laboribus fracti fuerint; hinc corrigam: πᾶν ὅ τι. Eadem correctio etiam magis necessaria est I 46 p. 116, ubi Aeneas secum absportasse dicitur τῶν ἄλλων εἴ τι πλείσου ἄξιον ἦν σῶμα ἢ χρῆμα.

I 37 p. 92. Etiam Dionysio Italia est *la bella*, digna quam laudibus in coelum efferat. Ποίας μὲν γὰρ, exclamat, λείπεται σιτοφόρου μὴ ποταμοῖς ἀλλὰ τοῖς οὐρανίοις ὕδασιν ἀρδομένης τὰ καλούμενα Καμπανῶν πεδία; κτἑ. Ipsa praestantia duorum Codicum, Chisiani et Urbinatis, fecit ut post annum 1860 in oblivionem abiret vulgata scriptura ἀρδόμενα, quae verissima est. Dionysius Campaniam Aegypto anteponit, quam Nilus irrigat.

I. 38 p. 97. Hic haereo et mirificus error est, credo, ipsius Dionysii. Narrat de festo quodam, quod peragebant μικρὸν ὕστερον ἐαρινῆς ἰσημερίας ἐν μηνὶ Μαΐῳ ταῖς καλουμέναις εἰδοῖς. Itane μικρὸν ὕστερον? Intervallum est dierum LV et solstitium iam propius instat.

Digitized by Google

I 39 p. 98. Cobetus multis locis ostendit pro praepositione περὶ reponendum esse ὑπέρ et notum est eas voculas perpetuo solere confundi. Sed praeterea sciendum est, quod argumentum Cobetus, si bene memini, non attigit, Dionysium sexcenties praepositionem ὑπέρ usurpare, ubi multo satius fuisset περὶ ponere. Pauca quaedam exempla dabo. Eo loco quem supra indicabam: τῶν ὑπὲρ τοῦ δχίμενος λεγομένων. VI 92 p. 1254: ὑπὲρ οὗ πρότερον ἔφην. VII. 40 p. 1399: τὰ πράγματα ὑπὲρ ὧν λέξομεν, quamquam praecedit περὶ τηλικούτων λέγειν et VII 39 p. 1398: περὶ ὧν ἤκουσιν ἐκέλευον λέγειν. VII 41 p. 1400: ὑπὲρ ὧν λέγομεν et mox περὶ ὧν οὐκ εἰσὶ νόμοι. VII 46 p. 1413: ὑπὲρ ὧν ἐνεκαλεῦντο. VII 47 p. 1416: Appii Claudii γνώμη est ὑπὲρ τῶν πρὸς τὸν δῆμον διαλύσεων. X 11 p. 2010: τὴν ὑπὲρ τῶν μηνυομένων ζήτησιν. Ex quibus exemplis, quae nullo negotio augeri possunt, hoc quoque apparet hunc abusum non esse repetendum ab horrore hiatus, quem Dionysius non nimis sedulo vitavit etiam Benselero iudice. Alia, quod minime mirum, corrigenda sunt; veluti V 65 p. 1002 πολέμους appellat περὶ τῆς ἡγεμονίας, quod dictum oportuit ὑπέρ. Contra VI 75 p. 1213: ὑπὲρ ἀνδραποδισμοῦ καὶ κατασκαφῆς τῶν πόλεων, praestat περί. Itidem considerandus locus est VI 40 p. 1130: ὃ δέ μοι δοκεῖτε ἐπὶ πάντων ὑποπτεύειν, τοῦτ' οὐ δικαίως ἂν ὑποπτεύοιτε καὶ περὶ ἐμοῦ. Sed in talibus componendis vix devoro taedium.

I 39 p. 98: κελευσθεὶς σὺν τοῖς ἄθλοις καὶ τὰς βοῦς ἀπελάσαι. Itidem minutum est rescribere: ἐν τοῖς.

I 40 p. 102. Arcades cum Evandro omnium primi Herculem Caco interfecto deum ἐνόμισαν. Hoc si fecerunt, errarunt, nam quod legitur sup. pag. διαμείψας demum τὴν θνητὴν φύσιν immortalis futurus erat propter virtutem. Itaque verius iudico: ὠνόμασαν.

I 42 p. 108. Offendit in Italia Hercules Cacum ἐρυμνοῖς χωρίοις ἐπικαθήμενον, sed quoniam Cacus semper in spelunca habitasse traditur, malo: ἐγκαθήμενον.

Digitized by Google

I 46 p. 116. Omnium postremus Aeneas Troianam arcem relinquit, *ἀνοίξας τὰς Φυγάδας πύλας*. Hic omnes interpretes haeserunt: Urlichsius corruptum vocabulum delevit, Meinekius *Φηγάδας* scripsit, Madvigius *Φυγαδικάς*, Iacobius post Kiesslingium alio amandavit. Quaero equidem an non probari debeat: *τὰς Φρυγίας πύλας*, coll. I 53 p. 137.

I 50 p. 126: *θύουσιν Ἀφροδίτῃ πρὸς τῷ κατασκευασθέντι ἱερῷ θυσίαν*. Palam est hic aliquid excidisse et supplendum est *τῷ κατασκευασθέντι (νεῳ ἢ) ἱερῷ*. Fecit in insula Zacyntho Aeneas quod ubique facit et templum Veneri dedicavit.

I 51 p. 130: *σὺν αὐτῷ τινες τῶν Φίλων ὑπέμειναν ἐν τῷ σόλῳ*. Haec vulgata scriptura est, sed Urbinas et Chisianus habent *ἐν τῷ σίλῳ*, quod Madvigius correxit *ἐν τῷ πλῷ*. Hanc emendationem Iacobius adscribit in margine nec lectionis praestantiam agnovisse videtur. Saepe animadverti nuperrimum editorem palaeographicae artis non esse peritissimum.

I 53 p. 136: *εἰσὶ δ' οἳ τὸν ἐξ Ἀφροδίτης Αἰνείαν λέγουσι κατασήσαντα τὸν λόχον εἰς Ἰταλίαν ἀνακομισθῆναι πάλιν οἴκαδε*. Pflugkius correxit *τὸν ὄχλον*· equidem commendaverim: *τὸν σόλον*.

I 54 p. 139. Hoc capite quaeritur cur tam multis locis Aeneae *τάφοι* commonstrentur; quippe *τὸν μετ' ἀνθρώπων βίον ἐκλιπὼν ἡρῴοις ἐκοσμεῖτο καὶ μνημάτων κατασκευαῖς πολλαχῇ*. Valde notabile est in Codice Chisiano *ἠρίοις* legi. Memoratur quidem *ἱερὸν* Aeneae I 53 p. 134 et *ἡρῷον* I 50 p. 127, uti et I 64 p. 163, sed erat *χωμάτιον οὐ μέγα καὶ περὶ αὐτὸ δένδρα σοιχηδὸν πεφυκότα θέας ἄξια*. Harpocration vocabulum apud Lycurgum invenit: secundum eum *ἠρία εἰσὶν οἱ τάφοι· φασὶ δέ τινες κοινότερον μὲν πάντας τοὺς τάφους οὕτως ὀνομάζεσθαι, κατ' ἐξαίρετον δὲ τοὺς μὴ ἐν ὕψει τὰ οἰκοδομήματα ἔχοντας*. Conferantur ad hunc locum Hemsterhusius et Valesius.

I 56 p. 143. Aeneae audita fuit divina vox quae pollicita est *παισὶν αὐτοῦ καὶ ἐγγόνοις ἔσεσθαι ἀρχὴν μεγίστην καὶ ἐπὶ*

Digitized by Google

πλεῖστα χρήσει ἐκμηχανήσασθαι ὑπάρξαι. Violatur syntaxis et, si cum Sylburgio ὑπάρξειν scripseris, elumbis sententia evadet. Optimum, credo, remedium: ἐκμηχανήσασθαι ὕπαρξιν. Vide hoc vocabulum quo opes et facultates significantur, apud ipsum Dionysium V 48 p. 956 et VII 8 p. 1330. Redit locutio εἰς μάχην ἐκμηχανᾶσθαι χρήσει VI 83 p. 1231.

I 71 p. 178: τελευτῆσαι δ' αὐτὸς ἐν μάχῃ παρὰ ποταμῷ γενόμενος λέγεται. Malim: ἐν μάχῃ παραποταμίῳ.

I 72 p. 181: ταύτην δὲ λέγει ταῖς ἄλλαις Τρῳάσι παρακελευσαμένην κοινῇ μετ' αὐτῶν ἐμπρῆσαι τὰ σκάφη βαρυνομένην τῇ πλάνῃ. Scripsissem equidem: βαρυνομένων.

I 73 p. 184: ἐκ παλαιῶν λόγων ἕκαστός τι παραλαβὼν ἀνέγραψεν. Commodior scriptura: ἕκαστός τις ἃ παρέλαβεν ἀνέγραψεν.

I 75 p. 191: τοῖς ἔτεσιν οἷς ἕκαστοι κατέσχον τὴν ἀρχήν. Hiccine poterit ullo modo probari pluralis numerus? Cf. Cobet. *Observ.* p. 39. Sed est fortasse quaedam ipsius Dionysii incuria; veluti III 7 p. 420 non minus absonum est: ἑκάτεροι διελέγοντο.

I 78 p. 197: ἐπειδὴ τὴν νόσον αἱ γυναῖκες ἀπόρρητον ἀνθρώποις ἠτιῶντο εἶναι. Non probo Kayserum qui ἀνδράσιν correxit, nam requiro emendationis facilitatem et sponte sese mihi obtulit ἀπόρρητον ἄλλοις. Poterit etiam quis cogitare de: ἀπόρρητον αὐτοῖς, i. e. medicis quos ad puellam miserat rex Amulius. Sic II 4 p. 244: ἄξιος ὑπ' ἀνθρώπων κριθείς Cobetus *Observ.* p. 40 correxit: ὑπ' αὐτῶν. Malo tamen: τοῖς ἄλλοις, quoniam continuo sequitur reginam γυναικείᾳ τεκμάρσει τὸ ἀφανὲς τοῖς ἄλλοις ἀνευρεῖν.

I 78 p. 199: τὴν γνώμην τοῦ βασιλέως ἔμαθον οἱ σύνεδροι ἀπαραιτήτῳ τῇ ὀργῇ χρωμένην. Lege: χρωμένου. Quis umquam vidit γνώμην ὀργῇ χρωμένην?

I 79 p. 201. De fiscella sermo fit in qua gemini expositi:

Digitized by Google

τοῦ ῥείθρου κατὰ μικρὸν ὑποχωροῦντος ἐκ τῶν περὶ ἔσχατα λίθου προσπταίσει περιτραπεῖσα ἐκβάλλει τὰ βρέφη. Corrigo: ἐκ τῶν περιεσχάτων. Vocabulum Dionysius ab Herodoto V 101 mutuatus est.

I 79 p. 202. Conspiciunt pastores lupam ὥσπερ τέκνα περιέπουσαν, τὰ δὲ ὡς μητρὸς ἐξεχόμενα. Suppleverim: ὥσπερ (μητέρα) τέκνα.

I 81 p. 211. Numitor Romuli τοῦ σώματος τὴν εὐπρέπειαν ἀπεθαύμαζεν. Nimis tenuis ea laus est et rescribam: τὴν ἐκπρέπειαν. Habebat adulescens πολὺ τὸ βασιλικόν.

I 82 p. 213. Postquam Numitor Remum agnovit, mittit certum quendam hominem, qui Romulum arcessat: πέμπεταί τις ἐξευρεθεὶς ὃς ἐδόκει ὑπηρετήσειν. Palam est aliquid excidisse: hinc Reiskius supplevit: ὃς (προθύμως καὶ πιστῶς) ἐδόκει, Meinekius autem hiatuum minime fugitans: (εὖ) ὑπηρετήσειν. Verum hoc misso, quid significat ἐξευρεθείς? Gravis, uti arbitror, latet corruptela et reposuerim: πέμπεταί τις ἐξελεύθερος. Dionysius appellavit τὸ ἐξελευθερικὸν φῦλον libertinos IV 22 p. 692.

I 85 p. 223: τὸ χωρίον ἔνθα ἔμελλον ἱδρύσειν τὴν πόλιν οὐ τὸ αὐτὸ ᾑρεῖτο ἑκάτερος. Malim sane: ᾔρητο. Similiter IV 10 p. 661: τῆς βουλῆς ὃν αὐτὴ προῃρεῖτο παραγούσης ἐπὶ τὰ πράγματα, verior scriptura videtur προῄρητο. Itidem IV 65 p. 799 Lucretia coacta fuit περιιδεῖν αὐτὸν ἃ προῃρεῖτο διαπραξάμενον, commendo προῄρητο et cum Reiskio διαπραττόμενον. Magis etiam necessaria eadem correctio est V 60 p. 990: ἐπ' ἐκείνῳ τὴν ἐξουσίαν ἐποίησαν ἅπαντα πράττειν ὅσα προῃρεῖτο. Contra plusquamperfectum displicet III 47 p. 539.

II 1 p. 235. Dicuntur Oenotri nomen habere ἐπ' Οἰνώτρου· contra I 13 p. 35 Οἶνωτρος est ἀφ' οὗ Οἰνωτροι nomen habent. Hic quaeritur utrum praepositio ἀπὸ se rectius habeat an ἐπί. Collegi ex Dionysio aliquammultos locos ut viderem numquid

Digitized by Google

inter ἐπὶ et ἀπό interesset et comperi personas plerumque dici ἀπό τινος, loca vero ἐπί τινος nomen habere. Pauci fortasse loci refragarentur, nisi duo essent capita I 72 et 73, in quibus octies adeo invenitur ἀπό, ubi exspectabam ἐπί. Ceterum ratio satis constat: Πευκέτιοι sunt ἀπὸ Πευκετίου I 11 p. 32 et I 13 p. 35, Λυκάονες ἀπὸ Λυκάονος I 12 p. 33, Ἰταλοὶ ἀπ' Ἰταλοῦ I 12 p. 34, ἀπὸ Σικελοῦ οἱ ἄνθρωποι καὶ ἡ νῆσος I 22 p. 57, Τυρρηνοὶ ἀπὸ Τυρρηνοῦ I 27 p. 70, cet. Contra Αὐσόνιος κόλπος ἐπὶ τῶν Αὐσόνων I 11 p. 32, Τρινακρία ἐπὶ τοῦ σχήματος I 22 p. 57, Παλάτιον ἐπὶ Πάλλαντος I 32 p. 83, Ἰταλία ἐπὶ τοῦ ταύρου I 35 p. 90, Mons Caelius ἐπὶ Καιλίου II 36 p. 313, τὸ Φρούριον ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ Κρεμέρα, IX 5 p. 1781, alibi. Nec mirum has praepositiones alibi haud ita raro confusas fuisse; *plerumque* tamen discrimen obtinet quod dixi. Rem ulterius indagabunt quibus maius est otium.

II 18 p. 272: σωφροσύνην τε καὶ δικαιοσύνην. Est sententia paulo longior quam quae hic describatur, sed quod praecedit: τὴν παρὰ τῶν θεῶν εὔνοιαν et quod sequitur τὴν εὐδαιμονίαν et τὴν γενναιότητα, luculenter ostendunt articulum abesse non posse et legendum esse: (τὴν) σωφροσύνην. Sexcenties vidi apud Dionysium articulum ab librariis perperam omissum esse, sed semel hoc dixisse satis habeo. Alibi male insertus fuit, veluti VI 73 p. 1206: τὰ φανερώτατα et VI 80 p. 1223: τὸν ἀνέψιον.

II 19 p. 276: περιάγουσιν ἀνὰ τὴν πόλιν οὗτοι μητραγυρτοῦντες. Est operae pretium de hoc loco paulo diligentius exponere. Laudat Dionysius Romanos quod nullas norunt θεοφορήσεις, non κορυβαντιασμούς, non ἀγυρμούς, non βακχείας καὶ τελετὰς ἀπορρήτους, cetera id genus. Imprimis admirabile est, etsi tot barbarae gentes Romam confluxerint et peregrinae ceremoniae etiam divino iussu receptae sint, quod illa fiunt Romano ritu; civitas τοῖς ἑαυτῆς αὐτὰ τιμᾷ νομίμοις ἐκβαλοῦσα τερθρείαν μυθικήν. Exemplo sunt Megalesia: etenim Magnae Matri θυσίας καὶ ἀγῶνας ἄγουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος οἱ στρατηγοὶ κατὰ τοὺς Ῥωμαίων νόμους, ἱερᾶται δ' αὐτῆς ἀνὴρ Φρὺξ καὶ γυνὴ Φρυγία καὶ περιάγουσιν ἀνὰ τὴν πόλιν οὗτοι μητραγυρτοῦντες. Despicatissimum sacerdotum genus optime novimus ex Apuleio et ex

Digitized by Google

Luciani Asino. Uterque circumforanea mendicabula iisdem coloribus depinxit. Erant, ut Apuleius perhibet, de triviali popularium faece qui per plateas cymbalis et crotalis personantes Deamque Syriam circumferentes mendicare compellebant et stipes aeneas, immo vero et argenteas, multis certatim offerentibus, sinu recipiebant patulo. Apud Lucianum describitur senex *τῶν τὴν θεὸν τὴν Συρίαν εἰς τὰς κώμας καὶ τοὺς ἀγροὺς περιφερόντων καὶ τὴν θεὸν ἐπαιτεῖν ἀναγκαζόντων*. Dicebatur hoc *ἀγείρειν* et *περιαγείρειν*, a quo aliquantulum differt medium *ἀγείρεσθαι* et *περιαγείρεσθαι*, nam sacerdotes qui *Deae suae* stipem petunt *ἀγείρουσι* et *περιαγείρουσι*· qui autem *sibi* munuscula petunt mendici *ἀγείρονται* et *περιαγείρονται*. Itidem medium verbum, uti aequum fuit, in usu fuit de iis quos palma nobilis ad deos evexerat. Platonis librorum de Republica ultima verba sunt: *ἵνα .... ἐπειδὰν τὰ ἆθλα αὐτῆς κομιζώμεθα, ὥσπερ οἱ νικηφόροι περιαγειρόμενοι, καὶ ἐνθάδε καὶ ἐν τῇ χιλιέτει πορείᾳ, εὖ πράττωμεν*. Est de eo loco perdocta Boethi adnotatio apud Photium in voce, quam cognoscere pretium est, quum nos hodie non nisi ambubaias et balatrones et funambulos noverimus *περιαγειρομένους*. Itaque Boethus scribit: *ὥσπερ οἱ νικηφόροι περιαγειρόμενοι ἀθληταί· Πολιτείας ἰ ἐπὶ τέλει. λέγεται γὰρ ὅτι τὸ μὲν ἐξαρχῆς ἆθλα προυτίθεσαν τοῖς ἀγωνιζομένοις, ὃν τρόπον καὶ Ὅμηρος καὶ ἄλλοι ποιηταὶ ἱστοροῦσιν· ἐπεὶ δ' ἤρξαντο χωρὶς ἄθλων ἀγωνίζεσθαι, τοὺς νικήσαντας οἱ μὲν κατὰ φιλίαν ἢ συγγένειαν προσήκοντες στεφάνοις ἀνέδουν· τῶν δ' ἄλλων οἱ μὲν σύνεγγυς καθήμενοι καὶ περιουσιάζοντες πλέονος ἄξια ἐπετίθεσαν· οἱ δὲ πορρωτέρω ἄνθεσι καὶ φύλλοις ἔβαλλον περιερχομένους· ὡς καὶ νῦν τοῖς ἐπιφανῶς ἀγωνισαμένοις ἐπιβάλλουσι πετάσους καὶ ζώνας, οἱ δὲ χιτῶνας. Ἐκ τούτου σύνηθες ἐγένετο κύκλῳ περιπορευομένους τοὺς ἀθλητὰς περιαγείρειν καὶ λαμβάνειν τὰ διδόμενα, κτέ*. Profecit Boethus ex Eratosthene, cuius doctrinam servavit Scholiasta ad Euripidis Hecubam vs. 569, ubi poeta narrat de Polyxena, cuius cadaver *φύλλοις ἔβαλλον· τοῦτο παρὰ τοὺς χρόνους. Ἐρατοσθένης γὰρ περὶ τῆς φυλλοβολίας φησὶν ὡς πάλαι χώρις ἄθλων ἀγωνίζομένων τῶν ἀνθρώπων τῷ νικήσαντι καθάπερ ἔρανον εἰσφέροντες ἔρριπτον τῶν θεατῶν ὅτου ἕκαστος ἠπόρει. οἱ μὲν οὖν ἐμπορευόμενοι διάφορα δῶρα, τῶν δὲ λοιπῶν οἱ μὲν ἐγγὺς καθήμενοι στεφάνους ἐπετίθεσαν, οἱ δ' ἀνωτέρω τοῦθ' ὅπερ ἦν λοιπόν, ἔβαλλον*

Digitized by Google

τοῖς ἄνθεσι καὶ Φύλλοις καὶ νῦν ἐπὶ τοῖς ἐπιφανῶς ἀγωνιζομένοις προβάλλουσι χιτῶνας, πετάσους, χιτωνίσκους, κρηπῖδας· διὸ δὴ σύνηθες ἦν κύκλῳ περινοστοῦντας ἀγείρειν τὰ διδόμενα, κτέ. Est etiam alius Platonis locus non minus luculentus, Rep. II p. 381, ubi vetat ne quis poeta μηδ' ἐν τραγῳδίαις μηδ' ἐν τοῖς ποιήμασιν εἰσάγῃ Ἥραν ἠλλοιωμένην ὡς ἱέρειαν ἀγείρουσαν

Ἰνάχου Ἀργείου ποταμοῦ παισὶν βιοδώροις.

Etiam pauperum pueris solemne erat verno tempore τὸ περιαγείρεσθαι. Rhodii hoc appellabant χελιδονίζειν, apud Athenaeum VIII p. 360, cuius loci quantum commemini nuper Gelderus immemor fuit in docto libro de Rebus Rhodiorum. Cantilena erat:

ἦλθ' ἦλθε χελιδών,
καλὰς ὥρας ἄγουσα
καλοὺς ἐνιαυτούς,

et quae sequuntur. Nihil erat admodum cur quis lepidis pueris succenseret nec dissimiles mores sunt, qui in his terris etiam ad nostram aetatem perdurarunt; sed propudiosos illos sacerdotes Romani vehementer perosi erant. Veluti quod scribit Dionysius, egregie confirmatur Plutarchi testimonio in vita Marii c. 17: ἀφίκετο καὶ Βατάκης ἐκ Πεσσινοῦντος ὁ τῆς Μεγάλης Μητρὸς ἱερεὺς ἀπαγγέλλων ὡς ἡ θεὸς ἐκ τῶν ἀνακτόρων αὐτῶν ἐφθέγξατο νίκην καὶ κράτος πολέμου Ῥωμαίοις ὑπαρξειν. Τῆς δὲ συγκλήτου προσθεμένης καὶ τῇ θεῷ ναὸν ἐπινίκιον ἱδρύσασθαι ψηφισαμένης, τὸν Βατάκην εἰς τὸν δῆμον προελθόντα καὶ ταὐτὰ βουλόμενον εἰπεῖν ἐκώλυσε δημαρχῶν Αὖλος Πομπήϊος, ἀγύρτην ἀποκαλῶν καὶ πρὸς ὕβριν ἀπελαύνων τοῦ βήματος. Hinc facile intellectu est quanta cum indignatione homines spectaverint Ptolemaeum illum, ad quem venit Spartanorum rex Cleomenes, Plut. in vita c. 33: ὁ γὰρ βασιλεὺς οὕτως διέφθαρτο τὴν ψυχὴν ὑπὸ γυναικῶν καὶ πότων, ὥςε, ὁπότε νήφοι μάλιςα καὶ σπουδαιότατος αὐτοῦ γένοιτο, τελετὰς τελεῖν καὶ τύμπανον ἔχων ἐν τοῖς βασιλείοις ἀγείρειν. Sed haec iam plus quam satis sunt et alia multa invenies apud Ruhnkenium ad Tim. p. 10 et p. 216, uti et apud Cobetum *Mnem.* 1860 p. 431 et 1862 p. 387 et ἐν τῷ Ἑρμῇ Λογίῳ p. 473. Quodsi autem addidero apud Photium in unico Codice Galeano legi: νικηφόροι περιαγόμενοι, certatim autem ab omnibus correctum fuisse περιαγειρόμενοι, vix quisquam hisce perlectis dubitabit quin apud Dionysium itidem

Digitized by Google

rescribendum sit: περιαγείρουσιν ἀνὰ τὴν πόλιν οὗτοι μητραγυρτοῦντες pro περιάγουσιν.

Cum hoc verbo ἀγείρειν coniunctum est substantivum nomen ἀγυρμός, nam ita scribitur eo Dionysii loco a quo tota haec disputatio profecta est, in Codice Urbinate, non ἀγερμός. Itidem sunt συναγυρμοὶ τροφῆς in Excerptis Escorialensibus Dionysii XII p. 171. 13 Ksl. Etiam Plato Politic. p. 272 C συναγυρμὸν φρονήσεως appellavit et συναγυρτὸν ὕδωρ Legg. VIII p. 845 E. Hinc fortasse elui poterit mendum quod Cobetus neglexit tollere, quum agebat de loco Clementis Alexandrini qui legitur Paedag. II 8 p. 212: ἐν δὲ τοῖς ἀγῶσι πρῶτον ἡ τῶν ἄθλων δόσις ἦν, δεύτερον δὲ ὁ ἐπαγερμός, τρίτον ἡ φυλλοβολία, τελευταῖον ὁ στέφανος, ἐπίδοσιν λαβούσης εἰς τρυφὴν τῆς Ἑλλάδος μετὰ τὰ Μηδικά. In omnibus Codicibus inventum erat ἐπεγερμός, quod Ferrarius emendavit ut fieret ἐπαγερμός. Cobetus studuit ostendere vocabulum alibi nusquam lectum scribendum esse περιαγερμός· mihi necessaria forma videtur περιαγυρμός, ut triplex fuerit in uno vocabulo vitium.

Ceterum hic notandae sunt duae mirificae correctiones Madvigii in *Adversariis* I p. 713. Duo sunt loci apud Diogenem Laertium IV 16 et VII 12. Priore loco docemur Polemonem adeo fuisse ἀκόλαστον ὥστε καὶ περιφέρειν ἀργύριον πρὸς τὰς ἑτοίμους λύσεις τῶν ἐπιθυμιῶν· alter locus de Zenone est: ποιήτας δέ ποτε κοῖλον ἐπίθημα τῇ ληκύθῳ περιένεγκε νόμισμα, λύσιν ἕτοιμον τῶν ἀναγκαίων ἵν' ἔχοι Κράτης ὁ διδάσκαλος. Dixeris neque hunc usum verbi περιφέρειν obscurum esse et alterum locum altero egregie confirmari. Stultae fabellae sunto; sed probe intelligimus quid Diogenes dicat. Madvigius tamen verbum περιαγείρειν reposuit, quod vere ut dicam, nec coelum nec terram tangit.

II 20 p. 247. Sunt Graecorum μῦθοι ταραχὰς ἐξαιρούμενοι ψυχῆς καὶ δείματα καὶ δόξας καθαιροῦντες οὐχ ὑγιεῖς. Est verbum καθαίρειν, quod duplici modo cum quarto casu construitur, nam tum ipsum corpus καθαίρομεν dum sordes eluimus; tum Iuno apud Homerum λύματα πάντα κάθηρεν· est notum hoc. Hinc malo δόξας καθαίροντες οὐχ ὑγιεῖς et noli credere hanc nimis temerariam coniecturam esse, nam est ipsa lectio

Digitized by Google

Codicis Urbinatis. Xenophon in Convivio viros appellat *ἐκκεκαθαρμένους τὰς ψυχάς.*

II 25 p. 288. Mirum est Iacobium cum Urbinate Codice *οὐλὰς* maluisse scribere, quam cum reliquis omnibus *ὀλάς.*

II 25 p. 290: *ὃ πάντων ἐλάχιστον ἁμαρτημάτων Ἕλλησι δόξειεν ἂν ὑπάρχειν, εἴ τις οἶνον εὑρεθείη πιοῦσα γυνή.* Hic tres loci conferendi sunt quos Cobetus correxit: IV 16 p. 677: *σοφώτατον ἁπάντων πολιτευμάτων εἰσηγήσατο·* Cobetus: *πολίτευμα.* VI 66 p. 1190: *εἰς ἔριν ἐμπεπτωκότας ὀλεθριωτάτην τῶν ἀνθρωπίνων νόσων·* Cobetus *νόσον.* VII 7 p. 1328: *δύο τὰ κάκιστα τῶν ἐν ἀνθρώποις καθίσταται πολιτευμάτων·* Cobetus *πολιτεύματα.* Ob eandem causam eademque opera: II 16 p. 268: *πολίτευμα κράτιστον ἁπάντων πολιτευμάτων ὑπάρχον,* dele id quod est *πολιτευμάτων.* II 27 p. 294: *ἁπάντων κράτιστον ἡγούμενοι νόμων,* iam Sylburgius correxit idque Iacobius recepit *νόμον.* II 76 p. 401: *τὸν ἐκ γῆς πλοῦτον ἁπάντων ὄντα πλούτων δικαιότατον,* Kiesslingius delevit *πλούτων.* Sic recte legitur V 15 p. 781: *μέγιστος ἁπάντων ἀγών* et V 54 p. 974: *πόλεμον ἁπάντων βαρύτατον.* VI 20 p. 1084: *τυράννῳ θηρίων ἁπάντων ἀγριωτάτῳ,* scribe *θηρίῳ.* Edidit Iacobius cum codice Urbinate I 16 p. 44: *ἄγους οὐδενὸς ἔλαττον τοῦτο τιθέμενοι,* malo cum reliquis libris *ἄγος.* II 30 p. 301: *τρόπων συμπάντων ἐπιφανέστατον,* recte in Chisiano legitur: *τρόπον,* sicuti recte scribitur III 1 p. 406: *ἔργον ἁπάντων μεγαλοπρεπέστατον* indeque malim III 23 p. 474: *πάντων κακὸν ἔσχατον,* non *κακῶν* — itemque eo loco a quo exorsi sumus: *πάντων ἐλάχιστον ἁμάρτημα,* sed paulo post optime scribitur: *ἁμαρτημάτων γυναικείων αἴσχιστα* vel fortasse *ἔσχατα.*

II 26 p. 291. Saepius quam putaveris etiam in novissima Iacobii editione *ἕως* cum coniunctivo construitur sine particula *ἄν.* Observavi locos qui sequuntur: II 26 p. 291; III 7 p. 423; III 17 p. 452; III 64 p. 574; IV 4 p. 643; IV 5 p. 646; IV 79 p. 827; V 8 p. 862; V 9 p. 863; V 42 p. 941; VI 62 p. 1180; VII 3 p. 1315; VII 8 p. 1328; VII 9 p. 1333; VIII 2 p. 1507; VIII 41 p. 1602; VIII 47 p. 1614; VIII 75

Digitized by Google

p. 1692; IX 2 p. 1742; X 18 p. 2035; XI 13 p. 2163; XI 32 p. 2240. Plerumque ἂν particula sic simpliciter inserenda est; interdum optativo vel etiam indicativo opus est, veluti IV 79 p. 827, VIII 35 p. 1586 vel X 1 p. 1984. Rarius fit ut ἂν perperam optativo additum sit, sicuti V 13 p. 874, VII 1 p. 1309 vel II 28 p. 298. Multo turpius est, sicubi τέως pro ἕως legitur: Cobetus quatuor locos correxit I 33 p. 86; I 38 95; I 69 p. 174 et V 44 p. 945; enotavi praeterea VI 68 p. 1194. Longe vero turpissimum quod Iacobius haud raro, ubi ἕως recte legebatur, soloecum τέως per malesanam coniecturam in textum intulit; fecit hoc I 55 p. 141; II 46 p. 332; II 54 p. 351; IV 46 p. 757; IV 57 p. 778; V 33 p. 918; V 44 p. 945; V 70 p. 1015; VI 1 p. 1037; VI 14 p. 1071; VI 68 p. 1195; VIII 20 p. 1546 et VIII 64 p. 1651. Nimirum hiatus horror eum adegit ad id quod absurdum est indeque VII 48 p. 1418 coniecit quidem τέως, sed quum forte consonans litera praecederet, non opus habuit suum inventum textui obtrudere. Verum quis nescit hiatuum omne genus apud Dionysium crebro inveniri eoque minus offensionis est in ἕως, etiamsi vocalis litera praecedat, quum inter utrumque vocabulum necessario interpungatur vel certe vox aliquantulum subsistat.

II 28 p. 296: εἰ δὲ μηδὲν εἴη τὸ κωλῦσον. Simili modo Dionysius saepe loquitur et formulam adamasse videtur; enotavi certe locos plus quam triginta. Sed haud raro factum est ut praesens pro futuro irreperet, licet optio numquam ambigua possit esse. Sunt eiusmodi correctiones apud Dionysium etiam evidentiores quam apud plerosque alios, quum semper eadem eodem modo dicere amet. Legitur III 28 p. 495: οὐδὲν ἂν τὸ κωλῦον ἦν, sed vide futurum II 67 p. 369: οὐδὲν ἦν τὸ κωλῦσον, quae verba recurrunt V 61 p. 993; IX 9 p. 1760: μηδὲν ἔτι τὸ κωλῦσον ἔσῳ· IX 14 p. 1775: οὐδὲν ἂν τὸ κωλῦσον ἦν ἀπολέσθαι. Hinc itidem parata medicina III 6 p. 419, ubi eadem verba leguntur, quae modo habebamus III 28 p. 495. Legitur VI 19 p. 1082: οὐδὲν ἔσεσθαι τὸ κωλῦον, sed vide futurum II 72 p. 373 et X 28 p. 2064: est hoc Dionysio in deliciis, qui itidem scripsit IV 83 p. 836: οὐ φόβος ὁ καθέξων ἔσαι. Non

Digitized by Google

aliter iudicandum de VI 71 p. 1200: *οὐδὲν ἔτι τὸ κωλῦόν ἐστιν* et VI 72 p. 1205: *οὐδὲν ἔφησεν εἶναι τὸ κωλῦον*. Legitur VIII 25 p. 1558: *τί οὖν κωλύει σε ἀπολαβεῖν*; sed in interrogatione Dionysius futurum habet VI 86 p. 1239: *τί κωλύσει ἀπολέσθαι τὴν πόλιν*; VI 78 p. 1219: *τί κωλύσει ἀκυρωθῆναι ταῦτα*; VIII 8 p. 1520: *τί κωλύσει ἀποστῆναι*; Exstat X 11 p. 2011: *τί οὖν τὸ κωλῦον ἔσται* et XI 5 p. 2170: *τί τὸ κωλῦον ἔσται*; sed verior scriptura est XV p. 211. 13 Ksl.: *τὶ δὴ καὶ τὸ κωλῦσον ἔσται*. Invenio XI 20 p. 2205: *τὸ κωλῦον οὐδὲν ἐγένετο νέαν ἀρχὴν κυρωθῆναι*, sed vide futurum in simili locutione II 67 p. 379, quem locum supra exscripsi et VII 51 p. 1425: *τί γὰρ ἂν τὸ κωλῦσον ἦν*; Confer praeterea XI 35 p. 2246: *οὐδὲν ἔσται τὸ κωλῦον τὰ αὐτὰ παθεῖν*, sed recte futurum usurpatum videbis II 72 p. 393 et X 28 p. 2064. Denique, nam lectoris satietati occurrendum est in re perquam levi, VII 58 p. 1446: *μηδὲν ἔσω τὸ κωλῦον*, praefero futurum quod in eadem illa locutione recte usurpatum est IX 9 p. 1760. Sentit mecum Reudlerus in dissert. acad. p. 26.

II 32 p. 304. Caeninates aliique populi Sabinis belli principatum deferunt: *ἐκείνους ἠξίουν τὴν ἡγεμονίαν τοῦ πολέμου παραλαβεῖν .... χρήμασι πλεῖσον δυναμένους ἄρχειν τε ἀξιοῦντας τῶν πλησιοχώρων καὶ οὐκ ἐλάχιστα τῶν ἄλλων περιυβρισμένους*. Redit nota compendiorum confusio et corrige: *ὡς οὐκ ἐλάχιστα*.

II 34 p. 306. Duabus urbibus devictis redit Romulus in urbem *ἄγων σκῦλά τε ἀπὸ τῶν πεπτωκότων κατὰ τὴν μάχην καὶ ἀκροθίνια λαφύρων θεοῖς καὶ πολλὰς ἅμα τούτοις θυσίας ἐποιήσατο*. Pompa describitur indeque continuo sequitur: *τελευταῖος δὲ τῆς πομπῆς αὐτὸς ἐπορεύετο* itaque quum plane absonum sit illud *θυσίας ποιεῖσθαι*, nam sacris demum rex operabitur postquam perventum erit in urbem, remedium quaerendum et nihil invenire potui lenius quam: *καὶ πολλὰς ἅμα τούτοις λείας ἃς ἐποιήσατο*.

II 34 p. 308. Romulus in aede Iovis Feretrii dedicat spolia regis Caeninatium, quem ipse obtruncarat, *ὃν αὐτοχειρίᾳ κατειργάσατο*. Imo: *κατείργασο*.

Digitized by Google

II 40 p. 321. Complures loci animadverti ubi παντα χόθεν legitur; bis omnino apud Dionysium invenitur πάντοθεν, nempe hic et XII p. 172. 31 Ksl.

II 41 p. 322: Φρουρίου γενόμενοι καρτεροῦ κύριοι. Ultimo vocabulo expuncto lege: καρτεροί. Vide quae Cobetus observavit p. 29 et alibi.

II 43 p. 326. Codex Urbinas interdum habet noviciam formam ἐλασθείς. Non satis exputo cur Iacobius ubique eam lectionem reposuerit, cum in plerisque aliis sincerum ἑλαθεὶς legatur. Etiam in re critica valet regula iuris in dubiis pro reo pronunciandum esse. Qui autem scribere solet ἐξελασθῆναι, cur idem retinuit ἐξελαθήσεσθαι IV 9 p. 657?

II 43 p. 326: λίθου πληγῇ ἐξαισίῳ κατὰ κροτάφου ἐνεχθέντος ἐκ τῶν ἄνωθεν κακωθείς. Proprium est in ea re verbum καρωθείς. Cf. III 19 p. 458: τοῖς ἄλλοις τραύμασι κεκαρωμένος ἤδη. Eandem corruptelam odoratus sum apud Plutarchum in Vita Ciceronis c. 35. 2, vide *Mnem.* 1899 p. 423.

II 43 p. 326. Curtius σὺν χρόνῳ σώζεταί τε ἐκ τῆς λίμνης τὰ ὅπλα ἔχων καὶ εἰς τὸν χάρακα ἀπάγεται. Hic rectius sese habebit compositum ὑπάγεται, *recedit*. Recte Romulus vulneribus confectus mox εἰς τὸ τεῖχος ἀποφέρεται.

II 44 p. 328: ἐν βουλῇ ἐγίνοντο πότερον ἀποίσουσιν ἐπ' οἴκου τὰς δυνάμεις .... ἢ προσμεταπέμπωνται στρατιὰν ἑτέραν οἴκοθεν καὶ προσμένωσι. Cobetus p. 48 commendavit ἀπάξουσιν· mihi expuncto τὰς δυνάμεις praeplacet ἀπίωσιν, nam coniunctivus propemodum necessarius est.

II 44 p. 329: τῷ δὲ πολλὰ καὶ δεινὰ ἐπιδεῖν. Manifestum est requiri ἐνιδεῖν.

II 45 p. 332. Superiore anno, *Mnem.* 1899 p. 405, plurimos ex Plutarcho locos collegi ut ostenderem quam fuerint veteres proni ad lacrimas. Nunc corollarii loco idem faciam in Dionsysio

Digitized by Google

et dabo omnes locos qui nostris auribus peregrinum sonant, quum barbati viri, ne quid de imbecillo sexu affirmem, lacrimas aut retinere soleant aut certe dissimulare. Ecce potiora exempla: II 45 p. 322: procurrunt raptae virgines ad Sabinorum castra *ὀδυρόμεναι τε καὶ προσπίπτουσι τοῖς τῶν ἀπαντώντων γόνασι .... καὶ τὰ δάκρυα κατέχειν οὐδεὶς ἱκανὸς ἦν.* III 18 p. 455: Horatii et Curiatii *περιέβαλλον ἀλλήλους κλαίοντες καὶ τοῖς ἡδίστοις ὀνόμασιν ἀνακαλοῦντες, ὥστε εἰς δάκρυα προπεσεῖν ἅπαντας*, ubi obiter notandum miro iudicii errore Iacobium spreta vulgata lectione *ἀλλήλους*, ex solo Urbinate recepisse dativum *ἀλλήλοις*. IV 12 p. 667 mortuo Tarquinio Prisco Servius Tullius in contione recusat imperium *κραυγή τε παρὰ πάντων ἐξαίσιος ἐγίνετο καὶ δεήσεις μεμιγμέναι δάκρυσιν.* IV 84 p. 837 postquam populus in contione Brutum audivit de Lucretia, de Tarquiniis, de reliquis, *τοῖς πλείοσιν δάκρυα ὑφ' ἡδονῆς ἔρρει θαυμαστῶν καὶ ἀπροσδοκήτων ἀκούουσι λόγων.* Sed est hoc fortasse ferendum; multo autem magis mirum quod de Tarquinio legimus V 3 p. 849 apud Etruscos: *διεξελθὼν δ' ὧδε ταῦτα μετὰ πολλῶν οἰκτων τε καὶ δακρύων ἔπεισε τὸν δῆμον πρέσβεις ἀποστεῖλαι.* VI 18 p. 1080 legati Latinorum in Senatum introducuntur *καὶ συμφορὰς ἀνέκλαιον τὰς καταληψομένας τοὺς μηδὲν ἡμαρτηκότας .... ὥστε παθεῖν τι πρὸς τὰ δάκρυα καὶ τὰς δεήσεις αὐτῶν τὸ συνέδριον ἅπαν.* VI 26 p. 1101 est plebs furore concitata in patricios et in foro consul *προκυλιόμενος τῶν δημοτικῶν ἑκάστου μετὰ δακρύων αὐτοὺς ἔπεισεν ἐκείνην μὲν τὴν ἡμέραν ἐπισχεῖν, κτέ.* VI 65 p. 1190 quum multae ac diversae in Senatu sententiae dictae essent, seniores Patrum *εἰς δάκρυα καὶ δεήσεις τῶν ἐναντιουμένων τελευτῶντες ἐτράποντο.* Quo tempore plebs secessionem fecerat in Aventinum, VI 81 p. 1225, Brutulus — nam hoc ei cognomentum inditum fuisse suspicor — longam orationem habuit: *ἐπεὶ δὲ τὰς ὕβρεις τελευτῶν διῆλθεν, ... οὐδεὶς ἦν στερρὸς οὕτω τὴν διάνοιαν, ὃς οὐκ ἐξεχεῖτο τοῖς δάκρυσι καὶ ἀνεκλαίετο τὰς κοινὰς συμφοράς· καὶ τοῦτ' οὐκ αὐτοῖς μόνοις συνέβαινε παθεῖν, ἀλλὰ καὶ τοῖς παρὰ τῆς βουλῆς ἥκουσιν· οὐδὲ γὰρ οἱ πρέσβεις τὰ δάκρυα κατέχειν ἴσχυον.* Similiter Menenius Agrippa plebem commovit VI 87 p. 1240. In contione Volscorum, VIII 5 p. 1512, rogatus sententiam Coriolanus stabat *κατηφὴς καὶ δεδακρυμένος.* Idem ille Coriolanus, VIII 45 p. 1610, matrem in castris ex-

Digitized by Google

cepit et *μέχρι πολλοῦ κλαίων τε καὶ περιέπων κατεῖχεν ἐκλελυμένην*, cum quo loco convenit VIII 54 p. 1632. Q. Fabius Consul copiosa oratione populum ad virtutem cohortatur, IX 10 p. 1763, *πολλὰ μεταξὺ τῶν λόγων ἐκχέων δάκρυα*. Omnium autem maxime memorabile est quod de Siccio legimus X 45 p. 2112, qui iussus ab imperatore certum mortis periculum adire, *δακρύσας τούς τε συνήθεις ἅπαντας ἀσπασάμενος ᾤχετο τοὺς ὀκτακοσίους ἄνδρας ἄγων κατηφεῖς καὶ δεδακρυμένους*. Sp. Virginius adulescens, X 49 p. 2112, quum videret sodalem suum M. Icilium ad certam mortem sponte proficiscentem, narrat sibi obortas esse lacrimas *τὴν συμφορὰν τοῦ ἑταίρου προανακλαιομένῳ*. Quibus auditis universus populus ad lacrimas usque commotus fuit. Claudius decemviri patruus, XI 15 p. 2192, surgit in senatu *κατηφὴς καὶ μεσοὺς ἔχων τοὺς ὀφθαλμοὺς δακρύων* et significat se Regillum secedere velle, ni decemviri se imperio abdicent. Numitorius XI 30 p. 2235 de misera Virginiae sorte disserit *ἀνακλαυσάμενος τὴν ὕβριν εἰς ἣν ἔμελλεν ἡ παῖς παραδοθήσεσθαι*. Nec diverso affectu fuerunt qui circumstabant, XI 35 p. 2246, *καὶ τὸ τῆς τύχης ἀνεκλαίοντο παράλογον*, ubi malim *τὸν παράλογον* appellare, quemadmodum Thucydides loqui solet. Quum vero cliens Appii virginem abducebat, XI 37 p. 2250, *οἱ ἄλλοι ϛένοντες καὶ τὰ μέτωπα παίοντες καὶ τὰ δάκρυα κατέχειν οὐ δυνάμενοι παρεχώρουν ἐκ τῆς ἀγορᾶς*. Neque opus est dicere patrem Virginium perpetrata filiae caede ubertim flevisse, nam hoc sponte sequitur, sed, postquam in castra perventum est, exponit quid rerum actum sit et *καταμαθὼν ὀλοφυρομένους τε πολλοὺς καὶ δακρύοντας εἰς ἱκεσίας καὶ δεήσεις αὐτῶν ἐτράπετο*. Denique XIII p. 192. 1 Ksl. Camillus urbem relicturus *τοὺς παρόντας ἀσπασάμενος ὀλοφυρομένους καὶ δακρύοντας οἵου ϛέρεσθαι μέλλοιεν ἀνδρός, πολλὰ κατὰ τῶν παρειῶν ἀφεὶς δάκρυα καὶ τὴν κατασχοῦσαν αὐτὸν ἀσχημοσύνην ἀνακλαυσάμενος* immortales deos testatus est.

Nec tamen minus summae laudi ducitur, si quis invicti animi in extremo dolore mente solida quati non potest. Huius rei duo sunt apud Dionysium exempla. Alterum Bruti est et est operae pretium integrum locum lectoribus apponere, V 8 p. 862: *ὑπὲρ ἅπαντα δὲ τὰ παράδοξα καὶ θαυμαϛὰ τοῦ ἀνδρὸς τὸ ἀτενὲς τῆς ὄψεως καὶ ἄτεγκτον ἦν· ὅς γε τῶν ἄλλων ἁπάντων ὅσοι τῷ*

Digitized by Google

πάθει παρεγένοντο κλαιόντων μόνος οὔτ' ἀνακλαυσάμενος ὤφθη τὸν μόρον τῶν τέκνων οὔτ' ἀποιμώξας ἑαυτὸν τῆς καθεξούσης τὸν οἶκον ἐρημίας οὔτ' ἄλλο μαλακὸν οὐδὲν ἐνδούς, ἀλλ' ἄδακρυς τε καὶ ἀσφέναικτος καὶ ἀτενὴς διαμένων εὐκαρδίως ἤνεγκε τὴν συμφοράν. Hinc minus mirandum quod de Coriolano legimus VIII 41 p. 1600, qui matri, uxori, liberis valedixit ἄδακρυς ὥσπερ λίθος καὶ ἀτενής. Sunt haec omnia rhetorice amplificata et historiae fides prorsus nulla est; sed intelligimus quid Dionysii aequales probare et admirari consueverint.

II 46 p. 333: βωμοὺς ἐπὶ τοῖς ὅρκοις ἱδρυσάμενοι. Reiskius coniicit ἐπὶ τοῖς ὅροις· facilius etiam poteris: ἐπὶ τοῖς ὁρίοις. Vide v. c. II 72 p. 392.

II 52 p. 346: ἀγανακτήσαντος τοῦ πλήθους ἐπὶ τῷ μὴ παραδίδοσθαί σφισι τοὺς ἄνδρας. Malim fere: παραδεδόσθαι. Frequentissima haec confusio, sed ubi perinde est utro modo scribas, Dionysius perfectum adamasse videtur; imprimis hoc apparet ex perfecto activo, in quo minus est errandi periculum, cf. Cobet. p. 38 et Garrer. p. 55. Exempla habes II 56 p. 354, II 59 p. 362, IV 7 p. 651, IV 64 p. 797, V 17 p. 885. Hinc fortasse corrigi debebunt III 1 p. 407, IV 6 p. 647 et IV 39 p. 738.

II 66 p. 376: τὴν δὲ φυλακὴν αὐτοῦ παρθένοις ἀνακεῖσθαι μᾶλλον ἢ ἀνδράσι ποιοῦνται κατὰ τὸ εἰκός. Intelligam: ἡγοῦνται.

II 67 p. 380: προπεμπόντων φίλων τε καὶ συγγενῶν. Solemne vitium et articulus inserendus est: (τῶν) φίλων. Pariter requiro II 71 p. 388: τάς τε ἐν (τῷ) ἱπποδρόμῳ καὶ τὰς ἐν τοῖς θεάτροις γινομένας. Item III 2 p. 408: τοῖς ἀπορωτάτοις (τῶν) Ἀλβανῶν.

II 71 p. 388: ἐπιβουλὰς τὰς ἀπ' ἐχθρῶν. L.: ὑπ' ἐχθρῶν.

II 76 p. 402: ἐπὶ διαιτητῇ Νομᾷ τὰς ἐχθρας διαλύειν. Non negligendum est eo sensu Dionysium ἐπὶ saepe iungere cum tertio casu: sic IV 42 p. 748: κατηγόρουν ἐπ' αὐτῷ δικασῇ. Item X 48 p. 2120: ἐπὶ δικασῇ τῷ δήμῳ.

Digitized by Google

III 8 p. 425. Mettus Fuffetius commendat διαλλαγάς, ἐν αἷς οὐδέν ἐστιν ἔγκοτον οὐδὲ μνησίκακον. Malim: ἔνεστιν, sicuti est III 14 p. 445: τὰ γὰρ ἄλλα κἀν τούτοις ἔνεστι τοῖς ἀνδράσι, uti et IV 61 p. 789: ἐν δ' αὐτῷ τρεῖς ἔνεισι σηκοί.

III 8 p. 426: γνώμην θέσθαι περὶ μηδενὸς ἡμᾶς ἀλλήλοις μνησικακεῖν. Plurimum miror; nonne necessarium est μνησικακήσειν? Idem vitium videtur redire III 26 p. 489.

III 9 p. 427: ὑπὸ τῶν ἱερῶν ὁπότε τὰ προπολέμια θύοιμεν, ἐκωλυόμεθα ἄρχειν μάχης. Etiam supra, II 63 p. 371, idem mendum ab Gelenio sublatum fuit, nam legendum est: ὑπὸ τῶν ἱερέων.

III 9 p. 430: οὐ γὰρ δὴ Σαβίνοις μὲν .... καλῶς εἶχεν .... μεταθέσθαι τοὺς βίους ὡς ἡμᾶς, ὑμῖν δ' ἄρα .... ταὐτὸ τοῦτο γενόμενον οὐχ ἕξει καλῶς. Haec sine vitio olim edebantur, sed Smitius p. 9 perperam signum interrogationis in fine addidit eaque in re, quod miror, Iacobium habuit erroris socium. Uterque tamen potuerat legere apud Cobetum p. 142: Consuetudo frequens apud Atticos, frequentior etiam apud Atticorum imitatores ex praecedente οὐ γὰρ, οὐ γὰρ δή, οὐ γὰρ δήπου ita suspendit per μὲν et δὲ duas propositiones aientem et negantem ut appareat fieri non posse ut altera vera sit, altera non sit. Multum haec compositionis forma Dionysio placuit." Quam demiror rem minime obscuram fugere potuisse, non dico adulescentem, sed doctum virum, qui suscepisset edere Dionysium.

III 10 p. 431: πᾶσα ἀναιρείσθω πολέμου πρόφασις. Est haec lectio Codicis Urbinatis, quum olim legeretur quod etiam in Chisiano est: ἀνῃρήσθω, quod equidem malo, coll. XIII 9 p. 428: ἀφείσθω δὴ πᾶσα ἐγκλήματος πρόφασις.

III. 11 p. 439: εἰ μὴ τὸ ἀνδρεῖον ἐπεριττευεν αὐτῇ. Praestabit: ἐν αὐτῇ.

III 13 p. 444. In Codice Urbinate et hic et IV 4 p. 642 et

Digitized by Google

IV 28 p. 710 rectissime legitur *ἐνεγύησε*, quod Iacobius ultro corrupit scripsitque *ἐνεγγύησε*.

III p. 447: *οὐδ' ὡς ἀναγκάσων αὐτοὺς .... προσεσκευασάμην*. Omnino lege: *παρεσκευάσμην*.

III 15 p. 448: *εἴπερ οὖν εἰσὶν οἵους ἀκούομεν ὀλίγοις τοῖς ἄριστα πεφυκόσιν ὅμοιοι καὶ τὰ πολέμια ἀγαθοί· κλέος γὰρ αὐτῶν καὶ πρὸς ἡμᾶς ἐλήλυθε τῆς ἀρετῆς*. Haec est omnium Codicum lectio; Reiskius autem coniecit (*ἐν*) *ὀλίγοις*, Buchelerus *λόγοις*· equidem incideram in: *οἵους ἀκούομεν ὀλίγους*. Gravius est quod in fine post *ἀρετῆς* tum apud Kiesslingium tum apud Iacobium casu exciderunt verba: *προθυμότατα ἂν δέξοιντο τὸν ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀγῶνα καὶ μηδενὸς ἀναγκάσαντος*, quae verba aliquando in textum debebunt recipi; corrigatur modo *δέξαιντο*. Redit *ἂν* pessime cum futuro iunctum III 20 p. 460.

III 19 p. 456. Describuntur affectus populi qui spectabat pugnam Horatiorum et Curiatiorum: erant *φωναὶ συνεχεῖς, αἱ μὲν πρὸς τὰ δρώμενα τε καὶ ὁρώμενα ὑφ' ἑκατέρων, αἱ δὲ πρὸς τὰ μέλλοντά τε καὶ ὑποπτευόμενα*. Quum satis noverimus confundi solere verba *δρᾶν* et *ὁρᾶν*, proclive est suspicari insiticia vocabula esse *τε καὶ ὁρώμενα*. Deinde continuo sequitur: *καὶ ἦν πλείω τὰ εἰκαζόμενά τε καὶ δρώμενα τῶν γινομένων*. Haec quum ferri nequeant, Reiskius infeliciter coniecit *μὴ δρώμενα*, Iacobius autem simpliciter eiecit vocabula *τε καὶ δρώμενα*. Scribam equidem: *καὶ ἦν πλείω τὰ εἰκαζόμενα τε καὶ ὁρώμενα τῶν γινομένων*, nam ipsum intervallum fallebat visus hominum et quod quisque sperabat, id etiam cernere se oculis credebat: *ἥ τε γὰρ ὄψις ἐκ πολλοῦ διαστήματος γινομένη πολὺ τὸ ἀσαφὲς εἶχε καὶ τὸ πρὸς τοὺς οἰκείους ἀγωνιστὰς ἑκάστοις συμπαθὲς ἐπὶ τὸ βεβουλημένον ἐλάμβανε τὰ πρασσόμενα*.

III 20 p. 460: *οὐ γὰρ ὑπ' ἀμφοτέρων διώξεσθαι τῶν Ἀλβανῶν*. Habet hoc Dionysius quod reliqui sequiores omnes: saepe obliviscitur quae activa verba habeant futura media; hinc futurum *διώξεσθαι* ei nunc pro passivo est.

Digitized by Google

III 23 p. 476: *τὴν τῶν ἀντιπάλων ἰσχὺν καὶ τύχην .... πειρασόμεθα καθαιρεῖν.* Hic non perspicio quo fortunae mentio pertineat. Sunt fortasse vocabula *καὶ τύχην* ex dittographia nata (ΙΣΧΤΝ-ΤΤΧΗΝ).

III 31 p. 504: *ὑπὸ τῆς ἐσχάτης ἀποικίσεως καθαιρεθεῖσα.* Fugit Iacobium evidens medicina Cobeti qui p. 26 correxit *ἀποκτίσεως.*

III 32 p. 508: *οὐδεὶς αὐτοῖς οὐκέτι περὶ τῆς χώρας ἐξήει μαχησόμενος.* Sufficit simplex negatio et corrigam *ἔτι.* Cf. III 39 p. 524: *ἀγὼν οὐδεὶς αὐτοῖς ἔτι πρὸς ἀλλήλους συνέσῃ.* Redit idem vitium VI 29 p. 1109 et X 21 p. 2043.

III 33 p. 509: *συνέσῃ Ῥωμαίοις πρὸς τὰς Λατίνων πόλεις κοινῇ συνηραγμένας πόλεμος.* Quod miror, ita scripsit Iacobius cum codicibus reliquis omnibus, spreta auctoritate Urbinatis, qui solus habet *συνισαμένας.* Non peiorem hanc scripturam esse dixeris; malim tamen corrigere *συντεταγμένας.*

III 43 p. 532. Describitur Aventinus: *νῦν δ' οἰκιῶν ἐστι πλήρης ἅπας, ἔνθα σὺν πολλοῖς ἄλλοις καὶ τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἵδρυται.* Hoc quidem apparet: si Dionysii tempore Aventinus continenter habitabatur, praeter fanum Dianae necessario erant etiam multa alia aedificia; novimus quoque complura in monte memorabilia; hinc facile est veram scripturam restituere quae fuit: *σὺν πολλοῖς ἄλλοις καὶ καλοῖς* et revera in Chisiano uti et verosimiliter in Urbinate legitur *σὺν πολλοῖς καλοῖς.* Id dubites sitne fortasse melius: *ἔνθα ἐν πολλοῖς.*

III 52 p. 551: *αἱ πόλεις τὴν προσόμουρον κυροῦσαν αὐταῖς χώραν ἐδήουν.* Incommoda haec scriptura est quam Iacobius haud nimis feliciter excogitavit et in textum intulit. Omnium librorum lectio est *προσομοροῦσαν,* in qua nil quidquam desiderabis; solus Urbinas idque in litura habet *προσομοροῦσαν κυροῦσαν,* quod vitiosa nuce non emerim. Hanc solum mutandi causam Iacobium habuisse dixerim, quod verbum *προσομορεῖν,* quamquam secundum analogiam formatum, ceteroquin, si qui-

Digitized by Google

dem fides est penes Henricum Stephanum, numquam occurrit. Sed quis ausit sine gravi causa priscum et Ionicum verbum κυρεῖν obtrudere Dionysio? Contra apud Herodotum IV 173: Νασαμῶσι δὲ προσόμουροί εἰσι Ψύλλοι, nonne licebit suspicari Dionysium legisse: προσομουρέουσι?

III 53 p. 553: νίκην ἀναιρεῖται βασιλεὺς Ταρκύνιος ἐπιφανεστάτην, ἧς αὐτὸς αἴτιος ὡμολογεῖτο ὑπὸ πάντων γεγενῆσθαι. Si bene attendi ad Dionysii usum loquendi, αἴτιος is est qui *unicus* rei auctor est, αἰτιώτατος autem qui inter reliquos omnes principem locum tenet. Veluti IV 3 p. 639 Servius Tullius αἰτιώτατος εἶναι δόξας Ταρκυνίῳ καὶ ταύτης τῆς δυναστείας τοῖς ἐπινικίοις στεφάνοις ἀνεδεῖτο ὑπ' αὐτοῦ. Menenius Agrippa, VI 83 p. 1229, τοῦ πεμφθῆναι τὴν αὐτοκράτορα πρεσβείαν τὴν γνώμην ἀποφηνάμενος αἰτιώτατος ἦν. Marcius Coriolanus τῆς νίκης ἀναμφιλόγως αἰτιώτατος ἦν, VI 93 p. 1258. Contra, VI 26 p. 1100 App. Claudius δείσας τὴν ἐφ' ἑαυτὸν ὁρμὴν τοῦ πλήθους, ἐπειδὴ τῶν κακῶν ἦν αἴτιος καὶ δι' ἐκεῖνον ἐδόκει ταῦτα γεγονέναι, φεύγων ἐκ τῆς ἀγορᾶς ᾤχετο eumque Servilius collega, VI 27 p. 1102, appellabat αὐσηρὸν καὶ αὐθάδη καὶ τῶν παρόντων τῇ πόλει κακῶν αἴτιον. Hoc igitur discrimen si ubique obtinet, Tarquinius αἰτιώτατος ὡμολογεῖτο ὑπὸ πάντων γεγενῆσθαι, ne quid de militum virtute detraheretur.

III 56 p. 560: διεληλύθει δὲ τὸν ἐκ τῶν δυεῖν ποταμῶν (Anienis et Tiberis) ἕνα γενόμενον ἐν σκάφαις. Graecitas, nisi fallor, postulat ποταμόν.

III 56 p. 560: οὐ δυνηθέντες ὑπερενεχθῆναι τὰς δίνας κατεπόθησαν. Quaero an non rectius fuerit legere: ταῖς δίναις.

III 61 p. 569: οὐθὲν δὲ κωλύει τὸ μὲν εὕρημα Τυρρηνῶν εἶναι, χρήσασθαι δ' αὐτῷ πρῶτον Ῥωμύλον παρ' ἐκείνων λαβόντα. Mihi quidem magis placet μαθόντα, sicuti supra legitur: Ἕλληνες δὲ τήβεννον καλοῦσιν, οὐκ οἶδ' ὁπόθεν μαθόντες.

III 71 p. 592. Rex Tarquinius cote novacula discissa τῆς κατεχούσης τὴν ἀκόνην χειρὸς ἐπιτέμνει τι μέρος. Intelligo

Digitized by Google

quid sit τὴν χεῖρα ἐπιτέμνειν, non intelligo χειρὸς μέρος ἐπιτέμνειν. Sic dicitur ἐπιτέμνειν τὴν κεφαλήν, τοὺς βραχίονας, σμικρὸν τοῦ σώματος. Scilicet rex incredulitatis poenas luit et novacula τῆς χειρὸς ἀποτέμνει τι μέρος. Rem per se iam satis magnam Dionysius auget in maius.

III 72 p. 593: κατ' ἐλπίδα τοῦ περιπεσεῖν εἰς αὐτοὺς ἐκπεσόντος ἐκείνου τὴν δυναστείαν. Minime ferendum illud περιπεσεῖν· corrigo: περιελθεῖν.

IV 2 p. 637. Tanaquil et Ocrisia πορευόμεναι διὰ τῆς παστάδος ἐθεάσαντο flammam in vertice Servii Tullii. Legam: προσπορευόμεναι, sicuti mox: ἡ μήτηρ προσδραμοῦσα διανέσησεν αὐτόν.

IV 3 p. 640: οὕτως ἐξεθεραπεύθησαν ὑπ' αὐτοῦ (a Servio Tullio) ταῖς εὐεργεσίαις. Verbum est Dionysio saepissime usurpatum θεραπεύειν, uti et δημαγωγεῖν, sed, quantum comperi, nondum satis explicatum fuit quid inter haec simplicia verba interesset et composita ἐκθεραπεύειν et ἐκδημαγωγεῖν. Scilicet qui studet populum sibi conciliare θεραπεύει et δημαγωγεῖ· is demum ἐκθεραπεύει et ἐκδημαγωγεῖ, qui revera sibi comparat populi obsequium eumque sibi devinxit. Exemplorum plena sunt omnia. Sic v. c. ut de simplice verbo defungar uno allato loco, IV 8 p. 654, Servius Tullius ἐπὶ τὸ δημαγωγεῖν καὶ θεραπεύειν τοὺς ἀπόρους τῶν πολιτῶν ἐτρέπετο, δι' ἐκείνων ἐλπίσας τὴν ἀρχὴν καθέξειν. Sed multo plus refert aliquot locos colligere, ubi compositum verbum recte usurpatum est. Veluti V 76 p. 1031 T. Larcius Latinos ἐξεθεράπευσε καὶ διασῆναι πρὸς τοὺς ἡγεμόνας ἐποίησε, quippe captivos, ut est seq. pag., ἐκ τῶν τραυμάτων ἀναλαβὼν καὶ ταῖς ἄλλαις ἐκθεραπεύσας Φιλανθρωπίαις Tusculum dimisit. Coriolanus, VII 25 p. 1370, tribunis pl. minatur, εἰ μὴ παύσεσθε, λέγων, ταράττοντες τὴν πόλιν καὶ ἐκδημαγωγοῦντες τοὺς ἀπόρους, οὐκέτι λόγῳ διοίσομαι πρὸς ὑμᾶς, ἀλλ' ἔργῳ. Aristodemus Cumanus, VII 4 p. 1320, ἐξεδημαγώγει τὸ πλῆθος πολιτεύμασι κεχαρισμένοις ἀναλαμβάνων, quae verba recurrunt de Sp. Cassio VIII 71 p. 1679. Itidem Genucium videmus, IX 37 p. 1845, ἐκκλησίας συνάγοντα ἑκάστοτε καὶ ἐκ-

Digitized by Google

δημαγωγοῦντα τοὺς ἀπόρους. Semel tantum, quantum novi, erratur, nempe XI 39 p. 2256: τοὺς ἔτι ἐνδιάζοντας ἐξεδημαγώγουν, sed quoniam identidem confunduntur ETI et ΕΞ, ante pedes posita est correctio: τοὺς ἐνδιάζοντας ἔτι ἐδημαγώγουν. Illud quoque notandum diversa significatione usurpari compositum ἀποθεραπεύειν· exempla rem optime declarabunt. Valerius est, IX 5 p. 1882, ἀποθεραπεῦσαι τοῦ δήμου τὴν ὀργὴν βουλόμενος. App. Claudius decemvir, XI 38 p. 2253, stulte noluit ἀποθεραπεύειν τὸν ὄχλον ὀργῆς εἰληφότα δικαίας πρόφασιν. Hinc colliges etiam IV 47 p. 758 et VII 37 p. 1393 recte dici ἀποθεραπεύειν eum, qui populi iram placare studeat, ut secum redeat in gratiam.

IV 9 p. 659. In oratione Servii Tulli ad populum haec quoque leguntur: ὑπὲρ ἅπαντα δὲ ταῦτα ἔγνων καὶ ἴσην καὶ κοινὴν ποιεῖν τὴν πολιτείαν. Duplex mendum tolles scribendo: ἔγνωκα ἴσην.

IV 11 p. 665: πᾶν τὸ θῆλυ γένος ἐν ἀνδραπόδων ποιήσασθαι λόγῳ. In longiore sententia infinitivus pendet a verbo ἔμελλον, sed sicuti ἀναρπάσεσθαι et ἀρεῖσθαι futura sunt, eodem modo requiritur ποιήσεσθαι.

IV 13 p. 669: μέχρι ποῦ προβαίνουσα ἔτι πόλις ἐσί. Alibi invenitur μέχρι τίνος, veluti IV 23 p. 692 et IV 29 p. 713, unde dixeris praestare μέχρι τοῦ.

IV 21 p. 690: ἔγνων ταῖς ἀρχαιρεσίαις αὐτῶν πολλάκις παρών. Elegantius, credo, erit αὐτός.

IV 22 p. 690: συνελθεῖν εἰς τὸ μέγιστον τῶν πρὸ τῆς πόλεως πεδίων. Longe malo: πεδίον.

(*Continuabuntur*).

Digitized by Google

[illegible]

DE CRANTORIS FRAGMENTIS MORALIBUS.

SCRIPSIT

K. KUIPER.

I.

Veteris Academiae laudi ac memoriae duae res praecipue obstiterunt: gloria Platonis et prava quaedam scriptorum recentiorum diligentia. Primum enim quos ipsius philosophorum principis ars divina delectabat, ii neglegebant fere eius discipulos, vix descendere cupientes ad libros quibus Speusippi Crantoresque „quid turpe, quid utile quid non" exposuissent. Sed magis quam haec neglegentia gloriam Academicorum obscuravit admiratio recentiorum atque sedula imitatio. Solet enim fere, praesertim in eis scriptis quae de vita ac moribus agunt, recentissimum quidque maxime placere, quo fit ut imitationibus repellantur in oblivionis tenebras antiquiora, quamvis meliora. Superesset fortasse Crantoris „aureus ille libellus" *περὶ πένθους*, si numquam Cicero Consolationem scripsisset, neque forsitan haec periisset, nisi postea Seneca, Hieronymus alii suo quisque saeculo melius subveniri novis Consolationibus putassent.

Antiquarum litterarum damna ex illo imitandi studio orta resarcire non desinimus philologi. Verum nusquam difficilior, nusquam incertior, erroribusve magis obnoxius fuit labor restituendi quam in libris moralibus. Nam in historico opere hoc saltem plerumque fert mos, ut scriptores cum antiquiora adhibeant testimonia, veteris auctoris verba sive *κατὰ λέξιν* referant, sive leviter tantummodo mutata. Sed in scriptis moralibus merito valet ratio longe diversa. Afferunt quidem auctores anti-

Digitized by Google

quiorum verba, atque imitando exprimunt, sed pro sua quisque lubidine exornant transponunt alienis sua intercalant, denique ita mutant, ut in recentiorum libris antiquiora fragmenta certis suisque finibus circumscribere perquam sit difficile.

Quam necesse sit summa in hoc investigationis genere uti cautione, docere possunt Crantoris reliquiae. Sedulo multi operam navarunt, ut undique collectis librorum eius fragmentis imago philosophi inter veteres Academicos laudatissimi nobis redderetur. Merito illud quidem; nam arte ac iudicio haud parum valuisse videtur Crantor. Quam acute de antiquioribus iudicavit, Euripidem laudans λέγων ἐργῶδες εἶναι ἐν τῷ κυρίῳ τραγικῶς ἅμα καὶ συμπαθῶς γράψαι! Quantopere ipse aequalium laude florebat, siquidem merito de eo praedicavit Theaetetus: „ἥνδανεν ἀνθρώποις, ὃ δ' ἐπὶ πλέον ἥνδανε Μούσαις"! Verumenimvero non solum paucae tantum Crantoris reliquiae nobis traduntur, sed ne paucae illae quidem sine controversia ei tribui posse mihi videntur. Incertissimis itaque testimoniis, siquid video, nititur iudicium, quod de arte ac dictione Crantoris hodie ferri solet; et omnino necesse est accuratius fragmenta quae tamquam Crantorea circumferuntur perscrutari, ut ad fines angustiores revocentur.

Ex certioribus initium faciendum est. Superest apud Sextum Empiricum (*Adv. Math.* XI. 53—58) diatribes quoddam fragmentum, in quo a Sexto ipsa Crantoris verba satis accurate servata esse constat. Aptum itaque, ex quo aliquatenus opinio nobis fiat de ingenio eius ac scribendi ratione. Sed ecce, quam diverse de hac diatribe iudicant viri tam philosophiae quam litterarum periti! Quod enim Zellero satis placuit, quippe quod venustate quadam oratoria scriptum esset („mit rednerischer Anmuth"), id condemnavit Wilamowitzius propter tumidum ac vulgarem Asianismum („halb gespreizten halb banalen Asianismus"). Quae iudicia quamvis inter se distarent, conciliari tamen posse videbantur Susemihlio, ita sententiam de nostra diatribe ferenti: „mit rednerischer Anmuth und Fülle, aber auch nicht ohne eine gewisse Gespreiztheit geschrieben".

Asianismi nomine parum secundo et minime perspicuo libenter hodie utuntur homines, vel potius abutuntur. Quoniam vero propter hoc vitium in crimen vocatur Crantor, reum ipsum

Digitized by Google

audire praestat. Ecce totus locus, quem ex diatribe *περὶ Πλούτου καὶ Ἡδονῆς καὶ Ὑγιείας καὶ Ἀνδρείας* Sextus attulit.

CRANTOR *περὶ πλούτου κτλ.*

Εἰ γὰρ νοήσαιμεν κοινόν τι τῶν Πανελλήνων θέατρον εἰς τοῦτό τε ἕκαστον τῶν ἀγαθῶν παριὸν καὶ τῶν πρωτείων ἀντιποιούμενον ἥκειν, εὐθὺς καὶ εἰς ἔννοιαν ἀναχθησόμεθα τῆς ἐν τοῖς ἀγαθοῖς διαφορᾶς. πρῶτον μὲν γὰρ ὁ πλοῦτος παραπηδήσας ἐρεῖ· „ἐγὼ ὦ ἄνδρες Πανέλληνες κόσμον παρέχων πᾶσιν ἀνθρώποις καὶ τὰς ἑσθῆτας καὶ τὰς ὑποδέσεις καὶ τὴν ἄλλην ἀπόλαυσιν χρειώδης εἰμὶ νοσοῦσι καὶ ὑγιαίνουσι, καὶ ἐν μὲν εἰρήνῃ παρέχω τὰ τερπνά, ἐν δὲ πολέμοις νεῦρα τῶν πράξεων γίγνομαι". τούτων γὰρ δὴ τῶν λόγων ἀκούσαντες οἱ Πανέλληνες ὁμοθυμαδὸν κελεύσουσιν ἀποδοῦναι τὰ πρωτεῖα τῷ πλούτῳ. ἀλλ' ἐὰν τούτου ἤδη ἀνακηρυττομένου ἐπιστᾶσα ἡ ἡδονὴ,

τῇ ἕνι μὲν Φιλότης, ἕνι δ' ἵμερος, ἐν δ' ἀριστὺς
πάρφασις, ἥ τ' ἔκλεψε νόον πύκα περ Φρονεόντων,

λέγῃ δὲ εἰς μέσον καταστᾶσα, ὅτι αὐτὴν δίκαιόν ἐστιν ἀναγορεύειν,

„ὁ γὰρ ὄλβος οὐ βέβαιος, ἀλλ' ἐφήμερος
ἐξέπτατ' οἴκων μικρὸν ἀνθήσας χρόνον"

διώκεταί τε πρὸς τῶν ἀνθρώπων οὐ δι' ἑαυτὸν ἀλλὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ περιγιγνομένην ἀπόλαυσιν [καὶ ἡδονὴν], πάντως οἱ Πανέλληνες, οὐκ ἄλλως ἔχειν τὸ πρᾶγμα ἢ οὕτως ὑπολαβόντες, κεκράξονται δεῖν τὴν ἡδονὴν στεφανοῦν. ἀλλὰ καὶ ταύτης τὸ βραβεῖον φέρεσθαι μελλούσης, ἐπὴν εἰσβάλλῃ ἡ ὑγίεια μετὰ τῶν συνέδρων αὐτῇ θεῶν καὶ διδάσκῃ ὡς οὔτε ἡδονῆς οὔτε πλούτου ὄφελός τί ἐστιν ἀπούσης αὐτῆς,

(τί γάρ με πλοῦτος ὠφελεῖ νοσοῦντά γε;
μίκρ' ἂν θέλοιμι καὶ καθ' ἡμέραν ἔχων
ἄλυπον οἰκεῖν βίοτον ἢ πλουτῶν νοσεῖν)

ἀκούσαντες πάλιν οἱ Πανέλληνες καὶ καταλαβόντες ὡς οὐκ ἔνεστι κλινοπετῇ [καὶ νοσοῦσαν] ὑποστῆναι τὴν εὐδαιμονίαν, φήσουσι νικᾶν τὴν ὑγίειαν. ἀλλὰ καὶ τῆς ὑγιείας ἤδη νικώσης, ἐπὰν εἰσέλθῃ ἡ ἀνδρεία πολὺ στῖφος ἀριστέων [καὶ ἡρώων] ἔχουσα περὶ ἑαυτὴν, καταστᾶσα τε λέγῃ· „ἐμοῦ μὴ παρούσης ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, ἀλλοτρία γίγνεται ἡ κτῆσις τῶν παρ' ὑμῖν ἀγαθῶν, εὔξαιντό τ' ἂν οἱ πολέμιοι περιουσιάζειν ὑμᾶς

Digitized by Google

35 *πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς ὡς μελλήσοντες ὑμῶν κρατεῖν", καὶ τούτων οὖν ἀκούσαντες οἱ Ἕλληνες τὰ μὲν πρωτεῖα τῇ ἀρετῇ ἀποδώσουσι, τὰ δὲ δευτερεῖα τῇ ὑγιείᾳ, τὰ δὲ τρίτα τῇ ἡδονῇ, τελευταῖον δὲ τάξουσι τὸν πλοῦτον.*

Αὐτολεξεὶ haec referens Sextus hic illic tamen ni fallor, iterandi studio quo ardent seriores Graeci, Plutarchus, Philostrati, Lucianus, indulsit paucaque quaedam de se inseruit; nisi mavis librariis additamenta illa imputare. Nam sive Sexto debetur, sive lectori male sedulo, alienum a Crantore videtur quod additum est post *κλινοπετῇ* vs. 29 „*καὶ νοσοῦσαν*" et post *ἀριστέων* vs. 31 „*καὶ ἡρώων*". Minime autem Sexto tribuerim quod insulso additamento pessumdata sunt Voluptatis verba, merita sua extollentis vs. 18 „*τὸν ὄλβον οὐ δι' ἑαυτὸν διώκεσθαι, ἀλλὰ διὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ ἀπόλαυσιν* [*καὶ ἡδονήν*]. Quis credat haec extrema adiecisse *τὴν Ἡδονήν*!

Quod autem ad dicendi artem attinet, frustra quaero tumorem („die Gespreiztheit") frustra Asianismum vulgarem („den banalen Asianismus"). Ubinam, quaeso, scriptor accedit ad artem „Asianae gentis tumidioris atque iactantioris, vaniore dicendi gloria inflatae"? — ut Asianismum indicemus Ciceronis verbis quae ne ipsa quidem ab Asianismi culpa prorsus vacant. Nusquam in hac diatribe brevissimae illae ac discissae sententiarum particulae, quibus delectantur oratores Asiani, nusquam rhythmicae orationis studium immodicum, dictio tumida, odium hiatus.

Mihi quidem Crantoris stilus ac ratio dicendi in hoc fragmento simplex non modo videtur sed laxa quoque et fere neglegentior. Cuius rei indicia sunt *ἥκειν* illud in prima sententia ita additum ut et numeros infringat et supervacaneum sit; item neglegentius *παρατεταγμέναι* et per particulam *τε* iunctae huius enuntiati partes. Accuratissimi oratoris non est futurum indicativi *ἀναχθησόμεθα* post optativum *εἰ γὰρ νοήσαιμεν*. Accuratus non magis est usus substantivi *κόσμος* (vs. 5); quod qua vice fungatur, merito dubites, nam pro obiecto accipi nequit, quoniam sequitur *καὶ τὰς ἐσθῆτας καὶ τὰς ὑποδέσεις* (quae ipsae quoque *κόσμος* sunt); si autem, id quod fere necesse est, appositionis loco id adhibitum putas, fatearis necesse est neglegenter ita scripsisse Crantorem, nam ut convenit vestimenta ac calceos dici *κόσμον*, ita vetat ratio *τὴν ἑτέραν ἀπόλαυσιν* eo nomine in-

Digitized by Google

dicari. — Fastidium movere omnia enumerando nolim, sed abundant neglegentiae indicia, neque tantum in sermone sed in rebus quoque et cogitatis. Mitto quod satis inepte Plutus, qui mehercle omnes mortales opibus ornare numquam solitus sit, dicitur *πᾶσιν ἀνθρώποις κόσμον Φέρειν*; verum subtili disputatori condonandum esse non concedam, quod Plutum noster dicentem facit *„χρειώδης εἰμὶ νοσοῦσι καὶ ὑγιαίνουσι"*, cum tamen in praecedentibus non nisi ea enumeravit commoda quae *validis* usui sunt; neque scriptoris mihi videtur *τὴν προσωποποιΐαν* bene servantis Plutum deum talia proferentem facere: *„ἐν πολέμῳ νεῦρα τῶν πράξεων γίγνομαι"*.

Scriptori Graeco eiusmodi neglegentiae non nisi imprudenti excidunt; et quamvis *δεινὸς ὀνοματοποιῆσαι* fuerit Crantor, fortasse tamen non magnopere offendit quod homo Solensis errorem interdum commisit, qualem in Attico auctore vix expectes. Sed alia insunt, non imprudentiae peccata sed quaesitae simplicitatis indicia, quibus multo magis diatribe accedit ad colorem sermonis cottidiani quam ad fucum Asianismi.

Huc pertinet quod nusquam hiatus vitatur — versu 11 quinquies deinceps admittitur: *τούτου ἤδη ἀνακηρυττομένου ἐπιστᾶσα ἡ ἡδονή* — quod praeter necessitatem verbum iteratur et sententiae structura mutatur veluti vs. 11—14 *ἐπιστᾶσα ἡ ἡδονὴ ..... λέγῃ δ' εἰς μέσον καταστᾶσα*, quod temere versus homericus mutatione quadam accommodatur ad verba scriptoris, id quod fit vs. 12 *τῇ ἔνι μὲν Φιλότης* etc. Neque minus huc referam, quod scriptor memoriter versus Euripideos reddit coniungitque quae diversarum sunt fabularum; nam ita, opinor, diatriben suam similem fore putabat non dissertationi scriptae et cum cura compositae sed vero cuidam colloquio. Ex versibus itaque vs. 16 sqq. relatis prior ad Phoenissas (558) pertinet, alter ad Electram; memoriae autem lapsu Crantorem haec in unum coniunxisse non est quod miremur. Vide enim quanta sit eorum quae in Electra fabula praecedunt similitudo cum versu ex Phoenissis:

El. 941 *ἡ γὰρ Φύσις βέβαιος, οὐ τὰ χρήματα·*
ἡ μὲν γὰρ αἰεὶ παραμένουσ' αἴρει κακὰ,
ὁ δ' ὄλβος ἄδικος καὶ μετὰ σκαιῶν ξυνὼν
ἐξέπτατ' οἴκων μικρὸν ἀνθήσας χρόνον.

Digitized by Google

Plura dicere de huius diatribes sermone vix opus erit. Nam quod praeter Atticae dictionis usum πρὸς dixit pro praepositione ὑπὸ (vs. 18 διώκεταί τε πρὸς ἀνθρώπων) id ipsi non imputaverim rhetori; versus enim fuisse videtur: „ἀλλ' οὐ δι' αὐτὸν πρὸς βροτῶν διώκεται"); quod vocabulum βραβεῖον adhibuit nec dixit πρωτεῖον, quod εἰσβάλλει ἡ ὑγίεια itemque quod παραπηδᾷ ὁ Πλοῦτος, haec in oratore qui post Alexandrum vixit non admodum offendunt; quod autem in extremis, postquam τῆς ἀνδρείας mentionem fecit, subito pro Fortitudine *Virtutem* (τὴν ἀρετὴν) substituit sine qua Academici μηδέποτ' ἂν εὐδαιμονίαν ὑπάρχειν iudicabant (Clem. *strom.* II. 419 A. Cic. *fin.* 18. 49) ea non sermonem Crantoris sed philosophiam spectant, quam obiter attingere nolo.

II.

Multum abesse nonnulli putant, ut parvulo hoc et satis exili fragmento contentus esse cogatur, qui Crantoris artem cognoscere velit. Extant enim — rem notam omnibus, argumentationesque haud minus cognitas brevissime referre satis erit — extant fragmenta quaedam ex Crantoris libro περὶ πένθους in Consolatione ad Apollonium, quem libellum inmerito quondam Plutarcho vindicatum esse, hodie vulgo conceditur. Constat praeterea Ciceronem in Consolatione libellum Crantoris adhibuisse, eundemque in Tusculanarum Disputationum libri primi parte altera argumenta quae protulisset in Consolatione, brevius denuo exposuisse. Porro pseudo-Platonicum Axiochum nemo unquam legit, quin viderit quanta inter hunc librum ac Consolationes Tullianam ps.-Plutarcheamque intercedat concordia. Ex quibus hoc efficere studuerunt, qui de hac re scripserunt: tam in Ciceronis Tusculanis quam in Consolatione ps.-Plutarchea ac Axiocho multo plura deberi Crantori quam ab ipsis indicatum sit scriptoribus, multaque delitescere fragmenta, et praesertim in opusculo ps.-Plutarcheo magnem partem libelli περὶ πένθους nobis esse servatum. In agnoscendis autem locis ubi Crantorem non nominatum secuti sint scriptores quos dixi, alii aliud constituerunt viri docti, et alter altero ulterius processit; hoc autem hodie plerisque placuit iudicium: ubicumque conspirent

Digitized by Google

Axiochi scriptor, Cicero in Tusculanis, ac pseudo-Plutarchus in Consolatione, communem eorum auctorem esse Crantorem.

Quae investigandi ratio, in fontibus scriptorum tam historicorum quam philosophorum indagandis hodie multis pergrata, mihi semper et ubique periculosa videtur, in quaestione autem, quae ad Crantorem pertinet non modo incerta, sed etiam falsa. Antequam enim quidquam certi de Axiochi et Consolationis pseudo-Plutarcheae fontibus constitui posset accuratius disquiri oportebat de horum libellorum — quorum alter altero nequior est — compositione.

Axiochus, quem dialogum frustra olim multi viri docti et ante paucos annos Carolus Bureschius in libello de Consolationibus (*Stud. Lips.* IX. 1886) conati sunt vindicare Aeschini Socratico, quibus temporibus scriptus sit, accurate definire vix potero, sed pessime illud opusculum esse compositum argumentis demonstrabo; quod mihi necesse est, ut appareat quam sit indignus, ex quo sive Crantoris sive cuiusvis artem illustremus, libellus ille non a philosopho scriptus sed ex scholae nescio cuius conaminibus contaminatus a discipulo, placita Stoicorum, Socraticorumque et Epicureorum indoctissime conglutinante.

Raptim dialogum perlustremus. Socrates itaque a Clinia Axiochi filio exoratus senem Axiochum adit aegrotantem et mortis metu vehementissime commotum. Quem revocare ad virilem fortitudinem duplici studet ratione, primum monens indignum esse infracto quem olim habuerit Axiochus animo, si nunc mortis formidine angatur, deinde homini sapienti hoc esse cogitandum: vitam non nisi *παρεπιδημίαν* esse. Quod ita concedit senex, ut tamen se horrere mortem fateatur: etenim hacce vita privatus *ἀειδὴς καὶ ἄπυστος κείσεται εἰς εὐλὰς μεταβάλλων.*

Ad hunc timorem dissipandum argumenta adhibet Socrates mire confusa. „Inanis" ita fere idem qui modo socraticum illud *„βίος παρεπιδημία"* (cf. ps.-Plut. Cons. p. 107 D) professus erat, „inanis metus iste tuus, nam *ἀνεπιλογίστως τῇ ἀναισθησίᾳ αἴσθησιν συνάπτεις"* (p. 365 D). Quibus addit argumentationem, varie a ps.-Plutarcho in Consolationis capite 15, a Cicerone in Tusculanis et praeclare a Lucretio (III. 830) adhibitam, quorum omnium argumenta ad unum Epicurum referenda esse apparet ex Sexto Empirico Pyrrh. III. 229 (cf. Diog. Laert. X 124—

Digitized by Google

126): „ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς· τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, τὸ δ' ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς". Verum idem ille Socrates Epicureus, qui p. 365 D vehementer improbat Axiochum, quod mortem timeat ὥσπερ εἰς ἕτερον ζῆν ἀποθανούμενος, extemplo animum mutat et in Stoicas delabitur expectationes haecce addens: „πάντα τοιγαροῦν τὸν τοιόνδε Φλυαρὸν ἀποσκέδασαι, τοῦτο ἐννοήσας ὅτι τῆς συγκρίσεως ἅπαξ διαλυθείσης καὶ τῆς ψυχῆς εἰς τὸν οἰκεῖον ἱδρυθείσης τόπον, τὸ ὑπολειφθὲν σῶμα γεῶδες ὂν καὶ ἄλογον οὐκ ἔστιν ὁ ἄνθρωπος. ἡμεῖς μὲν γάρ ἐσμεν ψυχὴ, ζῷον ἀθάνατον ἐν θνητῷ καθειργμένον Φρουρίῳ". Hanc doctrinam, Stoicis cum Academia communem, sed Stoicorum nunc dictione enuntiatam, pugnare cum Epicureis quae praemisit, compilator ignarus neque videbat neque curabat. Invenerat fortasse in scriptore quem sequendum sibi proposuerat, utramque doctrinam expositam, sed ita ut demonstraretur numquam mortem esse timendam, sive cum Epicureis animum cum corpore interiturum censeres, sive Stoicis crederes animum esse „Deum in humano corpore hospitantem" (Sen. Ep. 31. 11. cf. Cic. Cons. fr. 13 Bait.; Tusc. I. 66). Raptim autem haec in brevius contrahens eoque corrumpens auctor tamen tam Stoicorum quam Epicureorum formulas loquendi fideliter servavit, quo fit ut facile deprehendatur mox rediens ad Epicuri doctrinas. Epicureus enim ille est animus quem 366 B agnoscit Socrates per corpus divisum, παρεσπαρμένην τοῖς πόροις, et satis fideliter respondet ipsius Epicuri verbis: σῶμα λεπτομερὲς παρ' ὅλον τὸ ἄθροισμα παρεσπαρμένον". Quod tamen non impedit quominus haec ψυχὴ συναλγοῦσα τὸν οὐράνιον ποθεῖ αἰθέρα, desiderio vix epicureo!

Ad extrema tantum verba Socratis respondens Axiochus mirari se fatetur, quod Socrates ex vita tam odiosa non excedat sua sponte, „καὶ ταῦτα Φροντιστὴς ὢν καὶ ὑπὲρ τοὺς πολλοὺς νῷ διαΦέρων". — „Equidem", ita pergit Socrates, „minime, ut tu credis, super ceteros sapio; neque mea est sapientia quam profero, sed Prodici". — Ecce, denuo ad inopias redigimur misera scriptoris incuria. Quamnam sapientiam Prodico deberi dicit Socrates? „Καὶ ταῦτα δὲ ἃ λέγω Προδίκου τοῦ σοΦοῦ ἐστι ἀπηχήματα", ita ait. Quae primum audiens non potes non referre ad praecedentia, cum praesertim altam quandam sapientiam hic spectari necesse sit, quia Socrates addat: „ἐγὼ δὲ εὐξαίμην ἂν

Digitized by Google

τὰ κοινὰ ταῦτα εἰδέναι· τοσοῦτον ἀποδέω τῶν περιττῶν". Attamen rem accuratius spectans videbis ne hunc quidem compilatorem tam ineptum fuisse, ut fingeret Socratem cum εἰρωνείας risu quodam ad Prodicum sophistam referentem immortalitatis spem illam, qua sanctius in vita nihil haberet.

Nam disputatio, quam debere se Prodico mox indicat — audiverat autem eam in Calliae aedibus, ut quam simillima omnia essent Protagorae Platonico! — non immortalitatem attingebat sed vitam humanam.

Ab Axiocho enim rogatus Socrates ille παρακεκομμένος nunc refert Prodici disputationem tetradrachmo opinor a se emptam. De qua vitae καταδρομῇ paucissima dicere praestat. Quam ineptum enim est eiusmodi diatriben tribui Prodico Ceo, in qua ephebiae memorentur instituta qualia demum exeunte saeculo a. C. quarto nota erant Athenis! Quis credat, Prodicum κοσμητῶν mentionem fecisse, et memorasse pueros Athenienses Lyceum atque Academiam adeuntes ut philosophos audirent? Neque Prodicum refert neque sua dat scriptor, sed infeliciter admodum imitatur Cratetis disputatiunculam quam servavit Stobaeus 98. 72, et tam neglegenter imitatur, ut in humanarum calamitatum enumeratione adultae mala aetatis prorsus omittantur. Etenim, post ephebiam (p. 367 B) statim λαβὸν ὑπῆλθε τὸ γῆρας. Iniuria itaque Axiochi p. 366 a Mullachio aliisque additam esse Prodici fragmentis mihi quidem non dubium est.

Fere scurrilis haec dialogi pars et satyrae Menippeae quam dialogo Platonico propior. Sed ecce, immutatur ratio dicendi et a dictionis laxa et turbida rusticitate ita adscendit ad maiorem gravitatem ut alium subito librum evolvere tibi videaris. „Idcirco", ita Socrates pergit c. VI, „matura morte fruitur quicunque a dis diligitur"; et iam sequitur series illa, quam vix neglegebat quisquam antiquus philosophus, verba de morte contemnenda facturus: Agamedes Trophoniusque, Cleobis Biton; iam afferuntur poetarum sententiae quae apud omnes redeunt (cf. ps.-Plut. Cons. c. 14 et 17, Cic. Tusc. I. 113) sed raptim corrasa et contracta in brevius per solitam illam formulam loquendi „μακρὸν ἂν εἴη διεξιέναι", denique adeo turbata, ut non nisi data opera agnoscas, ex communibus illarum consolationum thesauris haec quoque hausta esse. Ceterum brevitati consulens

Digitized by Google

dum exclamat in fine capitis „ἀλλὰ παύομαι μή ποτε παρὰ τὴν ὑπόσχεσιν μηκύνω καὶ ἑτέρων μιμνησκόμενος", vix sibi constat, nam caput sequens statim orditur novas querelas afferendo: „ποίαν δέ τις ἑλόμενος ἐπιτήδευσιν ἢ τέχνην οὐ μέμφεται";

Ad hasce querelas autem si propius attendamus, videamus necesse est, parum haec omnia pertinere ad ea quae dicta sunt capite VI, sed tam rebus quam dictione continuari expositionem quae capite quinto incohata erat. Liberior sermo, verborum copia fere vulgaris, ita ut modo Lucianum, modo Menandrum legere tibi videaris; quin sua sponte ad comoediae numeros quoque oratio redit. Cum enim ita loquitur Axiochus: „δῆμος γὰρ ὦ Φίλε Σώκρατες, ἀχάριστον ἀψίκορον ὠμὸν βάσκανον ἀπαίδευτον, ὡς ἂν συνηρανισμένον ἐκ σύγκλυδος ὄχλου", quis non audit fabulae trimetros:

ἀχάριστον ὠμὸν ἀψίκορον καὶ βάσκανον.
ἐκ συγκλύδων ὄχλος συνηρανισμένος.

Parum accuratam hoc eodem capite p. 368 E temporum notitiam prodit scriptor qui Axiochum, propter crimen mysteriorum profanatorum — uti notum est — exulem, fingat cum Euryptolemo post pugnam ad Arginusas factam fuisse in numero τῶν δέκα στρατηγῶν. Sed hoc non nisi obiter moneo, nam graviora manent. Contaminationis enim indicia nusquam certiora quam in sequentis paginae conturbatione. Pag. 369 B ita pergit Socrates: „ὁπότε οὖν, ὦ Ἀξιόχε, τὴν ἐλευθεριωτάτην ἐπιστήμην τιθέσαι τῶν λοιπῶν ἀπευκταιοτάτην, τί τὰς λοιπὰς ἐπιτηδεύσεις ἐννοήσομεν; οὐ φευκτάς; ἤκουσα δέ ποτε καὶ τοῦ Προδίκου λέγοντος ὅτι ὁ θάνατος οὔτε περὶ τοὺς ζῶντάς ἐστιν οὔτε περὶ τοὺς τεθνηκότας".

Ecce iterum Prodicus, et nunc quidem Epicureus. Iam enim sequitur eadem immortalitatis oppugnatio Epicurea, quam capite III audivimus, sed multo accuratius exposita et abundantius enarrata. Unius atque eiusdem exempli utroque capite dari imitationem nemo monitus negabit, quod exemplum — ut alios taceam — Cicero quoque Tusc. I. 87—90 secutus est (cf. quoque cum Axiochi responso Cic. Tusc. I. 83 et cum Socratis ipsius verbis Lucret. III. 870); melius autem quam Axiochi scriptor, Cicero ordinem servat. Luce clarius, dixerim, hoc est, non uni atque eidem scriptori adscribi posse utrumque caput. Nam ita convenire ea videbis, si capitis decimi initium cum

Digitized by Google

initio capitis tertii compones ut vel ex verbis appareat unius exempli diversas esse imitationes.

Licet vero tota argumentatio, qua carpitur homo stultus qui „non radicitus e vita se tollit et eicit", multo melius servata sit ab eo cui cap. IX—X debetur quam a scriptore capitis tertii, perspicuum est illam meliorem imitationem esse additiciam. Nam ut initio huius pericopes (ἤκουσα δὲ etc.) subito abrumpitur filum orationis, ita finis quoque abruptus docet haec postea ac neglegentissime addita esse. Ecce enim quam mire pag. 370 B ex tenacissima immortalitatis negatione deducamur in spem meliorem ita pergente oratione: „πρὸς τῷ πολλοὺς καὶ καλοὺς εἶναι λόγους περὶ τῆς ἀθανασίας τῆς ψυχῆς". Quae verba, Stoicorum referentia opiniones (cf. Tusc. I. 61—63; Posidon. apud Sen. 90 : 7. 20. 21) ut acerrime pugnant cum iis quae proxime praecedunt, ita conveniunt cum argumentis c. III fin. et c. VI prolatis.

Quae sequuntur recte procedunt. Profligatis enim quae contra immortalitatem allata erant argumentis, iam exclamat scriptor: „οὐκ εἰς θάνατον ἀλλ' εἰς ἀθανασίαν ὦ 'Αξιόχε"; et, quod solet in eiusmodi dialogis (cf. Tusc. I. 112), tam plane Axiocho persuadet, ut ille fateatur: „οὐκέτι μοι θανάτου δέος ἔνεστι ἀλλ' ἤδη καὶ πόθος". Cui desiderio ut etiam magis indulgere possit senex, more Platonico, ut sibi quidem videtur, Orci descriptionem, Gobryae debitam, Socrates ille pseudo-platonicus addit.

Quo fere tempore dialogus, aetate Epicuri omnino recentior, scriptus sit, nunc non quaeram. Meum enim erit modo demonstrare, in Crantoris reliquiis investigandis Axiochum ps.-Platonicum nihil afferre lucri.

Ex parte iam, ni fallor, dialogi enarratione id factum est: Stoicam enim atque Epicuream tantummodo sapientiam deprehendimus, non Academicam. Et, etiamsi quid insit fortasse quod ex Crantoris libello originem capiat, indignus tamen hic Axiochus est cuius ope utamur, quoniam opusculum est male consutum ex duorum hominum disputatiunculis, quae in rhetoris cuiusdam scholis compositae deinde, a tertio quodam discipulo, ita in unum coniunctae sunt corpus, ut ex utraque diatribe pars quaedam abiecta sit. Agnoscuntur autem etiam nunc manus diversae; nam uni rhetori debemus:

Digitized by Google

A. *cap. I—III* (mortem, neque si mortalis sit animus, quod Epicurei perhibent, neque si immortalis sit, quod cum Academicis Stoici censent, malum esse putandum, sed potius malorum refugium).
cap. VI (Ita quoque deos iudicare qui matura ex vinclis vitae liberent, quos diligant. Id vero aeque demonstratum esse multorum testimoniis, atque simul
(*cap. X*^{b}) philosophorum argumentis hoc probatum: animum, qui cogitando supra mortalia surgat, interire non posse. — (*cap. XI*) Adicitur, quae non nisi laxo vinculo cum hisce cohaeret, Orci descriptio.

B. Alter autem fuit — qui nescio qua de causa, Prodico se sua debere finxit — cui referenda sunt
cap. IV, V, VII, VIII, IX, X usque ad 370 *B.*

Quae quod tam male inter se cohaerent, id diasceuastae incuria factum est, qui fortasse addidit quoque capitis IV initium ineptum. Contaminatum autem dialogum et tam Platone quam Aeschine indignum parum prodesse ad Crantoris artem cognoscendam, pluribus demonstrare supersedeo.

III.

Ad Crantoris libellum restituendum haud multo magis proficiunt Ciceronis Tusculanae. Fac enim verum vidisse eos, qui contendant in libri Tusculanarum disputationum primi parte extrema inde a § 87 suam Consolationem excerpsisse sive in breviorem formam redegisse Tullium, quod in universum non negaverim, quid lucrabimur? Purum putum Crantorem a Cicerone redditum esse in Consolatione, nil nisi Crantoris sapientiam in illo libello componendo acceptam ei fuisse, quis nobis persuadebit? Afferunt, sat scio, Plinii testimonium, in praefatione ad libros de Naturali Historia § 21 disserentis de „Ciceroniana simplicitate, qui in libris de Republica Platonis se comitem profitetur, in Consolatione filiae 'Crantorem' inquit, 'sequor', item Panaetium in Officiis". — Eone testimonio uti licet, quo efficiamus, in Ciceronis Tusculanis Crantorem Latino sermone redditum nobis servari? Indigne de Cicerone iudicant et Plinium dicentem faciunt quae numquam dixit, qui in Consolatione unicum

Digitized by Google

ei fuisse fontem Crantoris librum propter Plinii verba credunt. Qui de Cicerone ita censent, iis in memoriam revocanda sunt, quae diserte ipse Tullius dixit in libro I de Officiis 2. 6 „sequemur hoc quidem tempore et in hac quaestione potissimum Stoicos, non ut interpretes sed *ut solemus* e fontibus eorum, iudicio arbitrioque nostro, quantum quoque modo videbitur hauriemus".

Verba satis cognita refero, attamen digna quae etiam atque etiam relegamus. Nam nescio quo modo, magis magisque homines docti nostrae aetatis, dum historicorum philosophorumque antiquorum fontes indagant, sibi fingere coeperunt scriptores Graecos Romanosque Byzantinorum magistellorum ad instar tota capita deinceps ex antiquiorum libris exscribentes ut parvo negotio speciem eruditionis sibi compararent. Cicero saltem mihi videtur non tam impudenter philosophorum Graecorum thesauros expilasse. Ita vere atque accurate indicavit, quatenus in libris de Officiis Panaetium esset secutus: „Panaetius" inquit (Off. II. 2. 7) „qui sine controversia de officiis accuratissime disputavit, quemque nos, *correctione quadam adhibita* potissimum secuti sumus". Conveniunt haec verba cum eo quod de Ciceronis diligentia in perscrutandis auctoribus notis atque ignotis cognosci potest ex epistulis ad Atticum. Quos enim libros non petivit ab amico? Nonne, cum in componendis Tusculanis versabatur, ita scripsit ad Atticum (III. 32 cf. 31): „Dicaearchi *περὶ ψυχῆς* utrosque velim mittas et *καταβάσεως*; *τριπολιτικὸν* non invenio et epistulam eius quam ad Aristoxenum misit". Credasne igitur Tullium cum Dicaearchi opinionem de immortalitate animi referret (Tusc. I. 42) non ipsum adiisse scriptorem quem tamen vocaret „delicias suas"? Minime equidem. Quod autem ad nostram quaestionem attinet, cum ipsius M. Tullii testimonio constet, eum, in Consolationis compositione occupatum, nullum scriptorem qui de luctu scripsisset neglexisse — scribit enim ad Atticum „nihil de maerore scriptum est ab ullo quod ego non domi tuae legerim" — concedamus necesse est, ad Crantoris librum de luctu cognoscendum parum adiuvare disputationum Tusculanarum comparationem. Nusquam, ne tum quidem cum arcte inter se conveniunt Cicero, ps.-Plato et ps.-Plutarchus, affirmare licebit Crantorem iis fuisse fontem communem, *nisi huius nomen ab uno eorum additum sit.* Nam

Digitized by Google

ipse nobis Cicero affirmat alios quoque in Consolatione sua a se adhibitos esse auctores (cf. e. g. ad Att. XII. 23).

IV.

Eo itaque res redit, ut libello περὶ πένθους haec modo vindicari posse videantur, quae nomine auctoris laudato sive a Cicerone sive a ps.-Plutarcho afferuntur. At ne sic quidem omnia plana ac certa erunt. Nam diatribe, quae Plutarchi nomen fert, tam misere composita est, tantopere conturbata, tam variis poetarum versibus sine ullo ordine onerata, ut inspecto semel libello concedas necesse sit, iam per se dubium esse num usquam auctor, ubi referat Crantorem, ipse philosophi librum inspexerit. Quoniam vero hic quoque viri docti eam plerumque viam ingressi sunt, ut sicubi constaret capitis initium ac finem deberi Crantori totum caput ei philosopho tribuerent, singulos locos quibus Crantorea afferuntur tractabo. Iis autem me continebo; molestus enim fiam lectoribus si accuratius exemplis demonstrare velim, quam saepe, quamque neglegenter rhetor quisquis fuit dicta dicat, a proposito aberret, sibi contraria proponat, diversa ex diversis auctoribus venditet.

1. *Cap.* III. Exitu demum capitis nominatim Crantor testis laudatur: „μὴ γὰρ νοσοῖμέν, φησιν ὁ Ἀκαδημικὸς Κράντωρ etc. quae αὐτολεξεὶ ex Crantoris libro relata esse testatur Ciceronis versio elegantissima Tusc. III. 6. 12. Sed iam ipsum capitis initium (τὸ μὲν οὖν ἀλγεῖν καὶ δάκνεσθαι τελευτήσαντος υἱοῦ Φυσικὴν ἔχει τὴν ἀρχὴν τῆς λύπης καὶ οὐκ ἐφ' ἡμῖν) Crantoris si non verba attamen sententiam reddit, cf. Tusc. III. 29. 71: „natura affert dolorem, cui quidem Crantor, inquiunt, vester cedendum putat". Nec minus ea quae statim subiunguntur Crantoris sunt: Οὐ γὰρ ἔγωγε συμφέρομαι τοῖς τὴν ἄγριον ὑμνοῦσι καὶ σκληρὰν ἀπάθειαν, ἔξω καὶ τοῦ δυνατοῦ καὶ τοῦ συμφέροντος οὖσαν, quae accurate respondent verbis Ciceronis (Tusc. III. 6. 12) „nec absurde Crantor ille: minime, inquit, iis assentior qui istam nescio quam indolentiam magno opere laudant, quae nec potest ulla esse nec debet; ne aegrotus sim; si, inquit, fuero etc.;" sequuntur enim verba quibus vertitur μὴ γὰρ νοσοῖμεν etc. Haec inter utrumque scriptorem concordia sufficit viris doctis, ut assen-

Digitized by Google

tiantur Bureschio, qui iuxta positis hisce ps.-Plutarcheis ac Ciceronianis ita iudicat: „nemini dubium fore *totum caput tertium* esse Crantoris, quamvis in fine demum laudati". Mihi vero non tantum dubium est id quod plaudentibus ceteris posuit Bureschius, sed etiam confidenter id nego. Crantorea esse ea quae in hoc capite conveniunt cum sententiis quas nomine addito affert Cicero, quis tam stolidus sit ut hoc neget! Sed addita quaedam habet rhetor, quae desunt apud Ciceronem; ea neque Crantoris sunt neque cum eius philosophia conveniunt. Neque vero Crantorem ipsum inspexit ps.-Plutarchus — quo factum est ut in fine demum capitis nomen eius afferret, tamquam tum primum eius verba referens; nam ne ipse quidem noverat eidem philosopho deberi quae in primo ac medio capite rettulit ex fonte suo — sed auctore usus est alio ac recentiore ex quo Crantoris verba desumpsit, eaque aucta et ornata ex Stoicorum sapientia.

Argumentis hanc opinionem meam firmare non difficile est. Capite primo rhetorem adhibuisse auctorem Stoicum vix potest quisquam negare. Ipsum Chrysippum fuisse illum auctorem non contendam, sed Chrysippea eum referre perspicuum est. Cum enim scriptor Consolationis exponat, qua causa praesertim prohibitus sit quominus patrem afflictum statim adiret, haec addit: *Οὐδὲ γὰρ οἱ βέλτιστοι τῶν ἰατρῶν πρὸς τὰς ἀθρόας τῶν ῥευμάτων ἐπιφορὰς εὐθὺς προσφέρουσι τὰς διὰ τῶν φαρμάκων βοηθείας.* Quam sententiam, eadem imagine illustratam, ex Chrysippi libro fluxisse constat ex Cicerone, Tusc. IV. 29 de Consolatione sua ita scribente „quodque vetat Chrysippus ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere, id nos fecimus". Sententia Chrysippi capite II aliis verbis iteratur et explicatur; simul autem illustratur versibus Aeschyleis ex Prometheo (379 sqq.) quos neglegentius coniungit rhetor Graecus, accurate Cicero laudat Tusc. IV. 31. 76. „Uterque videtur ex Crantore sumpsisse" ita iudicabat olim Wyttenbachius. Equidem potius Chrysippo deberi putaverim, nam ad eius sententiam potissimum illlustrandam versus eos Cicero affert: „sumendum tempus est non minus in animorum morbis quam in corporum, ut Prometheus ille Aeschyli e. q. s.". Si autem constat in manibus fuisse pseudo-Plutarcho sive Chrysippum sive Posidonium sive recentiorem quendam Stoicum cum capita I

Digitized by Google

et II conscriberet, iam oritur suspicio, hominem istum parum doctum, qui, ut ubivis apparet, alienam sapientiam levissimo labore congerat, non deposuisse auctorem illum in capite III. Augetur ea suspicio, cum totum caput perlegimus. In quo — ut mittamus flosculos et circumlocutiones, quibus secundum suae aetatis mores ps.-Plutarchus sermonem Crantoris ornavit (veluti *ἀλγεῖν καὶ δάκνεσθαι, ἄγριον καὶ σκληράν*) — uno praesertim maiore additamento offendimur. Nempe indolentia severiore illa improbata causam propter quam improbanda sit his verbis addit: *ἀφαιρήσεται γὰρ ἡμῶν αὕτη τὴν ἐκ τοῦ φιλεῖσθαι καὶ φιλεῖν εὔνοιαν ἣν παντὸς μᾶλλον διασῴζειν ἀναγκαῖον. τὸ δὲ πέρα τοῦ μέτρου παρεκφέρεσθαι καὶ συναύξειν τὰ πένθη παρὰ φύσιν εἶναί φημι καὶ ὑπὸ τῆς ἐν ἡμῖν φαύλης γίγνεσθαι δόξης. Διὸ καὶ τοῦτο μὲν ἐατέον ὡς βλαβερὸν καὶ φαῦλον καὶ σπουδαίοις ἀνθρώποις ἥκιστα πρέπον.* Haec quoniam non habet Cicero qui in Tusculan. III. 6. 12 coniunctim refert ea quae hisce in ps.-Plutarcho praemittuntur atque ea quae statim sequuntur, alterum-utrum sumamus necesse est: aut Crantoream quidem hanc esse sententiam, sed a Cicerone consulto in versione omissam, aut non ex Crantore sed ex alio fonte a ps.-Plutarchi auctore eam esse desumptam. Mihi quidem optio nequaquam dubia videtur. Nam non solum tam bene cohaeret oratio in Crantoris fragmento quod Cicero l.l. laudat, ut admodum fiat improbabile aliquid omissum esse; sed additamentum ps.-Plutarcheum non Academiam sapit, verum Stoam. Stoicae dictionis iam initio capitis vestigia deprehendimus, nam ea quae Cicero Tusc. III. 29. 71 ita vertit „natura affert dolorem" vix a Crantore hisce verbis dicta erant; *„φυσικὴν ἔχει ἀνάγκην"*, praesertim autem Stoicum est illud *„καὶ οὐκ ἐφ' ἡμῖν"*. Firmatur haec suspicio in sequentibus. Cum enim in fine capitis mediocritas illa a Crantore eo commendetur argumento, quod ea si absit „immanitas in animo, stupor in corpore nascatur", vix verisimile, iam antea alia in eandem rem argumenta a scriptore fuisse allata. Gravius vero est, quod haec argumenta non cum Academiae, sed cum Stoicorum placitis conveniunt. Nam quod primo loco affertur, *ἀπάθειαν* illam benignitati obesse quae ex mutuo oriatur amore, id plane recentioris Stoae est praeceptum. Communis enim recentiorum Stoicorum, iam minus quam Zeno atque Cleanthes fecerunt indolentiam

Digitized by Google

laudantium, haec est opinio, quam eloquenter exponit Seneca Ep. 95. 52: „omne hoc quod vides unum est: membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex isdem atque in eadem gigneret. Haec nobis amorem indidit mutuum et sociabiles fecit" etc. quibuscum apte conferas quae Cicero ex Panaetio sumsit Off. I. 20. 50. 58; — *εὔνοιαν* autem, quam *παντὸς μᾶλλον διασῴζειν* iubet noster, a Stoicis inter praecipuas virtutes esse positam, vix est quod commemorem.

Sed Stoica quoque verba sunt quibus deinde nimii affectus oppugnantur: *δυσπάθειαν* enim nasci docet scriptor *ὑπὸ τῆς ἐν ἡμῖν Φαύλης δόξης*. Nonne haec verba et antiquiorum Stoicorum sententias in mentem vocant, et praesertim Chrysippi quam servavit Plutarchus *Virt. Mor.* c. 3. *τὸ πάθος εἶναι λόγον πονηρὸν καὶ ἀκόλαστον ἐκ Φαύλης καὶ διηρτημένης κρίσεως σφοδρότητα καὶ ῥώμην προσλαβόντα*? Neque vero in sequentibus deficiunt dictiones Stoicae: memorantur *οἱ σπουδαῖοι*, refertur ad *τὸ πρέπον*, tandem vero in capitis quarti initio ita disseritur *περὶ τῆς εὐλογιστίας* — quae virtus prae ceteris Stoicorum fuit (cf. Cic. Off. I. 43) — ut hic quoque ex Chrysippi sectatore quodam nostrum haerere fere certum sit. Non ipsum itaque Crantorem inspexit refertve cap. III ps.-Plutarchus, sed Stoicum scriptorem qui et alios auctores et Crantorem sectatus erat, quapropter ex hoc capite ea modo Crantori tribui possunt, quae Cicero in Tusculanis ex eo attulit.

2. Iam sequitur alter locus capite VI. Quoniam sunt qui credant Crantoris librum continuo in manibus fuisse rhetori nostro, moneo transitum ad eum sibi paravisse auctorem sententias undique ex omnibus congestas nullo ordine proferentem: variam esse et mutabilem sortem hominum, quamvis stulte mortales saepe fortuna secunda superbiant tamquam si fixa duraret; nullum tam validum esse *ἀλυπίας Φάρμακον* quam cogitationem hancce: *θνητὰς τὰς τύχας ὥσπερ τοὺς θνητοὺς ἀνθρώπους εἶναι*; quod ipsum praeclare illustrari posse verbis quibus Demetrius in libro *περὶ τύχης* usus sit. — Afferuntur deinde ipsa verba Demetrii, dictumque illud de versibus Euripidis „*μικρότατα τὰ σφάλλοντα καὶ μί' ἡμέρα τὰ μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν, τὰ δ' ἦρ' ἄνω*" quos versus tum demum summo poeta dignos fore iudicavit Phalereus, si non „*μί' ἡμέρα*" sed „*στιγμὴ χρόνου*" diceretur.

Digitized by Google

Unde haecce noster habeat, pro certo non facile dicas; sed propter Stoicorum auctorum vestigia quae deprehendimus in capitibus prioribus operae tamen pretium videtur adnotare, Senecae Stoico eandem Demetrii sententiam haud ignotam fuisse; nam scribit is in epistula 91: „Longam moram dedit malis properantibus qui diem dixit: hora momentumque temporis evertendis imperiis sufficit". — Tenendum autem est, haec omnia de *sortis* inconstantia dici. Nunc audiamus iterum scriptorem Crantoris verba laudantem: *Τούτοις δ' ἑπομένως καὶ ὁ Κράντωρ, παραμυθούμενος ἐπὶ τῇ τῶν τέκνων τελευτῇ τὸν Ἱπποκλέα* (ecce, tamquam nunc primum Crantorem memorans titulum operis addit!) *φησί· „Ταῦτα γὰρ"* (quidnam? Sortem inconstantem esse?) *„πᾶσα ἡ ἀρχαία αὕτη Φιλοσοφία λέγει τε καὶ παρακελεύεται· ὧν εἰ δή τι ἄλλο μὴ ἀποδεχόμεθα, τό γε πολλαχῇ εἶναι ἐργώδη καὶ δύσκολον τὸν βίον ἄγαν ἀληθές· καὶ γὰρ εἰ μὴ Φύσει τοιοῦτον ἔχει τὸν τρόπον, ὑπό γε ἡμῶν εἰς τοῦτο ἀφῖκται διαφθοράς· ἥ τε ἄδηλος αὕτη τύχη πόρρωθεν ἡμῖν καὶ ἔτι ἀπ' ἀρχῆς ἠκολούθηκεν, οὐδ' ἐφ' ἑνὶ ὑγιεῖ, Φυομένοις τε μίγνυταί τις ἐν πᾶσι κακοῦ μοῖρα· τὰ γάρ τοι σπέρματα εὐθὺς θνητὰ ὄντα ταύτης κοινωνεῖ τῆς αἰτίας, ἐξ ἧς ἀΦυΐα μὲν ψυχῆς, νόσοι τε καὶ κήδεα καὶ μοῖρα θνητῶν κεῖθεν ἡμῖν ἕρπει"*. Ulterius progredi verba Crantoris, ut plerique editores censent, negaverim. Verba enim quae sequuntur *„τοῦ δὴ χάριν ἑτραπόμεθα δεῦρο* etc." compilatorem sapiunt diversa testimonia, vinculo haud satis apto, connectentem. Desinit autem fragmentum versu ignoti cuiusdam poetae: *καὶ μοῖρα θνητῶν κεῖθεν ἡμιν ἕρπει*, quod non pugnat cum more Crantoris; revera autem poetae cuiusdam esse, nec ipsius Crantoris, arguit *κεῖθεν*, adverbium post verba *ἐξ ἧς* supervacaneum. — Ceterum vel obiter locum inspicienti perspicuum, ni fallor, erit verba *ἥ τε ἄδηλος αὕτη τύχη πόρρωθεν ἡμῖν καὶ ἔτι ἀπ' ἀρχῆς ἠκολούθηκεν* Crantori *non* deberi, sed sive ab ipso ps.-Plutarcho sive ab auctore quem hic exscripsit addita esse, ut arctius haec cohaererent cum tota disputatione de *fortunae vicibus incertis*, quae incohata capite IV continuatur quoque in sequentibus. Nam verba quae indicavi neque apta sunt Crantoris argumentationi neque conveniunt cum Academiae placitis. Crantor postquam docuit, hominum vitam, etiamsi non ita comparata sit ab ipsa natura, ut esset miserrima,

Digitized by Google

a nobis ipsis in tantam corruptelam esse devectam, addere omnino non potuit ex parte quadam hanc miseriam deberi *fortunae*. Neque id fecit. Nam quo iure tam severe de natura humana iudicet statim adicit, de fortunae partibus ne verbo quidem mentionem faciens. Quam argumentationem — dummodo demas quae de fortuna dicta sunt — cum philosophematis Academicorum atque ipsius Crantoris optime convenire nemo negabit. Constabat enim Academicis animum hominis compositum esse ex diversis elementis, *ταῦτα δ' εἶναι τέτταρα* — iam ipsius Crantoris verba refero, servata a Plutarcho *de an. proc. in Tim.* c. 1 — *τὴν νοητὴν Φύσιν ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡς αὐτῶς ἔχουσαν, καὶ τὴν περὶ τὰ σώματα παθητικὴν καὶ μεταβλητικήν* etc. Porro quoniam cum Platone ac Pythagoreis Crantor quoque censuit, poenae causa animum descendere in corpus mortale, consequens est, mala quibus vita humana oppleta sit, nullo modo ab eo fortunae cuidam tribui posse, sed unice naturae humanae ipsi. Id autem luculentissime sic exponit Academicus: „Mali enim pars quaedam fatalis nascentibus nobis admiscetur. Quippe semina cum sint mortalia, statim partem huius causae obtinent, ex qua" — minime ergo ex fortuna extrinsecus nobis allata, sed ex vitio quod inhaeret naturae nostrae — „ingenii tarditas, morbi, curae, denique mors".

Si quid video, cum hac doctrina omnino non potest conciliari placitum illud de fato. Quod si, uti suspicor, ab alio auctore — parum apte — adiectum est verbis Academici, ex hoc denuo exemplo apparet, quam difficile sit quamque incertum, ex fragmentis ps.-Plutarcheis iudicium facere de Crantoris arte ac dicendi ratione. Quam viam — ut alios non dicam — olim Wyttenbachius ingressus locis quibusdam in Consolatione ps.-Plutarchea, ubi Crantoris nomen additum non esset, fragmenta libelli *περὶ πένθους* dignoscere posse sibi visus est ex dictionis quadam varietate. Et saepe ille quidem Crantori talia tribuit, quae mihi Stoicam originem tantum non diserte fateri videntur. Ita — ut uno exemplo defungar — caput X sic verbis dictionibus compositione a reliquo opusculi stilo differre iudicabat Wyttenbachius (adn. ad Plut. mor. VI. 2. 721) ut ex libro Crantoris descriptum illud caput censeret. Affertur eo capite disputatio Heracliti de mortis atque vitae similitudine, quae disputatio, licet Heracliti placi-

Digitized by Google

tum notissimum accurate reddat, ipsis Ephesii verbis relata non est; multo enim fusius in ea exposita omnia sunt quam consuetudini τοῦ σκοτεινοῦ convenit. Sed Heracliteis illis haecce subiunguntur: „διὸ καὶ μοιρίδιον χρέος εἶναι λέγεται τὸ ζῆν ὡς ἀποδοθησόμενον ὃ ἐδανείσαντο οἱ προπάτορες". Sententia notissima et fere communis Consolationum scriptoribus, quae et apud Ciceronem redit, eadem imagine adhibita, Tusc. I. 93 „natura dedit usuram vitae tamquam pecuniae nulla praestituta die", et apud Lucretium III. 984 „vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu", et in hac eadem Consolatione c. XXVIII loco aptiore. Nulli autem minus apte quam Crantori hanc tribuas sententiam. Is qui scripserat: „πολλοῖς καὶ σοφοῖς ἀνδράσιν, οὐ νῦν ἀλλὰ πάλαι κέκλαυται τἀνθρώπινα τιμωρίαν ἡγουμένοις τὸν βίον", eamque antiquiorem opinionem non oppugnavit sed Platonicis argumentis firmavit, idem eandem vitam μοιρίδιον χρέος dicere omnino non potuit.

Neque vero Crantoris, sed Stoicorum sapientia capite X et XI denuo traditur. Apte enim cum Heracliti sententia Stoicus quisquis fuit scriptor doctrinam de elementis coniunxit. Heraclitus docuerat: „ἡ Φύσις ἐκ τῆς αὐτῆς ὕλης πάλαι μὲν τοὺς προγόνους ἡμῶν ἀνέσχεν, εἶτα συνεχεῖς αὐτοῖς ἐγέννησε τοὺς πατέρας, εἶτα ἡμᾶς, εἶτ' ἄλλους ἐπ' ἄλλοις ἀνακυκλήσει". Hanc Heracliti doctrinam — Stoicis verbis relatam — cum suis „elementis" conciliat Stoicus scriptor cum ita pergit: τὸ δὲ σπέρμα ..... ψυχῆς μέρος καὶ ἀπόσπασμα καὶ τοῦ σπέρματος τοῦ τῶν προγόνων", remque illustravit imagine τοῦ δανεισμοῦ. Non fortuitum mihi videtur quod haec coniuncta quoque redeunt apud Philonem, sedulum Stoicorum discipulum, qui ita scribit (*de post. Caïn.* Wendl. II. 2) πάντα γὰρ ὧν γένεσίς ἐστιν οὐρανοῦ κυκλὸς ἐντὸς ἑαυτοῦ κατέχει. καὶ γὰρ αἱ τῶν τετελευτηκότων ἀναστοιχειούμεναι μοῖραι πάλιν εἰς τὰς τοῦ παντὸς δυνάμεις ἐξ ὧν συνέστησαν ἀποκρίνονται τοῦ δανεισθέντος ἑκάστῳ δανείσματος κατὰ προθεσμίας ἀνίσους ἀποδιδομένου τῇ συμβαλούσῃ Φύσει ὁπότε βουληθείη τὰ ἑαυτῆς χρέα κομίζεσθαι (cf. ps.-Plut. conv. c. XI τὴν Φύσιν ..... ἄδηλον ποιῆσαι τὴν τοῦ θανάτου προθεσμίαν). Sicuti autem capite X, ita ubivis Stoicas dictiones, argumenta exempla in Consolatione deprehendas. Quin etiam cum Platonis affert sapientiam Stoicis incipit verbis eam referre,

Digitized by Google

ut cap. XIII Platonis locum ex Phaedone relaturus ita loquitur: *τὸ γὰρ μὴ δεδουλῶσθαι σαρκὶ καὶ τοῖς πάθεσι ταύτης διάγειν ὑφ' ὧν κατασπώμενος ὁ νοῦς τῆς θνητῆς ἀναπίμπλαται φλυαρίας.*

3. Iam paucis me continere licebit in dicendo de tertio quod ex Crantoris libello refertur fragmento cap. XIV de Euthynoi Itali mira historia. Versamur eo capite in loco Consolationibus omnibus communi, nempe mortem maturam probis dari ab immortalibus (cf. Axioch. VI. Tusc. I. 113), exemplaque enumerantur quae in ea re solent enumerari. Haec nunc pessime interposita esse disputationi, quae in Socratica argumentatione versatur, id nihil ad nos. Sed duae sunt res quas scire attinet, primum, num historiam Euthynoi (quam Crantori deberi apparet ex Tusc. I. 48. 115) ipsis — uti perhibent viri docti — Crantoris verbis enarret scriptor; deinde num merito contendant editores cetera quoque quae afferuntur exempla, Cleobidis Bitonisque, Agamedis ac Trophonii, Pindari, ex Crantoris libello hausta esse. Quae quaestiones arcte cohaerent; nam si apparet cetera a scriptore non esse desumpta ex ipso Crantore, iam oritur suspicio, ne Euthynoi quidem historiam ex ipso libello *περὶ πένθους* ab eo exscriptam esse. Et revera multa sunt quae huic opinioni favent. Cicero enim Tusc. I. 113 de Argiva sacerdote fabula relata, § 114 Trophonium atque Agamedem memorat, deinde de Sileno fabellam tradit (quam saltem non ex Crantore sed ex ipso Aristotele exscribit auctor Consolationis c. 27). — Tum vero addito fragmento ex Cresphonte Euripidis ita pergit: „simile quiddam est in Consolatione Crantoris", et sequitur Euthynoi historia. Nonne ex ipsis verbis apparet, ea quae praecedunt apud Ciceronem ex alio scriptore originem ducere? Ex quonam? Indicia fontis non absunt. Nam fons est idem ex quo Axiochus c. VI derivatur. Chrysippi est sapientia quem eosdem ex Cresphonte versus laudasse novimus (Sext. *Pyrr.* III. 229—233). Ex eodem autem fonte Stoico sua hausisse videtur scriptor ignotus quem cap. XIV exscribit ps.-Plutarchus; sed aliunde sumens narratiunculam de Euthynoo a Crantore relatam huius nomen addere neglexit. Quo factum est ut ps.-Plutarchus, qui ostentandi causa nomina scriptorum libenter addit, iam nescius, cuinam deberetur haec fabella, sileret nomen auctoris: *τὰ δὲ περὶ τὸν Ἰταλὸν Εὐθύνοον τοιαῦτά φασι γενέσθαι.* — Haec

Digitized by Google

qui secum reputaverit haud ita facile inducatur, ut credat ipsa Crantoris verba apud ps.-Plutarchum esse servata in narratione quam tanto brevius rettulit Cicero.

4. Vix opus est verbum addere de capite XXV „*τὸ γὰρ μὴ δι' αὑτὸν κακῶς πράττειν ὁ μεν Κράντωρ φησὶν οὐ μικρὸν εἶναι κούφισμα πρὸς τὰς τύχας*". Iterum enim loco minus idoneo hoc inseruit scriptor qui male dispersit partes Stoicae argumentationis, melius et rectius ordinatas a Cicerone Tusc. III. 34 (cf. Tusc. III. 34 cum ps.-Plut. 25 et 32 et Tusc. III. 29 c. ps.-Plut. 21). — Sed haec mittere praestat. Nam totam Consolationem ad Stoicos referre fontes labor est non gravis sed ingratus. Quod ad Crantorem attinet hoc mihi videor demonstrasse: parum valere argumenta eorum qui contendant in Consolatione saepius etiam quam ubi nomen addiderit auctor, Crantoris servari fragmenta, immo ne ea quidem quae *αὐτολεξεὶ* referri dicuntur suspicione vacare. Quae si lectoribus persuasero, opus perfecero neque mihi pergratum et lectori fortasse molestum, sed neutri nostrum uti spero plane inutile.

AD PLUTARCHUM.

Comp. Thesei et Rom. C. VI (Sint.) Raptus Sabinarum non solum eo excusatur quod unam tantum earum uxorem sibi sumpsit Romulus, sed etiam honore qua raptas postea affecit

ἀπέδειξε τὴν βίαν ἐκείνην καὶ τὴν ἀδικίαν κάλλιστον ἔργον καὶ πολιτικώτατον εἰς κοινωνίαν γενομένην. Οὕτω συνέμιξεν ἀλλήλοις καὶ συνέπηξε τὰ γένη καὶ παρέσχε πηγὴν τῆς εἰς αὖθις εὐνοίας καὶ δυνάμεως τοῖς πράγμασιν

Primum Romulus earum fuit nuptiarum auctor, quae viros Romanos et mulieres Sabienas artissimo amoris et benevolentiae inter se iungerent vinculo. Ea autem benevolentia causa (*πηγή*) facta est ... cuius rei? Iterumne benevolentiae? Non opinor. Et quaenam intercedit ratio inter *benevolentiam* et *potentiam*? Nulla, nisi fallor. Denique quid hoc est: reipublicae (*τοῖς πράγμασι*) praebere fontem *εὐνοίας*? Sed scribe *εὐνομίας*, habebis rem verissimam recte enuntiatam: firmae illae nuptiae, artum illud gentium vinculum, effecerunt ut tota respublica bene esset composita et sic ad magnam pervenire potentiam posset.

J. J. H.

Digitized by Google

DE COMPOSITIONE POENULI.

SCRIPSIT

H. T. KARSTEN.

Nemo hodie affirmare dubitabit Plauti Poenulum ex duabus graecis comoediis esse compositam idque post multos alios, qui de hac quaestione bene meriti erant, Langeni imprimis disputatione effectum esse [1]).

Argumenta a viris doctis adhuc prolata praecipue haec sunt: Intentio fabulae, ut puella amata cum sorore ex lenonis potestate in amatoris manum transeat, peragitur rationibus duabus tam diversis, ut altera alteram excludat, nempe primum per dolum servi (act. I—III), dein per agnitionem patris (act. IV et V). Originis duplicitatem porro probant repugnantiae in sororum condicione, quae in prima fabulae parte sunt meretrices huiusque quaestus sibi consciae [2]), in altera hoc ipso demum die mutato nomine inter meretrices recipientur seque ingenuas esse sciunt et libertatem ab haruspice praedictam exspectant non amatoris sed deorum vel parentum interventu. Accedit quod in illa duas tantum leno meretrices habere et fabula agi videtur Athenis (v. 153, 497 et 372), in hac autem, quae agitur Calydone [3]), multo plures (v. 830).

---

1) In utraque re sequor Fred. Leonem Plaut. Forsch. p. 153 sic scribentem: „Ich betrachte es als ein völlig gesichertes Resultat der zahlreiche Untersuchungen... „dass das Stück aus zwei griechischen Komödien zusammengearbeitet ist". Et in adnot. 3. „Überzeugend nachgewiesen ist es erst von Langen Plautinische Studien" p. 181 sq.

2) Cf. l.l. a Langeno p. 183.

3) Cf. Langen p. 185, Leo p. 154 adn. Reliquae animadversiones, quas protulit Langenus p. 190 sqq. non tangunt fabularum commixtionem sed utriusque oeconomiam.

Digitized by Google

His autem controversiis, quas plenissime exposuit Langenus probavitque deinde Leo, adiciendae sunt nonnullae, quas viri docti adhuc praeterviderunt, positae in personarum characteribus.

Recte olim sic scripsit Reinhardtus in Studemundi Studiis a. 1872 p. 108: „duae omnino viae contaminationis probandae „patent; aut enim personarum condicionem vel ingenium in „diversis fabulae partibus diversa esse aut argumentum subito „interruptum aliaque ratione, atque qua initio propositum sit, „continuatum esse docendum est".

Et ille et reliqui, qui de Poenulo antea scripserunt, huius fabulae contaminationem probarunt maxime inde, quod in ea „duorum fabularum argumenta discernere haud difficile est" [1]) et characteres personarum aut neglexerunt aut propter externam quandam eorum similitudinem per totam fabulam contra contaminationis crimen in censum vocarunt. Hos Langenus optime redarguit, sed non tamen omnia quae hanc rem attinent persecutus est, nam et omisit reliquarum personarum mores in utraque comoediae parte contrarias et de sororum diversitate non omnino recte iudicavit. Igitur quae ille disputavit partim corrigere partim supplere conabor.

De sororibus. In his praeter diversitatem quam notavimus in condicione natali et meretricia, alia est non minus gravis. Cavendum est ne in errorem nos inducant, quae leguntur apud Langenum p. 182: „Die beiden Schwesterpaare haben nur das „mit einander gemein, dass die erstere (Adelphasion) einen „edleren Charakter hat und mehr Gewicht auf Vorzüge des „Geistes legt als auf äussere Beiwerke, besonders Kleiderputz, „an welchem dagegen die Zweite besonderen Gefallen hat".

Indolem illam nobiliorem [2]) Adelphasii nequaquam in utraque fabulae parte pariter conspicuam esse facile ostendam.

Adelphasion I [3]) cognoscitur ex I 3, ubi peculiarem hetaerae

1) Reinhardt. p. 109.

2) Cf. p. 187: „Die Uebereinstimmung der Gesinnung der beiden Schwesterpaare, „die eine edleren Sinnes, die andere Gefallsüchtiger, scheint mir, auch wenn dafür „keine Erklärung denkbar wäre, nicht so schwer zu wiegen, als die Widersprüche, „die oben hervorgehoben sind".

3) Numeri additi nominibus indicant personas cognomines in priore et posteriore fabula.

Digitized by Google

speciem exhibet doctam et argutam. Per totam scenam rhetorissat de ornatu muliebri incipiens a comparatione: „negoti sibi „qui volet vim parare, navem et mulierem haec duo comparato" (210 sqq.). Sororis oppositus genuinae et simplicis refutat adagiis: „modus omnibus rebus optumumst habitu, nimia omnia „nimium exhibent negoti hominibus ex se" (238 sq.) et argutiis: „nam pro erili et nostro quaestu satis bene ornatae sumus. „Non enim potis est quaestus fieri, nisi sumptus sequitur, scio: „et tamen quaestus non consistet, si eum sumptus superat, „soror: eo illud satius si satis quod satis est habitus plus quam „sat est" [1]), et sententiis moralibus: „bono med esse ingenio „quam auro multo mavolo" (301), „meretricem pudorem gerere „magis decet quam purpuram" (304), „pulcrum ornatum turpes „mores peius caeno conlinunt: lepidi mores turpem ornatum „facile factis comprobant" (306 sq.).

Hanc autem sapientiam non genuinam esse, sed ficticiam et ex amatorculorum sermonibus sublectam ostendunt versus in quibus vera meretricis natura erumpit, invidiosa erga aemulas et lucri cupida erga amantes, velut in putidis conviciis quae iactat in illas 265—270, 319—323 et in responsis ad Agorastocli verba 346 [2]), 362 sq. Hinc quoque fit, ut inverecunde

---

1) Versum corruptum sic constituit Leo:

„eo illud satiust, satis quod habitu <haud satis est quod> plus quam sat est".

Sententia aperta est. Respicit quae dixit v. 285 et ludit in ambigua voce satius hoc modo: illud „satis" (ex v. 285) satiust habitu (= sufficit habere), quod satiust (= nimium est) plus quam sat est (ideoque damnandum). Et versus fortasse sic constituendus

„éo illud satiúst „satis" habitu, quód satiust plus quám sat est".

De metro confer e. g. Cist. 7, Most. 557.

2) V. 345 sq.

Ag. Sunt mihi intus nescio quot nummi aurei lymphatici.

Ad. Deferto ad me: faxo actutum constiterit lymphaticum.

Non aliter de mulieris indole iudicat Leo in his p. 159: „Auch für die Characterisirung der Adelphasion als Hetäre ist es wichtig dass sie den Liebhaber schlecht „behandelt eben um ihn den Absichten des Kupplers geneigter zu machen". Dissentio ab eodem in iis quae subiunxit: „Mann gewinnt den Eindruck (ex v. 345) dass der „Liebhaber zu den geizigen gehört und auf Mittel sinnt, wie er die Geliebte sich „aneignen kann, ohne das Geld für sie auszugeben.". Equidem in hoc versu nihil sentio nisi temptamentum adolescentis ut mulierculam spe lucri a lenonis partibus, cui obsequitur, ad suas traducat.

Digitized by Google

prorsus tractetur et compelletur ab amatore 343 sqq., 349 sq. et magis etiam ab eius mancipio 375, 387 sqq.

Adelphasii naturae versutae et superbae opponitur sororis nativa simplicitas, quae in hac quidem scena festum Veneris impense laudat (255 sq.) et quantocius templum adire gestit (261 sq.), dum soror tergiversatur et turbae despicatae immiscere se abhorret (263 sq.). Quod autem contrarium prae se ferre videtur in 339 sq. (*apud aedem Veneris ... conveniunt mercatores, ibi ego me ostendi volo*), id spectat ut Agorastoclis invidiam suscitet et ad emptionem quovis pretio eum perducat antequam ematur ab alio.

Ab hac autem Adelphasio in I 2 prorsus diversa est altera in V 4. In hac enim scena non soror minuscula, sed ipsa est, quae sincere collaudat Aphrodisia et ipsas meretrices 1174 *fuit hodie operae pretium ... oculis epulas dare ... deamavi ecastor illic ego hodie lepidissima munera meretricum, digna diva venustissima ... tantus ibi clientarum erat numerus* e. q. s., dum Anterastylis eas vilipendit et derisas esse gaudet a iuvenibus, quocirca a sorore sic corrigitur 1201: *non eo genere sumus prognatae, tametsi sumus servae, soror, ut deceat nos facere quicquam quod homo quisquam derideat*, cf. 1185 sq. Hic quoque subiungit quidem sententiam moralem, 1203 sq., sed unam et quae conveniat, non pugnet cum reliquis dictis factisque eius in hac scena.

Errarunt igitur qui cum Franckeno[1]) sororum paria in actibus I et V tam similia esse contenderent, ut hae scenae „unius quasi corporis membra" esse viderentur et „plane ridi„culum fore duas exstitisse fabulas Graecas in quarum utraque „sic animatae sorores et ad amussim convenientes inventae „fuerint", immo tam diversae sunt sorores ut haec quoque discrepantia duplicem fabulae fontem coarguat.

Non levior est repugnantia inter ea quae dicunt aguntque Agorastocles et Milphio I et II. Argorastocles I adolescens est petulans et vehemens, qui fidissimum servum modo blanditiis modo verberibus aggreditur, 136 sq., 143, 357, 382 sq., in mediis curis dicax tamen et iocosus et largiloquus, 149,

1) Mnemosynes Vol. IV 1876 p. 168.

Digitized by Google

275 sqq., 279, 282, 290, 309 sq., erga mulierculam parum modestus, 343 sq. 349, 404. Agorastocles II inde a v. 961 indolem ostendit tranquillam, nihil festinantem, modestam et benevolam 971, 1005, 1191, 1197 sq.; ipse nihil iocans aliorum ioca vix intelligit, 980 sq., 1146, servulique impudentiam coercet 1035 sq., vigilans tantum in hoc ut puellam ac dotem sibi conciliet, 1055, 1225, 1279.

A Milphione I, callidissimo doli inventore quo capitur leno, non minus differt Milphio II, cuius auxilium utrum ab ero invocatum sit non constat [1]), sed si invocatum est, nihil utile invenire potuit, quin etiam desperabat lenonem everti posse: Sy. *Erus si tuos vult facere frugem meum erum perdet.* Mil. *Qui id potest?* (892) Praeterea facetiae eius nullae sunt in longissima scena IV 2, insulsae et plumbeae in V 2 si comparantur cum assidua et mordaci dicacitate cognominis in I 2 et 3.

De lenonum diversitate postea videbimus.

Non desunt sane in utraque fabulae parte aliqua similia, quae multis v. d. scrupulum moverunt, quominus e diverso fonte derivandas esse crederent. Fuerunt in utraque graeca:

Adolescens dives et sui iuris, qui lenoni obnitenti puellam eripere conatur,

Sororum par, quae diversam indolem colloquio aperiunt auscultante amatore a latere et admirante sapientiam maioris qua deperit.

Res agitur die festo Veneris, cuius templum puellae adeunt ut sacra faciant; in altera fabula primis hostiis deam placaverunt (847, 1133, 1175), idemque in priore usu venisse credibile est. Leno quoque in utraque comoedia sacrificasse narratur sed Venerem propitiare nequivisse (449, 746, 791, 847). Utriusque servus exta vel vasa ex templo domum refert.

Videamus de singulis.

Similitudinem argumenti triti et vulgaris praetereo. Debet autem utrobique adolescens liberum divitiarum arbitrium habuisse, ut non paupertas sed lenonis duritia tantum a puella eum arceat.

---

1) Leonis descriptio p. 154: „Dies zu ermitteln denkt der Liebhaber mit seinem „Sklaven auf einen Plan", non convenit in Carchedonium, quantum nunc apparet.

Digitized by Google

In sororibus characterum discrepantiam maiorem esse quam convenientiam supra ostendi. Quod autem in utroque exemplari fuerunt duae sorores, fluxit hoc ex comicorum consuetudine inducendi personarum paria, de qua disputavit Ribbeckius in H.P.R. I 76 sqq.. Ut in priore fabula sic in Bacchidibus etiam prodeunt sorores meretriciae, ut in Carchedonio sic in Sticho sorores honestae, alibi amicarum vel ancillarum paria sunt ut in Cistellaria et Rudente.

Praecipua convenientia posita est in Aphrodisiorum celebratione et mulierum sacrificiis faustis, lenonum infaustis. Cum haec tamen solemnia agerentur per totam Graeciam, potius mirandum essent, si in una tantum, non in permultis fabulis meretriciis occurrissent. Meretrices autem, quas omnes in huiusmodi fabulis insperata manet ex servitute libertas, numquam non litasse, non magis consentaneum est, quam id nusquam contigisse lenonibus, *nam generi lenonio numquam ullus deus tam benignus fuit, qui fuerit propitius*, ut est in Persa 582. Nulla igitur causa est cur cum Langeno p. 187 credamus, graecum Carchedonii auctorem ex fabula anonyma et sorores et Aphrodisia in suam transtulisse et per hunc quasi rivulum utramque materiem in Plauti Poenulum permanasse; multo rectius Leo statuit utrique exemplari Graeco Aphrodisia fuisse propria [1]).

Intercessit igitur aliqua similitudo inter fabulas quas Plautus consarcinavit, sed nequaquam tanta, quanta inter unius Diphili fabulas quas imitatus est in Rudente et in Vidularia [2]), vel inter Menandri Andriam et Perinthiam, quarum *qui utramvis recte norit ambas noverit*, ut ait Terentius in prologo.

Cum igitur constet Poenulum conflatam esse ex duabus fabulis graecis, quaeritur quae partes utrique exemplo assignandae

---

1) Leo p. 157, ubi vide quae habet de Aprodisiorum vestigiis apud Comicos graecos. Confer etiam Pauly R. E. i. v. Aphrodisia et Venus.

2) In utraque fabula senex ad mare habitans prolem olim surreptam reperit naufragio in litus eiectam, quae cognoscitur per vidulum cum crepundiis e mari sublatum a piscatore, quocum servus senis de praeda litigat.

Apollinaris Sidonius Epist. IV 12 commemorat „fabulam similis argumenti" atque Hecyram „id est Epitrepontes Menandri".

Digitized by Google

sint secundum eos, qui in hac quaestione nunc unice citandi sunt, Langenum dico et Leonem.

Ille p. 185 sq. priorem comoediae partem, actum I, II et III, refert ad fabulam anonymam, posteriorem, IV et V, ad Carchedonium, nisi quod a Plauto insertas putat scenam brevissimam IV 1 et partes Antamoenidis in duarum fabularum mixtura, quae continetur scenis V 5, 6, 7.

Leo de actu III, IV et V 1—5 cum eo fere consentit, sed dissentit de I et II, quoniam actum II in Carchedonio fuisse contendit non in anonyma et scenam I 1 ex variis elementis utriusque exempli conflatam esse; denique IV 1 decerptam ducit ex prologo quodam anonymae.

Effecturum me confido Leonis opinionem de actu II et de scena IV I falsam esse eumque in oeconomia scenae I 1 acute quidem tria vitia graviora invenisse, sed errasse cum ex contaminatione duarum fabularum ea derivaret. Viri cl. vestigia premens initium disputandi facio ab actu II, quem ex utra fabula desumptum esse decernamus, pendet ex hac quaestione, fuerintne leno Lycus et miles Antamoenides personae Carchedonii an non.

Actus II.

In actu secundo, qui una scena continetur, prodeunt Lycus et Antamoenides. Iidem redeunt in proscenium in actu V et quidem uterque prorsus eodem filo exaratus atque antea. Sacrificium lenonium inprosperum bis commemoratur, semel ab ipso Lyco in II, iterum a lenonis servo Syncerasto in IV. Constat praeterea inter omnes et in Carchedonio et in anonyma prodiisse lenonem et male sacrificasse die Veneris. Militem in utraque fabula fuisse non constat.

Hinc variae oriuntur quaestiones.

Sacrificia illa lenonia pertinentne ad diversos lenones an ad eundem; si ad eundem, pertinentne ad lenonem Carchedonii an anonymae?

Fuitne miles in utraque fabula et ex utra sumpta est persona Antamoenidis?

Vidimus Langenum lenonem et militem in actu II rettulisse

Digitized by Google

ad anonymam, sacrificium a Syncerasto memoratum in IV ad Carchedonium.

Leonis loci qui huc faciunt sunt hi:

p. 155. Ausser den Anfang (I 1) kann mann nur dass erste Auftreten des Kupplers und die Figur des miles (II) zunächst nicht mit Bestimmtheit dem einen der beiden Originale zutheilen.

p. 156. Hier muss die Untersuchung an der Scene ansetzen, die nicht mit Sicherheit zu *b* (anonymam) gerechnet werden kann: es ist der 2. Akt, das erste Auftreten des Lycus und die Unterhaltung mit Antamoenides.

p. 157. Der vom Opfer zuruckkehrende Kuppler (II) kann daher in dem einen Stück so gut wie in dem andern seine Stelle gehabt haben, wie auch der in die jüngere Hetäre verliebte Offizier (Antamoenides) ob er nun das Mädchen erst eben im Tempel gesehen hatte (wie man aus 467 sq. 497 sq. den Eindruck gewinnt), oder sie schon länger kannte (wie 1288 sq., 1305, 1322 vorausgesetzt ist).

Aber es liegen verschiedene Indicien vor, die die Scene 449 sq. (i. e. act. II) bestimmt nach der einen von beiden Seiten weisen. Der mit den beim Opfer gebrauchten Gefässe (847, 863) aus dem Tempel zurückkehrende Syncerastus gehört nothwendig in den Καρχηδόνιος und zieht das hübsche Motiv, dass der Herr im Aerger über die Bosheit der haruspices (449) vom Opfer weggeht und sich die *exta* nach Hause bringen lässt, nach sich in dasselbe Stück. Dass der Sklave im Original (Καρχηδόνιος) die *exta*, nicht die *vasa* allein nach Hause bringen lässt (v. 491, 617) ist nicht unwahrscheinlich, vielleicht hat Plautus das geändert, da er inzwischen den Scherz angebracht hatte, dass Collabiscus v. 803 von der Mahlzeit nascht, die v. 617 noch nicht im Hause war. Ich meine auch dass das sehr gute Auftreten des Syncerastus besser wirken würde, wenn nicht zwischen II und und IV 2 die gedehnte Handlung des 3. Aktes stünde und dass nach der Oekonomie des Originals die Scenen II und IV 2 aufeinander passten; doch darüber lässt sich streiten (Langen S. 189). Dass aber die beiden Scenen in dieselbe Erfindung gehören, das beweisen die Stellen über die verschiedene Vorzeichen, die sich dem Kuppler und den beiden Mädchen aus ihren Opfern ergeben haben. Dass der haruspex den beiden

Digitized by Google

Schwestern verkündet hat, sie wurden in wenigen Tagen die Freiheit erlangen (1205 sq.) ist offenbar für die Scene der ἀναγνώρισις erfunden (*id ego nisi* e. q. s.); und so bringt Syncerastus es vor als Gegensatz gegen den üblen Erfolg seines Herrn (847 sq.); dieser aber berichtet ausführlich über die Sache 449 sq. So gehört diese Scene (II) unweigerlich mit der zweiten Hälfte des Stückes von Ursprung zusammen; wahrscheinlich wird es dadurch, wenn auch nicht gewiss, dass der Miles eine Figur des Καρχηδόνιος war [1]).

Totus locus describendus fuit, quia v. cl. thesin suam defendit, et nimirum defendere tantum potuit, argumentatione tam subtili et tortuosa, ut si unam conclusiunculam omitterem neque intelligi neque convenienter redargui posset. Quam autem debilis sit tota structura non argumentorum sed indiciorum, ut modeste fatetur, apparet si singula indicia accuratius examinamus.

Primum hoc a Leone conceditur, lenoni a sacrificio redeunti et militi (des vom Opfer zuruckkehrende Kuppler ... wie auch der ... Offizier) in utraque fabula locum fuisse. Dein tribus indiciis probatur utramque personam e Carchedonio desumptam esse, quorum primum hoc est:

Sacrificium in actu IV memoratum factum est a lenone Carchedonii, huic sacrificio alterum in actu II tam simile est ut ad eandem fabulam referri debeat, ergo et leno et miles in actu II sunt ex Carchedonio.

Positionem maiorem non nego, sed refuto minorem de sacrificiorum similitudine. Secundum Leonem haec in eo posita est, quod ex utroque sacrificio res quaedam domum referuntur, in IV *vasa* a servo Syncerasto (847, 863), in II *exta* a puero non nominato (491, 617): altera relatio alteram secum trahit in eandem fabulam (zieht ... nach sich in dasselbe Stück). Si obicimus *exta* non esse *vasa*, reponit in originali Graeco probabiliter in v. 491 et 617 etiam *vasa* commemorata fuisse, a Plauto omissa. Si denuo obicimus *exta* etiam nominari in v. 804 (quae scena secundum Leonem quoque ex anonyma est) et in hoc versu *vasorum* mentionem fieri non potuisse (*extis sum satur*

1) Cf. Leo p. 191 de prologo, ubi v. 102 sq. militis mentio fit, de qua re in fine huius commentatiunculae dicam.

Digitized by Google

factus probe), Leo hoc eludit coniciens hunc iocum a Plauto insertum esse. Si porro quaerimus, cur Plautus in 491 et 617 *vasa* omiserit, haec ratio redditur; quia etiam omiserat et omittere sane debuit in 804; verum haec ratio manca est, nam nihil obstabat quominus illic *vasa* ex graeco retineret, etiamsi hic in suo ioco omitteret. Sed gravius est hoc. Cur v. cl. silentio transmisit quartum versum eumque primarium, in quo *exta* nominantur et unde tota extorum commemoratio pendet, vs. 466 *votui exta prosicarier: eo pacto avarae Veneri pulcre adii manum?* Probant haec verba relationem extorum nihil commune habere cum vasorum relatione in IV. Vasa domo allata domum semper reportabantur, sed exta diis semper reddebantur nisi ab impiis, qui post caesas frustra victimas deos iusto epulo fraudebantur [1]). Hoc igitur in II leno iratus servum facere iubet atque vasorum mentio et hic absurda fuisset et tribus illis locis qui hinc pendent. Iocus autem lepidissimus in 804, ubi Collabiscus lenoni denuo surripit, quae ille Veneri surripuerat, non est cur a Graeco auctore abiudicetur, immo cum tota re arte cohaeret et lenonis poenae cumulum continet.

Alterum indicium, scenam IV 2 optime sequi post II, minoris momenti est, cui cum Leo ipse non multum tribuerit (darüber lässt sich streiten) cumque ad quaestionem quam tractamus dirimendam vim non habeat, hoc nunc omitto.

Tertium indicium hauritur ex responsis haruspicum quae acceperunt lenones et puellae in 449 sqq. et 847 sqq.

Conceditur a Leone in utraque comoedia graeca sacrificium a lenone fieri potuisse. Cum autem huiusmodi sacra semper essent consultatoria [2]) et responsa lenonibus semper, ut vidimus, infausta, sequitur ut sacra lenonia in omnibus fabulis essent similia, neque necesse est, ut sacrificium a Syncerasto memoratum in 847 ideo referatur ad Lyci narrationem in 449. Eadem ratiocinatione efficitur puellarum quoque sacrificia in utraque fabula prospera esse debuisse, tametsi hoc traditur tantum de altera v. 848 [3]), nam erant consultatoria et responsa utrobique

1) Marquardt III 176 sqq.

2) Marquardt l.l.: »Alle Opfer mit Ausnahme der Sühnopfer .... sind nämlich »consultatorische Opfer".

3) Vs 849 *nam meretricis nostrae primis hostiis Venerem placavere extemplo*

Digitized by Google

propitia propter laetum fabularum exitum. Nihilominus Leo sorores non, ut Franckenus, uni sed diversis fabulis attribuit.

Viri cl. indicia igitur caduca sunt et minime probant lenonis personam esse unam in II et IV et desumptam ex Carchedonio.

De milite peculiarem quaestionem non instituit, sed hoc tantum dixit eum sortem sequi lenonis in actu II [1]). Si nos tamen eam instituemus apparebit et militem et lenonem et totum hunc actum in fabula anonyma eundem locum occupasse, quam occupant in Poenulo. Incipio ab argumento externo, de quo L. omnino tacuit.

Raro licet in comoedia ut persona proscenium relinquat idque vacuum maneat dum eadem redeat. Ubi hoc admittitur, persona non longius abit quam in aedes quas conspiciunt spectatores idque pauxillulum temporis, ut intus aliquid dicat, audiat, conspiciat. Fit hoc in Asinaria 809, Cistellaria 630, Heautontimorumeno 873. In Pseudulo 573, ubi servus diutius domi morabitur ad dolum concinnandum antequam redeat, sic prius monet spectatores: *non ero vobis morae: tibicen vos interibi hic delectaverit.* Quoties longior est absentia in foro vel alibi, novus actus incipitur aut temporis intervallum expletur scena intercalaria. Huiusmodi autem scena est actus II, qui si cum Leone tollitur, hoc vitium oritur, vacuum proscenium relinqui, dum Agorastocles abit forum, advocatos ibi colligit non paucos (582) et cum his tardigradissimis hominibus in scenam redit.

Accedit aliud argumentum multo gravius, nempe hoc, militi Antamoenidi convenientem locum non fuisse in Carchedonio. Quas ibi partes egisset? Secundum Leonem, ut Agorastocles maiorem, sic ille minorem sororem amabat Anterastylin eamque uxorem ducere cupiebat [2]). Sed pugnat hoc primum cum iis locis in posteriore fabulae parte quae pertinet ad Carchedonium

---

Opponuntur hic lenoni male sacrificanti non sorores tantum, sed omnes meretrices, quas habebat complures. Erravit igitur Leo in verbis supra citatis: „Und so „bringt Syncerastus es vor als Gegensatz gegen der üblen Erfolg seines Herrn" 847 sq.

1) Pag. 158. Cur autem dubitanter sic scribat: „Wahrscheinlich wird es „dadurch u. s. w.", non intelligo, nisi fieri potuisse credat, ut actus II a Plauto conglutinatus sit ex diversis fabulis.

2) Pag. 158: Er scheint dort ein ähnliches Verhältniss zu Anterastylis gehabt zu haben wie Agorastocles zu Adelphasion. Die Vermuthung Franckens (Mnemos. IV p. 170 sqq.), dass auch jene ein Paar wurden, gewinnt dadurch an Wahrscheinlichkeit.

Digitized by Google

nam a Plauto haec omnia inserta esse nequeunt, ubi miles Anterastylin compellat tractatve pro amica mercenaria 1288 sq. 1299 cf. 49[illegible], aut ubi eam uxorem petere negligit quando opportunitas datur 1325 sq. et pro amissa Anterastyli alteram amicam a lenone postulat 1414. deinde pugnat cum charactere militis Antamoenidis: stupidus et vaniloquus ἀλαζών, qualem se praebet in II et V 5—7, sponsus esse non potest virginis honestae et ingenuae. Franckenum hoc non fugit ideoque suspicatus est Antamoenidem graecum fuisse personam nobiliorem, Anterastyli uxore non indignam, verum huiusmodi militem comoedia, quantum novimus, in scenam non produxit, ubi semper talis est, qualis describitur a Ribbeckio [1]), qualisque egregie convenit in altera fabula, ubi rem habet cum meretrice non cum ingenua. Restat igitur ut cum Langeno lenonem Lycum et militem Antamoenidem et totum actum II adsignemus anonymae, in qua post actum I explevit temporis intervallum supra indicatum.

De prima scena, v. 129—202.

Dixi supra Leonem hanc quoque scenam non cum Langeno revocasse ad anonymam (quam L. designat per litteram *b*), sed ex duabus exemplaribus a Plauto confictam habere, eumque vere tria vitia in his vss. detexisse quae debentur non poetae vel poetis graecis, sed Plauto.

Primum vitia tractabo, dein quaestionem de contaminatione huius scenae a Leone motam.

In v. 129 sqq. Agorastocles blanditur Milphioni, ut sibi conciliet nimirum, nam hoc non diserte additur, huius operam in adipiscenda Adelphasio. Milphio et antea et heri etiam ab acri iuvene pessime habitus repellit blandimenta, dein rogat v. 152 *sed quid nunc tibi vis?* et accipit rem iampridem sibi notam, erum amare lenonis meretricem maiusculam, sed ab eius possessione prohiberi a lenone, *quo non lutumst lutulentius* v. 158. Post hunc versum expectamus aliquod indicium, cur leno di-

1) H. P. R. I 66: der lange Schlagetot, der den Löwen spielt und ein Hasenherz in der Brust trägt, eine Vogelschenche, die sich für ein Adonis hält.

Digitized by Google

tissimo adulescenti et emendi cupido puellam assidue deneget [1]). Hanc omissionem reprehenderunt iam Franckenus (p. 158) et Langenus (p. 192), sed huius negligentiae culpam imputarant poetae graeco, qui credidisset ipsos spectatores facile intellecturos esse, Lycum insatiabili avaritia maius semper pretium ab adolescente extorquere voluisse, ut est in Curculione v. 61: *alias me poscit pro illa XXX minas, alias talentum magnum neque quicquam queo aequi bonique ab eo impetrare.* Equidem assentior Leoni, hanc explicationem in Poenulo non magis quam in Curculione omitti debuisse, neque defuisse in exemplo graeco, sed neglectam esse a Plauto post v. 158.

Alterum vitium primum Leonis doctrina monstravit, nempe intricatum dolum Milphionis ad perdendum lenonem praepropere sequi in proximis vss. 159—189. Consuetudo comicorum et sana ratio postulat, ut Milphio in auxilium vocatus aliquantisper secedat et domi otiosus dolum excoquat. Ita res geritur in omnibus fabulis ubi nodus nectitur per dolum, qui aperiri demum potest post scenam secundam [2]).

Tertium vitium hoc est:

Postquam Agorastocles servi consilium cognovit et probavit statim sic pergit v. 190:

Ego in aedem Veneris eo, nisi quid vis, Milphio:
Aphrodisia hodie sunt. Mi. Scio. Ag. Oculos volo
Meos delectare munditiis meretriciis.
Mi. Hoc primum agamus quod consilium cepimus:
Abeamus intro, ut Collabiscum vilicum
Hanc perdoceamus ut ferat fallaciam.
Ag. Quamquam Cupido in corde vorsatur, tamen
Tibi auscultabo. Mi. Faciam ut facto gaudeas.
(*intrat Agorastocles domum*)
Inest amoris macula huic homini in pectore,
Sine damno magno quae elui ne utiquam potest.
Itaque hic scelestus est homo leno Lycus:
Quoi iam infortuni intenta ballistast probe,

1) Eadem omissio est in v. 364, ubi Agorastocles ipsi puellae eiusdem rei rationem postulanti respondet tantum: *Perii.*

2) Cf. Leo p. 190.

Digitized by Google

Quam ego haud multo post mittam e ballistario.
Sed Adelphasium eccam exit atque Anterastylis.
Haec est prior quae meum erum dementem facit.
Sed evocabo. Heus, i foras, Agorastocles,
Si vis videre ludos iucundissimos.
AG. Quid istuc tumultist, Milphio? MI. Em amores tuos,
Si vis spectare. AG. O multa tibi di dent bona,
Quom hoc mihi optulisti tam lepidum spectaculum.

In his Leoni merito displicuit Agorastoclem solum abire et Milphionem in proscenio remanere, cum ipse dixerit: abeamus ut Collabiscum perdoceamus.

De his igitur vitiis Leoni assentior, sed ab eodem dissentio de causis unde exstiterint, quas nimis intricatas et longe quaesitas protulisse mihi videtur, cum mea sententia origo satis simplex sit neque tertii erroris desit facilis medela.

Rem igitur sic instituam ut exponam meas opiniones, refutem interdum Leonis argumenta quae ultro se offerunt, reliqua in posterum servaturus.

Incipio a tertio vitio, quod vir cl. recte ita definivit p. 160: „Milphio bleibt obwohl er in Plural gesprochen ohne Motivi„rung draussen". Quod tamen paulo post adiunxit: „Agorastocles „musste noch v. 189 auf der Bühne bleiben und nach v. 409 „(scen. 3) das Geld holen" [1]), hoc verum esse nego. Immo audito et probato dolo nihil prius agendum erat ero et servo, quam ut eius perficiendi initium facerent; id iustissime hortatur Milphio, cui morem gerit erus v. 193—197, igitur ambo domum intrare debuerunt. Si autem iusta aliqua causa intercesserit, cur servus dominum non statim sequatur, omnis loci offensio tollitur. Puto autem talem causam revera intercessisse hoc modo. Adolescens amans in comoedia iners esse solet et nihil agere quod non iubetur a servo vigilanti, itaque Milphio ero praecepit, ut postea de testibus v. 424, ita nunc de pecunia promenda. Hoc autem praeceptum intercidit post v. 197, comprehensum, opinor, uno versiculo huiusmodi: *I, prome argentum Collabisco, ego te sequor* [2]). Nihil obstat quominus, dum ille Philippos promit,

1) Nempe apparet ex v. 415 Agorastoclem domum intrasse ut argentum promeret Collabisco idque ei dedisse.

2) Etiam post 1101 unum v. intercidisse iure statuit Leo.

Digitized by Google

Milphio paulisper etiam in scena moretur statim secuturus. Retinetur tamen adventu inopinato sororum, quo lepido spectaculo erum evocat ut fruatur, unde oritur scena 2, qua sane diu interrumpitur doli praeparatio, sed eiusmodi moram non curat comoedia, quae numquam festinat et in temporum rationibus negligentissima est, ut docent exempla a Langeno congesta [1]). Hac simplicissima correctione leve vitium explicatur et sanatur, debitum non poetae sed librariorum incuriae. Leonis coniectura, Agorastoclem in fabula graeca proscenium non reliquisse, cohaeret cum eius opinione de totius scenae compositione, quam mox separatim considerabimus.

Transeo ad primum vitium, nempe Plautum ex graeco fonte omisisse rationem, cur Lycus adolescenti puellam tradere pertinaciter recuset. Mihi autem praeter hoc etiam alia desiderari videntur, a Plauto neglecta, scilicet preces, quibus Agorastocles servi operam invocaverit, et huius promissio se operam praestaturum. Neutra res in graeco colloquio abesse, credo, potuit; in latino inchoatur quidem altera per Milphionis rogationem v. 152 *Sed quid nunc tibi vis?*, verum non absolvitur.

Cohaerent hae omissiones cum altero vitio, quod nempe Milphio callidissime inventum consilium non ante domi meditatur, sed statim in promptu habet et ordine enarrat. Intercidit igitur insuper ante v. 159 brevis scena secunda, per quam dolum in aedibus excoquit. Qualis ea in anonyma probabiliter fuerit, docet Persa, ubi in simili rerum condicione Toxilus I 1 v. postremo sic loquitur: *usque ero domi dum lenoni excoxero malum*, deinde reversus I 3. 1: *omnem rem inveni* profertque excogitata. Dum abest, soliloquium fit a Parasito triginta fere versuum. Tale soliloquium in Poenulo aptissime dixerit Lycus, quem in actu II redeuntem videmus e templo, abeuntem illuc non vidimus [2]). Erant tamen quae apposite cum spectatoribus communicaret, hoc praesertim, cur nulla parsimonia Veneris voluntatem conciliare sibi in animo haberet (aperire iubet haruspicem sex agnos), scilicet ut dea mentem Agorastoclis inclinaret ad puellam quovis pretio emendam, quo argumento facundia

1) Studia Plautina p. 119 sqq., 125, 134, 136, 138, 153, 155 sq., 158, 193, 208 etc.
2) Sorores ante et post visitationem templi in scenam produnt.

Digitized by Google

comica facile viginti vel triginta versuum spatium expleverit.

Fuerunt igitur in fabula anonyma, quam Plautus in hac quoque scena me iudice secutus est, post v. 158 hi loci; de contumacia lenonis, imploratio Agorastoclis, promissio Milphionis, dein ambo domum ibant et sequebatur scena 2 soliloquium Lyci, tandem illi in proscenium redeunt, sed, ni fallor, Milphio paulo ante dominum et pauca praefatus, ut Toxilus in I 2. 1—8, exeunti Agorastocli inventa sua enarrat incipiens fere ab iis quae leguntur v. 159.

Haec omnia, finem scenae primae, scenam alteram et initium tertiae, quae 50 vel 60 versus occupaverint, Plautus omisit non aliam ob causam quam ne nimis longa fieret fabula. Quaevis contaminatio parit omissiones; severior poetae alia praeteriisset, velut nugas prolixas advocatorum in III sc. 1. 2. 3, potius quam ut oeconomiam fabulae corrumperet, sed Plauto nugae semper potiores fuerunt quam iustus rerum processus.

Longe aliter de horum vitiorum natura et causis iudicavit Leo, cum sibi persuaserit inde ea orta esse, quod Plautus totam hanc scenam conflaverit ex fragmentis male dispositis maleque consutis utriusque fabulae graecae. Constat secundum eum his partibus:

a. v. 129—155 circiter, qui sumpti sunt ex 1ª scena Carchedonii.

b. v. 158—189, ex 3ia scena anonymae post v. 415.

c. v. 190—202, ex anonyma post v. 409 (igitur ex sc. 3ia).

d. v. 203—209, ex 1ª scena Carchedonii.

Persequamur singulas.

a. Sententiam de initio scenae vir cl. nulla argumentatione stabilivit, sed posuit tantum his verbis p. 160 infra: „Im „Anfang des Καρχεδόνιος klagt der Jüngling dem Sklaven seine „Liebe wie im Curculio und Pseudolus". Sitne hoc verum, nusquam apparet. Immo talis querela, prorsus necessaria in anonyma, ubi Milphionis opera imploratur et acquiritur ut in Curculione et Pseudolo, abesse potuit in Carchedonio, ubi, si tamen adfuit, quod neque affirmo nec nego, nullam saltem peperit fructuosam servi operam. Itaque Leo rem invertit, cum in fabularum descriptione p. 154 adsereret de Carchedonio

Digitized by Google

id [1]) quod adserendum fuit de anonyma. Cum igitur res ipsa suadeat ut v. 129—155 revocentur ad anonymam, accedit quod erus et servus in his vss. characterem produnt acrem et vehementem, quo insignes fuerunt in anonyma, non laxam et tranquillam quam ostendunt in Carchedonio, ut supra vidimus [2]).

b. Locum de dolo, v. 158—189, a prima scena alienum esse, recte Leo sic statuit p. 159: „Dass der Plan nicht an „seiner ursprünglichen Stelle steht, wird sich aus der Betrach„tung der Prologe (p. 190) mit Sicherkeit ergeben". Sed fallitur in conclusione, quam subiungit: „Somit ist es nicht Ver„muthung, sondern Gewissheit, dass Pl. in die Exposition des „Καρχ. die des anderen Stückes hineingearbeitet hat; die Fuge „ist um v. 155, der eingelegte Abschnitt reicht zunächst bis „v. 189". Omisit vir clar., narrationem praematuram esse posse vel propter transpositionem ex posteriore scena, ut ille voluit, vel propter scenae omissionem sine ulla fabularum contaminatione, ut ego supra censui.

Deinde sic legimus p. 160 infra: Wenn Pl. die beiden An„fängen verbinden wollte, so musste er den Herrn vor dem „Auftreten der Mädchen (I 2) im Hause treten lassen; dass „hat ihn vielleicht darauf geführt, den Ueberlistungsplan so „früh anzubringen, der in keinem der beiden Stücken so im „ersten Anfang gestanden haben kann, und im Stücke *b*, (ano„nyma) zu dem er gehört, sicherlich erst um vs. 415 (I 3) „vorgebracht wurde. Plautus hat also die Verbindung zwischen „den Anfang des Καρχ. (129—154) und dem Auftreten der „Hetären in *b* (I 2) in zwei Stücken selbst hergestellt; das „eine etwa 155—189, haben wir oben ausgesondert; das zweite „reicht von 190—202".

Prima et postrema coniecturam continent prorsus incertam hanc, Plautum id egisse ut duarum fabularum initia in unam scenam coniungeret, quod quantum pertinet ad v. 129—155 modo refutavi. Nunc media verba volo, locum de dolo, v. 155

1) „Dies zu vereiteln denkt der Liebhaber mit seinem Sklaven auf einem Plan".

2) Attende etiam convenientiam v. 134, ubi Ag. libertatem et multas gratas gratias pollicetur Milphioni cum v. 420 et 428—441 ex anonyma, et v. 155 meretricem *maiusculam* cum mer. *minuscula* in 498.

Digitized by Google

—189, in anonyma (*b*) stetisse „circa v. 415". Hoc fieri non potuisse docent cum ipsa verba Agorastoclis in v. 415: „Tre„centos Philippos Collabisco vilico dedi dudum, „priusquam me evocavisti foras", quae dicta esse nequeunt in eadem scena qua dolum et nummos dandi consilium a Milphione accepit, tum v. 421 sq.: „mi Milphidisce ... fac, „quod facturum te promisisti mihi, ut ego hunc lenonem „perdam", quae similiter promissum spectant iam antea datum. Nisi ergo sumamus hanc scenam (I 3) a Plauto, postquam locum de dolo inde dempsit, tam scite refictam esse, ut nulla rima, nulla repugnantia, nullum exemptorum versuum indicium relinqueretur — quod negat Leo p. 161: „da er den Stoff nicht „umschmolz und die Fugen nicht verkleidete" — fatendum est, dolosum servi consilium in anonyma expositum fuisse ante I 3; cum autem in ea comoedia scena 3ia statim exceperit 2am et in 2a dolus dictus esse non potuerit, superest ut ante 2am hoc factum sit ea fere ratione, quam supra indicavi.

c. v. 190—202. De his vss. nihil certius monemur nisi hoc: „Plautus hat also die Verbindung ... in zwei Stücken selbst „hergestellt ... das zweite reicht von 190—202". Haec si recte intelligo, hi quoque vss. a Plauto huc translati sunt ex anonyma, ubi steterunt nimirum etiam in scena illa misere expilata I 3, et quidem post dolum enarratum et ante dolum incohatum vs. 415. Valet igitur contra hanc coniecturam, quod modo protuli contra praecedentem, et accedunt haec: v. 191, quo Milphio quasi novum aliquid admonetur hodie esse Aphroditia, ineptus est si legitur post I 2 ubi horum ludorum identidem facta est mentio; porro v. 190—193 inepti sunt post I 2, ubi Agorastocles iam delectatus est munditiis meretriciis neque amplius cogitare potest de visitando templo; denique soliloquium Milphionis 199—202 non decet nisi in fine alicuius scenae post eri profectionem.

d. v. 203—209. Huc pertinent verba Leonis p. 160: „das „zweite Stück fing mit einen Monolog des Sklaven an ... dann „erschienen die Mädchen und der Sklave rief seinen Herrn vor „die Thür", et paulo ante: „wenn Pl. diese beide Anfänge „verbinden wollte, so musste er den Herrn vor den Auftreten

Digitized by Google

„der Mädchen (I 2) ins Haus treten lassen; dass hat ihn viel-
„leicht darauf geführt, den Ueberlistungsplan so früh anzubrin-
„gen"; denique haec quae praecedunt: „das Herausrufen des
„Agorastocles ... ist ein hübsches und wirksames Motiv, das
„beizubehalten Pl. beabsicht haben mag als er die Umgebung
„gestaltete wie wir es sehen". Igitur secundum Leonem Plautus ideo maxime transpositiones illas ex posteriore scena anonymae in priorem molitus est, ut lepidam illam revocationem posset adhibere in fine scenae primae: nempe hanc ob causam primum inseruit locum de dolo 155—189, deinde abitum Agorastoclis 190—202. Quantae ambages, quanti fluctus in simpulo! Sine ulla locorum transpositione poeta efficere poterat ut Agorastocles solus e scena decederet ante revocationem, veluti ea ratione quae obtinet in Pseudolo v. 118 sqq. Et quid assecutus est hoc locorum molimine? Ut scenae finis oreretur inconcinnus et propter ipsum importunum abitum et reditum damnandus.

Si autem rogamus cur Plautus hanc scenam illamque fragmentorum dispositionem tam mire administraverit, vir clar. provocat ad arcanam quandam voluntatem vel arcannm fatum quo poeta compelleretur ut sic ageret, p. 161: „Auf die be-
„rechtigte Frage, warum Pl. ... nicht einfach den Anfang von
„*b* beibehalten habe, ist zu antworten, das er den Poenulus
„mit den Anfang des Καρχ. beginnen wollte; ferner dass er
„den dialogischen Anfang der Prologrede vorzog" [1]), et p. 160 passim: „Agorastocles musste auf der Bühne bleiben ... Den
„Schluss der ersten Scene muss Pl. aus einem äusserlichen
„Anlass so wunderlich unzweckmässig gestattet haben; dieser
„Anlass muss derselbe gewesen sein, der auf den ersten Theil
„der Scene gewirkt hat, die Verbindung der Exposition von *b*
„mit der des Καρχηδόνιος ... Wenn Pl. diese beiden Anfänge
„verbinden wollte, so musste er den Herrn ... ins Haus
„treten lassen" [2]).

Nemo sane negabit poetam scripsisse quae voluerit aut quae debuerit, sed ad comoediae compositionem cognoscendam hae rationes philosophae parum valent.

---

1) De initio per dialogum alterius fabulae vel per prologum alterius nihil constat.
2) „Der Philosoph der tritt herein, und beweis't euch es müsst' so sein".

Digitized by Google

Actus IV scena prima.
v. 817—822.

De brevissima scena, quam Langenus inter utriusque fabulae partes a Plauto insertam esse credebat ut eas conecteret, haec suspicatus est Leo.

P. 160: „Das zweite Stück (i. e. anonyma) fing mit einem „Monolog des Sklaven an, einer Einleitungsrede, die im Inhalt „der sehr ähnlich gewesen sein mag, die wir jetzt in IV 1 „lesen"; et verba supra allata p. 161 „... ferner das er (Plau„tus) den dialogischen Anfang (Carchedonii) der Prologrede „(anonymae) vorzog. Diese hat er dann fur den Monolog IV 1 „verwendet".

Hanc suspicionem iam tum redargui cum ostenderem initium comoediae v. 129—155, dialogum Milphonis et Agorastocli, non derivatum esse ex Carchedonio, sed ex anonyma. Addenda sunt alia argumenta. Versus sic se habent:

Expecto, quo pacto meae techinae processurae sient
Studeo hunc lenonem perdere: ita meum erum miserum macerat:
Is me autem porro verberat, incursat pugnis, calcibus.
Servire amanti miseriast, praesertim qui quod amat caret.
Attat e fano recipere video se Syncerastum,
Lenonis servom. Quid habeat sermonis auscultabo.

Prima verba, *Expecto — sient*, ex nullo possunt esse prologo (Prologrede), cum agant de techinis s. dolis iam incohatis. Duo vss. postremi referri nequeunt ad anonymam, cum adnuntient personam alterius comoediae. Supersunt tres versus, quorum primus: *Studeo* e. q. s. ad utramque fabulam trahi potest, itaque apte confictus est a Plauto ad utriusque argumentum complectendum. Reliqui duo quemcumque decent servum erilis filii in comoedia amatoria, sed appositi sunt imprimis si dicuntur ab eo, qui coram spectatores plus semel pugnas et calces eri passus est, quod non cadit in Milphionem Carchedonii, quantum novimus, sed in Milphionem anonymae, cf. 138 sq., 143, 147 sq., 150, 381 sqq., 413, quos locos Plautus respexit cum haec de suo insereret, ut prioris fabulae argumentum aliquatenus cum

Digitized by Google

posteriore conecteret, quod tamen irritum cecidit. Milphionis verba *exspecto — sient* inepta sunt, cum prior techna, dolosa fallacia per advocatos, iam absoluta sit suumque habuerit successum, altera autem nondum instituta sit, sed incipiat demum a verbis Syncerasti v. 892 sqq., neque vero techna est, qua leno tangitur in altera fabulae parte, sed casus a Fortuna oblatus (v. 973), adventus Hannonis. Etiam magis absurda, quae sequuntur: *Studeo hunc lenonem perdere,* cum prior leno iam perierit, de altero nihildum acceperimus.

Actus V scenae 5, 6, 7.

Ea quae leguntur inter IV 1 et V 5 nemo dubitat quin hoc ipso ordine fuerint in Καρχηδονίῳ, nisi quod postea, in disputatione de prologo, videbimus e Graeco exemplo hic illic quaedam omissa esse a Plauto.

De postremis scenis tribus duplex quaestio est, quandoquidem et contaminatae sunt et retractatae. De retractatione prorsus constat propter duplicem fabulae exitum, 1370 sq. et 1422, et propter assiduam rerum et dictorum repetitionem, sed anceps decisio est, quae partes revocandae sint ad Plautum, quae ad retractationem postplautinam. In editione stereotypa a. 1896 pro noviciis secluduntur cum Brachmanno 1353—1358 et cum Camerario tota scena 7, 1372—1422. Mihi tamen textui Plautino prudentius consuluisse videntur Ussingius, Langenus et Leo in ed., quorum opinio, quamquam in quibusdam dissentiunt, fere inclusa est his verbis Langeni in Stud. Plaut. p. 344: „Mir scheint es mit Ussing nicht zweifel„haft, dass es sich nicht darum handeln kann entweder (1315) „1322—1371, oder 1372 bis zum Schlusse (von einzelnen spä„teren Zusätzen abgesehen) [1]) für das Ursprüngliche zu halten: „sowohl der erste wie der zweite Schluss, wie sie uns jetzt in „den Handschriften in verworrener Gestalt vorliegen, enthält „echt Plautinisches und Aenderungen der nachplautinischen „Bearbeitung: dazu kommen noch einzelne spätere Zusätze oder „Interpolationen".

1) Leo in Quaest. Plaut. p. 158 adnot. cogitat de duabus retractationibus.

Digitized by Google

Sed ad quaestionem de harum scenarum contaminatione iusta partium Plautinarum et retractatarum divisio parum refert, nam in utrisque permiscentur res et personae ex utraque fabula graeca sumptae, quod evitari non potuit in duarum comoediarum et duorum nodorum solutione una. Igitur omnia quae in scena 5 Antamoenides, miles ex anonyma, loquitur cum Hannone, Anterastyli, Agorastocle v. 1292—1328, quippe pertinentia ad argumentum Carchedonii graeca esse nequeunt. Exceptionem facio de primis eius verbis 1280—1291, quae Langenus immerito etiam a Plauto inventa esse credidit, etenim fieri non potuit quin in graeca quoque fabula Antamoenides post longam seclusionem in domo Lyci aliquando in scenam redierit ut ea fere ratione qua nunc legimus bilem evomeret in lenonem et in amicam, quam una cum lenone verba dedisse sibi putabat.

Similiter in scena 6 primi vss. quatuor, 1338—1341, referre possunt quae in anonyma quoque Lycus in scenam reversus dixerit de consultatione cum amicis, sed reliqua omnia quae confabulatur atque litigat alternis vicibus cum Antamoenide, Hannone, Agorastocle utriusque fabulae elementa continent tam perturbate commixta et tam negligenter enuntiata ut nihil graecae originis in his dignoscere amplius possis.

De Poenuli compositione igitur sic concludo.

Actus I II III continent initium fabulae anonymae praeter actus primi scenam alteram et finem primae initiumque tertiae. Constitit haec pars omissa sexaginta fere versibus, quibus si adduntur vss. superstites anonymae 688, a v. 129—816, et duae vel tres scenae breves omissae in fine, quae catastrophen spectatoribus ante oculos ponebant, pervenimus ad versuum numerum anonymae fere 800 vel paulo amplius. Quid actum sit in scenis illis finalibus facile intelligitur. Postquam Lycus confugit ad amicos (v. 795) et Agorastocles atque advocati abierunt (v. 808 et 816), Antimoenides exit e domo lenonis, furens propter amissam coenam et minam et amicam. Lycum ab amicis redeuntem ut domi se suspendat fortiter aggreditur; mox Agorastocles prodit, qui post multas minas transigit rem cum lenone, receptis sororibus, Collabisco, nummis

Digitized by Google

aureis. Miles abit cum alia amica pro Anterastyli. Haec igitur pro parte conveniunt cum iis quae leguntur in scenis 5, 6, 7 actus V.

Alteram graecam fabulam, cui prologus docet nomen fuisse Carchedonium, secutus est poeta a IV 2 usque ad V 5. Huius igitur protasin praetermisit et fortasse etiam partem epitasis, in quibus quid actum fuerit, difficile dictu est, sed vix multum a veritate aberrabis si conicias huiusmodi scenas praecessisse antequam Syncerastus in proscenium prodiret. 1. Colloquium eri cum servo de curis suis, in quo tamen hic nihil auxilii promisisse videtur. 2 Sorores in templum iturae domo exeunt lenonis cum Giddeni nutrice, quacum pauca locuti abeunt remanente nutrice. 3. Syncerastus exit cum vasis, quae in actu IV ex templo reportat et ea loquitur cum Giddeni ex quibus spectatores nobilem sororum originem iam quodammodo augurantur. 4. Prodit leno et ferocem indolem ostendit in abigenda nutrice et in propulsando servo, de cuius ignavia cf. IV 2, 845 sq. Sic furor et vindictae studium Syncerasti in actu IV praeparatur. 5. Agorastocles templum aditurus domo exit et Milphioni mandat ut cum Syncerasto aliquid moliatur contra lenonem. 6 Milphio solus pauca locutus revertentem excipit lenonis servum.

Cum igitur exitus anonymae et prooemium Carchedonii nullum haberent leporem rerumque iucunditatem, Plautus utrumque abiecit et novam comoediam conflavit, in singulis scenis satis lepidam et iocosam, sed in turbarum incremento et processu atque in nodorum solutione inconcinnam et mancam ac debilem.

De prologo.

Superest ut pauca disputem de prologo, qui tenue etiam contaminationis vestigium exhibet et praeterea non una de causa admirationem movet.

Primam partem, v. 1—45, in qua leguntur *imperata pro imperio histrico*, non graecae esse originis sed latinae manifestum est.

De altera parte, v. 46—128, si omittimus paucas brevesque interpolationes et dittologias, Leoni adsentiendum est perhi-

Digitized by Google

benti p. 191: „es ist ohnedies deutlich dass wir die plautinische „Bearbeitung der Vorrede des Καρχηδόνιος vor uns haben", insunt enim in argumenti expositione de personarum rebus ante actis quae poeta latinus ipse excogitare non potuit, sed ex graeco fonte transtulit, neque est cur ab ipso Plauto hoc factum esse negemus. Hoc autem imprimis memorabile est totam argumenti expositionem ad solum pertinere Carhedonium, igitur ad eam Poenuli partem, quae incipit a IV 2, deque iis quae praecedunt altum esse silentium exceptis vss. 103 et 104

Illam minorem in concubinatum sibi
Volt emere miles quidam qui illam deperit,

qui pertinent ad actum II anonymae et, secundum ea quae supra disputavi de hoc actu et de persona militis, alieni sunt ab argumento Carchedonii et procul dubio postea interpositi, atque miror Leonem hos quoque versus pro genuinis et graecis habuisse, cum ipse tamen contenderet militem Antamoenidem sororem minorem Carchedonii non in concubinatum emere, sed honeste in matrimonium ducere voluisse. Mentio autem minoris filiae hoc loco non magis necessaria est, quam in ipsa comoedia v. 1095, ubi leguntur v. consimiles atque in prologo 96 sqq.: *earum hic alteram efflictim perit, neque eam incestavit umquam* et omnis abest Anterastylis memoria.

Cum igitur considero, argumentum fabulae anonymae, hoc est partem Poenuli priorem et longiorem ad v. 816 in hoc prologo prorsus negligi, alteram contra breviorem tam prolixe enarrari, ut in ipsa actione nihil fere novi spectatores amplius didicerint, immo in prologo multa commemorari quae in fabula aegre desideres, veluti de patre Agorastoclis aegritudine mortuo propter filii amissionem v. 69, de moribus senis qui hunc adoptavit v. 74, de aetate puellarum v. 85 et praesertim de lepida ratione qua Hanno filias terra marique quaesitaverit v. 105—113 [1]), porro leves esse discrepantias inter prologum et Poenulum v. 66 *septuennis* et v. 902 *fere sexennis*, v. 86 *a Magaribus*, v. 879 *de praedone Siculo*, et si denique attendimus Plautum Carchedonium primo vertisse non Poenuli nomine, sed

1) Cf. Leo p. 191: „Vermuthlich ein Motiv, das er (Plautus) hat unter den „Tisch fallen lassen, als er das Stück zustutzte".

Digitized by Google

alio, quod incertum latet in corrupto v. 54, si igitur haec omnia considero, suspicio mihi oritur, Plautum bis tractasse argumentum Carchedonii et edidisse fabulam semel puram et intaminatam cum prologo, qui superest, deinde, cum argumentum ieiunum et parum hilare minus placuisset, iterum mixtam cum anonyma omissis tunc quibusdam et mutatis, quorum pristina vestigia servavit adhuc prologus [1]). Hanc autem novam dedit sub nomine Poenuli et sine prologo, cum fieri non posset, quin in nuda rerum Poenuli relatione statim proderetur ambigua fabulae natura et argumenti repugnantia, quae lectorem vel spectatorem longae fabulae praetereunt. Nova fabula prioris memoriam oblitteravit. Cum autem post Plauti tempora Poenulus agebatur, recitabatur unicus qui supererat prologus, auctus v. 103 et 104 et fortasse aliis, veluti 118—120, atque hic illic retractatus, ut docent v. 199 sq. et 124—127, et sic transiit comoedia cum alieno prologo in editiones aetatis Varronianae et posteriores.

1) Veluti de iis quae sunt in prologo v. 105—113 in prima editione ipsum Hannonum egisse puto in ea scena quae nunc est V 1.

AD PLUTARCHUM.

Themist. 3 (Sint.). *ἰταμῶς ὑφίστατο τὰς πρὸς τοὺς δυναμένους ἐν τῇ πόλει καὶ πρωτεύοντας ἀπεχθείας, μάλιστα δὲ Ἀριστείδην τὸν Λυσιμάχου, τὴν ἐναντίαν ἀεὶ πορευόμενον αὐτῷ.* Dixerit aliquis — id quod minime sit ineptum — ante *Ἀριστείδην* repetendam esse praepositionem *πρός*. Equidem tamen alia ratione locum emendandum censeo: pro *μάλιστα δέ* rescribo *μάλιστα δι'*: inimicitiae, quae ei erant cum Aristide, causa erant cur omnium fieret nobilium adversarius.

Public. 14 (Sint.). Novissimi Capitolii *κίονες* cum Athenis mensura elegantissima fuissent caesi, Romae iterum caesi et politi *οὐ τοσοῦτον ἔσχον γλαφυρίας ὅσον ἀπώλεσαν συμμετρίας τοῦ καλοῦ διάκενοι καὶ λαγαροὶ φανέντες.* Insere *πέρα* ante *τοῦ καλοῦ*: *iusto* graciliores et exiliores fuerunt. Etenim *συμμετρίας τοῦ καλοῦ* nihili est. J. J. H.

Digitized by Google

DE AETOLORUM INSTITUTIS PUBLICIS.

SCRIPSIT

J. BREEN.

I.

Aetolorum instituta et societatem tractaturi ante omnia quaerimus unde originem illa societas habuerit. Sed tam obscura est haec de origine quaestio, ut dirimi omnino non possit. Nec magis liquet quo modo diversae illae gentes in unum sint coniunctae, quaenam fuerint earum officia erga commune, quaenam iura sociis tributa fuerint, quo tempore primum a reliquis gentibus Graeci nominis societatis ratio habita fuerit. Testimonia enim de Aetolia ante tertium saeculum a. C. n. adeo rara sunt, ut ne coniectura quidem de indole priscorum institutorum quicquam constituere liceat.

Apud Homerum in catalogo sociorum Aetoli communi nomine commemorantur, et ita quidem ut appareat eos in urbibus sedes habuisse, nam Pleuronis Calydonis aliarum fit mentio [1]).

Post Troiam autem eversam hae gentes ab Aetolis sedibus suis pulsae sunt; inde usque ad Thucydidis tempora regiones, quae a Strabone ἀρχαία Αἰτωλία vocantur [2]), indicatae sunt nomine *Aeoliae* [3]). Ceterum Thucydides [4]) communi Aetolorum nomine complectitur gentes *Aetoliae adiectae* quam dicunt, quae Graeci nominis gentibus proprio sensu non sunt annumerandae: Apodotos dico, Ophiones, Eurytanes, longe maximam gentem,

1) Il. B 638, cf. Ξ 116 sqq. Strabo 429 et 463.
2) Strab. 450. 3) Thuc. III 102. 4) III 94 § 5.

Digitized by Google

quibus postea accesserunt Agraei aliaeque. Hae gentes Graece non loquebantur; sermone utebantur qui ipsis Graecis difficilis erat intellectu. Vicatim per agros dispersi vivebant, vici nullis moenibus erant muniti; fortes autem saevique erant et latrocinabantur ubicumque poterant [1]). Neque postea mores suos mutarunt; tam famosa autem sunt eorum latrocinia, ut opus non sit de hac re quicquam dici.

Sed alia res tanti momenti est, ut non liceat silentio eam praeterire. Etenim e sequioribus rerum scriptoribus apparet Aetolos posterioribus quoque temporibus κατὰ κώμας habitasse. Thermus exempli gratia, locus principalis Aetoliae, ubi ingentes thesauri per rapinas collecti custodiebantur, a Polybio semper οἰκίαι vel τόποι dicitur [2]); constabat autem e compluribus vicis, circa templum Apollinis sitis [3]); neque Callium oppidum, quod anno 279 a Gallis vastatum est, moenibus firmatum erat [4]), neque Oeniadae [5]). Nummi quoque Aetolici demonstrant gentes illic sedes habentes vicatim, non in urbibus vitam egisse; omnes enim ad unam normam percussi sunt, tota Aetolia hac in re unius urbis instar fuit.

Gentes illae quando in unum coniunctae sint nescimus, ut iam supra dictum est; sed quinto saeculo aliquod certe inter eas fuisse vinculum apparet, nam Thucydides uno Aetolorum nomine eas complectitur [6]). Communi tunc consilio bellum gesturi erant contra Athenienses; singulae tamen gentes legatos miserunt ad Corinthios et Lacedaemonios auxilium rogatum (a° 426).

Idem docet Xenophon, qui tradit gentes Aetolicas anno 391 id studuisse ut Naupactum occuparent [7]); idem Diodorus, nam refert universam Aetoliam anno 370 pactionem fecisse cum Epaminonda et Thebanis [8]). Neque Philippus II Macedoniae rex

---

1) Thuc. III 94, Polyb. XVII 5 § 8, Liv. XXXII 34 § 4. Cf. Valeton de Polybii fontibus p. 241 ann. 1.

2) Polyb. V 6 § 6, 7 § 2.

3) Polyb. V 8 § 4; ibidem § 7: αἵ τε περὶ τὸ ἱερὸν οἰκίαι καὶ πάντες οἱ πέριξ τόποι. Steph. Byz. v. Θέρμος: πολίχνιον Αἰτωλίας ὡς Πολύβιος. Woodhouse Aetoly p. 281: „We must regard Thermon as the National Agora round the temple of „Apollo. During the intervals between the Assemblies the place would be practically „deserted." Idem scriptor τὰς περὶ τὸ ἱερὸν οἰκίας ita interpretatur: „These seem „to have been rather storehouses than dwellings".

4) Paus. X 22 § 2—4. 5) Polyb. IV 65. 6) Thuc. III 100.

7) Hell. IV 6 § 14. 8) Diod. XV 57 § 1.

Digitized by Google

post pugnam apud Chaeroneam Naupactum Aetolis tradere potuisset, nisi vinculo aliquo fuissent coniuncti [1]).

Neque monumenta publica hac in re negligenda sunt. Etenim Strabo commemorat statuam Aetoli, cui haec inscriptio insculpta erat:

Ἐνδυμίωνος παῖδ' Αἰτωλὸν τόνδ' ἀνέθηκαν
Αἰτωλοὶ σφετέρας μνῆμ' ἀρετῆς ἑσορᾶν [2]).

Κατ' ἔθνη tamen, ut olim tempore belli Peloponnesiaci, anno 335 legatos ad Alexandrum Magnum miserunt Aetoli [3]). Quapropter sollemne hoc fuisse, ut singulae civitates foederatae legatos mitterent, censet v. d. Dubois [4]). Insuper ἐθνικαὶ χρεῖαι illae belli Lamici, quae Aetolos a Lamia domum revocaverunt [5]), testantur etiamtum fuisse res quasdam omnibus Aetolis communes; quod confirmatur etiam Diodori loco, ubi de Aetolorum praetore Alexandro sermo est [6]).

Sed ipsum commune Aetolorum a nullo rerum scriptore commemoratur ante annum 314, quo anno Aristodemus Antigoni in Graecia praetor auxilium petiit ab Aetolorum plebe. Hic primum apud Diodorum fit mentio τοῦ κοινοῦ τῶν Αἰτωλῶν [7]).

Quae cum ita sint, concludere licet iam antiquitus gentes Aetolicas vinculo aliquo fuisse coniunctas, non tamen adstrictum esse illud vinculum ante tempora successorum Alexandri; tum demum eas in unum coiisse. Quam opinionem egregie confirmant nummi, nam ante annum 314 nummi Aetolici percussi non sunt [8]).

Exeunte igitur saeculo quarto societatem Aetolicam constitutam esse scimus. Sed de Aetolorum institutis ante tertium saeculum nihil ad nos pervenit, nisi quod Thucydides servavit memoriam regis cuiusdam Agraeorum [9]). Tertii igitur saeculi instituta et prioris partis secundi sola hic possunt tractari.

---

1) Strabo 427, Demosth. Phil. III § 34, Paus. VI 16 § 2.
2) Strabo 463.
3) Arrian. I 10 § 2.
4) Dubois Les Ligues Étolienne et Achéenne p. 23. Cf. Freeman History of federal government p. 256 ann. 1.
5) Diod. XVIII 13 § 4.
6) Diodor. XVIII 38 § 1.
7) Diod. XIX 66 § 2, XX 20 § 3.
8) Barclay Head Hist. Numm. p. 283.
9) Thucyd. III 111 § 4.

Digitized by Google

II. DE PANAETOLICO.

Summa potestas in Aetolia fuit penes populum, qui quotannis statim post aequinoctium auctumnale Thermum conveniebat [1]) ad magistratus creandos, ad deliberandum de variis rebus ad societatem pertinentibus. Vocari autem solet hic conventus in titulis publicis *τὸ κοινὸν τῶν Αἰτωλῶν, οἱ Αἰτωλοί*, sed invenitur etiam nomen *τὸ Παναιτωλικόν*, Polybius autem appellat *τὴν τῶν Αἰτωλῶν σύνοδον* sive *τὴν ἐκκλησίαν*. Ordinarium hoc erat concilium; quae aliis anni temporibus convocabantur, extraordinaria erant.

Thermum solebant convenire; anno tamen 231 praetor Aetolorum creatus est in castris ad Medeonem [2]), anno autem 200 Panaetolicum habitum est Naupacti [3]), cuius rei causam fuisse calamitates quibus Aetolia tunc afflicta erat, probabiliter statuit Dubois.

Vero non est simile, Aetolos ad conventus ordinarios esse convocatos; dies enim in omne tempus fixa erat [4]). Non publicae autem res illic tractabantur solae, sed etiam mercaturam faciebant, festa agebant huius conventus participes [5]). Quae vero tractandae erant res publicae, antequam plebs conveniret promulgarentur necesse erat [6]).

Praeerat concilio praetor [7]).

In Panaetolico concilio creabantur magistratus; de ratione autem suffragii ferendi opiniones virorum doctorum variant:

---

1) Polyb. IV 37 § 2, II 2, IV 15 § 8, V 8 § 5. Strabo 463: *ἐν Θέρμοις τῆς Αἰτωλίας, ὅπου τὰς ἀρχαιρεσίας ποιεῖσθαι πάτριον αὐτοῖς ἐστιν.*

2) Polyb. II 2.

3) Liv. XXXI 29 § 8.

4) Cf. Polyb. l.l. Diod. XVIII 13 § 4, Liv. XXXI 29 § 1: „concilium Aetolorum stata die quod Panaetolicum vocant futurum erat."

5) Polyb. V 8 § 5: *καθ' ἕκαστον γὰρ ἔτος ἀγοράς τε καὶ πανηγύρεις ἐπιφανεστάτας, ἔτι δὲ καὶ τὰς τῶν ἀρχαιρεσιῶν καταστάσεις ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ συντελούντων.* Cf. Woodhouse p. 281.

6) Polyb. XVIII 4 § 2: *τὸ συνέχον αὐτοῖς τῆς ἐκκλησίας.*

7) Liv. XXXV 12 § 5. Dittenberger Syll.[2] 205, 206, 280 *τὸ κοινὸν τῶν Αἰτωλῶν καὶ ὁ στρατηγός.*

Digitized by Google

quippe nihil de hac re constat. Assentior tamen viris doctis Freeman et Gilbert statuentibus magistratus sorte non esse creatos [1]). Panaetolicum decernebat de pace et bello [2]); referebant ad populum senatus et praetor, aut magistratus extraordinarii legibus scribundis, qui nomographi dicebantur [3]).

Agunt Panaetolicum et praetor cum civitatibus externis, amicitiam et pactiones faciunt, legationes cum certis mandatis mittunt [4]). Sic anno 304 ad Demetrium Poliorceten missi sunt legati, quibus mandatum erat ut pacem restituerent inter eum et Rhodios; sic post Gallicam invasionem civitatibus Graeciae per legatos nunciarunt Soteria a se instituta esse [5]). Interdum cum liberis mandatis mittebantur legati [6]). Principes autem et legati externi in Panaetolico verba faciebant; qui ut admitterentur, decretum fieret necesse erat [7]).

Etiam honores externis principibus et gentibus tribuebat Panaetolicum [8]), id curabat ut singulae urbes officiis suis erga externos perfungerentur [9]), asyliam dabat, cavebatque ne regiones quibus asylia data erat populationibus vexarentur [10]), proxenia

---

1) Cf. Dubois p. 195, Gilbert Griech. Staatsalterth. II p. 26 ann. 3, Freeman 264 ann. 5. Opinionum haec perturbatio coorta est ex Hesychii annotatione: „κυάμῳ πατρίῳ" Σοφοκλῆς Μελεάγρῳ, ὡς καὶ τῶν Αἰτωλῶν τὰς ἀρχὰς κυαμευόντων· διεκλήρουν δὲ αὐτὰς κυάμῳ καὶ ὁ τὸν λευκὸν λαβὼν ἐλάγχανεν, quam sic interpretari velim: „quasi Aetoli fabis magistratus crearent". Ea quae sequuntur spectant ad *Athenienses*, qui certos magistratus fabis sortiebantur.

2) Polyb. IV 15 § 8, Liv. XXXI 32 § 3: „cum legibus cautum esset, ne de pace „belloque nisi in Panaetolico et Pylaico concilio ageretur". (Nissen autem putat Polybium scripsisse: „ἐν τῷ Πανaιτωλικῷ καὶ τῇ Θερμικῶν συνόδῳ"). Cf. etiam Kuhn üb. die Entst. d. Städte p. 131 sqq.

3) Polyb. XX 10 § 11, XIII 1a § 1; vid. infra pag. 402.

4) Dittenb. 205. 14, 206. 8, 247. 9, 234: (ἐπειδὴ παραγενόμενο)ι πρεσβε(υ)ταὶ καὶ διαλυ(ταὶ παρὰ τῶν Αἰτω)λῶν .... τὸ ψάφισμ)α τὸ παρὰ τῶν Αἰτωλῶν ἀπ(έδωκαν καὶ αὐτοὶ) διελέγοντο ὅμοια τοῖς ἐν τ(ῷ ψαφίσματι ....

5) Diod. XX 99 § 3, Dittenb. 205 et 206; cf. Polyb. XVIII 48 § 9.

6) Liv. XXXVIII 8 § 1 et 5: „Phaeneas et Damoteles quod e re Aetolorum, ut „in tali casu fideque sua esse censerent, agerent".

7) Polyb. XVIII 48 § 6; XXVIII 4 § 1 et 2. Liv. XXXV 43 § 7 sqq.: „Aetoli post„quam Demetriadem venisse Antiochum allatum est, concilio indicto, decretum quo „accerserent eum, fecerunt" Dittenb. 280. Haec eadem consuetudo etiam aliis in civitatibus vigebat. Cf. Dittenb. 117. 5 de Athenis („πρόσοδον εἶναι").

8) Dittenb. 295.

9) Dittenb. 295. 23.

10) Dittenb. 280. 11, 295.

Digitized by Google

et civitate universae Aetoliae ornabat viros bene de ipsa meritos [1]).

Post Gallicam invasionem ludos Aetolicos, qui Soteria vocabantur, Panaetolicum instituit [2]); praeterea agnoscebat ludos ab externis institutos [3]), theoros illuc mittere decernebat [4]), praetori autem curam theororum committebat [5]). Quid singulis civitatibus in commodum commune esset conferendum statuebat [6]). Rebus internis sociorum sese immiscebat, iudices dabat ad lites inter socios ortas dirimendas [7]), numerum senatorum singulis urbibus constituebat, praescripta dabat de aere alieno, omnibus rebus ad administrationem singularum urbium pertinentibus prospiciebat [8]).

Panaetolicum etiam praescripta dabat de rebus publicis singularum urbium, e. g. de condicione eorum qui Delphis e servitute manumissi erant [9]). Nec non in ipso Panaetolico manumittebantur servi [10]).

Decernebat Panaetolicum quibusnam in urbibus columnae legibus inscriptae essent exstruendae. Vulgo Thermus et Delphi [11]), nonnumquam etiam Calydon indicabatur [12]), et si continebat columna decretum ad urbem aliquam pertinens, haec ipsa urbs addebatur [13]). Causa fuit quod Delphi fuerunt caput Aetoliae, quantum ad res sacras pertinuit, Thermus autem, novum caput, repraesentabat Aetoliam Epictetam, Calydon denique Aetoliam

---

1) Dittenb. 927: δε(δόχθαι Αἰ)τωλοῖς ἐπαινέσαι Σωσικλέα καὶ Ἀριστόδαμον Μάγ(νητας .... καὶ δε(δόσθαι αὐτοῖς παρὰ) τοῦ ἔθνεος προξενίαν καὶ πολιτείαν κατὰ τὸν νό(μον).

2) Dittenb. 205. 6. 3) Dittenb. 295. 8. 4) Ibid. v. 23. 5) Ibid. v. 24.

6) Liv. XXXIII 3 § 7: „ibi concilium Aetolorum Heracleam indictum tenuit „consultantium quantis auxiliis Romanum ad bellum sequerentur. Cognitis sociorum decretis ...".

7) Dittenb. 425. 1. 8) Ibid. 9) Dittenb. 485.

10) Inscriptio apud Woodhouse p. 245 sic audit: Πολύφ(ρ)ων Λύκου Ἀ ... σαν τὴν ἰδίαν θρεπτ(ὴν ἀπελ)ευθ(έρ)ωσεν ὑπὸ Δία Γᾶν Ἤλιον μηδε(νὶ μη)δὲν προσήκουσαν κατὰ τοὺς Αἰτωλῶ(ν) νόμους ἰσοτελῆ καὶ ἔντειμον. Annotavit autem v. d. Woodhouse ad hanc inscriptionem p. 285: „The inscription before us is doubtless ... a solemn „engagement before the people or their official representatives ... It should also be „noticed that the upper part of the block contained an illegible inscription of which „Lolling (Mitth. d. Arch. Inst. IV 222) deciphered perhaps enough to show that it „was a decree of the league".

11) Dittenb. 295, 923 i. f. 12) Dittenb. 425. 33. 13) Ibid.

Digitized by Google

Antiquam [1]). Huius rei cura aut certis magistratibus extraordinariis committebatur nomographis [2]), aut praetori ceterisque magistratibus [3]).

III. DE CONCILIIS EXTRAORDINARIIS.

Panaetolicum ordinarium, ut supra dictum est, non coibat nisi semel quotannis. Si vero res societatis flagitabant ut statim vel intra haud ita longum spatium decreta fierent, cum res sese offerrent quae usque ad proximum Panaetolicum differri non possent, concilium extraordinarium convocabatur a praetore, auctoribus sive apocletis [4]), sive ipso populo, si forte congregatus erat et res flagitabat ut brevi post iterum concilium haberetur [5]).

Quorum conciliorum convocandorum cum fere semper bella gesta vel gerenda causae essent, ipsa res ferebat ut non idem semper esset eorum locus, sed plebs in eum locum convocaretur ubi maximus numerus intra breve tempus adesse posset, id est in urbem aliquam a qua praetor cum exercitu non multum remotus esset, vel quae opportune sita esset legatis externis. Sic anno 191 Hypatae concilium extraordinarium habere sunt conati [6]), annis 217 et 193 Naupacti [7]), anno 197 Heracleae conventum extraordinarium habuerunt [8]).

Causa convocationis simul cum loco et tempore promulganda erat; de nulla autem re deliberari licebat nisi de ea cuius causa conventus convocatus erat [9]). Iura huiusmodi conciliis eadem fere erant quae concilio Panaetolico; nam de ipsa pace

---

1) Woodhouse p. 101.

2) Dittenb. 280 i. f.; vid. infra pag. 402.

3) Dittenb. 295. 26.

4) Liv. XXXVI 28 § 8.

5) Liv. XXXI 32 § 4: „decernerent extemplo, ut praetor sine fraude, cum de „bello et pace agere velit, advocet concilium, et quod tum referatur decernaturque „ut perinde ius ratumque sit ac si in Panaetolico aut Pylaico concilio actum esset".

6) Polyb. XX 10 § 14, Liv. XXXVI 28 § 9.

7) Polyb. V 103 § 2, Liv. XXXV 12 § 3.

8) Liv. XXXIII 3 § 7.

9) Polyb. XX 10, XXXVIII 4 § 1, Liv. XXVIII 5 § 13, XXXVIII 4 § 6, Dubois p. 186.

Digitized by Google

ipsoque bello licet non decernerent, attamen omnes res ad bellum et ad pacem pertinentes tractabant. Magistratus tamen creare iis non licebat.

Concilia extraordinaria agebant cum legatis, cum regibus externis, cum sociis, cum hostibus. Sic anno 211 foedus factum est cum Romanis in concilio extraordinario, anno 207 Heracleam cum Attalo rege magistratus Aetolorum convenerunt, qui consultarent de summa belli [1]), anno 217 Naupacti cum Philippo rege tractarunt [2]) eiusque condiciones comprobarunt; anno 197 Heracleae ab Aetolis decretum est quantis auxiliis Romanum ad bellum sequerentur [3]); anno 193 Thoas praetor Aetolos incitavit ut legatos mitterent ad reges, qui eos ad bellum contra Romanos moverent [4]); anno 192 Antiochus rex in concilium extraordinarium admissus est ibique verba fecit [5]).

Ex his exemplis satis apparet cuiusmodi res illis conciliis fuerint tractatae, nempe res subitae ad bellum vel ad pactiones pertinentes. Ductus autem loco Liviano, ubi ante concilium extraordinarium habitum res in illo tractandae a Panaetolico constituuntur [6]), suspicor omnia decreta concilii extraordinarii in proximo Panaetolico firmanda fuisse; nec rei causam desidero, in extraordinariis enim conciliis eaedem res gerebantur atque in ordinariis.

IV. DE SENATU.

Iuxta populum senatus Aetolorum, *τὸ συνέδριον* sive *ἡ βουλὴ* [7]) suum locum tenebat. Senatui praeerant duo *προστάται*, quibus adiunctus erat *ὁ γραμματεύς*. Senatorum, qui *βουλευταὶ* [8]) sive *σύνεδροι* [9]) dicebantur, permagnum fuisse numerum, cum aliunde efficitur, tum ex inscriptione quae continet condiciones sympolitiae inter Melitaeam et Peraeam [10]) constitutae; in qua inscriptione vel Peraeae, vico nullius momenti, suus senator at-

1) Liv. XXVIII 5 § 13, Polyb. X 42 § 4.
2) Polyb. V 103.
3) Liv. XXXIII 3 § 7.
4) Liv. XXXV 12 § 5.
5) Polyb. XVIII 48 § 6, Liv. XXXV 48 § 7.
6) Liv. XXXI 32 § 4.
7) Polyb. XXI 3 § 3 et 4.
8) Dittenb. 425. 18.
9) Dittenb. 247; 295.
10) Dittenb. 425.

Digitized by Google

tribuitur, si quando a Melitaea se segregaverit. Iustinus autem loquitur de „Aetolorum universarum urbium senatu" [1]), et Livius tradit in Aetolorum senatu quingentos quinquaginta principes occisos esse [2]). Senatores creabantur in singulis urbibus, eorumque numerus constituebatur pro urbis magnitudine.

In certum autem tempus non in vitam deligebantur; sic enim est intelligendus locus inscriptionis supra laudatae, ubi inter testes pactionis enumeratur *τὸ συνέδριον ἅπαν τὸ ἐπὶ γραμματέος Λύκου*. Simul cum scriba videntur se dignitate abdicasse. Etiam alia inscriptio [3]) huc pertinet, in qua commemorantur *ὁ στρατηγὸς καὶ οἱ σύνεδροι ἀεὶ οἱ ἔναρχοι* [4]). Optime autem haec res congruit cum studiis Aetolorum democraticis, sic enim cavebatur ne senatores nimis potentes fierent.

Ceterum de iuribus et officiis senatus nonnisi paucissima hodie sciri possunt. Duo ei praeerant praesides [5]); a scriba nomen habebat [6]). Videtur autem certis temporibus esse convocatus, ut rogationes ad populum ferendas praepararet. Urbes foederatae si contra leges et contra foedus ab ipsis Aetolis populationibus vexatae erant, senatui committebatur ut multam sontibus constitueret [7]).

Senatus rebus externis praeerat [8]), *ἀσφάλειαν, ἀτέλειαν, ἀσυλίαν* dabat [9]), protegebat peregrinos in civitatem Aetolicam adscitos [10]), lites inter Aetolos et peregrinos apud eum agebantur ex auctoritate Panaetolici [11]).

---

1) Iustin. XXXIII 2 § 8. 2) Liv. XLV 28 § 7.

3) Dittenb. 280. 4) Cf. Dittenb. 247. 6, 280. 14, 306. 42, 74.

5) Dittenb. 425. 34. Miror quomodo v. d. Dubois p. 189 ex ipsa hac inscriptione efficere potuerit apocletos senatui praefectos fuisse, cum plane et aperte iuxta ipsum senatum testes commemorentur duo praefecti senatus, tum scriba et hipparchus, postremo autem loco tres privati homines.

6) Ibid.

7) Dittenb. 247: *εἰ δέ τίς κα ἄγει τοὺς Κείους ... καὶ τοὺς συνέδρους καταδικάζοντας τοῖς Κείοις (τὰν τῶ)ν ἀ(γόντων αὐ)το(ὺς ζα)μίαν ἄγ κα δοκιμάζωντι κυρίους εἶμεν*. Cf. Dittenb. 280. 14.

8) Dittenb. 247. 22. 9) Wescher et Foucart inscr. d. Delphes n° 1.

10) Bull. C. H. 1882. p. 460, Dubois IV p. 221 sq.

11) Dittenb. 295. 22.

Digitized by Google

V. DE APOCLETIS.

Quemadmodum iuxta Panaetolicum Thermicum habebantur concilia extraordinaria, sic iuxta senatum locus erat collegio apocletorum. Dubitant autem viri docti quinam fuerint apocleti illi. Gilbert simplicissimam viam secutus, collegium apocletorum idem esse ac senatum perhibet, a Polybio enim senatum tantum non semper ἀποκλήτους sive ἄρχοντας nominari, ubi inscriptiones nobis offerant βουλευτὰς sive συνέδρους [1]). Neque v. d. Kuhn p. 128 multum ab hac sententia recedit. V. d. Dubois vero p. 201 apocletos concilium fuisse contendit, cuius socii crearentur suffragiis populi; quae autem senatui et populo agenda essent ab hoc collegio omnia esse praeparata. Apocleti secundum eum etiam senatui praeerant [2]). Denique J. B. Bury in secunda editione libri a v⁰ d⁰ Freeman conscripti p. 651 senatum sive τὸ συνέδριον hinc distinguit a civium coetu Panaetolico, illinc a collegio magistratuum e praetore, hipparcho, scriba, apocletis composito.

Equidem a me impetrare non possum ut cuiquam harum opinionum assentiar. Meo quidem iudicio apocleti fuerunt collegium extraordinarium e senatu ab ipsis senatoribus delectum [3]), quod belli tempore pro senatu cum praetore res quotidianas administraret, semper autem et ubique praetori in castris praesto esset ad consulendum de rebus publicis. Ad quam opinionem hisce argumentis ductus sum.

Ante omnia recordemur oportet, gentes Aetolicas non in urbibus sed κατὰ κώμας habitasse, nullum igitur centrum imperii fuisse. Senatus populusque certis temporibus conveniebant ut de rebus publicis deliberarent, ut magistratus crearent, quibus commune commodum committeretur. Fieri autem non potuit ut magistratibus illis ea esset auctoritas quae ibi esse solet ubi aliquod est centrum civitatis, immo ipsa civitas. Quamdiu erat pax, res ad commune Aetolorum pertinentes solae iis administrandae datae erant, auctoritas autem necessario erat exigua, cum cives variis locis dispersi essent.

---

1) Gilbert II 28. 2) Cf. supra p. 396 ann. 5.
3) Liv. XXXV 34 § 2: „ex delectis constat viris".

Digitized by Google

At simulac bellum gerebatur, omnia statim mutabantur. Tum pactiones cum externis gentibus faciendae erant, cum legatis agendum erat, legati mittendi, exercitus cogendus et alendus. Tum praetor summae rei praeerat, populus autem quocum ageret perpetuo ei erat praesto: ubi exercitus, ibi Aetolia erat, quoniam ipsi cives stipendia faciebant [1]). Sed praetori etiam collegio opus erat quod consuleret de rebus quotidianis, quemadmodum in pace senatum consulebat, antequam ferret ad populum. Cum autem universa Aetolia in exercitu adesset, populus penes quem summa potestas erat, et magistratus, cur tandem pro senatu aliud collegium res gereret? Fieri tamen non poterat ut integer senatus in castris adesset; imbecilla enim corpora hominum aetate provectiorum obstabant quominus universi adirent belli pericula et labores. Quapropter statuo certum senatorum numerum, eumque non ita parvum, designatum fuisse, qui cum praetore et populo in castris universi collegii loco agerent, neque alio modo quam prytanes Athenis, pro universo senatu res quotidianas administrasse, hanc autem partem senatus ἀποκλήτους sive ἄρχοντας fuisse dictos. Sic demum Aetoli πανδημεὶ egredi vere dici potuerunt.

Mea quidem sententia huc potius nos ducit ratio, quam ut suspicemur ad res subitas, quas bellum ferre solet, peculiare quoddam apocletorum collegium fuisse institutum [2]). Semper enim in rebus bello, non Thermi peractis apocletorum illorum fit mentio. Sic commemorantur anno 211, cum deliberarunt Aetoli in concilio extraordinario de societate cum Romanis ineunda [3]); anno 207 Heracleam convenerunt Attalus et principes Aetolorum ad consultandum de bello contra Philippum Macedonem [4]); anno 192 Lamiae triginta principes designati sunt, qui cum Antiocho rege agerent [5]); in concilio quoque extra-

1) Cf. Polyb. II 2, V 103 § 2, ibidem § 6: οἱ δ' Αἰτωλοὶ χωρὶς τῶν ὅπλων ἦκεν πανδημεί.

2) Ad hanc rem etiam attendendum est, quod Livius vocem „principes" non solum ad apocletos indicandos usurpat; XXXII 32 § 10 e. g. τοὺς γραμματεῖς dicit principes, ibid. § 11 Phaeneam praetorem principem vocat (cf. Polyb. XVIII 1 § 2). Semper fere vacillat in huius vocis usu.

3) Liv. XXVI 24 § 1.

4) Polyb. X 42 § 4, Liv. XXVIII 5 § 13.

5) Polyb. XX 1, Liv. XXXV 44 et 45.

Digitized by Google

ordinario anni 191, quod Hypatae habitum est, adsunt apocleti [1]). Multa alia huius rei exempla facile colligi possunt, semper autem agunt apocleti de rebus ad bellum pertinentibus; in pace vero, quantum apparet, munere senatorio fungebantur *οἱ σύνεδροι* [2]), quorum nulla usquam fit mentio in pactionibus belli tempore factis a conciliis extraordinariis.

Itaque consentaneum est concludere, apocletos fuisse collegium senatoria potestate praeditum, ea autem dignitate ab ipso senatu esse donatum; quem postmodo eorum decreta confirmavisse verisimile est, quemadmodum concilium Thermicum confirmabat decreta conciliorum extraordinariorum.

Iure igitur v. d. Dubois p. 202 scripsit: „Il semble même „que les Étoliens aient envoyé auprès de leurs alliés en temps „de guerre une délégation spéciale d'apoclètes détachée du co„mité ordinaire. Ils rendaient ainsi les négociations et les „opérations d'ensemble plus faciles". Modo quod ille dicit „comité ordinaire", intellegamus senatum.

Quo apertius autem pateat apocletos illos muneribus senatoriis perfunctos esse, addam iura et officia nonnulla quae iis attribuebantur. Apocletis auctoribus praetor plebem convocabat in conventum extraordinarium [3]); aliis quoque in rebus praetor eos consulebat [4]); agebant apocleti cum legatis [5]); cum externis gentibus sive per legatos [6]), sive per praetorem [7]), sive per certum numerum apocletorum [8]). Res autem ab iis cum externis gestae, a populo confirmarentur necesse erat [9]). Quamquam constat suo interdum arbitrio eos rem gessisse [10]).

Quae munera cum senatoria sint omnia, satis apparet apocletos

---

1) Polyb. XX 10 § 13, Liv. XXXVI 28 § 9.

2) Dittenb. 425: *τὸ συνέδριον ἅπαν*; 247. 8; 280. 13.

3) Polyb. XX 10 § 14, Liv. XXXVI 28 § 8.

4) Liv. XXXVIII 8 § 2. 5) Polyb. XXI 5 § 2.

6) Ibid. 4 § 8: *κατεστάθησαν οἱ συμμίξοντες τοῖς Ῥωμαίοις.* Liv. XXXI 46 § 2.

7) Polyb. XX 10 sqq. 8) Polyb. XX 1, Liv. XXXV 45 § 9.

9) Polyb. XX 10 § 11: *Φαινέας ἔφη γὰρ αὐτὸν καὶ τοὺς ἀποκλήτους ποιήσειν τὰ προστατττόμενα, προσδεῖσθαι δὲ καὶ τῶν πολλῶν, εἰ μέλλει κυρωθῆναι τὰ παραγγελλόμενα.*

10) Liv. XXXV 34 § 2: „concilium quidem universae gentis post dimissos Romanos „non habuerunt, per apocletos autem id agitabant quomodo in Graecia res nova„rentur".

Digitized by Google

pro senatu res egisse, neque est quod suspicemur senatum alii collegio iura sua concessisse et attribuisse.

VI. DE MAGISTRATIBUS.

§ 1. *De Praetore.*

Praetor praepositus erat societati; creabatur Thermi in conventu civium statim post aequinoctium auctumnale quotannis habito [1]), extemplo autem munus suum inibat [2]). Munus erat annuum. Si moriebatur praetor, conventus extraordinarius convocabatur ad novum praetorem creandum, qui usque ad insequens aequinoctium auctumnale munus obiret [3]).

Praeturae candidatis censum legibus constitutum fuisse non patet, licet v. d. Gilbert suspicetur rem ita se habuisse [4]). Praetorem trigesimum annum peregisse oportebat [5]).

Unus semper praetor fuit [6]), a quo annus nomen habebat [7]); novus autem annus simul cum novo praetore incipiebat, et lege cautum erat ne per duos deinceps annos praetura continuaretur [8]). Soli autem cives Aetoli praetores fiebant; nam quod legimus anno 209/208 Attalo regi summam rem Aetolicam commissam esse, id non nisi honoris causa factum est neque huc pertinet, Pyrrhias enim legitimus praetor huius anni fuit [9]). Idem honor Antiocho anno 191 est habitus [10]).

Praetor praeerat exercitui, iussu eius exercitus cogebatur [11]).

---

1) Strabo 463; cf. supra pag. 391 ann. 1.
2) Polyb. II 3 § 1, IV 67 § 1
3) Liv. XLII 38 § 2.
4) Gilbert II p. 26.
5) Niese II 215. H. Gillischewski: De Aetolorum praetoribus p. 19.
6) Cf. Gilbert II 27 ann. 1.
7) Cf. seriem praetorum apud Dubois p. 198 et inscriptiones ibi citatas, item Dittenb. 845 et 846.
8) Cf. Dubois p. 198 et Gillischewski p. 60.
9) Liv. XXVII 29 § 10: „Attalum quoque regem Asiae, quia Aetoli summum „gentis suae magistratum ad eum proximo annuo concilio detulerunt, fama erat in „Europam traiecturum" et 30 § 1: „Aetoli duce Pyrrhia, qui praetor in eum annum „cum absente Attalo creatus erat".
10) Liv. XXXV 45 § 9, Appian. Syr. 12: Ἀντιόχῳ δ' ἦκον Αἰτωλῶν πρεσβεῖς, ὧν Θόας ἦρχεν, αὐτοκράτορά τε στρατηγὸν Αἰτωλῶν Ἀντίοχον ἀποφαίνοντες.
11) Polyb. IV 67 § 1, V 96 § 1, XXI 25 § 4, Liv. XXVI 25 § 9, XXXVIII 4 § 6.

Digitized by Google

Bello indicto summum imperium penes eum erat, omnes res ad bellum pertinentes administrabat [1]), praedam dividebat [2]), ius dicebat in rebus ad praedam non legitime factam pertinentibus [3]). Etiam id curabat, ne Aetolia nimis militibus nudaretur delectibus, quos principes externi in Aetolia habere solebant [4]). Cum externis gentibus de condicionibus pacis agebat, qua in re apocletos consulebat [5]). Apocletis auctoribus convocabat populi conciones extraordinarias, quibus ipse praeerat [6]); in concilio apocletorum et in concione sententiam dicebat [7]); si tamen de bello gerendo ageretur non licebat ei sententiam suam proferre [8]). Praetor legatos in concionem introducebat [9]); etiam id curabat ut theori mitterentur ad ludos a gentibus sociis et amicis institutos [10]), utque hospitio reciperentur theori externi in civitatibus cum Aetolia coniunctis [11]). Nonnumquam ei commissa est cura deferendi novas leges ad eum locum ubi ceterae leges conservabantur [12]).

Praetoris nomen inscribebatur variis titulis, praecipue edictis manumissionum quae Delphis, Naupacti, aliis in urbibus sociis fiebant [13]).

§ 2. *De ceteris magistratibus.*

Iuxta praetorem praecipui magistratus nobis traditi sunt: praefectus equitum (*ὁ ἱππάρχας*), scriba publicus (*ὁ δημόσιος γραμματεύς*), quaestor publicus (*ὁ ταμίας*), nomographi (*νομογράφοι*).

---

1) Plaut. Capt. 450: (Hegio) „Eadem opera a praetore sumam syngraphum. „(Tynd.) Quem syngraphum? (He.) Quem hic ferat secum ad legionem, hinc ire huic „ut liceat domum".

2) Polyb. II 2 § 9.

3) Dittenb. 247: *εἰ δέ τίς κα ἄγει τοὺς Κείους, τὸν στρατηγὸν ἀεὶ τὸν ἐνάρχοντα τὰ ἐν Αἰτωλίαν καταγόμενα (καταδικάζ)οντα κύριον εἶμεν.*

4) Liv. XXXI 43 § 4 sqq. 5) Polyb. XVIII 1 § 4, 20 § 10.

6) Polyb. XX 10, Liv. XXXI 32 § 4. 7) Liv. XXXV 12 § 5.

8) Liv. XXXV 25 § 7: „bene comparatum apud Aetolos esse, ne praetor, cum de „bello consuluisset, ipse sententiam diceret".

9) Liv. XXXV 44 § 1.

10) Dittenb. 295. 23: *τᾶς δὲ ἐκπονπᾶς ἐπι(με)λεῖσθαι τὸν στραταγὸν ἀεὶ τὸν ἔναρχον.*

11) Ibid. vs. 24 et 25. 12) Ibid. vs. 29.

13) Cf. Dittenb. 845 et 846, Woodhouse p. 341 et 381.

Digitized by Google

Hipparchus, ut nomen indicat, equitatui praeerat [1]). Eodem autem loco quo hipparchus, a Polybio et Livio scriba publicus commemoratur; uterque excipitur, ne obses Romam mittatur. Deinde scribae publici fit mentio in Aetolorum pactione cum Eumene rege Pergameno anni fere 175, ubi dicitur *ἔγγυος τᾶν προξενιᾶν* [2]).

Videtur hipparchus in re militari, scriba in rebus civilibus vicarius fuisse praetoris.

Quaestor publicus, quantum mihi quidem apparuit, duobus tantum locis commemoratur [3]), ubi sumtu publico decreta columnis insculpenda curare iubetur.

Iuxta hos magistratus haud negligendi sunt praesides et scriba senatus, qui nomen synedrio dabat [4]). Duos autem scribas nonnumquam fuisse suspicor [5]).

Superest nomographorum munus extraordinarium. Novae si leges alicui civitati dandae erant, nomographi creari solebant, quibus haec res committeretur, ut patet ex epistola Antigoni regis anni 303 de *συνοικισμῷ* Teensium et Lebedensium [6]). Neque aliter rem se habuisse in ipsa Aetolia, discimus e Polybio, qui refert anno 204 Dorimacho et Scopae commissum esse ut tabulas novas darent [7]). Praeterea nomographis cura legum lapidibus et columnis insculpendarum erat commissa, non tantum novarum legum ab ipsis datarum, sed etiam aliarum iam antea perlatarum necdum lapidibus incisarum [8]). Quae vero maximi momenti erant leges et decreta, v. c. decretum in honorem Eumenis regis Pergameni anno fere 175 factum [9]), cura praetoris et reliquorum magistratuum statim ceteris legibus adiungi solebant.

---

1) Polyb. XXI 32 § 10; cf. XXXVIII 11 § 7, Dittenb. 425. 35.

2) Dittenb. 295. 32; cf. ibid. 923. 2 et Dubois p. 222. IV vs. 2.

3) Dittenb. 295: *τὸ δὲ γενόμεν(ον ἀνάλωμα) τὸν ταμίαν τᾶς κωλ...*, 927. 16: *τὸ δὲ ἀ)νάλωμα τὸ ἐν τὰς στάλας δόμεν τὸ(ν ταμίαν)*.

4) Dittenb. 425. 33: *τὸ συνέδριον ἅπαν τὸ ἐπὶ γραμματέος Λύκου.*

5) Dittenb. 927: *γραμματευόντων τοῖς (συνέδροις Τ)παταίου.*

6) Dittenb. 177 § 8. 7) Polyb. XIII 1 et 2.

8) Dittenb. 280. 17: *ὅπως δὲ καὶ εἰς τοὺς νόμους καταχωρισθῇι (ἀ) ἀνιέρωσις καὶ ἀ ἀσυλία, τοὺς καταστα θέντας νομογράφους καταχωρίξαι, ἐπεί κα αἱ νομογραφίαι γίνωνται, ἐν τοὺς νόμους.*

9) Dittenb. 295.

Digitized by Google

VII. DE GENTIBUS AETOLIAE ADIUNCTIS.

Distinguendae sunt gentes et urbes Aetoliae finitimae, societati adiunctae, ut Acarnanes, Locri Ozoli, Phocenses, Malii etc., et gentes in Peloponneso et quibusvis aliis locis habitantes, quae vinculo aliquo cum Aetolia coniunctae fuerunt, gentes externae, ut ita dicam. Alia enim intercessit ratio inter Aetolos et gentes finitimas, alia inter Aetolos et gentes remotioribus locis sedes habentes. De gentibus Aetoliae finitimis prius dicendum est.

Eodem iure omnes societati Aetolicae subiungebantur [1]); Aetoli enim fiebant, tam ii qui sponte ad societatem accesserant [2]), quam ii qui vi armisque subiecti erant [3]).

Simul tamen suae patriae manebant cives, duplex igitur status eorum fiebat, civitas autem cuius cives erant, toti Aetoliae subordinata erat. Sic legimus de Agelao Naupactio praetore Aetolorum [4]), de Alexandro Calydonio [5]); praetorum autem series multos continet, qui non Aetoli proprio sensu, tamen societati praepositi fuerunt [6]). Victores quoque Olympiaci Aetoli dicuntur, etiamsi oriundi sint e locis postmodo Aetoliae adiectis; Erythrae Eupalio vicinum oppidum vocatur Aetolicum [7]).

Hanc ob rem conciones extraordinariae iure et legitime haberi potuerunt extra fines proprio sensu Aetolicos dictos, Naupacti, Heracleae, Lamiae, Hypatae, quae profecto illis in urbibus habitae non essent, nisi pro Aetolicis fuissent habitae.

In bello autem quod anno 191 cum Romanis gestum est, omnes urbes Aetoliae adiectae (ut hac voce utar) cum Aetolis contra Romanos pugnarunt. Iuvenes Thaumacii urbem suam extra moenia contra hostem defenderunt [8]), Hypataei responderunt consuli flagitanti ut sese dederent: „nihil nisi ex communi „decreto Aetolorum facturos" [9]). Item sese defenderunt contra

---

1) Polyb. II 2 § 6: μετέχειν σφίσι τῆς αὐτῆς πολιτείας.

2) Polyb. XXI 25; cf. Liv. XXXVIII 3 de Ambracia, Amphilochis, Dolopibus, XXXI 41 § 5 de Maloeis.

3) Polyb. XX 5 § 2 de Boeotis: προσένειμαν Αἰτωλοῖς τὸ ἔθνος, II 2 § 6 de Medeoniis, IV 25 § 7, Paus. I 25 § 4, X 21 § 1.

4) Polyb. V 107 § 5. 5) C.I.G. 3046. 1. 6) Dubois p. 198 sqq.

7) Liv. XXXVIII 8 § 8. 8) Liv. XXXVI 14 § 12 sqq. 9) Liv. XXXVII 6 § 2.

Digitized by Google

Romanorum vim Naupactus et Amphissa [1]). Locutiones igitur: *συντελεῖν ἐς τὸ Αἰτωλικόν, μετέχειν τῆς Αἰτωλῶν πολιτείας, προσνέμειν Αἰτωλοῖς τὸ ἔθνος*, nihil aliud significant, si quidem usurpantur de gentibus Aetoliae finitimis, nisi societati Aetolicae adiunctas esse.

At quaeritur quomodo Aetoli tam celeriter non solum auctoritatem suam firmaverint, sed etiam gentes sibi addictas revera Aetolicas reddiderint. Nullo enim modo eo adduci possumus ut suspicemur Aetolos solitos fuisse regiones externas societati suae obnoxias facere pellendo incolas, cum uno tantum loco eiusmodi quid nobis traditum sit: Oeniadae anno 330 ab Aetolis vastati sunt, cives sedibus patriis pulsi [2]). Consentaneum vero est suspicari eos praesidia collocasse in terris nuper adiectis, tum ut cohiberent novos cives, tum ut externa pericula ab iis arcerent. Sic post annum 338 praesidium Aetolicum Naupacti invenitur [3]); Heraclea Trachinia anno 280 occupata sequenti anno ab iis contra Gallos defensa est tamquam urbs Aetolica [4]); anno 220 Ambracia et Phoetia urbes a praesidio Aetolorum contra Macedones et Philippum sunt defensae [5]); arx Metropoleos eodem tempore ab Aetolis occupata est, cum ipsa urbe excederent [6]). Conope eodem modo a militibus Aetolicis est defensa [7]); complura castella et arx Oeniadarum ab Aetolis occupata erat [8]). Sed Melitaea anno 217 praesidio Aetolico vacua fuisse videtur, in elaborata enim descriptione oppugnationis apud Polybium ne verbum quidem fit de Aetolis, ipsi Melitaei oppidum contra Philippum defendunt [9]). Thebae Phthiotidis vero ab Aetolis occupatae erant [10]).

In terminis igitur regionum ad societatem Aetolicam pertinentium praesidia militum Aetolicorum sunt posita. Perspicuum

---

1) Liv. XXXVII 5 § 7. 2) Diod. XVIII 8 § 6, Plut. Al. 49.

3) Paus. VI 16 § 2: *καὶ φρουρᾶς ἡγεμόνα ἐν Ναυπάκτῳ φιλίᾳ γενέσθαι τῇ ἐς Αἰτωλούς*. Cf. Demosth. Phil. III § 34.

4) Paus. X 20 § 9: *οἱ Αἰτωλοὶ συντελεῖν τοὺς Ἡρακλεώτας ἠνάγκασαν ἐς τὸ Αἰτωλικόν, τότε οὖν ἠμύνοντο ὡς περὶ πόλεως οὐδέν τι Ἡρακλεώταις μᾶλλον ἢ καὶ αὐτοῖς προσηκούσης.*

5) Polyb. IV 63 § 3 et 8: *παρέλαβε καθ' ὁμολογίαν ἀφεὶς ὑποσπόνδους τοὺς ἐνόντας τῶν Αἰτωλῶν.*

6) Polyb. IV 64 § 4. 7) Ibid. 8) Ibid. 65 § 5.

9) Ibid. V 97 § 6 sqq. 10) Ibid. V 99 § 4.

Digitized by Google

est Aetolos id praecipuum officium suum habuisse, ut fines suos, imprimis nuper adiectos, contra hostes externos defenderent; praesidia autem illic collocasse duplici consilio, ut supra dictum est, in universo autem liberaliter sese gessisse erga civitates nuper subiectas. Quae aequo profecto iure in societatem accipiebantur; et facile id fieri potuit, nam ipsis Aetolis *κατὰ κώμας* habitantibus ingratum esse non potuit si etiam externi Panaetolico concilio interessent [1]).

Aequo iure, ut modo dixi, in societatem admittebantur socii. Nam non solum Panaetolico intererant, sed etiam senatores ab iis creabantur [2]); cunctis rebus ad commune pertinentibus intererant. Sed etiam munera publica iis suscipienda erant. Communi Aetolico obtemperarent oportebat. Acta publica vulgo nomine praetoris Aetolici edicebantur; tributa ferebant, quorum summa fixa erat ad numerum senatorum qui ex iis creabantur [3]).

Verosimile est singulas civitates certum numerum civium indicasse, qui in bello stipendia facerent [4]). In singulis Panaetolicum magistratus instituebat, qui id curarent ut cives praescriptis Panaetolici, quantum ad commune pertinebant, oboedirent [5]).

In universo autem urbes gubernabantur resque internae administrabantur secundum leges et instituta patria, auspiciis quidem praetoris Aetolici, sed a suis magistratibus. Exempli gratia Naupacti fuit collegium Theororum cum scriba [6]), Lamiae praetor, hipparchus, tres archontes [7]), Delphis archon cum tribus senatoribus (*βουλευταῖς*) [8]).

Praeterea in quavis urbe erat concio [9]), ubi creabantur senatores [10]) et magistratus municipales, ubi disputabatur de rebus Thermi et in conciliis extraordinariis tractandis [11]). Singulis urbibus suum erat aerarium [12]); impensa in quemque annum statuebantur,

---

1) Cf. Kuhn p. 123.

2) Dittenb. 425. 17: *καὶ ἔχοντες ἀποπορευέσθων βουλευτὰν ἕνα* (de Perensibus).

3) Ibid. vs. 20: *καὶ ἐμφερόντω τὰ ἐν τοὺς Αἰτωλοὺς γιγνόμενα κατὰ τὸν βουλευτάν.* Aelian. apud Suid. v. *ἀνήνασθαι.*

4) Cf. Polyb. V 3 § 1 de Elide.

5) Dubois p. 211.

6) Dittenb. 247. 10.

7) Lebas Inscr. Thess. 1143, 1179

8) Dittenb. 268.

9) Dittenb. 306.

10) Dittenb. 425. 17.

11) Polyb. XX 10 § 15: *διαδοθείσης δὲ τῆς φήμης .... οὕτως ἀπεθηριώθη τὸ πλῆθος ὥστ' οὐδ' ἁπαντᾶν οὐδεὶς ἐπεβάλετο πρὸς τὸ διαβούλιον.*

12) Dittenb. 425.

Digitized by Google

aes alienum contrahere iis licebat, contribuebant in Soteria [1]). Lites et controversiae inter socios dirimebantur a iudicibus quibus haec res erat commissa, senatus auspiciis [2]). De statu vero metoecorum deque rebus publicis sociorum interdum decernebat concilium Panaetolicum, servi autem manumitti solebant nomine praetoris Aetolici [3]).

Aliis in rebus sociis libere agere licebat [4]). Sic v. c. Delphi promantiam dederunt Alexandrinis, honoresque in externos reges contulerunt.

Hoc quidem in universo statuere licet, socios Aetolicos, quantum ex inscriptionibus appareat, instituta sua servasse, ita tamen ut eorum res administrarentur auspiciis Aetolicis. Quae minime dura erat condicio, quoniam ipsi socii auspiciis illis intererant, omnibus enim tributum erat ius suffragia ferendi magistratusque creandi in Panaetolico concilio, creandi senatores in municipio suo. Pro sua igitur parte omnes summae administrationis participes erant, ipsa autem re tuti erant ab invasionibus civium Aetolorum, et ab externis hostibus si vexabantur, universa societas eos defendebat.

VIII. DE GENTIBUS EXTERNIS.

Gentes externae quae Aetoliae adiunctae erant, distinguendae sunt in:

1) *gentes socias* (φίλας καὶ συμμάχους), — qua in condicione fuerunt Elis, Messene, Teos;
2) civitates quae *sympolitia* fruebantur (συμμάχους καὶ συμπολιτευομένας), qui fuit status Orchomeni, Tegeae, Mantineae, Phigaliae usque ad annum 221, Cei, aliarum;
3) *civitates subiectas*, quibus praeerat praefectus Aetolicus (ταττομένας ὑπ' Αἰτωλούς). Hac condicione fuerunt Phigalia post annum 221, Chalcedon, Chios, Lysimachia.

De ultimis quod addam non habeo, sed de gentibus sociis et de sympolitia nonnulla sunt observanda.

1) Dittenb. 425.
2) Ibid vs. 32.
3) Dittenb 485. Cf. supra pag. 393 ann. 11.
4) Dittenb. 488 et 922.

Digitized by Google

§ 1. *De sociis.*

Inter socios prae ceteris commemorandi sunt Elei. Qui anno 271 sese Aetoliae applicuerunt et per longum spatium temporis foedere cum Aetolis coniuncti fuerunt, numquam tamen in Aetolorum commune sunt recepti. Suo enim nomine semper a rerum scriptoribus designantur; neque nummi indicant eos aliquo modo Aetolicae societati adiunctos fuisse [1]). Amici Aetoliae erant, nihil amplius. Vulgo suis ducibus utebantur, interdum autem eorum copiis praeerant praetores Aetolici ab ipsis arcessiti [2]). Fuit etiam cum suo marte bellum gererent, nam bello Chremonideo interfuerunt sociis Peloponnesiis [3]), licet ipsi Aetoli a bello abstinerent; anno 227 Lacedaemoniis adversus Achaeos opem tulerunt [4]), nec tamen Aetoli illius belli participes erant.

Quae cum ita sint, suspicari licet Aetolos et Eleos foedere aequo coniunctos fuisse, ceterorumque sociorum condicionem, ut Messeniorum vel Teensium, haud ita multum ab ea discrepuisse.

Non tamen ab Aetolorum licentia et latrociniis foedus illud socios protegebat; id quod Messenii experti sunt anno 221, cum Dorimachus eorum agros vastavit [5]), iterumque anno sequenti, cum Achaeos, tunc temporis Aetolorum ipsorumque Messeniorum socios [6]), non tantum ab horum societate detrahere conati sunt Aetoli, sed etiam minati sunt, bello se illos persecuturos, ni societatem cum Messeniis dissolvissent. Quae peculiaris profecto fuit societas et amicitia. Sed omnia apud Aetolos niti videbantur singulari instituto quod Polybius dicit *τὴν ἐξουσίαν ἄγειν λάφυρον ἀπὸ λαφύρου*, quae res tam inveterata erat genti Aetolicae *ὡς πρότερον τὴν Αἰτωλίαν ἐκ τῆς Αἰτωλίας ἀρεῖν ἢ τοῦτον τὸν νόμον*. Sic autem rem Polybius explicat: „Aetolis „non tantum mos est eorum quibuscum ipsi bellum gerunt „agros diripere, sed etiam si aliae gentes amicae et sociae „inter se belligerant, licet Aetolis, nullo decreto publico edito „utrivis parti opem ferre, vel etiam utrorumque agros diripere;

1) Numism. Chron. 1879 p. 262. P. Gardner Coins of Elis.
2) Polyb. V 3 § 1, 30 § 2.
3) Dittenb. 214. 24.
4) Plut. Cleom. 5, Arat. 36.
5) Polyb. IV 3 § 9.
6) Polyb. IV 15 § 10.

Digitized by Google

„ita ut apud Aetolos neque amicitiae neque inimicitiae sint fines, „omnibus enim gentibus de qualibet re dissentientibus prompti „et parati hostes adsunt" [1]). Ex quo loco luculenter apparet meram societatem parum valuisse ad protegendos Aetolorum amicos ab eorum latrociniis. Arctiore aliquanto vinculo ad eam rem opus erat, nempe *sympolitia.*

§ 2. *De sympolitia.*

Sympolitia mea quidem sententia fuit pactio, qua Aetolorum civitas civibus alicuius urbis aequo iure dabatur, haec autem urbs Aetolis omnia iura tribuebat, quibus ipsius cives in patria sua fruebantur. Erat igitur foedus aequum, quod iure tamen magis quam re ipsa valebat, quoniam fieri non potest ut in duabus simul civitatibus iure civitatis utatur quis. Quaeritur igitur quo sympolitia illa spectaverit. Rem autem explicat inscriptio, foedus Ceensium cum Aetolis et Naupactiis exhibens, qua inter Ceenses et Aetolos manifesto constituitur sympolitia [2]). Hac enim ex inscriptione discimus Naupactios in animo habuisse civitatem suam Ceensibus tribuere. Duplex autem quoniam gentium Aetolicarum erat status, ut supra vidimus, — cives enim cum Aetolici erant, tum patriae suae, — nullo modo Ceenses illi Naupactii fieri potuerunt, ni antea Aetoli facti essent. Hanc ob causam Naupactiorum decreto praemissum est decretum Panaetolicum, quo Aetoli sunt facti Ceenses. In Panaetolico autem illo decreto Ceenses vocantur Aetoli (ὡς Αἰτωλῶν ὄντων τῶν Κείων). Non tamen potuerunt fieri Aetoli proprio sensu; nam cum ipsa Ceos societati Aetolicae non esset adiuncta, cives huius civitatis Cei sedes habentes nullo modo simul civitatis Aetoliae participes esse potuerunt. Sed suspicari licet decreto nostro Ceensibus concessum esse ut, cum sedes in Aetoliam transtulissent, cives Aetolici haberentur omniaque iura iis tribuerentur, quae ipsis Aetolis tribui solerent; quemadmodum civis Romanus e captivitate redux ubi primum in patriam revertisset, hoc ipso facto in libertatem restituebatur iure postliminii [3]).

---

1) Polyb. XVIII 4 § 8. 2) C I G. 2350—2352, Dittenb. 247.

3) Inst. I 12 § 5: „postliminium fingit eum qui captus est, semper in civitate „fuisse".

Digitized by Google

Ubicumque autem terrarum vitam agebant Ceenses, pro Aetolis habendi erant; itaque si Aetoli vel *οἱ ἐν Αἰτωλίᾳ πολιτεύοντες*, qui item sympolitia fruebantur [1]), populationibus eos vexarent, poenas ab hisce repetere iussi sunt praetor et senatus Aetolorum.

Ceenses autem universis Aetolis concesserunt omnia iura, quibus ipsorum cives fruebantur [2]). *Hoc enim sympolitiae proprium fuit, quod mutua erat:* Ceenses Aetoli fieri finguntur, Aetoli Ceenses. Et maximi momenti hoc fuit discrimen, quo discrepabant a civitatibus Aetolorum communi adiunctis; hae enim Aetolicae fiebant, Aetoli vero Heracleenses — ut hoc utar — non sunt facti cum haec urbs Aetoliae adiuncta est.

Sympolitia erat foedus aequum. Itaque principatum in civitate sympolitica obtinere non poterat Aetolia, neque vere Aetolicae fieri poterant eiusmodi civitates quamdiu foedus illud vigeret. Cives civitatis foederatae quamdiu in patria sua habitabant, illic iure civili utebantur; si vero Ceenses in Aetoliam migrabant, statim Aetoli fiebant et iisdem iuribus ibi fruebantur quibus Aetoli genuini; itemque Aetoli, qui Ceum sedes suas conferebant, Ceenses fiebant. Luce autem clarius est sic neutram civitatem ab altera opprimi potuisse.

Aequum autem foedus fuisse illam sympolitiam insuper testatur Livius, qui Polybii verba: *πόλιν δὲ μηδεμίαν ἔχειν ἐν τῇ συμπολιτείᾳ* [3]) sic reddidit: „urbem ne quam formulae sui „iuris facerent" [4]).

Sed omnium optimum exemplum rationis, quae inter Aetolos et socios sympoliticos intercedebat, praebet decretum quo Messenii *ἰσοπολιτείᾳ καὶ ἐπιγαμίᾳ* cum Phigalensibus sese coniunxere [5]). Phigalia enim, parva et nullius momenti civitas, eo tempore quo hoc decretum datum est (ante annum 221) sympolitia cum Aetolis coniuncta erat [6]); Messenii autem cum Aetolia foedere coniuncti, Phigalensium vero hostes erant. Nunc pax inter Messenios et Phigalenses est restituenda. Aetoli ex

---

1) Cf. Niese II p. 214 ann. 3: „solche, die keiner einzelnen Gemeinde angehörten".

2) Dittenb. l.l.: *εἶναι Αἰτωλοῖς πολιτείαν ἐγ Κέῳ καὶ γῆς οἰκίας ἔγκτησιν, καὶ τῶν ἄλλων μετέχειν αὐτοὺς πάντων ὥμπερ καὶ Κεῖοι μετέχουσιν.*

3) Polyb. XXI 30 § 4. 4) Liv. XXXVIII 9 § 10. 5) Dittenb. 234.

6) Polyb. IV 3 § 6; paullo post praesidium ab Aetolis ibi est collocatum (ibid.).

Digitized by Google

decreto reconciliatores cum certis mandatis non ad Phigalenses sed ad Messenios mittunt, item id studentes ut pax inter semet ipsos et Phigalenses restituatur [1]). Phigalensium quoque adsunt legati, decretum de isopolitia et de epigamia faciunt Messenii, firmant Phigalenses [2]); deinde utraque pars iure iurando sese obligat [3]). Columnis denique in templis erigendis foedus inscribi iubetur. Nihil igitur de Aetolis, qui conciliatores erant, fortasse etiam amicitiam cum utrisque firmarunt [4]), in ipsa vero pactione statuenda nullius momenti fuerunt. Haec enim fiebat inter Phigalenses et Messenios, licet illi Aetolorum sympolitae essent ipsorumque Aetolorum adessent legati.

Optime autem haec omnia congruunt cum iis quae supra dicta sunt de sympolitia; luculenter haec inscriptio docet civitates sympoliticas aequo iure cum Aetolis coniunctas fuisse.

Praeterea ex inscriptione nostra apparet, civitatem sympolitiae iure fruentem non nisi cum ipsis Aetolis et cum ceteris urbibus sympoliticis hoc vinculo fuisse iunctam. Nam si hoc ipso instituto etiam cum ceteris Aetoliae sociis coniuncta fuisset, supervacanea fuisset haec pactio, tunc enim re ipsa Phigalenses cum Messeniis utpote sociis Aetolicis amicitia coniuncti fuissent. Eadem igitur ratio intercedebat inter sympolitas et Aetolorum socios quae inter ceteros socios; nam ne hos quidem societas quam cum Aetolia habebant, cum reliquis Aetolorum sociis coniungebat [5]).

Quae autem civitates sympolitia Aetoliae iunctae erant, eas inter se eodem vinculo cohaesisse testatur pactio inter Aetolos et Ceenses inita [6]), quam supra laudavimus [7]). Hac enim cautum est ne Ceenses aut ipsi Aetoli diriperent aut *οἱ πολιτευόμενοι ἐν Αἰτωλίᾳ*, qui sympolitia igitur fruebantur, ut ipsi Ceenses.

Contra pactionem autem si Ceenses ab Aetolis aliquo damno

---

1) Dittenb l.l.: (*ἐπειδὴ παραγενόμενο)ι πρεσβε(υ)ταὶ καὶ διαλυ(ταὶ παρὰ τῶν Αἰτω)λῶν .... τὸ ψάφισμ)α τὸ παρὰ τῶν Αἰτωλῶν ἀπ(έδωκαν καὶ αὐτοῖ) διελέγοντο ὅμοια τοῖς ἐν τ(ῶι ψαφίσματι, ἀξ)ιῶντες διαλυθῆμεν ποτὶ τὼ(ς Φιαλέας συνπ)άροντες δὲ καὶ τῶν ἐ Φιαλείας .... ἔδοξε τᾶι (πόλι τᾶι Μ)εσανίων* cet.

2) Ibid.: *ἔδοξε δὲ καὶ τοῖς Φιαλέ(οις ποιεῖν καθάπερ ο)ἱ Μεσσάνιοι ἐψαφιξαντ(ο).*

3) *ὁμό(σαι ἀμφοτέρ)ως.*

4) Vid. quae Dittenberger supplevit in fine inscriptionis.

5) Cf. Polyb. IV 15 § 8 sqq.. 6) Dittenb. 247.

7) Vid. supra p. 408 annot. 2.

Digitized by Google

afficerentur, praetor et senatus designati sunt qui rem tractarent et litem aestimarent.

Gratisne accipiebatur sympolitia? Ex inscriptionibus quantum scio nihil de ea re disci potest, sed suspicor sympolitiam, si sponte a civitate aliqua petebatur, tributo militibusve aliove pretio esse redemptam.

Hoc autem commodum eiusmodi foedera afferebant Aetolis, quod in regionibus remotioribus loca iis praesto erant, unde proficiscerentur, si alias gentes diripere in animo haberent. Sic anno 221 Dorimachus Phigalia profectus, Messenios populatus est [1]). Et in universo constat hoc genere societatis Aetolorum rem firmissimam stetisse. Sic enim socii arctissime inter se coniuncti erant; qui suis legibus libere utebantur, tuti ab Aetolorum latrociniis, bella autem si gerenda essent, sibi invicem opitulabantur. Itaque anno 189 Romani in condicionibus pacis cum Aetolis, metuentes ne denuo nimis crescerent, constituerunt „urbem ne quam formulae sui iuris facerent", id est sympolitia societati suae adiungerent [2]). Nam hoc praesertim genere societatis eos maximam illam potestatem sibi comparasse probe intellexerant.

Neque negligendum est aliud commodum sympolitiae proprium, quod item ex inscriptione nostra cognosci potest. Nempe sympolitia viam aperiebat ad civitatem in qualibet urbe Aetolica adipiscendam, quemadmodum v. c. civitas Ceensibus a Naupactiis concessa est [3]). Nec nomen hoc erat sine re, nam huiusmodi decretis civitates suis invicem civibus iura privata tribuebant. Ii demum qui iuxta sympolitiam etiam civitatem alicuius urbis assecuti erant, omnia iura Aetolis communia exsequi poterant; non solum Panaetolico, quod ius iis praebebat sympolitia, sed etiam eius municipii comitiis interesse iis licebat cuius civitatem adepti erant. Uno verbo, omnia iura et privilegia ipsorum Aetolorum iis concessa erant [4]).

Supersunt urbes quae licet sympolitia fruerentur, praefectum sibi habebant praetorem Aetolicum [5]). Haec Phigaliae condicio

1) Polyb. IV 3 sqq. 2) Cf. supra p. 409. 3) Dittenb. 247.

4) Ibid.: δεδόσθαι δὲ αὐτοῖς καὶ πολιτείαν ἐν Ναυπάκτωι καὶ γᾶς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν, καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὥνπερ οἱ ἄλλοι Ναυπάκτιοι μετέχουσιν, τοὺς Κείους μετέχειν. Cf. Cauer Delectus Inscriptionum Graecarum 229 E.

5) Polyb. XVIII 3 § 11, XV 23 § 8.

Digitized by Google

videtur fuisse post annum 221, hoc modo gubernabantur Lysimachia, Chalcedon, Cios; vero autem est simile multarum civitatium, quae postea plena sympolitia fruitae sunt, primarium hunc fuisse statum, cum recens subiectae necdum pacatae essent. Polybius autem cum de Cianorum civitate locutus anno 202 praetorem Aetolicum ei praeesse anno autem 197 sympolitia eam frui dicat [1]), pateatque eo tempore huius urbis statum non esse mutatum, adducor ut suspicer huiusmodi urbes condicione usas esse haud ita multo deteriore atque eas quae plena sympolitia fruebantur.

Et congruunt haec omnia cum indole Graecorum. Nullus umquam dominus Graeciae ita dominari ausus est, ut autonomiam singulis civitatibus adimeret. Hanc iis reliquit Philippus, reliquit Alexander, reliquerunt diadochi.

Aetoli autem ea ratione usi qua Philippus et Alexander et Antigonus Doson Graecos in unam societatem coniunxerunt, urbibus dicioni suae subditis omnia iura dederunt, quibus ipsi fruebantur, prisca earum instituta non tangentes, eademque iura dari fingebantur civitatibus remotioribus. Quae civitates cum Aetolos universos tum eorum sympolitas aequo iure in suam civitatem admittebant; id quod res ipsa ferebat, ne socii mera privilegia ab Aetolis acciperent, nihil iis relinquentes nisi ius et officium ipsos protegendi.

Hoc modo facile explicatur quomodo factum sit ut Aetolia tantopere creverit et tam firmiter steterit societas.

---

1) Polyb. XVIII 8 § 11: Κιανοὺς παραπλησίως μετ' Αἰτωλῶν συμπολιτευομένους et XV 23 § 8 de Cio: στρατηγοῦ παρ' Αἰτωλῶν ἐν αὐτῇ διατρίβοντος καὶ προεστῶτος τῶν κοινῶν

Digitized by Google

PARALIPOMENA LYSIACA.

SCRIPSIT

H. J. POLAK.

Lysiae Orationes, in quibus etiam Amatoria a Platone servata, cum fragmm., brevi adnotatione instructa, scholarum in usum edidit Henricus van Herwerden. 1899.

Lysiae Orationes rec. Theodorus Thalheim. Editio maior. 1901.

Ad Lysiam ut redirem, quaeque per multos annos adnotaveram in unum collecta eius studiosis disceptanda proponerem, duae fecerunt eximiae editiones his annis in lucem emissae; fecit quoque recordatio eorum quae qui mihi in cathedra Groningana antecesserunt viri egregii, Franckenium dico et Halbertsmam, non sine magno oratoris fructu et de ceteris quaestionibus huc pertinentibus olim et de eius textu melius constituendo commentati sunt. Editiones quas dicebam sunt Herwerdeniana quae ante duos annos prodiit, et Theodori Thalheimii ante paucos menses ad me perlata, utraque variis dotibus insignis, atque ita comparatae ut altera recte alterius quasi supplementum dici mereatur. Nam Herwerdeni, cuius praeter cetera indefessam etiam in senectute industriam stupemus, recensionis praecipua laus in divinatione posita est, codicum lectiones pro editionis suae consilio neque proposuit integras neque post operosam Scheibii diligentiam denuo sibi investigandas putavit. Huic desiderio satisfecit Thalheimius, qui quidquid de recensionis fundamento, id est de lectionibus librorum manu scriptorum, nostra scire interest, religiose admodum est per-

Digitized by Google

scrutatus, ut nunc certe ubique, paucissimis exceptis, tuto nos incedere intellegamus. Idem virorum doctorum paene innumerabilium, qui inde a renatis litteris Lysiae divinandi ope prodesse sunt conati, coniecturas quae quidem aliquid probabilitatis habere viderentur, perscripsit, — in quas doleas recentes Herwerdeni curas non esse adscitas, — ipse in coniectando parcus et cauti admodum circumspectique iudicii. Ita editionem eius vel obiter perlustranti quantum in Lysiae textu emaculando praestitum sit luculenter apparet, praesertim cum novo consilio usus quae certa coniectura sanata pro hallucinationibus librorum in textum sine dubitatione recipi merebantur et magna ex parte iamdudum recepta sunt, diductis litteris significaverit. Interius intuenti simul apparet, quantum post multos multorum felices conatus agendum supersit. Nempe ita se res habet: Lysiae prodesse qui vult praecipue ingenio utatur necesse est; traditas apud eum lectiones qui utcunque tueri vellet intellegentibus risum praeberet.

Crisin Lysiacam in paucis orationibus iudicialibus quae ad nostram aetatem pervenerunt totam niti *uno* libro Palatino vel Heidelbergensi n. 88, quem Bekkerum secuti littera X insignire solemus, ceteros codices qui quidem hucusque innotuerunt huius esse apographa, quorum ob ingeniosas complures emendationes optimus sit Laurentianus C (plut. 57, 4) cui tamen Bekkerus nimium tribuebat, ab Hermanno Sauppio a. 1841 tam luculenter demonstratum est, ut de hac re inter eruditos prorsus constet. Palatinus „optimus liber" audit a Scheibio (Praef. p. v), ob fidem puto, quam ad inopiam redacti uni huic habere cogimur; „emendatum" librum dicere Scheibius non magis quam audacissimus quivis coniector in animum induxit suum. Cobetus, paullo vehementius, „(Lysiae) *unus tantum* Codex Ms. ex communi monumentorum veterum naufragio ad nos pervenit isque infinitis modis tam turpiter corruptus ut praeter Theophrasti Characteres et particulam e Dicaearchi libro, quem *βίον τῆς Ἑλλάδος* inscripsit, *nullum Codicem Ms. Graecum deteriorem et omni genere mendorum et vitiorum inquinatiorem superesse existimem*" (Praef. p. ij. Cfr. V. L. 37). Inter deteriores habendum esse Palatinum, praesertim si cum Parisino Demosthenis vel Urbinate Isocratis vel Bodleiano Platonis comparetur, nemo sanus infitias ibit. Sed hoc addendum, ne iniqui simus: iam

Digitized by Google

antiquitus, diu antequam Palatinus liber exararetur, fortasse iam cum sylloge conderetur cuius reliquias terimus, textus Lysiae male fuit habitus, et sic ut aliae orationes aliis inquinatiores fuerint traditae. In fontibus unde Palatinus manavit integerrima fuisse videtur, quamquam et ipsa minime vitiorum immunis, Oratio funebris, quod et per se patet, et comparatione instituta cum aliis libris, quibus in hac una oratione utimur a Palatini scriptura non pendentibus. Itaque si eius lectiones conferimus cum iis quae enotatae sunt e Coisliniano 249 (V), cuius aetas non clare traditur, — „saeculo decimo, quo scriptum existimabat Montefalconius, longe recentiorem" pronuntiavit olim Bekkerus, repetivit iisdem verbis Thalheim (Praef. p. vj), — et e Marciano 416 (F), quantum ad Lysiam pertinet saec. XIII^{i}, — comparatione, inquam, instituta inter horum librorum lectiones et Palatini, hic plerumque longe integrior iudicabitur. Perquam rari neque magni momenti loci sunt ubi contra X verum ex FV repositum est, bene si numeravi, *decem*. At quales sunt illae lectiones potiores? Est in FV § 13: *μετὰ τῶν ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ* Πελοπόννησον *ἐχόντων*, in X deest *ἐν*. In § 15: *διὰ δὲ τὴν τοῦ πατρὸς ἀρετὴν ἐκείνους* (Herculis filios) *τοῖς αὐτῶν κινδύνοις ἐστεφάνωσαν*. Ita F; in VX perperam est: *διὰ τὴν τοῦ π. ἀρετὴν ἐκείνους δὲ τοῖς αὐτ. κινδ. ἐστεφάνωσαν*, unde efficias in archetypo a quo omnes Lysiae codices fluxerunt *δὲ* incerta sede volitasse. Praeterea § 30 *εἰς τὰς ναῦς ἐμβάντες* unus habet F, minus rectum in hoc scriptore *εἰσβάντες* VX. Iidem § 32: *εἰ μὲν κατὰ γῆς τοῖς βαρβάροις ἀπαντήσονται*, ridicule; F recte *κατὰ γῆν*. Tum § 34 necessarium: *τίς οὐκ ἂν ἰδὼν ἐφοβήθη, ὡς μέγας — — κίνδυνος — — ἠγωνίσθη* in uno est F; *ἧς* male V; **ς* X^{1}, et a m. 2^{a} *οἷος* aperta coniectura; unde colligimus in communi omnium archetypo vocalem fere evanuisse. Requiritur § 43: *ὥστε δικαίως μὲν ἀναμφισβήτητα τἀριστεῖα τῆς ναυμαχίας ἔλαβον*, atque ita F; prava parechesi dederunt *ἀναμφισβητήτως* VX. Sequenti paragrapho F: *τῇ ἰδίᾳ ἀρετῇ κοινὴν τὴν ἐλευθερίαν καὶ τοῖς ἄλλοις ἐκτήσαντο*, in VX *καὶ* deest. Ibidem *διατειχιζόντων*, quod praebent FV, collato Isocrate IV § 93 verisimilius est quam simplex ut est in X, probantibus tamen Scheibio et Herwerdeno. Similiter et ipse ut Thalheimius praetulerim § 54 *καθ' ἕκαστον μὲν οὖν οὐ ῥᾴδιον* ex FV, *οὖν* omittit X, quem nunc quoque ex-

Digitized by Google

presserunt Scheibius et Herwerdenus. Tandem i. f. § 67 in uno F est necessarium φανερὰν τὴν αὐτῶν ἀρετὴν ἐπεδείξαντο, in VX vetusta varia lectio quam F quoque in margine exhibet: ἐπιδείξαντες, unde frustra insertis verbis supervacuis <δικαίως ἐπαινοῦνται> Erdmannus tolerabilem sensum elicere est conatus.

Hi igitur loci ex F et V emendatiores expressi sunt. Sed longe saepius V cum X sentit, F singularis est, sed fere propriis nitens et vitiis et omissionibus. Pauca de plurimis dabo γεύματος χάριν. Iam in prima paragrapho omittit non solum ἀνδρῶν, quod speciem habet, sed etiam sub finem αὐτοὺς, quo omisso sententia pervertitur. Ceteras omissiones, — sunt autem universae, recte si numeravi, numero ad undetriginta, — non perscribam, hoc monuisse satis habens *quater* (§§ 25, 44, 58, 65) totum deesse versum 39, 37, 41, 42 litterarum, semel (§ 65) in margine suppletum, deest quoque § 64 incisio οὔτ' αὐτοὶ πλέον ἔχειν δεόμενοι, unde cum antecedat οὔτε ἐλαττοῦσθαι δυνάμενοι fortasse efficiendum hoc iam defecisse in Marciani archetypo in laterculos diviso versuum 24 vel 26 litterarum. Contra, sed multo rarius, in F adsunt quae melius abessent. Sic § 24, ubi μὲν per errorem bis scriptum est; § 38, ubi sine sensu habet καὶ πολεμίων καὶ ναυαγίων; § 42, ubi τῶν ἄλλων ἁπάντων συμμάχων (ita Cobeti etiam editio), ceteris et codicibus et editoribus recentioribus vocem ἁπάντων recte omittentibus; § 60, ubi praebet: τῷ δὲ (Persarum regi) ἄλλων ἀρξάντων οὐδεὶς ζῆλος ἐγγίγνεται τῆς τῶν προγόνων διανοίας, quam negationem ceteris codd. ignotam miro iudicio tuetur Schoellius; § 62, ubi inter δουλείας et οὐχ ἧττον prave inseritur ὡς; § 70, ubi in ὥσπερ χρὴ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας substantivum recte omittunt ceteri; tandem § 77, ubi unus F mire habet: οὐ γὰρ ἐλανθάνομεν ἡμᾶς αὐτοὺς ἅπαξ ὄντες θνητοί. Praeterea saepius ordinem verborum suo Marte invertit, male plerumque, et quod inprimis notabile, § 40 pro lectione ceterorum librorum τὰς δ' αὐτῶν ψυχὰς ὀλίγας οὔσας ἀντιτάξαντες τῷ πλήθει τῷ τῆς Ἀσίας praebet πλήθει τοσούτῳ ex correctione tam infelici quam arbitraria. Sequitur ingens cohors mendorum omne genus, ex quibus potiora tantum delibabo. Legitur § 2: καὶ τοῖς ποιεῖν δυναμένοις καὶ τοῖς ποιεῖν βουληθεῖσιν, oportet: τοῖς εἰπεῖν βουλ.; § 7: ἱερῶν δὲ μὴ γενομένων pro μιαινομένων; § 9: πατρίδα οὐ τιμῆς

Digitized by Google

ἀτυχήσαντες pro πατρίου τιμῆς; § 14: τοὺς μὲν κωλύειν ἐπιχειροῦντες, τοῖς δ' ἐπιχειρεῖν ἀξιοῦντες pro ἐπικουρεῖν ἀξ.; § 15: Ἀθηναῖοι δ' οὐδ' <ἂν> ἠξίουν Εὐρυσθέα αὐτὸν ἱκετεύοντα τοὺς ἱκετεύοντας παρ' ἑαυτῶν ἐξαιτεῖν. In ceteris est τοὺς ἱκέτας αὐτῶν ἐξελεῖν, in universum recte, ut nunc quoque in F ad vitium casu commissum accesserit impudens et infelix correctio. Hoc tantum deliberatione dignum, annon eius ἐξαιτεῖν, licet corruptum et ipsum, auctoritatem efferat coniecturae Halbertsmae ἐξαιρεῖν suadentis propter antecedens εὑρίσκεσθαι, quod Herwerdenus propter ἐξελεῖν in altero membro in εὑρέσθαι refingebat. Sed pergam πλημμελήματα quaedam insigniora codicis Marciani indicare. Habet § 16: Εὐρυσθέα δὲ καὶ αἰσχρὸν ὄντα pro ἐχθρόν; habet § 25: ὑπὲρ δὲ τῆς ἀρετῆς ἐφιλοψυχήσαντες pro οὐ φιλοψυχήσ.; habet § 48: μέγα μὲν ἅπαντες φρονοῦντες, μικρῶν δ' ἐγκλημάτων ἅπαντες δεόμενοι pro ἕκαστοι δεόμ.; § 49: καὶ τῆς κιλικίας ἀπάσης pro κ. τ. ἡλικίας ἀπούσης, evidens inprimis indicium ex archetypo litteris iam minusculis exarato F esse descriptum; § 50: μέμψασθαι pro μεταπέμψασθαι; § 53 cum V: οὐδ' οὔπω δυνάμενοι pro οἱ δ' οὔπω; § 71 τοὺς προσήκοντας αὐτοῖς ἐλθεῖν pro τ. προσήκ. αὐτῶν ἐλεεῖν. Omitto minora vitia.

Summa disputationis huc redit: sit Palatinus X quantumvis corruptus, tamen Lysiam multo etiam corruptiorem legeremus si in exemplaribus dubiae fidei, quale est Marcianum F, ad nos propagatus fuisset. Neque tamen haec sic accepta velim ac si quae Palatini scriba deliquit aut levia tantum menda aut numero exigua habenda sint, sed ut non omnes errores quibus liber scatet ipsius stupori imputandos existimem. De externo libri habitu nobis pretiosissimi, — βίβλος θεοδώρου γραφεῖσα χειρί est in indice codici praemisso, — haec traduntur. Membranaceus dicitur saeculi XII[i], formae quadratae minoris, *bene scriptus* etsi atramento saepius pallidiore. Quod si ita est, neque habeo cur oculatis testibus fidem denegem, mirum accidit quod in libro a compluribus viris doctis tractato et retractato, inter quos fuerunt legendorum Graecorum codicum peritissimi, ne nunc quidem omnia dubia remota dici possint. Excussit Palatinum I. Bekkerus primus, sed sic ut C. L. Kaysero in Scheibii gratiam codicem iterum conferenti largam messem addendorum

Digitized by Google

et corrigendorum relinqueret. Kayserum haud raro erroris arguit Spir. P. Lampros (*Hermes* X p. 257—280), qui ipse a R. Schoellio parum palaeographice peritus dicitur, ita ut Palatino multa tribuerit quae aliter ibi se habeant (*Herm.* XI p. 202—218). Versaverunt deinceps librum aut totum aut ex parte Erdmannus, Weidnerus, Pertzius, Fuhrius, tandem in Thalheimii gratiam hic illic inspexit Stadtmüller. Putes omnia iam certa esse et *ἀναμφίλεκτα*, sed non prorsus ita est. Inprimis certiora nobis tradita vellem de vitio satis singulari, quod Lamprum si audimus *ter* in libro nostro commissum est. Nempe Or. II § 76 *ποιοίμενθα* in X esse perhibetur, Or. VII § 18 *ἀποκρυπτόμενθα*, Or. XXX § 22 *δυνάμενθα*. Breviter rem negavit Schoellius, male legisse Lamprum adseverans. At repetivit miram scripturam in adnotatione critica Thalheimius *bis*, II § 76 et VII § 18, de tertio loco silet (XXX § 22). Itaque vix ausim coniectare tenere nos hic specimen vitii antiquissimi, ex papyracea vel consimili scribendi ratione explicandi. Nempe, ut notum est ex papyris Hyperideis, solebant scribae nonnulli etiam in medio vocabulo, quin etiam in media syllaba, ubi ad finem versus perventum erat et deerat spatium — vel deesse videbatur — iustae litterae pingendae, aut signum aliquod ponere ad versum rite explendum aut lineolam transversam *τοῦ* ϵ ultra modum porrigere. Sic etiam in vetustissimo Lysiae exemplari, cum v. c. *ποιοιμε* in fine versus scriptum esset tali sive signo sive lineola adiecta, sequens versus a syllaba *θα* inciperet, fieri sane potuit ut scriba recentior id perperam pro N habuerit. Sed, ut dicebam, in tanta exemplorum paucitate atque etiam ambiguitate periculosum fuerit hinc aliquid certi de remotissimo Lysiae archetypo concludere.

Certius erit nunc aliquot insigniora exempla proponere corruptelarum quibus Palatinus liber infamis est per certa genera distincta, paucissima de multis, — quid enim Thalheimii apparatum criticum describere totum attinet? — sed quantum satis videtur ad cognoscendum quid nobis liceat in libro tam male habito. Initium faciam ab erroribus e male intellecta scriptura unciali et continua natis, quae omnia fere iamdudum correcta sunt emendationibus tam pulcherrimis quam certissimis. Celebratum est quod Cobetus repperit Or. VI § 4 *θυσίας θυ-*

Digitized by Google

σει pro θυσιάσουσι, olim imperite in θυσιάσει mutatum. Ib. § 22 X praebet μαρτυρίου, necessarium ἢ ἀργυρίου Taylori est, cuius inprimis multae et evidentissimae in Lysia correctiones sunt. Post pauca § 24 γερῶν habet X, sed correcto in margine ἱερῶν quod requiritur. Ib. § 43 ἐὰν κομίζητε X, necessarium κολάζητε praebet C ex felici scribae correctione. Or. VII § 2 ἀποδεῖξαι X, ἀπελέγξαι et Westermannus proposuit et Rauchensteinius, cum vel Dobraeus multa moliens locum persanare non valuerit. Ib. § 11 οἶκον X cum apographis, verum σηκόν apud Suidam est i. v. Μορίαι. Ib. § 17 εἰκότων X, οἰκετῶν Palmerius. In fine orationis § 42 ἢ ἄρα X ab apographis ulterius depravatum, παρὰ reposuit olim Contius. Or. VIII § 11 ἐφ' ὧν γε X pervulgato errore, σφῶν γε Dobraeus. Ib. § 16 X flagitiose corruptum κακώσας λέπτιδι οὐδέν, me quidem iudice rectissime a Bartelto restitutum qui hinc exsculpsit κακῶς ἀεὶ λέγετε δι' οὐδέν, etsi aliter sentiente Thalheimio. Or. XII § 6 τὴν μὲν πόλιν γενέσθαι X, Marklandus πένεσθαι. Ib. § 52 τότε ἐπιδείξασθαι τὴν αὐτοῦ συνουσίαν X, εὔνοιαν repperit idem Marklandus, felicissimus et ipse Lysia coniector, prae qua emendatione sordent Reiskianum προθυμίαν, Fritzschii ἐξουσίαν. Ib. § 86 ἐβουλόμην μεντἂν αὐτοὺς οὕτω προθύμους εἶναι σώζειν τὴν πόλιν, ὥσπερ οὗτοι ἀποδοῦναι X, ab eodem Marklando in ἀπολλύναι correctum. Or. XIII § 70 ἐ δῆμος X pro ὁ δῆμος. Ib. § 71 ἀλλὰ τούτῳ κραυγὴ γίγνεται X, ἅμα τούτῳ requirebat Scheibius, pro quo tamen sunt qui ἀλλ' ἐν τούτῳ malint, ut coniecit olim scriba Laurentiani C et edunt i. a. Herwerdenus et Thalheim. Sed Or. XVII § 4 post Reiskium nemo dubitavit quin pro ὡς ὄντα (sic audacter sane in loco vexatissimo rescripsit Emperius pro verbis insanis quae habet X τὴν πάντα τὰ, alii aliter) Ἐράτωνος ἀπέγραφον καὶ λέγω πολὺν ἤδη χρόνον κέκτημαι verum esset καὶ ἃ ἐγὼ κτλ. Or. XX § 24: ἐπειδὴ δὲ διεφθάρη (τὸ στρατόπεδον) — — ἠλπιζόμην ὁρμώμενος ἐντεῦθεν καὶ τοὺς πολεμίους κακῶς ἐποίουν. Pro verbo hic nihili ἠλπιζόμην C tentavit ὁπλιζόμην, infeliciter, verum est ἐλῃζόμην (ἐληιζόμην), quod post Contium repperit Taylor, et scribam Palatini, fidum ceteroquin hominem, nunc videmus male intellectae scripturae correctorem agere, etsi huius rei culpa fortasse iam eius fuit qui Palatini exemplum exaravit. Or. XXVI § 19: ἀλλὰ καὶ

Digitized by Google

τὸ ἄλογον δοκεῖ εἶναι παρά τισιν X, Laurentiani codicis librarius nimio molimine δοκοῦν rescripsit, vitium in verbo quaerens; simplicius et verius Stephanus: ἀλλὰ καὶ ὃ ἄλογον δοκεῖ. Or. XXX § 17: τὰς θυσίας τὰς ἐκ τῶν κύρβεων καὶ τῶν εὐπλοίων. Sic X bellissime pro καὶ τῶν στηλῶν, ut optime vidit Taylorus; Laurentiani librarius, infeliciter nunc quoque, καὶ τῶν ὅπλων dedit.

Affine his vitium est natum ex immutata recentiorum pronuntiatione, e syllabis iniuria aut extritis aut repetitis propter consimilium vicinitatem, e prava vel coniunctione dirimendorum vel continuandorum diremptione. Frequenter admodum in his impegit Palatini scriba. Sic v. c. Or. II § 71 dedit τοῦ ἐπιλύπου βίου, ἐπιλοίπου ipse correxit. Sic Or. IV § 18: ἐστι μὲν ὑπὸ λόγῳ, ubi C μὲν omittit quasi ita verum sit restitutum; melius haud paullo Marklandus: ἐστιν, ἐν ὑπολόγῳ. Ibid. § 19: ἀλλὰ λόγῳ τὸ τῶν πάντων, unde Sluiterus eruit ἀλλ' ἀλογώτατον πάντων. Or. VI § 22: ἵνα <μὴ> μηνυτὴς γένοιτο Stephanus. Or. VII § 22: καίτοι εἰ Φῄσ· μὴ δεῖν τὴν μορίαν ἀφανίζοντα κτλ. X, Φήσας μ' ἰδεῖν Reiskius. De Φήσας dubitatur, μ' ἰδεῖν nullus editor Graece callens repudiabit. Ibid. § 34: καὶ ἕτοιμος ἤμην X. Cum Lysiam ἤμην dixisse parum sit probabile et absonum indicativi imperfectum, Scheibius εἰμὶ proposuit, nam aut hoc requiritur aut εἴην. Or. VIII § 5: οὐκ ἐκεῖνο πως (πῶς sec. Scheib.) ἀπαλλαγῆτέ μου X, οὐκ ἔχειν ὅπως O (Urbin. 117), manifesta coniectura sed felici. Or. IX § 21 πραχθεὶς X, παραχθεὶς Markland. Or. X § 22: μεγίστης δ' οὔσης μοι τῆς συμφορᾶς εἰ ἀποφεύξεται, τούτῳ δ' οὐδενὸς ἀξιώσει κακηγορίας ἀλώσεται prorsus sine sensu in X; sententiam recuperavit Marklandus (Contius) coniiciens: τούτῳ δ' οὐδ. ἀξίας, εἰ κακηγ. ἀλώσεται. Paragrapho sequenti ὁ λόγος ἐν τῇ πόλει κατεσκεύασται X, κατεσκέδασται Brulart et Reiskius. Or. XII § 27 ἔπειτα X, ἐπεί τοι Taylor, quod tamen non omnium editorum plausum tulit. Sed tulit Canteri coniectura ad § 29, a codice Veneto Taylori post corroborata, cuius scriba in idem inciderit: νῦν δὲ παρὰ τοῦ ποτε καὶ λήψεσθε δίκην, cum X praebeat παρ' αὐτοῦ ποτε. Multifariam corruptum est Or. XIII § 8: ἐφ' οἷς ἠτιμοῦτο τὴν εἰρήνην ποιεῖσθαι Λακεδαιμόνιοι pro: ἐφ' οἷς ἕτοιμοι εἶεν, quod apographorum vi-

Digitized by Google

detur. Ibid. § 24 pro *ἐπειδὴ δὲ ἐκλίνησαν* restituit *ἐκεῖ ἦσαν* Taylor, melius quam C *ἐκάθισαν*. Ibid. § 34: *καὶ τοιοῦτον δεινὸν τῇ πόλει ἐγένετο* X, *τί οὐ τῶν δεινῶν* Sauppius. Ibid. § 55: *εὑρίσκων τε αὐτῷ ... ἄδειαν* X, *εὑρίσκονται* Reiskius. Or. XIV §§ 20, 21 bis tralaticium mendum *πραττόμενα* pro *προστατ τόμενα*. Quidquid latet in conclamato loco § 25, hoc certum est vere correxisse Reiskium *ἔπινεν* pro *ἔτι μὲν* codicum. Ibid. § 29 *πολοστὸν μέρος τῶν εἰδῶν τῶν ἑαυτῷ προσηκόντων* triplici vitio X, pro quo oportet *πολλοστὸν μέρος τῶν <ὀν>ειδῶν τῶν ἑαυτῷ προσόντων*, quorum primum levissimum per se corrigitur, graviorum illud Marklandus, hoc Cobetus procuraverunt [1]). Or. XV § 4 *οὐδὲν δεήσει* X, *οὐδ. διοίσει* flagitante sententia Bekkerus. Tum § 5: *ὅτι Φένων τὸν ἵππον ἱππέως ἀπεστέρει τὴν πόλιν*, ubi dubius haereas utrum rectius refinxerit hoc Laurentiani (C) scriba in *ἀφαιρῶν* an Marklandus in *ἀφελὼν* [2]). Or. XVII § 4: *ἐξ αὐτῶν ἀπογράφω* X, *ἐξ αὐτῶν <τῶν> ἀπογραφῶν* post Schottum Reiskius. Ibid. § 9 *τοὺς νῦν αὐτοδίκας* X pro *ναυτοδίκας*. Or. XVIII § 19: *πλείων συγγνώμη [μὴ] μνησικακεῖν*: negatio perperam adhaesit Palatino neque abesse videtur a C. Or. XIX § 13: *ἄλλο τε* (sic Kayser ap. Scheib., Thalheim enotavit *ἄλλοτε*) X, *ἀλλ' ὅτε* Sluiterus. Similiter ib. § 36 *εἶναι ἴσα* praebet X, oportet, quod Cobetus suasit, *εἶναι σᾶ*. Ib. § 42: *γῆν μὲν καὶ οὐσίαν* X vitio pervulgato, *κ. οἰκίαν* Markland. Ib. § 61: *τῷ χρόνῳ, ὃ νῦν εἰς σαφέστατον ἔλεγχον τοῦ ἀληθοῦς νομίσατε* X, absurde pro *ὃν ὑμεῖς σαφέστατον ἔλεγχον κτλ.*, quod vidit Reiskius. Or. XXI § 15: *ἵνα τῶν μὲν ἑτέρων ἐπιθυμήσωσι* X, requiritur *τῶν μὲν <ὑμ>ετέρων <μὴ> ἐπιθυμ.*, in quibus *μὴ* Contio debetur, *ὑμετέρων* Dobraeo [3]). Or. XXII § 5: *εἰπὲ σὺ ἐμοί, μέτοικος εἶναι*. Sic X, correxit manus secunda *μέτ. εἶ*; N *αἰ*. Or. XXIII § 3 haud aliter X: *τὸ κουρεῖον τὸ παρὰ τοὺς ἑρμασινᾶ. οἳ δεκελεῖς προσφοι-*

1) Minus recte Thalheimius *πολλοστὸν μέρος ὀνειδῶν τῶν ἑαυτῷ προσόντων* omisso ante *ὀνειδῶν* articulo, qui et per se necessarius est (cf. v. c. Or. XIV § 46; XIX § 35) et certe in hac sententiae conformatione ubi appositio sequitur.

2) Ob sequens tamen *ἐξελαύνων* et totius enuntiati tenorem Laurentiani scribae ratio praeferenda videtur. Rectius enim „equum adimendo" quam „equo ademto".

3) Cobetus (Hartmannus) *ἀλλοτρίων* praetulit, sed iam olim recte Dobraeus: „*ἑτέρων* per se bonum, ut capiatur pro *ἀλλοτρίων*, —— sed ob vicina legendum *ὑμετέρων*". (*Advv.* I p. 242 = 243).

Digitized by Google

τῶσιν. Correxit olim nescio quis: τ. κ. τὸ παρὰ τοὺς Ἑρμᾶς, ἵνα οἱ Δεκελεῖς προσφοιτ.; malunt nunc Weidnero duce Herwerdenus et Thalheim τ. Ἑρμᾶς οἳ Δεκελειεῖς (-ῆς) προσφοιτ. Or. XXV § 32: καὶ δέξαι τ' ἂν X, in apographis, ut videtur, correctum in κ. δέξαιντ' ἄν quod requiritur. Or. XXVI § 20: τοιαύτας οἵας ἐγὼ — — ἀποκρίνομαι X; τοιαῦτά σοι ἐγὼ — — ἀποκρίνομαι editores Turicenses; Palatini lectionem ineptam, male cum antecedente sententia connexam, in qua erat συνθήκας unde error, retinuerat — mirum dictu — vel Bekkerus. Or. XXIX § 12: ἔλεγον ὡς πεντακόσιοι μὲν αὐτοῖς οἳ ἦσαν X, εἶησαν Stephanus, quod etiam in C esse videtur. Or. XXX § 4: ἐπὶ τὰ διωρισμένα X, ἔπειτα διωρισμένον corrector Aldinae, a quo ceteri editores egregiam emendationem grati acceperunt. Ibid. § 20: καὶ οὐχ οἷόν τε εἰπεῖν ὡς οὐχ ἱκανὰ εἶναι προσῆλθε τῇ πόλει X, ad sententiam recte olim Contius ὄντα suaserat, sententiae et litteris simul satisfecit Markland ἦν ἃ προσ. scribens; Cobetus unus, quod sciam, εἴη ἃ maluit. Tandem Or. XXXI § 12: οὔτε γὰρ τῷ σώματι ἀδύνατος ἦ ταλαιπωρεῖ X; necessarium ἀδύνατος ἦν ταλαιπωρεῖν restituit Taylorus, nunc quoque rem acu tangens.

Sequantur tanquam satura exempla quaedam, nunc quoque paucissima de multis, vitiorum omne genus, quae non tam facile in certa genera distinguuntur. Or. I § 20: Ancilla κατηγόρευε (de quo post agam) — ὡς ἐκείνη τῷ χρόνῳ προσθείη X cum apographis tantum non omnibus, ut videtur. Optime Reiskius πεισθείη, — felicius Taylori invento προθείη, — quod post confirmavit H, i. e. Marcianus 422 a H. Schenklio excussus, qui codex „orationum Lysiacarum nullam nisi primam exhibet", hic quoque haud dubie felici coniectura usus. Or. III § 14: καὶ ταῦτα μέν, ἵνα φησὶ Σίμων τὴν μάχην γενέσθαι X, κἀνταῦθα μὲν κτλ. post Contium Markland. Ib. § 20: ἐπειδὴ δ' — — ᾔσθετο κακῶς ἀγωνισάμενον ἐξ ἀντιδώσεως, καταφρονήσεώς μου οὑτωσὶ τολμηρῶς κτλ.; ita e parechesi X, in apographis iam correctum videtur. Ib. § 45: δόξας κοσμιώτατος εἶναι καὶ πονηρότατος X; apertum est contrarium requiri, itaque post Taylorum Emperius ἀκοσμότατος proposuit. Or. IV § 13 i. f.: οὐ γὰρ ἀργύριον λαβεῖν προθυμοῦνται, ἀλλ' ἐκ τῆς πατρίδος ἐκβαλεῖν αὐτὸν ποιοῦνται X. Αὐτὸν sine controversia corruptum

Digitized by Google

est, tentaverunt alii aliter, unus omnium felicissime Scheibius corrigens ἔργον ποιοῦνται. Or. V § 4: τῶν παρόντων κακῶν ἐῶντα ι ἀπηλλαγμένοι X, ἔσονται ἀπηλλαγμ. editio Aldina. Or. VI § 36: τῆς δ' ἀρχῆς καὶ τῶν κακῶν ὑμεῖς αἴτιοί ἐστε X, τῆς δὲ ταραχῆς κ. τ. κακῶν Schottus et Palmerius. Ib. § 33: παρασκευάζεται τῇ πόλει καὶ πράττει X, τὰ πολιτικὰ πράττειν haud paullo melius Valckenaerius (*Diatr.* p. 254 C), Bekkerus nunc quoque vitiosa dudum correcta retinuit. Or. VII § 40: οἳ ἐμὲ ἤδη κακῶς λέγουσιν ἢ σφᾶς αὐτοὺς ἐπαινοῦσι X, ἥδιον Taylori est. Or. VIII § 8: πρῶτον μὲν γὰρ εἰπόντες ἐρήσεσθε τὸν εἰπόντα μοι X, εἰδότες ἐρήσεσθε Reiskius. Or. VIII § 12: ὁριζόμενος ὁ Πολυκλῆς εἶπεν X, at dixerat *iratus*, ὀργιζόμενος, quod vidit Markland. Ib. § 19 idem μὴ συνῶ (ξυνῶ) pro Palatini vitio μηνύσω, a Laurentiani scriba inepte in epicum μηνίσω olim mutatum. Or. IX § 17: ἀλλ' οὔτε ὀλιγώρως καὶ παρανόμως προσηνέχθησαν. Immo, quod in Aldina est, οὕτως ὀλιγ. κ. παραν. Ib. § 22 i. f. ἀδικήμασι περιπεσόντας X, haud paullo rectius ἀτυχήμασι Reiskius. Or. X § 16: ἐὰν μὴ προτιμήσῃ μηλιαια (sic) X, ἐὰν προστιμήσῃ ἢ ἡλιαίαν editiones, fortasse ex apographis. Or. XI § 4: ἐὰν μέν τις πατραλοίαν — — καλέσῃ X, καλῇ σε Markland. Or. XII § 24: ὅσον καὶ εὐσεβές X, ὅσιον Stephanus. Ibid. § 30: Eratosthenes Polemarchum οὐκ ἐν τῇ οἰκίᾳ ἀλλ' ἐν τῇ ὁδῷ σώζοντα αὐτὸν καὶ τὰ τούτοις ἐψηφισμένα ὂν συλλαβὼν ἀπήγαγεν. Ita X prorsus sine sensu. Non ab omni parte certum est, sed ceterorum conaminibus verisimilius quod Sauppius proponebat: σῴζειν τε αὐτὸν κ. τὰ τούτοις ἐψηφισμένα παρόν [1]). Ibid. § 66 ridicule de Theramene X: ἐπειδὴ — — ἑτέρους ἑώρα πραοτέρους αὐτοῦ γενομένους. Melius Canterus προτέρους, etsi Iacobsio et Dobraeo non satisfecit. Paullo post, § 69, de eodem Theramene X: ὅμως ἐπέμψατε αὐτῷ πατρίδα καὶ παῖ-

1) Residet tamen scrupulus an Graece dicatur σῴζειν τὰ τούτοις ἐψηφισμένα, ut sit *obsequi decretis, nihil contra ea committere*, μὴ παραβαίνειν, et si quam maxime ita recte dicitur, mire in his qualia Sauppius constituit naturalis et tropicus usus verbi σῴζειν in eadem sententia copulantur. Neque hoc Rauchensteinio dederim, σῴζειν τὰ ἐψηφ. satis defendi talibus qualia sunt σῴζειν τοὺς νόμους, τὰς ἐντολάς simm., neque quod addit: „so dass für den Griechen hier kein Zeugma ist" Quapropter haud scio an praestet servata universa Sauppianae emendationis forma sic potius scribere σῴζειν αὐτὸν κατὰ τὰ τούτοις ἐψηφισμένα <παρ>όν.

Digitized by Google

δας, pro quo Contius ἐπ᾽ετρέψατε. Ibid. § 86: ἀλλὰ καὶ τῶν συνεργούντων αὐτοῖς ἄξιον θαυμάζειν. Reiskius συνερούντων. Ibid. § 96: τοὺς δὲ ἀπὸ τέκνων καὶ γονέων καὶ γυναικῶν ἀφελόντες X; praestat Reiskianum ἀφέλκοντες. Or. XIII § 51: δεδιότες μὴ καταλυθείησαν ὁ δῆμος X. Immo καταλυθείη ἂν, suadente Marklando. Ibid. § 56 Menestratum non τῷ δήμῳ παρέδοτε, sed τῷ δημίῳ, ut vidit Schottus. Ib. § 81: ἐπειδὴ πρὸς ταῖς Φυλαῖς ἦσαν X; verum est Palmerii inventum πρὸς ταῖς πύλαις. Or. XIV § 10: καὶ ἕτεροι μὲν οὐδεπώποτε ὁπλιτεύσαντες, ἵππου ὄντες δὲ κτλ. X; Stephanus ἱππεύσαντες correxit, ἱππεύοντες Emperius. Ib. § 33: ὑμᾶς φεύγοντας Φυλακὴν καταλαβεῖν X, Φυλὴν καταλαβεῖν optime C. Or. XVI § 8: ὥστ᾽ εἰ μηδὲν διαβάλλομαι ἡγεῖσθε ταύτην ποιεῖσθαι τὴν ἀπολογίαν X portentose; ὥστε μηδὲν δι᾽ ἄλλο με ἡγεῖσθε κτλ. Taylor. Ib. § 13: ἐγὼ προσελθὼν ἔτι τῷ Ὀρθοβούλῳ X, ἔφην C. Idem scriba Or. XVII § 5 pro κινδυνοι (sic) feliciter repperit Κικυννοῖ. Or. XVIII § 22: οὐδὲν γὰρ ἂν ἡμᾶς κωλύοι — — ἀθλιοθεάτους εἶναι X; ἀθλιωτάτους Stephanus. Or. XIX § 6: μάλιστα δὲ τοῦτο ἔχοι ἄν τις δεινότατον ὅταν πολλοὶ — — εἰς ἀγῶνα καταστῶσιν X; ἰδεῖν ὅταν secundum Scheibium Marklandus correxit, secundum Thalheimium iam Contius. Idem ib. § 29 πρότερον μὴ ὑπαρχούσης οὐσίας, confirmatum a C, Palatino perperam αἰτίας praebente. Ib. § 41: αὐτὸς γὰρ ἐν τῇ νόσῳ ὢν εὖ Φρονῶν ἤσθετο X; de Cononis testamento agitur; itaque recte Taylorus et post eum Emperius διέθετο. Ib. § 43: ἔδοτε αὐτῷ τὰς δέκα μνᾶς X; ναῦς sententia duce Taylorus, confirmatum a C, ut videtur. Or. XX § 20: οὐχ οἱ ἅπαντες τούτων αἴτιοί εἰσιν, ἐπεὶ καὶ τοὺς παρόντας ὑμεῖς ἀπελύσατε X. Marklandus et Taylorus viderunt οἱ ἀπόντες requiri. Contra Or. XIX § 51: εἰ Ἀθηναίων ἀπόντων ἀκηκοότων X; apertum est ἁπάντων requiri, atque ita Reiskius, nunc quoque adstipulante Laurentiano C post excusso. Or. XXIV § 8: τὰ τούτοις ἐχόμενα κακὰ X; ἑπόμενα C. Ibid. § 23: πῶς οὐκ ἂν δικαιότατος εἴην εἰ τῶν μὲν καλλίστων — — ἀπεστερημένος εἴην; X. Immo δειλαιότατος legendum cum Marklando. Or. XXV § 18: ἡγοῦμαι δὲ — — οὐδὲ τοὺς μὴ Φυγόντας ἐκ τοῦ νομίζειν, ἀλλὰ τοὺς ὑμᾶς ἐκβάλλοντας X. Leve est, ἐκβαλόντας necessarium esse; gravius pro ἐκ τοῦ requiri substantivum. Coniectura

Digitized by Google

verum adsecutus est C: *ἐχθροὺς νομίζειν*. Ibid. § 21: *ἡγούμενοι τὴν ἡμετέραν ὁμόνοιαν μέγιστον ἀγαθὸν εἶναι τῇ ὑμετέρᾳ Φυγῇ* X. Immo *μέγιστον κακὸν*, ut est in C et codice Vindobonensi. Ibid. § 28: *πολλάκις ἤδη τῷ ὑμετέρῳ πλήθει διελύσαντο τοῖς ὅρκοις καὶ ταῖς συνθήκαις ἐμμένειν* X; *διεκελεύσαντο* Taylor. Ib. § 34: *τοῦτο μὲν οὖν οὐ χαλεπὸν τῷ βουλομένῳ κατηγορῆσαι* X, *κατανοῆσαι* C. Vel peius Or. XXVI § 10: *ὡς ἱππευκότος αὐτοῦ ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἅρμα ἐν ταῖς σανίσιν ἐνεγέγραπτο* X; *ὄνομα* Schottus, *τοὔνομα* Reiskius, quod necessarium videtur, etsi non omnibus editoribus ita est visum. Or. XXVII § 5: *τοὺς πάντας παύσονται* X; *τότε πάντες παύσονται* Stephanus; etiam C hoc habere videtur, vitiumque pro parte saltem ex unciali scriptura male intellecta repeti potest. Sed merae neglegentiae tribuendum Or. XXVIII § 13: *τοὺς νόμους ἴσχειν βουλόμενοι*, pro *ἰσχύειν*, quod Marklandus reposuit. Neque minus Or. XXX § 14 nomen Graecis inauditum *στρομαιχίδης*, qui *Στρομβιχίδης* absque dubio vocatus erat. Ibid. § 35: *τοὺς τὴν ἡμετέραν νουθεσίαν ἀφανίζοντας* X, pro *τὴν ὑμετέραν νομοθεσίαν*, ut Taylorus suasit. Tandem commemoro Or. XXXI § 20: *διὰ μόνα ταῦτα ἱκανὸν εἶναι ἀποδοκιμασθῆναι*, ubi speciem habet *δίκαιον εἶναι* ab Emperio repertum, et ib. § 17: *ὁρώμενος γὰρ ἐξ Ὠρωποῦ* X (*ὁρώμεμος* Thalheimii typothetarum vitium videtur), sed oportet *ὁρμώμενος*, ex apographis, ni fallor, ab editoribus adscitum.

Lacunarum, — praeter eos locos qui *nobis* lacunosi sunt ob laceram unius codicis nunc condicionem, sed quos scriba integros dedisse censendus est, — haud exiguus est numerus; pleraeque tamen paucis litteris vel ad summum vocabulis constant, ita ut sarcire defectum plerumque facillimum sit. Quippe longe maior pars constat omissione vocalarum quales sunt *δέ, γέ, ἄν, ἤ, ἐπ', ἤν, ἀλλ', οὖν, ἐν, τε, μή, οὐ*, articulorum et pronominum variae formae, simm. Talia numeravi in Thalheimii editione numero supra ducenta. Graviorum defectuum anceps admodum est suppletio. Aliquoties fit ut apographa opem ferant, sed cum haec quoque supplementa e coniectura profecta sint fides fere deest. Satis certa sunt quae leguntur Or. X § 21: *δέομαι ὑμῶν — — τὰ δίκαια ψηφίσασθαι, ἐνθυμουμένους ὅτι πολὺ μεῖζον κακόν ἐστιν ἀκοῦσαί τινα τὸν πατέρα <ἀπεκτονέναι ἢ τὴν ἀσπίδα> ἀπο-*

Digitized by Google

βεβληκέναι. Verba inclusa desunt in X, habet C, ac satis defenduntur epitome (Or. XI) § 7 [1]). Ita Or. II § 47 in hoc enuntiato: καὶ πεζομαχοῦντες <καὶ ναυμαχοῦντες>, καὶ πρὸς <τοὺς> βαρβάρους καὶ πρὸς τοὺς Ἕλληνας, ὑπὸ πάντων ἠξιώθησαν, verba καὶ ναυμαχοῦντες ob oppositionem necessaria manus secunda Palatini adiecit, τοὺς non minus necessarium addidit Reiskius. Sed sunt talia rarissima, ac plerumque satis fecisse videmur ubi sententiam amissorum utcunque supplevimus. Est quoque ubi vel haec spes nobis denegetur nec quidquam certi dispiciamus nisi hoc unum, deesse aliquid ad loci integritatem. Huius generis exemplum sit quae leguntur Or. I § 22: καὶ μετὰ ταῦτα διεγένοντο ἡμέραι τέσσαρες (malim cum Herwerdeno τέτταρες) ἢ πέντε ..... ὡς ἐγὼ μεγάλοις ὑμῖν τεκμηρίοις ἐπιδείξω. Manifestam lacunam primus indicavit Reiskius, vel Bakium si sequimur (*Schol. Hyp.* II 198 seqq.) Taylorus, et mirari subit eam ante hos nunquam fuisse animadversam, quin vel Bekkerum etsi admonitum aurem non praebuisse. Sed quid latet? An quod Reiskius proponebat: καὶ ἐπ' αὐτοφώρῳ τὸν μοιχὸν ἔνδον ἔλαβον? Vel quod Reiskiano supplemento commemorato addit Thalheim: „possis: ἕως ἐγὼ τὴν ἐκ τῶν νόμων δίκην ἔλαβον?" Vel quod Bakio l.l. placebat, „si ludere conceditur": πρὶν ἐμὲ τοιαύτης ὕβρεως δίκην λαβεῖν, οὐκ ἐξ ἐπιβουλῆς, οὔτε βίᾳ, οὔτε ἔχθρας οὐδεμιᾶς ἕνεκα, ὡς ἐγὼ κτλ.? Quis dicat? Hoc tantum video, vere monere Bakium supplementa qualia et Reiskius excogitavit et nunc Thalheimius male quadrare cum illis quae orator commemorat μεγάλοις τεκμηρίοις.

Lysiae textum non effugisse communem antiquiorum scriptorum calamitatem, interpolationem dico, per se intellegitur. De singulis locis saepe anceps quaestio est, ac negari nequit antiquiores criticos, et nostrates et exteros, hac in re fuisse saepius iusto severiores. Verum hoc quoque negari nec potest nec debet, expungendi materiem neque in Lysiae textu deesse, et laetus vidi nuperrimum editorem, quamvis caute rem agat, centum fere locis uncinos damnantes apposuisse. Emblemata haec magna ex parte non procusa esse ex monachorum medii aevi cerebris,

1) In hac contra deest ἀκοῦσαι, quod servavit oratio integra. „Alterius sic altera poscit opem", et utinam ceterarum quoque epitomae superessent.

Digitized by Google

ut censebant olim eruditi, nunc satis constat, eosque fuisse ut plurimum genus hominum ut stupidum ita spectatae plerumque fidei libenter agnoscimus. Interpolationes scriptorum classicorum qui dicuntur pleraeque quinto sextove post Chr. saeculo longe sunt antiquiores. Non aliter rem se habere in Lysia unum exemplum ostendet. Or. I § 7: uxor mea — Euphiletus inquit — *ἐν — — τῷ πρώτῳ χρόνῳ — — πασῶν ἦν βελτίστη· καὶ γὰρ οἰκονόμος δεινὴ καὶ φειδωλὸς ἀγαθὴ καὶ ἀκριβῶς πάντα διοικοῦσα.* Ita X. Expulit *ἀγαθὴ* ut glossema praecedentium Dobraeus; fieri potest, quod censet Herwerdenus, ut potius „fluxerit e vs. Phocylideo fr. 1, 7 (immo fr. 3, 7 B: *ἡ δὲ μελίσσης, | οἰκονόμος τ' ἀγαθὴ καὶ ἐπίσταται ἐργάζεσθαι.*) a lectore quopiam notato in mg."; vel etiam, ut vetustissima sit varia lectio ex hoc ipso loco Phocylideo orta; sed utut hoc est, recte videtur praecepisse Dobraeus et adsensi sunt praeter Bekkerum editores recentiores omnes. In Hartmanni editione *ἀγαθὴ* ne scriptum quidem est. Legit tamen, Herwerdeno monente, in suo exemplari Choricius Gazaeus Iustiniano aequalis et in rem suam convertit in Epitaphio Mariae Marciani episcopi matris: *λέγεται — — ἐπιβᾶσαν παστάδος οἰκονόμον τε χρηστὴν πεφυκέναι καὶ φειδωλὸν ἀγαθήν*, unde discimus illis temporibus vocem *φειδωλός* pro substantivo esse habitam. Contra est in eadem oratione paullo post (§ 9), ubi X: *πρῶτον μὲν οὖν, ὦ ἄνδρες, — — οἰκίδιον ἔστι μοι διπλοῦν, ἴσα ἔχον τὰ ἄνω τοῖς κάτω, κατὰ τὴν γυναικωνῖτιν καὶ κατὰ τὴν ἀνδρωνῖτιν.* Ita Thalheimius quoque nihil his offensus. Negari tamen nequit ultima septem vocabula habere quibus offendaris. Quamobrem Weidnerus *καὶ τὴν γυν. καὶ τὴν ἀνδρων.* proponebat. Ipse cum Hirschigio et Hartmanno delere malim, cui sententiae non multum quidem sed tamen aliquid auctoritatis accedit ex eo quod verba me quoque iudice superflua desunt apud Demetrium qui dicitur *περὶ ἑρμην.* § 190 (t. III p. 303 Sp.) locum nostrum afferentem in capite *Περὶ ἰσχνοῦ* sic: *ἐπὶ δὲ τοῦ ἰσχνοῦ χαρακτῆρος ἔχοιμεν ἂν καὶ πράγματα ἴσως τινὰ μικρά — — οἷον τὸ παρὰ Λυσίᾳ· „οἰκίδιον ἔστι μοι διπλοῦν, ἴσα ἔχον τὰ ἄνω τοῖς κάτω".* E ceteris noto Or. XXVII § 7: *ἐὰν δὲ καταψηφισάμενοι θανάτου τιμήσητε, τῇ αὐτῇ ψήφῳ τούς τε ἄλλους κοσμιωτέρους ποιήσετε [ἢ νῦν εἰσι] καὶ παρὰ τούτων δίκην εἰληφότες ἔσεσθε.* Inclusa verba, vel pueris insulsa,

Digitized by Google

certatim expulerunt P. Müller, Cobetus, Franckenius, Herwerdenus, Thalheimius. Plura non addo nisi hoc, mirari me ex iis quae Cobetus et alibi et inprimis in *Variis Lectionibus* p. 376 sqq. delenda proposuit haec Thalheimii adsensum non tulisse minime tamen traditorum verborum asseclae. Or. XII § 22: *ὥσθ' ἥκουσιν ἀπολογησόμενοι* [*καὶ λέγουσιν*] *ὡς οὐδὲν κακὸν — — εἰργασμένοι εἰσίν.* Affine est, etiam ipso monente Cobeto, Or. XXIX § 1: *πολλοὶ γὰρ ἦσαν οἱ ἀπειλοῦντες* [*καὶ οἱ Φάσκοντες*] *Φιλοκράτους κατηγορήσειν,* ubi mihi certe, quemadmodum olim Cobeto, parum placet duplex genus inimicorum Philocratis, quorum alterum *minatur* alterum *profitetur* se ei diem dicturum, quasi quidquam intersit. Praeterea Or. XIII § 62: *τοῖς διαδεχομένοις* [*στρατηγοῖς*] *παρεδίδοσαν,* ut diu ante etiam suaserat Dobraeus. Or. XVIII § 5 [*δυστυχοῦντος τοῦ δήμου*]. Or. XX § 14: *αὐτὸν ἠνάγκαζον ἐπιβολὰς ἐπιβάλλοντες* [*καὶ ζημιοῦντες*]. Or. XXI § 19: *διὰ τέλους* [*τὸν πάντα χρόνον*] *κόσμιον εἶναι καὶ σώφρονα,* „in paucis manifestum emblema", Cobeto iudice. At non persuasit neque Herwerdeno neque Thalheimio, quorum ille *διὰ τέλους ἀεὶ* profert Platoni inprimis frequentatum, Thalheimius ad eundem nos ablegat Platonem, apud quem eodem prorsus modo est in *Timaeo* c. 11 (p. 38 C): *ὁ δ' αὖ διὰ τέλους τὸν ἅπαντα χρόνον γεγονώς τε καὶ ὢν καὶ ἐσόμενος,* et ad Isaei Orat. XII §§ 8, 38. At in Isaei verbis, — altero loco (§ 8) est *ἐχθρῶς ἔχοντες τὸν πάντα χρόνον διετέλεσαν πρὸς ἀλλήλους,* altero (§ 38) *ὁ πατὴρ αὐτοῦ — — τριηραρχῶν τὸν πάντα χρόνον διετέλεσεν,* — non satis videtur praesidii; de Platonis loco non apertissimo difficile est aliquid certi constituere. Sed hoc teneo, si quam maxime Plato ita scripsit, nondum causam esse cur ex hoc unico altero exemplo Lysiae simpliciter scribenti eandem *ἰσοδυναμούντων* cumulationem tribuamus. Neque adest in simillima sententia, quam ex Isaei oratione deperdita attulit Stobaeus *Floril.* V § 54. Itaque cum Cobeto et Hartmanno statuo, *διὰ τέλους ἀεὶ* tolerari posse, conferendum cum *τάχ' ἴσως, αὖθις αὖ, αὐτίκα παραχρῆμα, πάλιν ἐξ ἀρχῆς* simm., *διὰ τέλους τὸν πάντα χρόνον* aut glossema videri, aut, quod malim, nunc quoque vetustissimam variam lectionem. Quod vel magis apparet collata Or. VI § 30: *καὶ τὸν ἄνδρα οὐ δῆμος, οὐκ ὀλιγαρχία, οὐ τύραννος,* [*οὐ πόλις;*] *ἐθέλει δέξασθαι διὰ τέλους, ἀλλὰ*

Digitized by Google

πάντα τὸν χρόνον, ἐξ ὅσου ἠσέβησεν, ἀλώμενος διάγει, ubi expungendum esse οὐ πόλις post Herwerdenum sero vidi. Nempe recensentur tres reipublicae regundae formae Graecis familiarissimae quibus absurde superadditur πόλις quasi a δῆμος differat, et frangitur nominum κλῖμαξ quae dicitur. Non minus mihi quidem admodum arridet quod idem Cobetus proposuit Or. XXVIII § 6: ἐπειδὴ τάχιστα ἐνέπληντο (codd. ἐνεπέπληντο) [καὶ] τῶν ὑμετέρων [ἀπέλαυσαν]. Adstipulatus est Herwerdenus, et forma ἐνέπληντο parum abfuit quin Thalheimii quoque plausum ferret. Quam autem arduum sit, inprimis ubi aliquid delendum proposueris, omnibus persuadere, et unicuique critico notum est et uno Lysiae exemplo ostendere iuvat. Or. XVIII § 18 orator reum haec dicentem facit: καὶ ταῦθ' ὑμεῖς ἔγνωτε (sc. ὁμόνοιαν μέγιστον ἀγαθὸν εἶναι πόλει) νεωστὶ κατελθόντες, ὀρθῶς βουλευόμενοι· ἔτι γὰρ ἐμέμνησθε τῶν γεγενημένων συμφορῶν, καὶ τοῖς θεοῖς εἰς ὁμόνοιαν ηὔχεσθε καταστῆναι τὴν πόλιν μᾶλλον, ἢ ἐπὶ τιμωρίαν τῶν παρεληλυθότων τραπόμενοι τὴν μὲν πόλιν στασιάσαι, τοὺς δὲ λέγοντας ταχέως πλουτῆσαι. Verborum diductis litteris significatorum constructio admodum molesta est; requiritur vel τῷ ἐπὶ τιμωρίαν τ. π. τραπέσθαι vel ἐπὶ τιμωρίαν τ. π. τραπομένων ὑμῶν, quod obvias ob causas scriptor ponere noluit. Itaque ad coniecturas descensum est, Contio olim τραπομένην proponente, τραπομένοις Reiskio, ἐπὶ τιμωρίᾳ deleta voce τραπόμενοι Rauchensteinio, admodum improbabiliter, Scheibio contra in fine sententiae verbum desiderante, ἠβούλεσθε vel simile quid. Alii molesta verba delere maluerunt, et deleverunt Baitero praeeunte Cobetus, Herwerdenus (qui simul cum Halbertsma prius quoque τὴν πόλιν induxit), Thalheimius. Adsentirer et ipse, nisi me retineret Andocidis (Or. I § 140) in eadem sententia locus fere gemellus. Καὶ μὲν δή — est in oratione *de Mysteriis* l.l. — καὶ τάδε ὑμῖν ἄξιον ὦ ἄνδρες ἐνθυμηθῆναι, ὅτι νυνὶ πᾶσι τοῖς Ἕλλησιν ἄνδρες ἄριστοι καὶ εὐβουλότατοι δοκεῖτε γεγενῆσθαι οὐκ ἐπὶ τιμωρίαν τραπόμενοι τῶν γεγενημένων, ἀλλ' ἐπὶ σωτηρίαν τῆς πόλεως καὶ ὁμόνοιαν τῶν πολιτῶν. Lysiam non semel cum Andocide quaedam habere communia mihi quidem persuasit Franckenius in *Commentt. Lyss.* p. 131 seqq. hac de re propter Orat. XIX §§ 2—4 et Andoc. I § 1—7 disputans. Itaque verba in suspicionem vocata retinuerim, aut acquiescens

Digitized by Google

in structura minus concinna, aut Reiskii mutationem (*τραπομένοις*) probans. Sed satis de his, cum non censuram editionis Thalheimianae mihi scribere sit propositum, sed paucis variarum corruptelarum exemplis prolatis qualis sit Lysiaci textus conditio post alios ostendere constituerim.

Textus tam multifariam corrupti restitutio fere tota pendet a critica coniecturali. In grammaticis, artium magistris, lexicorum conditoribus perparum est praesidii. Paucae quae ad nostram aetatem perduraverunt orationes apud veteres ter tantum, vel ad summum quater, ita commemorantur ut quae illi afferant verba codicum nostrorum lectionibus integriora censenda sint. Or. VII § 10: *τὸ χωρίον — — ἀπεμίσθωσα Καλλιστράτῳ ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος· ὃς δύ' ἔτη ἐγεώργησεν.* Ita nunc Bekkero excepto editores ex Harpocratione s. v. *Σηκός*, quem exscripserunt Photius et Suidas; X cum ceteris: *— — ἄρχοντος· δύο Δ' ἔτη ἐγεώργ.* Apparet et causa erroris et infelix pusilli vitii corrigendi conamen, omnibus haud dubie codicibus nostris antiquius. Maioris momenti est quod sequenti eiusdem orationis paragrapho Suidas *σηκὸν* praebeat, codices prave *οἶκον*, iam supra commemoratum et ne a Bekkero quidem caeco alioquin Laurentiani fautore spretum. Or. X § 17: *τοῦτο τὸ ἐπιορκήσαντα ὀμόσαντα ἔστι.* Ita Harpocration s. v. *Ἐπιορκήσαντα*, ita etiam praeter Bekkerum editores; *ὀμόσαι* X. Tandem Or. XVIII § 2: *ἐκεῖνος γὰρ* (Nicias) *— — πανταχοῦ Φανήσεται πολλῶν μὲν καὶ ἀγαθῶν αἴτιος τῇ πόλει γεγενημένος, πλεῖστα δὲ καὶ μέγιστα κακὰ τοὺς πολεμίους εἰργασμένος.* Attulit ita Lysiae verba Galenus (t. XVIII, 2, p. 657 K.), adstipulatique sunt plurimi editores; sunt quoque qui Baitero duce oppositionis gratia addendum existiment *καὶ <μεγάλων> ἀγαθῶν*, quod et Scheibio, Cobeto, Herwerdeno placuit et mihi probabile videtur; sed manifesto vitiosum est quod legitur in X: *πολλῶν μὲν ἰδία ἀγαθῶν*, fortasse ex depravato (κ)ΑΙΑΓ. corrigendo ulterius depravatum. Neque multa haec sunt neque unum locum si excipimus (VII § 11) maximi momenti. Contra quam corrupto Lysiae exemplari usus sit, ut unum commemorem, Suidas vel quicunque farraginem eius nomini adscriptam consarcinaverunt, satis apparebit descriptis v. c. quae ille habet s. v. *Ἀνάπηρον ψυχήν*. Ibi et alia leguntur et haec: *καὶ ἀνάπηρος ὁ χωλός — —. Λυσίας ἐν τῷ*

Digitized by Google

περὶ τοῦ διδομένου τοῖς ἀδυνάτοις ὀβολοῦ· „Καὶ τί κωλύει ὑμᾶς μὲν ὠφελεῖσθαι τῷ ὀβολῷ ὡς ὑγιεῖς ὄντας, τούτῳ δὲ ψηφίσασθαι ὡς ἀναπήρῳ; Petita sunt haec ex Or. XXIV § 13, ubi nostri codd. habent: καίτοι εἰ τοῦτο πείσει τινὰς ὑμῶν, ὦ βουλή, τί με κωλύει κληροῦσθαι τῶν ἐννέα ἀρχόντων, καὶ ὑμᾶς ἐμοῦ μὲν ἀφελέσθαι τὸν ὀβολὸν ὡς ὑγιαίνοντος, τούτῳ δὲ ψηφίσασθαι πάντας ὡς ἀναπήρῳ; Apparet comparatione instituta quam perversa sint quae Suidas praebeat, eo magis perversa quod primo obtutu speciem quandam orationis bene decurrentis prae se ferant. Apparet hoc quoque, vel corruptiorem quam nunc circumfertur in nostris libris nos Lysiam fuisse lecturos, si quem codicem Suidas usurpavit ad nostra tempora solus pervenisset. Satis autem etiam nunc depravatum circumferri neque negatum unquam est, neque ipse negaverim vulnera eius quam plurima aut insanabilia putanda esse aut sanata vel sananda, ubi quis peritam simul et felicem manum admoverit. Et ingenium in oratore nostro emaculando ostenderunt a renatis inde litteris eruditissimi quique, in his summi viri, quos recensere minime opus; pietas tamen postulat ut e nostratibus, qui quidem fato functi sunt, nomine tenus commemorem Bakium, Cobetum, Franckenium, Halbertsmam. Post omnium curas spicilegium relictum esse non est quod miremur, quemadmodum etiam post haec tentamina spicilegium relictum erit.

Ad primam orationem nec multa habeo nec magni momenti. Or. I § 2. Περὶ τούτου γὰρ μόνου τοῦ ἀδικήματος καὶ ἐν δημοκρατίᾳ καὶ ὀλιγαρχίᾳ ἡ αὐτὴ τιμωρία — — ἀποδέδοται. Requiro cum Contio et Augerio κ. ἐν δημοκρατίᾳ καὶ <ἐν> ὀλιγαρχίᾳ, atque ita ediderunt Cobetus et Herwerdenus. Omisit cum X praepositionem iteratam Thalheimius, adlatis III § 38 (καὶ περὶ τῆς πατρίδος καὶ τῆς οὐσίας); IV § 18 (περὶ τῆς πατρίδος μοι καὶ τοῦ βίου ὁ ἀγών ἐστιν); XVII § 5 (πρός τε ὑμᾶς καὶ τοὺς ἰδιώτας); XVIII § 6 (καὶ διὰ τοὺς προγόνους καὶ αὐτὸν, in loco admodum dubio); ib. § 13 (πρὸς τοὺς πολίτας καὶ τοὺς ξένους). Ut concedam, quod non ab omni parte ita est, omnium horum locorum rationem esse simillimam, in universum sic

Digitized by Google

statuendum videtur: praepositio apud oratores iteretur necne aurium est iudicium totiusque loci conformationis, sed in dictione qua de nunc agitur, cum formulae instar sit, repetita praepositio est necessaria, atque in libris quoque adest Or. VII § 41 i. f.: *κόσμιον δ' ἐμαυτὸν καὶ ἐν δημοκρατίᾳ καὶ ἐν ὀλιγαρχίᾳ παρασχών*, Isocr. Or. XV § 27: *οὕτω βεβίωκα — — ὥστε μηδένα μοι πώποτε μήτ' ἐν ὀλιγαρχίᾳ μήτ' ἐν δημοκρατίᾳ μήθ' ὕβριν μήτ' ἀδικίαν ἐγκαλέσαι*, id. Or. XVI § 50: *εἰ Τεισίας — — καὶ ἐν δημοκρατίᾳ καὶ ἐν ὀλιγαρχίᾳ μέγα δυνήσεται*. De Isocrateo hac in re usu, qui *ἐκ* et *ἐν* praeterquam in ea dictione de qua agimus non repetere solet, ceteras praepositiones fere repetit, dixit Naberus Mnemos. N. S. VII p. 73 [1]), explicatius quam olim Benselerus in Praef. ad editionem suam p. v.

Or. I § 16: *ἐὰν οὖν λάβῃς τὴν θεράπαιναν τὴν* [*εἰς ἀγορὰν βαδίζουσαν καὶ*] *διακονοῦσαν ὑμῖν*. Verba uncinis inclusa, male repetita ex § 8, cum Roehlio delenda censeo.

Or. I § 20: Ancilla *κατηγόρει* (*κατηγόρευε* optime Cobetus, iniuria spretum a Thalheimio) *πρῶτον μὲν ὡς μετὰ τὴν ἐκφορὰν αὐτῇ προσίοι, ἔπειτα — — ὡς ἐκείνῃ τῷ χρόνῳ πεισθείη* (*προσθ.* X), *καὶ τὰς εἰσόδους οἷς τρόποις προσίοι*. Ita X, aperte vitiose, cum nec *εἰσόδους τινὶ τρόπῳ προσιέναι* recte dicatur et verbum ex proxime antecedentibus male sit repetitum. Coniecerunt alii alia, in his *παράσχοι* Halbertsma, *ποιοίη* Reiskius, *ποιοῖτο* Cobetus, *προσίοιτο* Kayser, textui illatum ab Herwerdeno, *προσιεῖτο* Thalheim, quod vel in textum recepit suum, at mihi admodum contorte dictum videtur („exposuit introitus, quibus modis adulterum ad se admiserit uxor"), ipse *τὰς εἰσόδους οἷς τρόποις πορίζοι* probabilius iudico, cui et notio doli atque calliditatis insit et propius ad corruptum vocabulum accedat. Contulerim Aristoph. *Eqq.* 759: *κἀκ τῶν ἀμηχάνων πόρους εὐμήχανος πορί-*

---

1) Quod idem scribit: »nescio quomodo excipiuntur 3, 61: *ἐν τοῖς λόγοις ἢ ἐν τοῖς ἔργοις* et 16, 50: *καὶ ἐν δημοκρατίᾳ καὶ ἐν ὀλιγαρχίᾳ* (add. 15 § 27), observandum duos postremos locos sic etiam edi apud Blassium, primo autem loco (3 § 61) edidisse eundem *ἐν τοῖς ἔργοις μᾶλλον ἢ τοῖς λόγοις*, recte m. i., etsi contra Urbinatis auctoritatem.

Digitized by Google

ζειν et Soph. *Electr.* 1266: εἴ σε θεὸς ἐπόρισεν (ex certissima Dindorfii emendatione) ἀμέτερα πρὸς μέλαθρα [1]).

Or. I § 22: ἐκέλευον συνδειπνεῖν· καὶ — — ἀναβάντες εἰς τὸ ὑπερῷον ἐδειπνοῦμεν. ἐπειδὴ δὲ καλῶς αὐτῷ εἶχεν, ἐκεῖνος μὲν ἀπιὼν ᾤχετο, ἐγὼ δ' ἐκάθευδον. Multo certe concinnius est quod requiro: ἐπειδὴ δὲ καλῶς νῷν εἶχεν. Recte habet αὐτῷ § 39, sed ea ipsa paragraphus cum hac comparata ostendit αὐτῷ n.l. admodum mire, ut lenissime dicam, esse usurpatum.

Or. I § 24: εἰσερχόμεθα, ἀνεῳγμένης τῆς θύρας καὶ ὑπὸ τῆς ἀνθρώπου παρεσκευασμένης. Miror et ipse cum Franckenio (*Comm. Lyss.* p. 27) „praeparatas foras", quod non minus vitiosum erit quoniam v. c. τράπεζαι παρεσκευασμέναι (Aristoph. *Eccles.* 839) et simm. rectissime dicuntur. Proposuit itaque eiecto ὑπὸ: καὶ τῆς ἀνθρ. παρεσκευασμένης, ut sit *intenta*. Subdubito de significatione, et sic composita periodus nescio quid abrupti et indistincti habere mihi videtur. In quid enim ancillam intentam dicamus? Aldinae margo καὶ delendum proponebat. Hinc mihi subnata suspicio est annon, paullo aliter quam Franckenius iudicabat sed tamen ex eius sententia, orator dederit: ἀνεῳγμένης τῆς θύρας ὑπὸ τῆς ἀνθρώπου <πρὸς ταῦτα> παρεσκευασμένης: „cum ianua aperta esset a muliere illa, ad hoc ipsum collocata".

Or. I § 42: καίτοιγε εἰ προήδειν, οὐκ ἂν δοκῶ κτλ. Ita edidit Thalheimius, ipse monens similiter legi Or. XXVI § 16 καίτοιγε αὐτὸν ἀκούω λέξειν κτλ. Quin etiam retinuit Or. VIII § 11 καίτοιγε σφῶν γε αὐτῶν κατηγόρουν, credo quia orationem ut minime dicam suspectam iudicabat. Non admodum miror; Cobetum miror, qui tamen Or. VIII § 11 post Dobraeum (*Advv.* I p. 204 = 208) optime emendavit, cumque eo Herwerdenum, I § 42 et XXVI § 16 in editionibus suis καίτοιγε retinentes. Controversia ipsa est notissima neque ut par est Thalheimio

1) Sero vidi etiam Halbertsmam πορίζοι repperisse (*Mnemos.* V. S. XI p. 208), quod postea abiecisse videtur, credo quod alterum dictionis exemplum ab omni parte simile proferre non habebat. Nec mihi in promptu est, et tamen verbum a palaeographicis rationibus non minus quam a sententia commendabile et nunc συνεμπτώσει stabilitum unice verum esse existimo.

Digitized by Google

ignota. Monuit primus ni fallor Porsonus ad *Med.* 675: „existimo Atticis non licuisse γε post τοι ponere, nisi alio vocabulo interiecto"; comprobaverunt auctoritate sua effatum, ut alios taceam, Cobetus (V. L. p. 60, N. L. p. 684) et Wilamowitzius (*Herakl.*[1] I, p. 41 not.), neuter locos refragantes attingens. Sunt hi Eurip. *Androm.* 89, *Suppl.* 879 dudum correcti non sine librorum veterum adiumento; praeterea Aristophanis *Nubb.* 876, ubi unus quod sciam Kockius codicum lectionem in editione sua exhibuit; *Acharn.* 611 iam sanatu minus facilis; *Thesmoph.* 709 et Eurip. *Iph. T.* 720, nondum probabili ratione in integrum restituti, — nam quod Weilius v. cl. ad alterum locum proponebat ingeniosius est quam credibilius, — tandem Eurip. fr. 953, 10 N² sublestissimae fidei. Ex Oratoribus in censum veniunt tres Lysiae quos attuli locos et Antiphontis Or. VI § 9, ubi ἐπεί τοι [γε] Iernstedt, retinuit voculam Blassius. Equidem sic censeo: cum satis constet coniunctionem Atticis illicitam paullo post frequentari coeptam, cum ex (Lys.) Or. VIII § 11 fere oculis cernatur quantopere fuerint scribae ad hanc copulationem proclives, — nam duplex γε homini Graece scribenti, quisquis fuit, vix imputandum, — cum et Lysiae et Antiphontis codices extent fidei minime spectatae, in utroque Lysiae loco (I § 42, XXVI § 16) γε ex eius consuetudine esse resecandum, in Antiphonte rescribendum: ἐπεί τοι καὶ δεινόν <γ'>, ὦ ἄνδρες· ἵνα μὲν ἐξῆν αὐτοῖς κτλ. Neque eo de quo agimus loco librorum προῄδειν probaverim pro προῄδη, ut Hartmannus et Herwerdenus scripserunt ex Atticistarum unanimi praescripto, a melioribus codicibus, veluti Platonis, confirmato.

Orationem funebrem (II) Lysiae non esse post Reiskium et Valckenaerium pluribus exposuit Dobraeus in *Praelectione* inserta *Advv.* I p. 175—191 (edit. Germ.). Opiniones virorum doctorum diversissimas recensere et expendere non est huius loci; breviter tantum significabo me adstipulari et aliis et Thalheimio, orationem spuriam quidem pronuntiantibus et Lysiae per errorem adscriptam, sed minime posterioris multo aevi; immo ad exemplum Isocratis compositam [1]) et Aristotele certe antiquiorem,

1) Miro iudicio Blassius (*Die Attische Bereds.*[2] I, p. 448 seq.) veteres quosdam

Digitized by Google

qui locum ex ea (§ 60) *Rhett.* III 10 (p. 1411ª) citaverit. Obscuram et difficilem esse queritur Dobraeus (p. 187) argumento paullo calidius serviens, multifariam corruptam esse acutulam scriptionem nec multum opis afferre codices a Palatino non pendentes et iam dixi supra et per se intellegitur. Aliquot vitiis mederi et ipse conabor.

Or. II § 9. In mythico bello quod ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας olim gesserunt Athenienses, ut sibi placebant, sepulturam ducum Argivorum caesorum a Thebanis petiverunt. Οὐ δυνάμενοι δὲ τούτων τυχεῖν ἐστράτευσαν ἐπ' αὐτούς, οὐδεμιᾶς διαφορᾶς πρότερον πρὸς Καδμείους ὑπαρχούσης, — — ἀλλὰ τοὺς τεθνεῶτας ἐν τῷ πολέμῳ ἀξιοῦντες τῶν νομιζομένων τυγχάνειν πρὸς τοὺς ἑτέρους ὑπὲρ ἀμφοτέρων ἐκινδύνευσαν, ὑπὲρ μὲν τῶν, ἵνα μηκέτι — — πλείω περὶ τοὺς θεοὺς ἐξυβρίσωσιν, ὑπὲρ δὲ τῶν ἑτέρων, ἵνα μὴ πρότερον εἰς τὴν αὐτῶν ἀπέλθωσι πατρίου τιμῆς ἀτυχήσαντες καὶ Ἑλληνικοῦ νόμου στερηθέντες καὶ κοινῆς ἐλπίδος ἡμαρτηκότες. Sine controversia alterum πρότερον corruptum est. Primus, opinor, Dobraeus: „πρότερον suspectum" (I p. 191 = 195); vocem delebat Herwerdenus ad sensum fortasse supervacuam, necessariam ad numerum; λυπρότερον vel πικρότερον proponebat Emperius. Et apparet aliquid requiri in hanc sententiam ut sit ἀνιαρότερον vel λυπηρότερον, — nam λυπρότερον Attico vel Atticorum sectatori vix ausim obtrudere. Neutrum tamen rescripserim, sed: ἵνα μὴ π<ονη>ρότερον εἰς τὴν αὐτῶν ἀπέλθωσι, „ne deteriore conditione domum reverterentur". Dictio conferenda cum illa notissima: τὰ πράγματα

---

secutus (ps.-Plutarch. *Vit. Isocr.* p. 837 f, Theonis *Progymn.* (II p. 63 Sp.) plane contra Isocratem ps.-Lysiae imitatorem perhibebat, hunc πρωτοτύπον. „Somit pflichte ich jetzt Ie Beau und den Alten bei, welche diesen (Isokrates) als den Nachahmenden ansehen" (p. 443). Fieri nequit ut omnes utriusque oratoris locos huc pertinentes hic componam et diiudicem, nec si quam maxime posset fieri virum clarissimum ad meas traducerem partes, quoniam talia sentiri possunt, demonstrari plerumque non possunt. Quapropter satis habeo hic Iebbii verba afferre hac in re mecum sentientis: „There are several resemblances of expression between this Epitaphius and the Panegyricus of Isocrates, and these have often been explained by supposing Isocrates to have borrowed from Lysias. But let any careful reader note how thoroughly the more rhetorical parts of the Epitaphius bear the stamp of a cento, and he will prefer to suppose that some very inferior writer has borrowed from Isocrates". (R. C. Jebb, *the Attic Orators* (1893) I p. 205). Similiter iudicabat olim, ut unum commemorem, Dobraeus.

Digitized by Google

πονηρῶς ἔχει et Or. XIV § 5 et alibi saepissime obvia et cum πράγματα πονηρότερα Thuc. VII, 48 § 2.

Or. II § 10: αὐτοὶ δὲ λαβόντες τὰ ἄθλα ὥνπερ ἕνεκα ἀΦίκοντο, [τοὺς Ἀργείων νεκρούς,] ἔθαψαν ἐν τῇ αὐτῶν Ἐλευσῖνι. Perit acumen loci dictione propria sic figuratae adglutinata. Centies sic peccatum. Ex quibus hic nunc profero unum exemplum e recentiore scriptore, Plutarcho, apud quem editur *Vit. Artax.* c. 28 i. f. (p. 1025/6): πῦρ οὖν ἐπὶ πῦρ ἐγένετο τῷ νεανίσκῳ (Dario Artaxerxis Mnemonis filio) προσκείμενος ὁ Τηρίβαζος ἀεί. — — οὐ μὴν ἀλλὰ τὸ μέγεθος τὸ τῆς ἀρχῆς καὶ τὸ πρὸς τὸν Ὦχον τοῦ Δαρείου δέος ὑπόθεσιν τῷ Τηριβάζῳ παρεῖχε. Κυπρογένεια δ' οὐ πάμπαν ἀναίτιος[, ἡ τῆς Ἀσπασίας ἀΦαίρεσις]. Non tam fatuus fuit Plutarchus ut quod per versum choriambicum eleganter enuntiaverat ultro corrumperet addita pedestri sermone concepta explicatione, quam nemo qui antecedentia perlegerat desideraret.

Or. II § 22. Proferuntur causae cur Persae Athenienses primos aggredi censuerint: ἔτι δ' αὐτοῖς — — περὶ τῆς πόλεως τοιαύτη δόξα παρειστήκει, ὡς εἰ μὲν πρότερον ἐπ' ἄλλην πόλιν ἴασιν, ἐκείνοις καὶ Ἀθηναίοις πολεμήσουσι· προθύμως γὰρ τοῖς ἀδικουμένοις ἥξουσι βοηθήσοντες· εἰ δ' ἐνθάδε πρῶτον ἀΦίξονται, οὐδένας ἄλλους τῶν Ἑλλήνων τολμήσειν — — Φανερὰν ἔχθραν πρὸς ἐκείνους ὑπὲρ αὐτῶν καταθέσθαι. Non sine causa Halbertsma requirebat προθύμως γ. τ. ἀδ. ἥξειν βοηθήσοντας. Fortasse minore mutatione scriptoris manus restituetur sic: — — πολεμήσουσι<ν· οἳ> προθ. [γὰρ] τ. ἀδικ. ἥξουσι βοηθήσοντες. Cum post CI excidisset OI additum γὰρ, ut sententiae quodammodo satisfieret.

Or. II § 23. Verbo moneo mirari me cur Thalheimius non receperit Wissowae emendationem οὐ λογισμῷ δεδιότες τοὺς ἐν πολ. κινδύνους, quae mihi quidem certissima videtur, quemadmodum etiam Hartmanno et Herwerdeno olim visa est.

Or. II § 24: Athenienses ἀπήντων ὀλίγοι πρὸς πολλούς· ἐνόμιζον γὰρ ἀποθανεῖν μὲν αὐτοῖς μετὰ πάντων προσήκειν, ἀγαθοῖς δ'

Digitized by Google

εἶναι μετ' ὀλίγων, καὶ τὰς μὲν ψυχὰς ἀλλοτρίας διὰ τὸν θάνατον κεκτῆσθαι, τὴν δ' ἐκ τῶν κινδύνων μνήμην ἰδίαν καταλείψειν. Difficile explicatu esse illud διὰ τὸν θάνατον multi senserunt; expungendum censuere Dobraeo duce Hartmannus et Herwerdenus, facillimum sane remedium, sed quod me iudice et numeri respuunt et oppositionis ratio. Sed idem cum dubitabundus proponeret διὰ τὸν <πᾶσιν ὀφειλόμενον> θάνατον vel διὰ τὸ θνητόν manu ducit ad id quod scriptorem dedisse mihi persuadeo: τὰς μ. ψυχὰς ἀλλοτρίας διὰ τὸν <κοινὸν> θάνατον κεκτῆσθαι. Nempe κοινὸν θάνατον et alii dixerunt bene multi et ipse noster § 77.

Or. II § 31: γενομένου δὲ τοῦ κινδύνου κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον Ἀθηναῖοι μὲν ἐνίκων τῇ ναυμαχίᾳ, Λακεδαιμόνιοι δὲ — —<διεφθάρησαν> κτλ. Ultimum vocabulum recte suppletum est ex Isocr. Or. IV § 92, quem locum noster sine dubio ante oculos habuit, et potest idem etiam alio nomine nostro prodesse. Miror nempe quid sit ὁ κίνδυνος γίγνεται. Si dixero supplendum esse quod loci compositio unice flagitat: γενομένου δὲ <ἴσου> τοῦ κινδύνου, fideiussor erit Isocrates: ἴσας δὲ τὰς τόλμας παρασχόντες οὐχ ὁμοίαις ἐχρήσαντο ταῖς τύχαις, ἀλλ' οἱ μὲν (Lacedaemonii) διεφθάρησαν — —· οἱ δ' ἡμέτεροι — — ἐνίκησαν.

Or. II § 33: Athenienses patria urbe relicta naves conscenderunt ἡγησάμενοι κρεῖττον (κρείττον'?) εἶναι μετ' ἀρετῆς καὶ πενίας καὶ Φυγῆς ἐλευθερίαν ἢ μετ' ὀνείδους καὶ πλούτου δουλείαν τῆς πατρίδος. Ut oppositionis ratio constaret Schoellius delebat [καὶ Φυγῆς], idem suadentibus Hartmanno et Herwerdeno. At in ea ipsa voce praecipuum loci acumen inest: Athenienses nunc *fugam* capessiverunt *patriae salutarem futuram*. Itaque aliquid deest potius, sic fere supplendum: ἢ μετ' ὀνείδους καὶ πλούτου <καὶ μονῆς> δουλ. τ. πατρ. Vox μονὴ et alibi legitur et hoc loco non absimili Thucydidis I 131 § 1: (Pausanias) ἐς μὲν τὴν Σπάρτην οὐκ ἐπανεχώρει, ἐς δὲ Κολωνὰς -- — ἱδρυθεὶς — — ἐσηγγέλλετο αὐτοῖς — — οὐκ ἐπ' ἀγαθῷ τὴν μονὴν ποιούμενος.

Or. II § 35. Describitur anceps pugna navalis ad Salaminem. Ποίαν δὲ γνώμην εἶχον ἢ οἱ θεώμενοι τοὺς ἐν ταῖς ναυσὶν ἐκείναις, οὔσης καὶ τῆς αὑτῶν σωτηρίας ἀπίστου καὶ τοῦ προσιόντος κινδύνου

Digitized by Google

<δεινοῦ>, ἢ οἱ μέλλοντες ναυμαχήσειν ὑπὲρ τῆς Φιλότητος, ὑπὲρ τῶν ἄθλων τῶν ἐν Σαλαμῖνι; οἷς τοσοῦτον πανταχόθεν περιειστήκει πλῆθος πολεμίων κτλ. Quod δεινοῦ supplevit Halbertsma optime fecit si quid iudico; certe praeferendum multo Emperii commento ὑπὲρ τοῦ προσ. κινδ. vel Thalheimii τοσούτου προσ. κινδ., cum utrumque prius καὶ coarguat; σαλαμινίοις codicum (σαλαμῖνι tantum F) diremit solita felicitate Marklandus. Sed media diductis litteris significata adhuc laborant, quibus vereor ut salutem attulerit Emperius verba ὑπὲρ τῆς Φιλότητος inducens. Quanto melius Cobetus (V. L. p. 251): ὑπὲρ τῶν Φιλτάτων τῶν ἐν Σαλαμῖνι. Sed simulne cum eodem expungendum ὑπὲρ τῶν ἄθλων (ἄλλων F)? Minime, sed sic leniter corrigenda videntur: ἢ οἱ μέλλοντες ναυμαχήσειν ὑπὲρ τῶν Φιλτάτων, ὥσπερ ἄθλων, τῶν ἐν Σαλαμῖνι. Positum est ἆθλα ut v. c. Or. XXXI § 32.

Or. II § 41: ἐπέδειξαν δὲ πᾶσιν ἀνθρώποις νικήσαντες τῇ ναυμαχίᾳ ὅτι κρεῖττον μετ' ὀλίγων ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας κινδυνεύειν ἢ μετὰ πολλῶν βασιλευομένων ὑπὲρ τῆς αὐτῶν δουλείας. Sic haec dedit novissimus editor plane cum codicibus, quorum F duplicat αὐτῶν, quod tamen nullius momenti videtur. Fateor me totam periodum non optime assequi, sed inprimis male me habent ultima. Quid? sanine hominis est ita dicere: „praestat cum paucis pro libertate pericula adire quam cum multis regio imperio subiectis *pro sua ipsorum* servitute". Absurdum est Athenienses fingere cum aliis *pro sua servitute* pugnantes. Aliquid dixisset scriptor si in hunc modum sententiam conformasset: ἢ πολλοὺς βασιλευομένους ὑπὲρ τῆς αὐτῶν δουλείας, vel sic satis contorte. Itaque mirum non est lectionem codicum multis offensioni fuisse. Quorum Reiskius ὑπὲρ τῆς <κοινῆς vel ἑτέρων> ἐλευθερίας desiderabat, μετὰ πολλῶν βασιλευομένους malebat Erdmann, pro αὐτῶν Taylorus ἑτέρων requirebat. Adscito Scheibii supplemento quod oppositionis ratio flagitare videtur et confirmatur quodammodo coll. Polyb. IV 76 § 2 totam periodum sic constituerim: ὅτι κρεῖττον μετ' ὀλίγων <πολιτευομένων> ὑπὲρ τῆς <κοινῆς> ἐλευθερίας κινδυνεύειν ἢ μετὰ πολλῶν βασιλευομένων ὑπὲρ τῆς ἄλλων δουλείας.

Or. II § 47: ἐν ἅπασι δὲ τοῖς κινδύνοις δόντες ἔλεγχον τῆς

Digitized by Google

ἑαυτῶν ἀρετῆς, καὶ μόνοι καὶ μεθ' ἑτέρων, — — ὑπὸ πάντων ἠξιώθησαν. Quoniam in eadem paragrapho paullo ante praecedit καλλίστην τελευτὴν τοῖς προτέροις κινδύνοις ἐπιθέντες, aut inducendum alterum τοῖς κινδύνοις existimo aut rescribendum ἐν ἅπασι δὲ τοῖς δεινοῖς.

Or. II §§ 52, 53. Atheniensibus in bello Aeginetico occupatis Atticam invadunt Corinthii eorumque socii. Obviam iis tendunt, — narravit rem Thucydides I 105/6, exaggeraverunt et alii et noster, — senes et pueri, imbellis ut videbatur turba, qui Μυρωνίδου στρατηγοῦντος ἁπαντήσαντες αὐτοὶ εἰς τὴν Μεγαρικὴν ἐνίκων μαχόμενοι ἅπασαν τὴν δύναμιν τὴν ἐκείνων τοῖς ἤδη ἀπειρηκόσι καὶ τοῖς οὔπω δυναμένοις, τοὺς εἰς τὴν σφετέραν ἐμβαλεῖν ἀξιώσαντας εἰς τὴν ἀλλοτρίαν ἁπαντήσαντες κτλ. Nullum fere editorum offendisse videtur ἁπαντᾶν τοὺς ἀξιώσαντας [1]). Qui attendit Thalheimius, vereor ut rem restituerit interpungendo τοὺς — — ἐμβαλεῖν ἀξιώσαντας (ut appositio sit ad ἅπασαν τὴν δύναμιν τὴν ἐκείνων), εἰς τ. ἀλλ. ἁπαντήσαντες, nam ipsa oppositio εἰς τὴν σφετέραν et εἰς τὴν ἀλλοτρίαν haec arctissime coniungenda esse ostendit. Quomodo probabiliter corrigam non habeo, nam parum placet <πρὸς> τοὺς — — ἐμβαλεῖν ἀξιώσαντας — — ἁπαντήσαντες, et cum idem verbum paullo ante usurpetur, aliud nunc adhibuisse videtur orator. An ἀναζητήσαντες? In seqq. cum Reiskio requiro: ταῖς δὲ ψυχαῖς ἀμφότεροι κρείττους <αὐτῶν> γενόμενοι.

Or. II § 54: οὐ ῥᾴδιον — — τὰ ἐν ἅπαντι τῷ χρόνῳ πραχθέντα ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ δηλωθῆναι. Herwerdenus requirebat ἐν μικρῷ ἡμέρας μέρει. Sed nihil mutandum. Oppositio est ex eo arguto genere quale v. c. legitur in Ciceronis Or. *de Imp. Cn. Pomp.* § 31: „hoc tantum bellum — — quis unquam arbitraretur *aut ab omnibus imperatoribus uno anno aut omnibus annis ab uno imperatore* confici posse?"

Or. II § 64: Populares reduces οὔτε ἐλαττοῦσθαι δυνάμενοι οὔτ' αὐτοὶ πλέον ἔχειν δεόμενοι τῆς μὲν αὐτῶν ἐλευθερίας καὶ

1) Unus Dobraeus: „*Verba* statim *repetit* imperite — — ἁπαντᾶν §§ 52, 53 (*sed forsan hoc corrupte*)." (*Advv.* I p. 193 = 197), nullum tamen remedium porrigens.

Digitized by Google

τοῖς βουλομένοις δουλεύειν μετέδοσαν, τῆς δ' ἐκείνων δουλείας αὐτοὶ μετέχειν οὐκ ἠξίωσαν. Quinque verba οὔτ' αὐτοὶ πλ. ἔχ. δεόμενοι desunt in F, ob ὁμοιοτέλευτον opinor, etsi sententia imperfecta. Sed quid sibi vult αὐτοὶ ubi nulla est cum praecedentibus oppositio? Itaque aut delendum, aut — quod malim — corrigendum: οὔτ' ἀὖ πλέον ἔχειν δεόμενοι. Et sic fere olim Wakefieldius qui ἀὖ τὸ πλ. ἔχ. coniiciebat.

Or. II § 74. In commiseratione parentum eorum qui pugnantes occubuerant: πῶς δ' αὐτοὺς χρὴ λῆξαι τῆς λύπης; πότερον ἐν ταῖς τῆς πόλεως συμφοραῖς; ἀλλὰ τότε αὐτῶν εἰκὸς καὶ τοὺς ἄλλους μεμνῆσθαι. ἀλλ' ἐν ταῖς εὐτυχίαις ταῖς κοιναῖς; ἀλλ' ἱκανὸν λυπῆσαι, τῶν μὲν σφετέρων τέκνων τετελευτηκότων, τῶν δὲ ζώντων ἀπολαυόντων τῆς τούτων ἀρετῆς. ἀλλ' ἐν τοῖς ἰδίοις κινδύνοις, ὅταν ὁρῶσι τοὺς μὲν πρότερον ὄντας φίλους φεύγοντας τὴν αὑτῶν ἀπορίαν, τοὺς δ' ἐχθροὺς μέγα φρονοῦντας ἐπὶ ταῖς δυστυχίαις ταῖς τούτων; Duo sunt in his querelis per rhetoricas interrogationes enuntiatis quae non intellego. Ac primum quidem, quid est ἀλλ' ἱκανὸν λυπῆσαι? Plurimi editores intellexisse videntur, etsi adiectivi neutri generis ratio vix reddi potest nisi sententia sic accipiatur quasi scriptor dederit: ἀλλ' ἱκανὸν τότε αὐτοὺς λυπεῖσθαι, quod tamen salva grammatica fieri quis contendat? Unus quod sciam offendit Reiskius acutissime cernere solitus, qui lacunam subesse arbitrabatur. Sed rem nunc minore molimine restitui posse credo, nempe ut scribatur: ἀλλ' ἱκαναὶ λυπῆσαι, quod refertur ad ἀτυχίας illas κοινὰς modo memoratas. Qui fieri potest — rogat orator — ut parentes occisorum unquam cessent a luctu? Utrum in urbis cladibus? Sed tunc omnes eos qui nunc occubuerunt desiderabunt. An contra in communibus laetitiis? *Sed hae (potius) ita comparatae sunt ut parentes dolore afficiant*, cum perspiciant superstites cives frui pace per occisorum virtutem parta. Etsi fere supervacuum est, iuvat tamen conferre haec Xenophontis in *Hell.* VI 3 § 14, ubi Callistratus orator ad Lacedaemonios: καὶ γὰρ δὴ κατὰ γῆν μὲν τίς ἂν ὑμῶν φίλων ὄντων ἱκανὸς γένοιτο ἡμᾶς λυπῆσαι; κατὰ θάλαττάν γε μὴν τίς ἂν ὑμᾶς βλάψαι τι ἡμῶν ὑμῖν ἐπιτηδείων ὄντων; Si quem movet λυπεῖν absolute positum, refero ad Aristoph. *Pac.* 333, ubi Trygaeus: ἐπιδίδωμι τοῦτό γ'

Digitized by Google

ὑμῖν ὥστε μὴ λυπεῖν ἔτι (ea conditione *ut ne molesti sitis.*). At Herwerdenus λυπεῖν <μ'> ἔτι requirebat, pronominis omissionem duram ratus. Et solet certe pronomen addere Aristophanes; omissio autem in *Pacis* versu non est durior quam *Plut.* 141/42: ὥστε τοῦ Διὸς | τὴν δύναμιν, ἣν λυπῇ τι, καταλύσεις μόνος. Et nonne iam vetus ille Hesiodus cecinerat: δὶς μὲν γὰρ καὶ τρὶς τάχα τεύξεαι· ἢν δ' ἔτι λυπῇς, | χρῆμα μὲν οὐ πρήξεις, σὺ δ' ἐτώσια πόλλ' ἀγορεύσεις. (Ἔ. κ. Ἡ. 401/2)? Nonne Xenophon *Memm.* III 10 § 15 τοὺς μὴ λυποῦντας ἐν τῇ χρείᾳ (θώρακας) commemoravit, et saepius τὰ λυποῦντα? Molestiora sunt quae in exitu leguntur: ἐπὶ ταῖς δυστυχίαις ταῖς τούτων. Quorum enim calamitates commemorantur? Parentumne? At tunc oportebat ἐπὶ τ. δυστυχίαις ταῖς αὐτῶν, ut statim ante Φίλους φεύγοντας τὴν αὐτῶν ἀπορίαν. Et quam elumbis est ea oppositio inter pristinos amicos miseros reos deserentes et inimicos ipsorum miseriis exultantes. At dictum oportuit: *hac* eorum calamitate exultantes; nempe cum filii pro patria pugnantes occubuerint, amici reos deserant, spes erat inimicis haud absurda fore ut inopes et desertos senes facile in iudicio circumvenirent et opprimerent. Itaque corrigendum: ὅταν ὁρῶσι τοὺς μὲν πρότερον ὄντας Φίλους φεύγοντας τὴν αὐτῶν ἀπορίαν, τοὺς δ' ἐχθροὺς μέγα φρονοῦντας ἐπὶ ταῖς δυσθυμίαις ταῖς τούτων, cum accusatores si qui futuri sunt exultent in hac amicorum timiditate et perfidia.

Or. III § 10: οὕτω δὲ σφόδρα ἠπορούμην ὅ τι χρησαίμην — — τῇ τούτου παρανομίᾳ, ὥστ' ἔδοξέ μοι κράτιστον εἶναι ἀποδημῆσαι. Nimia est vox παρανομία de insano alicuius in puerum amore neque ex Atheniensium moribus vera. Sensit olim Contius παροινίᾳ rescribens. Simplicius et verius erit παρανοίᾳ, quam vocem oratoribus quoque esse in usu spondebunt Demosth. XIV § 39, Lycurg. § 144. Contra recte scriptum est in ps.-Andocidis Or. IV § 33: ἀναμνησθῆτε δὲ καὶ τοὺς προγόνους — — οἵτινες ἐξωστράκισαν Κίμωνα διὰ παρανομίαν, ὅτι τῇ ἀδελφῇ τῇ ἑαυτοῦ συνῴκησε.

Or. III §§ 17, 18. Simo cum et ipse Theodotum quendam Plataeensem puerum meritorium deperiret et is cui haec oratio scripta est, cumque saepius frustra huic eripere amasium cona-

Digitized by Google

tus esset, tandem ab amicis quibusdam adiutus vesperi arreptum Theodotum per vim ad se traducere sustinet. Reluctatur puer, et forte is qui causam hanc dicit supervenit amasiumque in libertatem vindicare parat. Tum rixa exorta Simo eiusque asseclae *ἀφέμενοι τοῦ νεανίσκου ἔτυπτον ἐμέ.* (§ 18) *μάχης <δὲ> γενομένης, ὦ βουλή, καὶ τοῦ μειρακίου βάλλοντος αὐτοὺς καὶ περὶ τοῦ σώματος ἀμυνομένου, καὶ τούτων ἡμᾶς βαλλόντων, ἔτι δὲ τυπτόντων αὐτὸν ὑπὸ τῆς μέθης καὶ ἐμοῦ ἀμυνομένου, καὶ τῶν παραγενομένων ὡς ἀδικουμένοις ἡμῖν ἁπάντων ἐπικουρούντων, ἐν τούτῳ τῷ θορύβῳ συντριβόμεθα τὰς κεφαλὰς ἅπαντες.* Narratio confusa, cui alii aliter lucem affundere conati sunt, cum in animum inducere nequirent „ut Lysias in hac oratione, in qua pleraque sunt tersa, elegantia, bene meditata, minus evidenter pugnam enarraverit in qua summa rei versetur", quae verba sunt Franckenii in *Commentt. Lyss.* p. 34. Infeliciter me quidem iudice novissimus editor, accepto a Franckenio *κἀμοῦ* (*καὶ ἐμοῦ* Franck.) *περὶ τοῦ σώματος ἀμυνομένου*, — hoc quidem recte, — in sequentibus *κἀκείνου ἀμυν.* rescripsit pro codicum lectione *καὶ ἐμοῦ ἀμυν.*, cetera intacta servans. Sed vellem explicuisset cur, si eius correctione standum est, primum dicantur commissatores *omisso puero* reum nostrum petivisse qui et ipse se defenderit et ab amasio aggredientes lapidibus, certe missilibus, arcente adiutus fuerit, tum, nulla addita explicatione, *utrumque* missilibus lacessivisse (*τούτων ἡμᾶς βαλλόντων*) et verberasse puerum (*ἔτι δὲ τυπτόντων αὐτόν*) qui — omissa nunc ut videtur patroni defensione — se ipse tutatus sit. Quid est contorte et parum dilucide narrare si hoc non est? Praeterea non optime assequor cur commissatores in reum nostrum, quem tamen manibus tenebant, missilia iecerint, puerum qui paullo longius recessisse censendus est verberare potuerint, ut is iterum se defendere cogeretur (*κἀκείνου ἀμυνομένου*). Tandem, cur hoc temulenti fecisse dicantur (*ὑπὸ τῆς μέθης*), quasi illud sobrii perpetraverint. Sensit has molestias Herwerdenus, quapropter *ὑπὸ τῆς μέθης* proscribebat, quamquam difficile intellectu est cur et unde interpolatum sit, simul requirens *ἔτι δὲ τυπτόντων ἡμᾶς*, vel sic bene gnarus ad locum in integrum restituendum „haec non sufficere". Reiskius, ingeniose ut solet, *ἔτι δὲ πιπτόντων αὐτῶν ὑπὸ τ. μέθης* coniiciebat. Omnium optime rem administravit

Digitized by Google

Franckenius et locum copiosius illustrando et sententiae initio *καὶ ἐμοῦ* (*κἀμ.*) rescribendo pro quo codd. nudum *καὶ* exhibent, in eo tantum reprehendendus quod omnia illa: *καὶ τούτων ἡμᾶς βαλλόντων, ἔτι δὲ τυπτόντων αὐτὸν ὑπὸ τῆς μέθης καὶ ἐμοῦ ἀμυνομένου* una litura delebat. Nunc quoque, si recte video, leniore medicina utendum. Et ipse ab eo in enuntiati initio gratus accipio emendationem *καὶ ἐμοῦ* (vel *κἀμοῦ*) *περὶ τ. σώμ. ἀμυνομένου*, ut etiam Thalheimius accepit, quo facto ultro excidunt verba quae paullo post sequuntur [*καὶ ἐμοῦ ἀμυνομένου*], — nempe correctio sunt antecedentium quae ex archetypi margine in Palatini et hinc in ceterorum textum irrepsit, — cetera non sollicitaverim, sed minuta insertione adhibita totum locum in hunc modum constituerim: *μάχης δὲ γενομένης — — καὶ τοῦ μειρακίου βάλλοντος αὐτοὺς κἀμοῦ περὶ τ. σώμ. ἀμυνομένου καὶ τούτων ἡμᾶς βαλλόντων, ἔτι δὲ τυπτόντων αὐτῶν <τινας> ὑπὸ τῆς μέθης, καὶ τῶν παραγενομένων κτλ.* Sic apparet cur *ἔτι* et *ὑπὸ τῆς μέθης* addantur.

Or. III § 39: *καὶ οἱ μὲν ἄλλοι, ὅταν ἀποστερῶνται ὧν ἐπιθυμοῦσι — — παραχρῆμα τιμωρεῖσθαι ζητοῦσιν, οὗτος δὲ χρόνοις ὕστερον.* Male Halbertsma *καί<τοι> οἱ μὲν ἄλλοι* requirebat, quod ab Herwerdeno in textum receptum nollem. Sufficiet referre ad Hyperidis *Euxenippeam* col. XXIV, 13 sqq. *καὶ οἱ μὲν ἄλλοι πάντες κατήγοροι — — τοῦτο παρακελεύονται τοῖς δικασταῖς, μὴ ἐθέλειν ἀκούειν τῶν ἀπολογουμένων ἐάν τινες ἔξω τοῦ νόμου λέγωσιν — —· σὺ δὲ τοὐναντίον κτλ.*

Or. III § 45: *ὃ δ' ἡγοῦμαι ὑμῖν προσήκειν ἀκοῦσαι καὶ τεκμήριον ἔσεσθαι τῆς τούτου θρασύτητος — —, περὶ τούτου μνησθήσομαι.* Herwerdenus in textum intulit *κ. τεκμήριον <μέγιστον> ἔσεσθαι*, „non enim est unicum argumentum". Quae Thalheimius obmovit aliena sunt (XIII § 20; XIX § 56; XXVI § 17), ut locos inspicientibus patebit; sed lenius sic poterit: *κ. τεκμήριον <ἓν> ἔσεσθαι κτλ.* Cfr. v. c. Aeschin. Or. II § 152: *ἐμοὶ ὦ ἄνδρες — — τρεῖς παῖδές εἰσι, — — οὓς ἐγὼ δεῦρο ἥκω μετὰ τῶν ἄλλων κομίζων, ἐνὸς ἐρωτήματος ἕνεκα καὶ τεκμηρίου πρὸς τοὺς δικαστάς, ᾧ νῦν ἤδη χρήσομαι.*

(*Continuabuntur.*)

Digitized by Google

AD ARISTOPHANIS AVES.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F. [1])

I.

De Avibus Aristophanis, cuius fabulae editionem paro, quaedam observaturus, initium faciam ab uno et altero loco, quibus nocuit nimia Ravennatis codicis fama.

E versibus festivissimis 39—41

οἱ μὲν γὰρ οὖν τέττιγες ἕνα μὴν' ἢ δύο
ἐπὶ τῶν κραδῶν ᾄδουσ', Ἀθηναῖοι δ' ἀεὶ
ἐπὶ τῶν δικῶν ᾄδουσι πάντα τὸν βίον,

librarius Ravennatis verba Ἀθηναῖοι — ᾄδουσι omisit, cum ab altero ᾄδουσι ad alterum aberrassent eius oculi; Piccolomini autem fortasse hac causa motus, licet ipse neget, versum 41 deleri iussit. At eo omisso nemo intelleget cur quove sensu Athenienses *semper canere* dicantur. Si quis autem cumulatione verborum ἀεί ... πάντα τὸν βίον offenditur, coniciat potius δέ τοι pro δ' ἀεί quam totum versum abiciat. Sed ne id quidem necessarium duco, nam apte post breve illud *semper* eadem notio ἐπεξηγητικῶς denuo urgetur, ut in sermone quotidiano, additis in fine sententiae verbis πάντα τὸν βίον, quemadmodum alibi iunguntur ἀεὶ ... ἑκάστοτε [2]).

Simile quid valet de versu 59. Sunt Euelpidis verba Epopem evocantis:

---

1) De versibus 147 et 785 sqq. quae observavi, repetita sunt e libro in honorem viri cl. Boot nuper a philologis nostratibus conscripto.

2) Nub. 1279 sq. (et 1458?).

Digitized by Google

ἐποποῖ! ποιήσεις τοί με κόπτειν αὖθις αὖ;
ἐποποῖ!

Prior autem versus e Ravennate excidit; nec dubium mihi videtur quin eam ob causam, quam modo indicavi, exciderit: ab altero *ἐποποῖ* ad sequens aberrarunt oculi describentis. At Kock Ravennatem sequitur „languida" vocans illa „*ἐποποῖ — αὖ*". Non vocasset opinor, si satis secum reputasset quomodo haec potuerint debuerintque agi. Nempe lepide postquam rupem — ceu ianuam — percussit Euelpides, alta voce „*παῖ!*" iterumque „*παῖ!*" clamat. Nemo aurem praebet. Tunc Pisetaerus: „*non recte vocas: ἐποποῖ hic est dicendum.*" Itaque „*ἐποποῖ!*" iam Euelpides, et aures oraque intendunt omnes. At ne nunc quidem prodit quisquam; quapropter indignatus: „*ποιήσεις τοί με κόπτειν αὖθις αὖ;*" *iterumne scilicet pulsandum est ostium?* — et maiore etiam laterum intentione „*ἐποποῖ!*" denuo vociferat, etiam rupem fortasse iterum feriens. Tum demum supervenit Epopis minister. — Haece languida? Immo ieiuna nimisque exilia fiunt si statim post primum „*ἐποποῖ*" proruit minister.

Sed video viros d. Vahlen et Piccolomini hunc versum ante me defendisse. In transitu autem observo, olim versum 1045 eandem ob causam a Beckio perperam esse damnatum.

Neque versu 266 Ravennatem sequar. Quo loco Pisetaerus

ἄλλως ἄρ' οὔποψ, ὡς ἔοικ', εἰς τὴν λόχμην
εἰσβὰς[1] *ἐπῶζε, χαραδριὸν μιμούμενος,*

frustra igitur epops ceu charadrius in virgulto clamitavit.

In codice autem R *ἐπῶιζε* legitur. At sic duo eaque diversissima verba confunduntur. Verbum *ὠζειν* proprie significat *oh! clamare*, ut in Vespis:

ὅπως
ἰδόντες ἄνω σκέλος ὠ-
ζωσιν οἱ θεαταί[2]),

et in Clytaemestrae ad Furias verbis apud Aeschylum:

ὤζεις, ὑπνώσσεις[3]),

hinc in universum *clamare*. Sic Niobe *τέκνοις ἐπῶζε τοῖς τεθνη-*

1) Recte sic Meineke pro *ἐμβάς*.
2) Vesp. 1526
3) Aesch. Eum. 124.

Digitized by Google

κόσιν [1]). *Lamentandi* vero verbum οἴζειν = „οἰ" λέγειν ut extiterit vereor; nam quemadmodum οἴμοι et αἰαῖ pepererunt verba οἰμώζειν et αἰάζειν, sic ex clamore οἴ nasci debuit potius ὤζειν, non οἴζειν. Omnino vero a nostro loco aliena est notio *ovis incubandi*, τοῦ τοῖς ᾠοῖς ἐπικαθῆσθαι, quam post scholiastam huc traxerunt Hemsterhuys [2]) et Valckenaer [3]), id autem dicebatur ἐπῳάζειν, non ἐπώζειν (vel ἐπῴζειν), et in Cratini versu, ubi Leda iubetur ovo incubare

ἐπὶ τῷδ' ἐπω(ι)άζουσα ὡς ἂν ἐκλέψῃς καλὸν.
ἡμῖν τι καὶ θαυμαστὸν ἐκ τοῦδ' ὄρνεον [4]),

parum recte Valckenaer rescripsit ἐπώζουσ', nam metrum sic sanum est quidem, ipsum vero verbum non item. Scribatur:

δεῖ σ' ὅπως εὐσχήμονος
ἀλεκτρυόνος μηδὲν διοίσεις τοὺς τρόπους
ἐπὶ τῷδ' ἐπῳάζουσ', ἵν' ἐκλέψῃς καλὸν [5])
ἡμῖν τι καὶ θαυμαστὸν ἐκ τοῦδ' ὄρνεον.

Abierunt litterae ἐπῳαζουCAIN in ἐπῳαζουσAN, dein metri causa insertum est ὡς (∽).

Nostro autem loco ἐπῶιζε manifeste vitiosum duco. Idem vitium habet Ravennas Vesp. l.l., Mediceus Aesch. Eumen. l.l.

Etiam vs. 1221 Ravennatis lectio a vera via viros doctos abduxit. Quo loco Iridi roganti:

ποίᾳ γὰρ ἄλλῃ χρὴ πέτεσθαι τοὺς θεούς;

haec respondet Pisetaerus:

οὐκ οἶδα μὰ Δί' ἔγωγε· τῇδε μὲν γὰρ οὔ.
ἀδικεῖς δὲ καὶ νῦν. ἆρά γ' οἶσθα τοῦθ', ὅτι
δικαιότατ' ἂν ληφθεῖσα πασῶν Ἰρίδων
ἀπέθανες, εἰ τῆς ἀξίας ἐτύγχανες;

Quae sana et perspicua sunt omnia. *Tantum abest* — Pisetaerus ait — *ut per nostram civitatem aliorsum iter facere tibi liceat, ut vel nunc peccaveris; nam id ipsum deliquisti quod sine venia huc penetrasti, et nisi clementia erga te uteremur, morte istud*

1) Aesch. fr. 158.
2) Ad Thom. Mag. p. 362 Bernard.
3) Ad Phoeniss. p. 260.
4) Cratin. fr. 108.
5) Salvis numeris scribere licet etiam: ἐπῳάζουσα καὶ ἐκλέψεις.

Digitized by Google

scelus lueres. Sed nescio quomodo complures editores in alia omnia abire maluerunt. Quorum sunt qui post ἀδικεῖς δέ interpungant, Dindorf autem ἀδικεῖ δὲ proponebat ingenio abusus; collato nimirum Plauti quodam versiculo locum absurde sic interpretabatur: *quid quod ne pro meritis quidem nunc puniris.* Denique multis placuit Ravennatis lectio με pro δὲ, qua recepta verba „ἀδικεῖς με" *Iridi* olim dabat Bothe, nunc Thomas „ἀδικεῖς με καὶ νῦν;" Iridem rogantem fecit: *etiamnunc iniuria afficere me pergis?* Sed ἀδικεῖν τινα huiusmodi enunciato parum aptum foret, in quo ὑβρίζειν potius vel simile verbum requireretur, aptius autem foret ἔτι quam καὶ νῦν. Itaque „ἔτι ὑβρίζεις;" ex Iridis ore expectaretur fere — si ullam improbandi causam haberet textus vulgatus, id quod nego atque pernego.

II.

Pergo in defendendo textu vulgato. Quem locis sequentibus immerito in dubium vocatum esse arbitror.

Vs. 287 sqq. Supervenit avis picta et cristata, qualem non tulerunt terrae, sed luxurians ingenium poetae vel τοῦ μηχανοποιοῦ excogitavit; iocose enim fictae sunt alitum species quae hoc loco describuntur „μουσόμαντις" — gallum gallinaceum significari cave credas interpretibus! — et „ἔποψ ille multicolor" et tertius quidam, de quo Pisetaerus: *quomodo tandem hic vocatur?* — Respondet Epops:

οὐτοσί; κατωφαγᾶς.

Novum igitur inauditumque nomen κατωφαγᾶς pro φαγᾶς [1]) vel κατἄφαγᾶς [2]) fingitur ad analogiam τοῦ κατωβλεπᾶ [3]), quo nomine designabatur animal quadrupes in Aethiopia degens, *caput praegrave aegre ferens; id deiectum semper in terram: alias internecio humani generis, omnibus qui oculos eius videre confestim expirantibus* [4]). Sic scilicet de fero aliquo boum genere fabulati

1) Cratin. fr. 451.
2) Aeschyl. fr. 352 Myrtil. com. 4 Menand. 424.
3) Etiam κατωφερής adiectivum potest conferri.
4) Plin. H. Nat. VIII 32 Aelian. VII 5

Digitized by Google

olim sunt homines. *Voracis* autem ingentisque huius alitis nomen Pisetaero statim in mentem vocat illum quem novimus *Cleonymum*; quapropter admirans exclamat:

ἔστι γὰρ κατωφαγᾶς τις ἄλλος ἢ Κλεώνυμος;

At ridens Euelpides:

πῶς ἂν οὖν Κλεώνυμός γ' ὢν οὐκ ἀπέβαλε τὸν ... λόφον;

Cleonymum hunc esse tu putas? Si ita esset, abiecisset opinor suum ...." et additurus erat „*clipeum*", sed *cristam* dicit, de alite enim loqui se recordatur.

Eodem igitur redeunt Euelpidis verba ac si dixisset: οὐ δῆτα Κλεώνυμός ἐστιν οὗτος· εἰ γὰρ ἦν, ἀπέβαλεν ἂν τὸν ... λόφον. Quae si recte sunt disputata, apparet Blaydesium sine causa ἄρα rescripsisse pro ἄν.

Etiam versum 479 sanum duco. Quem alii codices Pisetaero continuant totum, alii Euelpidi tribuunt; equidem cum sequenti ita distribuo:

ΚΟΡΥΦΑΙΟΣ.

νὴ τὸν Ἀπόλλω!

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

(ad sodalem)

πάνυ τοίνυν χρὴ ῥύγχος βόσκειν σε τὸ λοιπόν,

ὡς [1]) ἀποδώσει ταχέως ὁ Ζεὺς τὸ σκῆπτρον τῷ δρυκολάπτῃ.

Pisetaero igitur in fine argumentationis roganti: *nonne optimo igitur iure avium est regnum?* Coryphaeus: *ita sane!* respondet, dein Euelpides: *rostro igitur* ait *in posterum opus erit tibi* (mihi, spectatoribus, cuilibet), *quoniam ad aves mox redibit regimen mundi.* Iocose autem dicit ῥύγχος βόσκειν, i. e. ῥύγχος τρέφειν [2]), quemadmodum *barbam alere* et similia solebant dicere, eodem igitur haec redeunt acsi ῥύγχος φύειν dixisset. Prae ceteris vero alitibus commemorat τὸν δρυκολάπτην sive *picum*, propter rostrum durum atque procerum. Nam alienum hinc duco quod scholia observant „Iovi sacram fuisse quercum", cum praesertim δρῦς in proprio hoc avis nomine *quamvis arborem* valeat more prisco, et *picus* certe *martius*, quam significari arbitrantur spe-

1) Sic Bentley, codd οὐκ.

2) Vid. Ach. 678 Vesp. 813 etc.

Digitized by Google

ciem, *pineta* potius incolat[1]). Quicquid id est, non dubito quin male explicentur vulgo Euelpidis verba; quae ad coryphaeum vel ad epopem dici creduntur, ῥύγχος autem βόσκειν alii interpretantur *rostrum curare* (= *corpusculum curare*) collato Homerico γαστέρα βόσκειν, alii — codicum lectionem οὐκ versu seq. servantes — rostro producto ad vim Iovi inferendam et imperium ei extorquendum avibus opus fore arbitrantur. Sic vero τὸ ῥύγχος necessarium foret, quapropter Blaydes tentavit πάνυ νυν βόσκειν χρὴ τὸ ῥύγχος σε τὸ λοιπόν, sed praeterea ab initio versus sequentis vix abesse posset particula γάρ, itaque longius longiusque a lectione tradita recedendum foret (e. g. οὐ γὰρ δώσει). Equidem, quod iam dixi, integrum duco versum 479, in sequenti autem Bentleianum ὡς gratus recipio.

Vs. 555. *Reposcamus igitur* — Pisetaerus ait — *regnum ab Iove,*

κἢν μὲν μὴ Φῇ μηδ' ἐθελήσῃ μηδ' εὐθὺς γνωσιμαχήσῃ,

bellum tunc ei inferamus.

Hic forsitan dubitaverit quispiam an verum sit quod praebet Aldina 'Φῇ, i. e. ἀΦῇ, mihi tamen accurate rem perpendenti certum visum est comicum Φῇ voluisse, ter igitur eandem rem aliis verbis exprimi, ut in sermone quotidiano fieri solet ab urgentibus: *si vero noluerit et recusaverit neque statim mutaverit consilium (als hij neen zegt en niet wil en niet dadelijk van gedachte verandert).* Id vero fidenter perhibeo, nullam esse causam cur Blaydesium sequamur κἢν μὴ 'Φεῖν' αὐτὴν ἐθελήσῃ vel κἢν μὴ αὐτὴν ἀποδοῦν' ἐθελήσῃ proponentem horridis sanequam numeris.

Vs. 647. Postquam Pisetaerus in fine colloquii ad Epopem dixit:

ἴωμεν· εἰσηγοῦ σὺ λαβὼν ἡμᾶς,

Epops addit: „ἴθι". Qui singularis multis suspicionem movit. Itaque Hamaker unum tantum huius versus verbum servans et e sequenti adverbium δεῦρο eiciens, e duobus versiculis unum eumque durissimum confinxit:

ἴωμεν· ἀτάρ, τὸ δεῖν', ἐπανάκρουσαι πάλιν.

Blaydes vero versum sic constituit:

---

1) Querceta habitat *picus viridis.*

Digitized by Google

ἴωμεν, εἰσηγοῦ δὲ νὼ (νῷν) σὺ ξυλλαβών,

certo vitio, nam ξυλλαβεῖν de *captivis* potius vel *reis* solet dici [1]).

At nihil mutandum; ne id quidem, quod sunt qui poscant, ἴτε vel ἴτον pro ἴθι necessarium est. Nam solum Pisetaerum, cui subito nunc aliquid in mentem venit, in limine subsistere si sumimus, quid tandem molesti aut singularis hic numerus habet aut totus locus?

Vs. 698.

οὗτος δὲ (*Amor*) Χάει πτερόεντι μιγεὶς νυχίῳ κατὰ Τάρταρον εὐρὺν *Aves genuit.*

Integrum esse hunc versum non contendam, nam νύχιος cum Herwerdeno requiro. Levius tamen hoc est vitium; multo vero gravior error, quem Hermannus deprendere olim sibi visus est, non nisi in eius mente extitit. Nam quominus cum eo scribamus

οὗτος Χάει ἠερόεντι μιγεὶς

duae obstant causae; neque enim supervacanea est quam ille abiecit particula δέ, neque *alarum* mentio abesse potest, cum cetera cuncta numina, quae hoc loco commemorantur, alata sint et esse debeant, ne pereat vis argumenti. Itaque *chaos* non *primordiale* nunc dicitur *spatium*, ut paucis versibus ante [2]), sed vocis vi per artificium oratorium mutata *aerem* intellegere iubemur, ut alibi [3]). Sunt nimirum alites aeris nubiumque veluti proles.

Vs. 785 sqq. — Locus qui sequitur quin integer sit nullus dubito, licet Scaligero Bentleioque aliter olim fuerit visum; quos quoniam Meineke aliique postea sunt secuti, digna videtur quaestio quae denuo moveatur. Exordium dico loci festivi, qui laudes habet vitae alatae:

οὐδέν ἐστ' ἄμεινον οὐδ' ἥδιον ἢ φῦσαι πτερά.
αὐτίχ' ὑμῶν τῶν θεατῶν εἴ τις ἦν ὑπόπτερος,
εἶτα πεινῶν τοῖς χοροῖσι τῶν τραγῳδῶν ἤχθετο,
ἐκπτόμενος ἂν οὗτος ἠρίστησεν ἐλθὼν οἴκαδε,
κἄτ' ἂν ἐμπλησθεὶς ἐφ' ἡμᾶς αὖθις αὖ κατέπτετο.

Hic genitivum τραγῳδῶν in τρυγῳδῶν mutabant summi viri quos dixi, errantes tamen et in partem doctiorem peccantes.

1) Vid. ad Nub. 1168. 2) Vs. 693. 3) Vid. vs. 1218.

Digitized by Google

Nam fac vulgatam lectionem quamcunque ob causam esse reiciendam: id tamen facile evincam, correctum sic versum ferri omnino non posse. Nulla est causa cur *musam iocosam* spectatoribus taedium ciere coniciat chorus. Qui si *suae* fabulae *aemulorum* comoedias nunc vellet opponere, non τρυγῳδῶν opinor voce uteretur, — nam ibi demum ea solet adhiberi ubi tragoedia et comoedia inter se comparantur, — neque omitteret adiectivum ἄλλων; ipsam autem Avium fabulam cuiquam taedium parere posse, id proloqui comico nostro ne in mentem quidem venit. Deinde vox χοροὶ aptissima est ad significandam partem potiorem *tragoediarum*, quarum praelonga et gravissima solebant esse cantica, — ὀρμαθοὶ μελῶν vocantur in Ranis, — de *comoediis* vero si fieret sermo, dicendum fuisset fere: εἴ τις ἤχθετο τοῖς πονηροῖς σκώμμασι τῶν ἄλλων ποιητῶν (vel κωμῳδοδιδασκάλων); locus autem ut fiat eiusmodi dicterio, praeterea sumamus oportet Avium fabulam post aemulorum fabulas — et eodem quidem die — fuisse datam. Priscos denique interpretes τραγ- legisse, non τρυγ-, perantiquum igitur esse hoc vitium, si sit vitium, docet scholion ad vs. 512: ⟨σημείωσαι⟩ ὅτι καὶ νῦν ⟨*voce* τραγῳδοῖς *significat*⟩ τὸν χορὸν τῶν τραγικῶν.

Molesti autem obscurive nihil habet textus traditus, quem recte interpretatus est Wieseler. Hoc dicit comicus: „*Si alati essetis, o spectatores, necesse non foret ita ut nunc per totum diem in theatro perdurare. Hodie dum tragoedias spectabatis, fames fortasse obrepsit vestrum uni et alteri inter praelonga illa cantica infinitosque clamores, taediumque est obortum: alas autem si vobis praebuisset natura, potuissetis per aera domum vos recipere, et quo tempore iocosa nostra fabula* [1]) *tragicas illas ampullas exceptura erat, eadem via redire in sedem relictam.*" Quae audientes recordamur viri in lepida fabula Gallica (*le monde où l'on s'ennuie*) artem tragicam impense probantis et laudantis, ita tamen ut subducat se potius dum in conclavi vicino nova tragoedia ab ipso poeta recitatur. „*La tragédie, c'est bon ... pour le peuple!*"

Illa igitur aetate prius tragoedias, dein comoedias Lenaeis esse actas, luculenter testantur verba chori, et fabulam nostram „brevi post meridiem" datam esse totidem verbis dicit Pisetae-

1) Perperam Blaydes pro ἡμᾶς scribi iussit ὑμᾶς.

Digitized by Google

rus; Prometheo enim anxie roganti „πηνίκ' ἐστὶν ἄρα τῆς ἡμέρας;" respondet: „ὀπηνίκα; σμικρόν τι μετὰ μεσημβρίαν," quo loco non verum diei tempus indicare insulsum atque adeo absurdum foret, moxque caelitum legatos „ἐπ' ἄριστον" — non ἐπὶ δεῖπνον — „καλεῖ." Ipsa autem ratio ferebat ut tragoediae antecederent comoedias, quoniam antiquiora erant chororum tragicorum certamina, recentiora comicorum, et aptius iocosa post tristia quam haec post illa spectantur. Nondum autem persuasum est aut alium alio tempore invaluisse morem aut Dionysiis ordinem inversum obtinuisse; nolim certe hac in re uti testimonio quod afferri solet legis Euegori apud Demosthenem servatae [1]); ubi quod Lenaeorum τραγῳδοὶ καὶ κωμῳδοί, dein Dionysiorum κωμῳδοὶ καὶ τραγῳδοὶ commemorantur, vide ne librariorum neglegentia nos fallat. Neque eiusmodi quicquam efficitur e Socratis ad Critobulum verbis apud Xenophontem: ἐγώ σοι σύνοιδα ἐπὶ κωμῳδῶν θέαν καὶ πάνυ πρῲ ἀνισταμένῳ καὶ πάνυ μακρὰν ὁδὸν βαδίζοντι. Nam ei qui e longinquo pago urbem adibat primo mane fuisse proficiscendum ne sero adventaret, id per se intellegitur.

Deinde versibus 793—796 post ea, quae ante meridiem licuissent, si alati essent cives, chorus indicat ea quae hoc ipso temporis articulo fieri possent, modo alae essent praesto. *Nunc autem* — ait — *si quis virum mulieris sibi dilectae inter senatores videt assidentem, libenter opinor hinc* [2]) *ad illam advolaret, mox ad nos rediturus.*

Vs. 999 sqq. Festivissima sunt verba Metonis docti mathematici, qui Pisetaero roganti: *quid ista sunt quae manu tenes*, haec respondet:

κανόνες ἀέρος.
αὐτίκα γὰρ ἀὴρ ἐστι τὴν ἰδέαν ὅλος
κατὰ πνιγέα μάλιστα. προσθεὶς οὖν ἐγὼ
τὸν κανόν' ἄνωθεν τουτονὶ τὸν καμπύλον,
ἐνθεὶς διαβήτην — μανθάνεις;

Secum Pisetaerus: οὐ μανθάνω. Pergit autem Meton:

ὀρθῷ μετρήσω κανόνι προστιθείς, ἵνα

1) Demosth. XXI § 10.

2) Hoc quidem loco Blaydes recte mutavit pronomen, ἡμῶν scribens pro ὑμῶν.

Digitized by Google

1005 ὁ κύκλος γένηταί σοι τετράγωνος καὶ ἐν μέσῳ
ἀγορά, φέρουσαι δ' ὥσιν εἰς αὐτὴν ὁδοὶ
ὀρθαὶ πρὸς αὐτὸ τὸ μέσον, ὥσπερ δ' ἀστέρος
αὐτοῦ κυκλοτεροῦς ὄντος ὀρθαὶ πανταχῇ
ἀκτῖνες ἀπολάμπωσιν.

Quorum verborum pars posterior minime obscura est, urbem nimirum caelestem *stellae* similem se structurum promittit, e foro rotundo crebris deductis plateis, quae ceu radii e centro communi discurrant. Miror autem quomodo interpretes quidam conciliare haec potuerint cum sua opinione, Metonem *quatuor* vias *rectis angulis* inter se concurrentes descripturum fuisse.

Priora vero Metonis verba intellegere velle, id est operam dare ut suo ioco frustretur comicus. Qui quomodo ea vellet accipi, Pisetaeri verbulo „οὐ μανθάνω" satis profecto aperte significavit. Itaque non est aegre ferendum quod commemorantur nunc *incurvata regula* et *circulus quadratus*, sed consulto noster quadrata rotundis miscens verbis usus est tam egregie absurdis, ut ne eos quidem spectatores fallere possent qui cum ipso poeta ab arte Metonis essent alienissimi. Sic etiam hodie, si indicandum est studium inane, aut *perpetuum mobile* aliquis quaerere iocose dici solet aut *circuli quadraturam*; scimus autem quantam operam dederint Pythagorae praesertim discipuli, quibus numerorum ratio pro ipso mundi principio erat, ut certis numeris exprimerent rationem quae intercedit inter circuli lineae simplicissimae et perfectissimae circuitum et radium. Quod studium licet ad scopum qui petebatur homines non duxerit, inveniri enim non potuit ratio quae nulla esset, egregie tamen profuit toti arti mathematicae.

Quorsum haec? Ut demonstrem versum 1002 recte sic in codicibus interpungi, minime sequendos esse Suevernium Kockiumque, qui virgulam post κανόν' posuere post καμπύλον deleverunt; neque recte Kennedium eorum vestigiis insistentem ἄνω δέ proposuisse pro ἄνωθεν. Accuratius autem definire velle διαβήτην addito adiectivo καμπύλῳ, id κακοζηλίας foret haudquaquam festivae, etiamsi recte dicatur Graece διαβήτης καμπύλος sive *incurvatus*. Et omnino, nisi absurda et ridicula sunt quae dicit Meton de „*aëris*" illis *regulis*, ieiunus nimis fit totus locus.

Digitized by Google

Vs. 1234 Pisetaero roganti:

τί σὺ λέγεις; ποίοις θεοῖς;

respondet Iris:

ποίοισιν ἡμῖν τοῖς ἐν οὐρανῷ θεοῖς.

Quae sintne integra, et si sint, quomodo sint distinguenda, dubitatur. Meineke pro ποίοισιν coniecit οἵοισιν, infeliciter sane; qui melius certe „ὅτοισιν;" vel „ὁποίοισιν"; (correpta antepenultima) poterat proponere. Bamberg vocem ποίοισιν continuabat Pisetaero, bis igitur idem ab hoc rogari ratus. Sed parum hi viri docti secum reputarunt — rem in vulgus sane notam et ipsis notissimam — non vere interrogantis esse illud ποίοις, sed cum contemtu exclamantis et irridentis; non enim significare: „*qualibus deis?*" sed: „*quid deos loqueris?!*", nullam igitur admisisse *interpretationem*, neque apte potuisse *iterari*. Si antecederet: „τοῖς ποίοις θεοῖς;" placide interrogantis id foret [1]), et responderi posset: „ὁποίοισιν;" *qualesne deos velim rogas?* A nostro vero loco talia aliena sunt, sic autem me iudice Iridis verba sunt scribenda:

„ποίοισιν!" — ἡμῖν, τοῖς ἐν οὐρανῷ θεοῖς.

Ipsum igitur verbum, quo Pisetaerus usus est, indignabunda Iris nunc iterat, quemadmodum antea, cum Pisetaerus dixisset: „ταυτηνί τις οὐ ξυλλήψεται;" exclamavit: ἐμὲ ξυλλήψεται; [2]) et mox roganti „κατὰ ποίας πύλας εἰσῆλθες;" respondit: οὐκ οἶδα μὰ Δί' ἔγωγε. „κατὰ ποίας πύλας"! [3]) Nam illum quoque versum sic expediendum arbitror.

Eadem ratione fortasse interpretandi sunt Nub. vs. 664 (ubi aliam tamen rationem in editione mea inii) et Eccl. 761.

Vs. 1282. De pristinis — ante Nubilocuculiam conditam — Atheniensium studiis haec refert nuntius:

ἐλακωνομάνουν ἅπαντες ἄνθρωποι τότε,
ἐκόμων, ἐπείνων, ἐρρύπων, ἐσωκράτων.

Quorum verborum festiva quaedam est gradatio. Nam quod ultimo loco collocatum est morbi recentis nomen novum atque

1) Vid. Nub. 1270 et ad Nub. 1233.
2) Vs. 1205 sq.
3) Vs. 1209 sq.

Digitized by Google

inauditum *τὸ σωκρατᾶν*, id cetera veluti complectitur. Quippe Socrati *τῷ ἀλούτῳ καὶ ἀνυποδήτῳ* similem esse, id maius etiam quiddam est quam capillis incultis, facie macilenta, veste et corpore sordidis obambulare. Huius igitur verbi ea est ratio quae vocis *περιουσίας* Nub. 50, *πλουθυγιείας* Vesp. 677, eodemque loquendi genere usus Demosthenes III § 29 dixit Athenienses missis rebus gravioribus *κονιᾶν τὰς ἐπάλξεις καὶ ἐπισκευάζειν τὰς ὁδοὺς καὶ κρήνας καὶ λήρους*. Recte autem *ἐσωκράτων* habet R, in ceteris vero est *-τουν*.

His praemissis observo nullam causam esse cur aut cetera verba in dubium vocentur aut *ἐπείνων*. Pro quo *ἐπινῶν* legendum esse — graviore igitur vitio versum laborare — fuit cum suspicarer ipse collato Lysistratae versiculo, ubi Cleomenes rex Spartanus *πινῶν ῥυπῶν ἀπαράτιλτος* ex arce Atheniensi prodiisse dicitur [1]). Sed dudum vidi vanam esse illam opinionem, nec verbum nunc de ea facerem, nisi apud Blaydesium idem reperirem; qui temere profecto proposuit:

ἐκόμων, ἐπίνων, ἐσωκράτιζον, ἐρρύπων.

Quae cur vulgata lectione multo sint deteriora, supra ostendisse mihi videor.

Vs. 1630 sq. Postquam Hercules impudenter mentitus est Triballum regimen mundi avibus tradi iubere, sibi autem idem placere haud dubiis verbis est prolocutus, Neptunus *vobis igitur si ita videtur*, ait, *equidem non repugnabo*. Dein sequitur versus:

οὗτος, δοκεῖ δρᾶν ταῦτα τοῦ σκήπτρου πέρι.

Quem *Herculi* tribuunt codices, *Neptuno* vero continuari iubet Kock; huius enim dei esse ceterorum nomine verba facere. Non assentior, multo autem festiviorem duco vulgatam. Hercules ut primum ex ore Neptuni audivit illum acquiescere in ceterorum sententia, laetus statim — nam epulas iam sibi videt paratas — *heus tu!* exclamat, *assentimur!* Nempe si qua fieret mora, ne fraus perplueret quam maximum erat periculum; Triballus enim non revera cum Hercule facit, sed alia omnia censet, blaeso tantum ore prohibitus quominus clare eloquatur sententiam.

Sed data opera exponendum videtur id, quod ultimum dixi;

1) Lys. 279.

Digitized by Google

minime enim interpretes ita inter se consentiunt ut pro certa atque explorata haec res possit haberi.

Incipio igitur a versibus 1614 sqq., quos legentes ne in errorem abducamur est cavendum. Neptunus ibi per se ipsum ridicule iurans ad Pisetaerum:

νὴ τὸν Ποσειδῶ, ταυταγὶ καλῶς λέγεις.

ΗΡΑΚΛΗΣ.

καὶ ἐμοὶ δοκεῖ.

ΠΕΙΣΕΤΑΙΡΟΣ. (ad Triballum:)

τί δαὶ σὺ φήις; [1])

ΤΡΙΒΑΛΛΟΣ.

ναβαισατρεῦ.

ΠΕΙΣΕΤΑΙΡΟΣ.

ὁρᾷς; ἐπαινεῖ χοὔτος. ἕτερόν νυν ἔτι
ἀκούσατε κτἑ.

Haec si ad litteram accipiuntur, perit loci festivissimi acumen. Nam aut non talem qualem eum novimus nunc se praestitit comicus, aut Triballum eo capitis nutu, eo gestu, eo vocis sono utentem fecit unde spectatoribus clare appareret eum minime gentium ceteris assentiri, sed ad pugnos et flagra unice esse paratum. Quo magis est ludicrum id quod Hercules — nam huius haec verba esse acute vidit Bentley — lancibus suis metuens statim subiungit: ὁρᾷς; ἐπαινεῖ χοὔτος, *viden? et ipse Pisetaero assentitur.* Sive autem inanis, ut arbitror, est vox ναβαισατρεῦ, sive graeci aliquid in ea latet, certum est frustra fuisse interpretes qui „ἀναβῶμεν οἱ τρεῖς" (!) vel simile quid inde efficere sunt conati. Nam id quod dicit in lingua Triballica „πώμαλα" vel „οὐ δῆτ' ἔγωγε" significare credere iubemur.

Sententiae postquam sunt dictae, itur in suffragia, et primus Hercules (vs. 1626): *ego sceptrum avibus reddendum censeo.* Dein Neptunus: *Triballum autem roga quid censeat.* Cui Hercules:

ὁ Τριβαλλός, οἰμώζειν δοκεῖ σοι;

aperte nunc quoque illudens caeliti barbaro. Qui licet non satis bene graece sciat, dudum tamen optime intellexit rideri se a sodali, itaque scipione opinor ei minitans balbutit quaedam,

1) Non *Pisetaeri* sed *Neptuni* haec verba esse arbitror. Quae tamen quaestiuncula impune nunc potest negligi, quoniam rem in qua versamur non tangit.

Digitized by Google

quae in codicibus sic sunt tradita: σαυνάκα βακταριπρουῦσα. Posterius autem verbum viri docti dudum recte interpretati sunt βακτηρίᾳ κρούσω, prius vero corruptum habetur, proposita autem sunt καυνάκα (*vestem*) et σαὺ κάρα (*tuum caput*). Sed deo Scythae quid cum voce sive persica (καυνάκῃ) sive poetica (κρᾶτι)? Equidem integrum duco id quod praebent codices, nisi quod addito potius accentu σαῦ νάκα scribo. *Male dispereas*, — barbarus dicit ita ut potest, — *tibi fuste excutiam pellem:* σοῦ τὴν νάκην (vel τὸ νάκος) τῇ βακτηρίᾳ κρούσω. Qui similis est barbarismus atque legati Persae in Acharnensibus, Scythae lictoris in Thesmophoriazusis; *pellis* autem aut leonis Nemeaei dicitur aut ipsius Herculis *cutis*, quemadmodum alibi in conviciis de homine usurpatur vox βύρσα [1]).

At Hercules, nunc quoque liberius aliquanto verba sodalis interpretatus: Φησὶν εὖ λέγειν πάνυ, *omnino mecum se facere ille ait.* Dein sequitur Neptuni versus unde disputandi feci initium.

Mox Pisetaerus insuper in matrimonium poscit Βασίλειαν deam; qua de re postquam Herculi callide persuasit, „ἔγωγε παραδίδωμί σοι" clara voce hic exclamat; Neptunus vero τἀναντία ψηφίζεται. Itaque Pisetaerus: „ἐν τῷ Τριβαλλῷ πᾶν τὸ πρᾶγμα", et ad ipsum Triballum conversus: „τί σὺ λέγεις;" — Tunc ille, vehementer nunc quoque negans (vs. 1678):

καλάνι κόραυνα καὶ μεγάλα βασιλιναῦ
ὄρνιτο παραδίδωμι.

Quibus auditis Hercules veteratorio denuo artificio usus statim exclamat: „παραδοῦναι λέγει", at optimo iure Neptunus contendit barbarum truculentum alia omnia censere. Nam hoc est quod dixit: *pulcram magnamque puellam avibus tradi nolo*, τὴν καλὴν καὶ μεγάλην κόρην Βασίλειαν οὐ παραδίδωμι τοῖς ὄρνισιν. Sed blaeso ore ita hoc dicit ut linguae Graecae eum sinit imperitia. Scribamus modo Βασῖλιν αὖ, usi observatione prisci interpretis in scholiis ad Ach. 104, ubi Ἰᾶον αὖ pro Ἰαοναῦ probabiliter proponitur. Negationem enim omnino requiri arbitror. Quod ante me sensit van Herwerden, non tamen in hoc versu eam latere suspicatus sed ὄρνιτ' ὀ (= οὐ) παραδίδωμι scribens in versu sequenti collata Photii glossa sublestae fidei: ὀπλίττομαι

1) Eq 869.

Digitized by Google

(*ὁ πίττομαι* Alberti cum Hesych.): *οὐ πείθομαι· καὶ τοῦτο Βοιώτιον· Ἀριστοφάνης Ἐκκλησιαζούσαις*, — ubi et in lemmate et in fabulae, fortasse etiam in poetae nomine afferendo errorem commissum esse videmus [1]), neque de barbarorum sed de Boeotorum lingua fit sermo, ita ut vix satis firmum hoc videatur fundamentum cui superstruatur coniectura.

Si quis autem neque Herwerdeni neque meam lectionem probat, sumat Triballum cum indignatione rogare: *„puellamne et regnum avibus nos tradituros?!"* Sed forma *παραδίδωμι* quid faciam sic non habeo equidem, neque satis perspicuus satisve facetus me iudice fit locus.

Id vero certum duco, loci leporem non agnosci ab iis qui Triballum revera — id quod sumi solet — condiciones Pisetaeri probare putent.

III.

Venio nunc ad locos, unde gravius leviusve vitium coniectura eximere conatus sum.

Versuum 64 sqq. ordo turbatus mihi videtur:

ΘΕΡΑΠΩΝ.

ἀπολεῖσθον.

ΕΤΕΛΠΙΔΗΣ.

ἀλλ' οὐκ ἐσμὲν ἀνθρώπω.

ΘΕΡΑΠΩΝ.

τί δαί;

ΕΤΕΛΠΙΔΗΣ.

65 *Ὑποδεδιὼς ἔγωγε, Λιβυκὸν ὄρνεον.*

ΘΕΡΑΠΩΝ.

οὐδὲν λέγεις.

ΕΤΕΛΠΙΔΗΣ.

καὶ μὴν ἔρου τὰ πρὸς ποδῶν.

ΘΕΡΑΠΩΝ.

ὁδὶ δὲ δὴ τίς ἐστιν ὄρνις; οὐκ ἐρεῖς;

ΠΕΙΣΕΤΑΙΡΟΣ.

Ἐπικεχοδὼς ἔγωγε Φασιανικός.

ΕΤΕΛΠΙΔΗΣ.

ἀτὰρ σὺ τί θηρίον ποτ' εἶ, πρὸς τῶν θεῶν.

1) An *Ἀριστοφάνης* (gramm.) *ἐν γλώσσαις*?

Digitized by Google

Haec quo rectius procedant, versum 66 post 68 colloco. *Non sumus homines!* Euelpides clamat. *Quid igitur?* rogat Epopis minister. *Formidonius sum ego, avicula Libyca. — Et tu? — Cacatullus Phasianus. — Nihil dicis* (nunc demum ludi se intellegit minister). — *Non credis? specta modo quae ante pedes sunt posita. At ipse qui sis tandem ales dic quaeso.*

Verum nimirum ἐπικεχοδότα Pisetaerus modo se praestitit, perinde atque Dionysius in Ranis [1]) et meticulosus homo ille in Amphiarao qui „πόθεν ἂν λάβοιμι βύσμα τῷ πρωκτῷ φλέων!" exclamabat [2]).

Vs. 108. Epops *unde hominum?* rogat hospites:

ποδαπὼ τὸ γένος;

Cui Euelpides: ὅθεν αἱ τριήρεις αἱ καλαί.

Quae integrum trimetrum non efficiunt. Quapropter Dindorf post γένος inserebat δέ (ut Pac. 186). Sed tres anapaesti cum nusquam reperiantur deinceps positi, — si negligimus Vesp. 979, cuius versus singularis est ratio, — multo praestat lectio Cobeti:

ποδαπὼ δ'; — ὅθενπερ αἱ τριήρεις αἱ καλαί.

Longius tamen a verbis traditis haec recedunt, neque abiciendum videtur quod codices habent, τὸ γένος. Quapropter potius deleto altero articulo scripserim:

ποδαπὼ τὸ γένος; — ὅθεν τριήρεις αἱ καλαί.

Vs. 147. „*Qualem petitis civitatem*" — Epops ait — „*probe novi in ora maris rubri.*" — „*Bona verba!*" statim exclamat Euelpides:

μηδαμῶς
ἡμῖν γε παρὰ θάλατταν, ἵν' ἀνακύψεταί
κλητῆρ' ἄγουσ' ἕωθεν ἡ Σαλαμινία.

Locus notissimus sane, sed intellegimusne illud ἕωθεν? Vertitur: „*un beau matin, op een goeden dag, some morning*", sed et Graeca exempla huius locutionis desidero et ipsum adiectivum *pulcrum bonumve*, quod habet versio, non habent Euelpidis verba. Itaque corrigo ἐκεῖθεν. Ut αὐτὸς servis est herus, discipulis magister, sic ἐκεῖ Atheniensibus peregre versantibus est ipsorum civitas, et e nostro cum alia huius generis loquendi afferri possunt exempla tum ipsius Euelpidis verba (vs. 340):

1) Ran. 479. 2) Fr. 24

Digitized by Google

ἐπὶ τί γάρ μ' ἐκεῖθεν ἦγες;

Sub finem autem fabulae „ἐκεῖθεν" non Salaminia quidem ἀνακύπτει triremis, sed multi visitores confluunt in novam urbem, quemadmodum fore dixerat praeco (vs. 1305):

ἥξουσ' ἐκεῖθεν δεῦρο πλεῖν ἡ μυρίοι.

Satis certa mihi videtur quae praecedit correctio; de proxime vero vicinis versibus nonnisi dubitanter quaedam proferam; facilius enim dixerit quispiam quid non scripserit illic comicus, quam quid scripserit. Versus volo 149 sqq.:

ΕΠΟΨ.

τί οὐ τὸν Ἠλεῖον Λέπρεον οἰκίζετον
ἐλθόνθ';

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

ὁτιὴ [1]) νὴ τοὺς θεοὺς ὃς οὐκ ἰδὼν
βδελύττομαι τὸν Λέπρεον ἀπὸ Μελανθίου.

Leprei oppidi Elei — cuius nomen illis annis Athenis saepe est auditum — nullam aliam ab causam nunc fit mentio quam ut Melanthius quidam foedo cutis morbo laborans possit vellicari; nam scholiorum et Pausaniae nugas huc pertinentes negligere licet. Sed verborum sensus tralucet potius quam cernitur, nihil enim est ὅς. Quapropter multorum assensum tulit Bothii ingeniosa sane coniectura ὅσ'(α), quae ferri tamen nequit, quoniam ὅσα οὐ (vel μή) significat *nisi quod non* ...[2]), cuiusmodi notio restrictiva hinc est aliena. Infeliciter etiam Dobree ὡς, nec melius Meineke ὅτι, Bergkii autem coniecturam ὅρος οὐκ ἰδὼν | βδελύττομαι τὸ Λέπρεον vix serio a tali viro propositam esse dixeris.

Hisce igitur reiectis aliorum tentaminibus, superest ut meam qualemcunque opinionem proferam. Intellegam equidem:

τί οὐ τὸν Ἠλεῖον Λέπρεον οἰκίζετε
ἐλθόντες; — ὁτιὴ κοὐκ ἰδὼν νὴ τοὺς θεοὺς
βδελύττομαι κτέ.

Cui coniecturae quadamtenus favet quod in codice R aliisque ἐκ πλήρους perscriptum legitur ἐλθόντε.

(*Continuabuntur*).

1) ὅτι VR alii. 2) Vid. Eur. Iph. T. 613 Thucyd. I 111 IV 16 etc.

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. HARTMAN, H. VAN HERWERDEN, A. E. J. HOLWERDA, H. T. KARSTEN,
J. C. NABER, H. J. POLAK, K. G. P. SCHWARTZ,
M. C. VALETON, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1902.

Digitized by Google

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
292784
ASTOR LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS.
R 1903 L.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO ANTEHAC E. J. BRILL.

Digitized by Google

INDEX

	Pag.
Ruhnkenius Nabero S. P. D.	V—X.
Lusus scholasticus, scripsit H. VAN HERWERDEN	XI—XXIV.
ΝΑΡΔΟΣ ΠΙΣΤΙΚΗ, scripsit S. A. NABER	1—15.
Emendatur Aristotelis περὶ ἑρμηνείας c. X § 5, scripsit I. C. V.	15.
Thucydidea (*contin. e Vol. XXIX pag.* 81), scripsit I. C. VOLLGRAFF	16—33.
Aristophanea, scripsit H. VAN HERWERDEN	34—53.
ΟΙΣΟΜΕΝ — ΘΗΣΟΜΕΝ, scripsit H. v. H.	53.
De Argonautarum vellere aureo, scripsit J. VÜRTHEIM	54—67.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	67.
Ad Aristophanis Aves (*contin. e Vol. XXIX pag.* 460), scripsit J. VAN LEEUWEN J. F.	68—89.
Tacitea, scripsit J. J. HARTMAN	90—120.
Ad Thucydidem, scripsit H. VAN HERWERDEN	121—133.
De Hegione in Terentii Adelphis, scripsit G. E. W. VAN HILLE	134—136.
Ad Eur. Hipp. 43—46, scripsit MORTIMER LAMSON EARLE.	136.
Observationes criticae ad Dionysii Halicarnassensis Antiquitates Romanas (*contin. e Vol. XXIX pag.* 340), scripsit S. A. NABER	137—156.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	156.
Homerica, scripsit H. VAN HERWERDEN	157—168.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	168.
Observatiunculae de iure Romano (*contin. e Vol. XXVIII pag.* 451), scripsit J. C. NABER S. A. FIL.	169—178.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	178.
Homerica (*contin. e Vol. XXIX pag.* 243), scripsit J. VAN LEEUWEN J. F.	179—188.
Tacitea (*contin. e pag.* 120), scripsit J. J. HARTMAN	189—209.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	209.
Ad Aristophanis Plutum, scripsit J. VAN LEEUWEN J. F.	210—224.

Digitized by Google

	Pag.
Quis furor?, scripsit J. VAN LEEUWEN J. F.	225—233.
Aristophan. Eq. 504 sqq., scripsit H. v. H.	233.
Observationes criticae ad Dionysii Halicarnassensis Antiquitates Romanas (*contin. e pag.* 156), scripsit S. A. NABER	234—261.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H..	261.
Ad Plutarchi Vitam Lycurgi (Cap. XXVII), scripsit K. G. P. SCHWARTZ	262.
De Amazonibus, scripsit J. VÜRTHEIM	263—276.
De Matre Magna Pergamenorum, scripsit K. KUIPER . .	277—306.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	306.
Ad Alciphronis epistulas, scripsit H. VAN HERWERDEN .	307—318.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	318.
Observatiunculae de iure Romano (*contin. e pag.* 178), scripsit J. C. NABER S. A. FIL.	319—331.
Ad Thucyd. VII 56, scripsit J. v. L.	331.
Tacitea (*contin. e pag.* 209), scripsit J. J. HARTMAN . .	332—347.
Ad Horat. Serm. I, 1, 15 sqq., scripsit M. LAMSON EARLE.	347.
Ad Aristophanis Plutum (*contin. e pag.* 224), scripsit J. VAN LEEUWEN J. F.	348—360.
Ad Lucianum, scripsit K. G. P. SCHWARTZ	361—366.
Paralipomena Lysiaca (*contin. ex Vol. XXIX pag.* 443), scripsit H. J. POLAK	367—386.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	386.
Tacitea (*contin. e pag.* 347), scripsit J. J. HARTMAN . .	387—393.
Horapoll. I 55, scripsit J. v. L.	393.
Ad Catulli carmen XXXXVIIII, scripsit P. H. DAMSTÉ .	394—396.
Ad Aristophanis Plutum (*contin. e pag.* 360), scripsit J. VAN LEEUWEN J. F.	397—427.
Ruhnkenii uxor, scripsit S. A. NABER	428—434.

Digitized by Google

Ad diem natalem Mnemosynes **ante L annos conditae** rite celebrandum cum nuper convocasset nos collega honoratissimus NABER lautaque cena comiter excepisset, inter pocula HARTMAN noster recitavit carmen ab inferis ut aiebat modo ad se perlatum. Quod cum omnium quotquot aderant convivarum plausu clarissimo acceptum esset et veluti confirmatum, in fronte novi huius fasciculi inscio Nabero — non tamen ut speramus invito — excudendum curavimus, ut laeta quaedam echo hilarissimi illius convivii ad cunctos quibus Mnemosyne ipsaeque bonae litterae cordi sunt perveniret, faustoque hoc omine iniretur **lustrum undecimum.**

VAN LEEUWEN.
VALETON.

Digitized by Google

Digitized by Google

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

RUHNKENIUS NABERO S. P. D.

Quid numeros mirare meos, Nabere, modosque?
An non res illud flagitat ipsa decus?
Laetitiae tantum certe mihi praebuit illa,
Surgeret ut tenebris clarior hisce dies.
Nempe per Elysios campos perque arva piorum
Dum spatior, rerum nescioquid meditans,
Obvius ille mihi, quo nunquam carior hisce
Sedibus accessit candidiorque comes.
Vix opus est, Nabere, tibi iam dicere nomen,
Haec quia demonstrant sic quoque dicta virum;
Addere et hoc possum: postquam ille advenit, Athenis
Debitus antiquis hic renovatur honor:
Versiculi resonant Graeci, ioca, dicta, nec unquam
Tam prope me tellus Cecropis ante fuit.
Hunc ego conspiciens: „— hilaris, Cobete, videris
Nescioqui solito nunc mihi quippe magis —
Ede quid in mentem iucundi venerit." Ille
— Laetus enim semper, tunc tamen ore nitor
Urbano et lepido mirus splendebat in illo —
„O gratare mihi, candidus hicce dies!

Digitized by Google

Digitized by Google

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY

RUHNKENIUS NABERO S. P. D.

Quid numeros mirare meos, Nabere, modosque?
An non res illud flagitat ipsa decus?
Laetitiae tantum certe mihi praebuit illa,
Surgeret ut tenebris clarior hisce dies.
Nempe per Elysios campos perque arva piorum
Dum spatior, rerum nescioquid meditans,
Obvius ille mihi, quo nunquam carior hisce
Sedibus accessit candidiorque comes.
Vix opus est, Nabere, tibi iam dicere nomen,
Haec quia demonstrant sic quoque dicta virum;
Addere et hoc possum: postquam ille advenit, Athenis
Debitus antiquis hic renovatur honor:
Versiculi resonant Graeci, ioca, dicta, nec unquam
Tam prope me tellus Cecropis ante fuit.
Hunc ego conspiciens: „— hilaris, Cobete, videris
Nescioqui solito nunc mihi quippe magis —
Ede quid in mentem iucundi venerit." Ille
— Laetus enim semper, tunc tamen ore nitor
Urbano et lepido mirus splendebat in illo —
„O gratare mihi, candidus hicce dies!

Digitized by Google

Luchtmansî meritum de nobis, summe virorum,
Sit quantum gratus commemorare soles:
Illud ego expertus dudum te non minus ipso,
Denique nunc vere conscius ecce loquor!
Bibliopolarum quae sunt commercia mira
— Totius haec mundi per tria regna valent —
Haec nobis servire iubet: sic quidquid ubique
Scribitur in nostras pervenit omne manus,
Ordine tam certo superorum tempora ut ipsa
De nobis quivis iam numerare queat.
Mnemosynes mihi sic allato mane recenti
Fasciculo, titulus vix mihi visus ubi,
Exclamo: bis quinque igitur sunt lustra peracta,
Strenua coniunctis viribus illa trias
Ex quo decrevit iuvenum contendere avitae
Ut laus doctrinae cresceret usque recens."
Hic ego: „laetitiam tantam novique proboque:
Hercule rem magnam gaudia magna decent!
Perstat enim solidum titulos augetque Batavûm
Ardor quod felix aedificavit opus.
Quod iuvenes posuere manet documentaque magna
Illius antiqui saepe dat ingenii,
Tu quo splendebas: tibi sed quid blandior? an non
Te faciam quanti colligere ipse potes?
Sed mihi dic unum: cuius nunc nomen in ipsa
Fronte lego libri, filius anne nepos
Naberi illius est, socio quo Kiehlius ille
Mehlerusque olim tantam iniere viam?" .
Suaviter hic risit Cobetus et „o bone" clamat,
Ipse est! o pridem quam mihi carus erat!"
„Δεινὸς ἀνήρ" ego tum „quantum complectitur artis

Digitized by Google

Ingentis nostrae, quam bene cuncta tenet!
Omnia praeclare sunt condita mente capaci,
In promptu mire singula quaeque iacent.
Quos non ille sagax scriptores atque poetas
Turpibus a mendis vindicat arte sua!
Inde ab Homero omnes, ut iam tecum loquar, usque ad
Eustathium: debet tantum opus esse senis!
At miror rebus cunctis impensius unam:
Sermonis lepidi tam iuvenile decus.
Quaeso num senis illud? eram quando αὐτὸς ἐμαυτοῦ
Δεινότατος, sic me scribere vix memini.
Aevi felicis nam spirant omnia vitam,
Flore iuventutis pagina quaeque nitet."
„Est etenim vere iuvenis" tunc ille reponit,
Quaque antehac viguit nunc quoque mente viget:
Felici nondum rapuerunt tempora quidquam,
Nam vere felix est maneatque diu!
Hoc etenim non ulla viro sapientia praestat,
Non doctrina sagax, fertile et ingenium:
Polleat his etenim quamvis, natura benigna
Pulchra magis multo raraque dona dedit:
Nempe dedit placidos mores et amabile pectus,
Unde odium mordax et livor omnis abest:
Tam bene quis potuit duris ignoscere dictis,
Innocuosve unquam tam bene ferre iocos?
Haec corpus vegetum praestant mentemque vigentem,
Praestabuntque diu, ni malus augur ego.
Quoque magis dicam felicem: filius illi
Est, artis nostrae iuris an ille magis
Consultus dubito: sic extendetur in aevum,
Mnemosynae iunctum nomen et illud erit."

Digitized by Google

Motus eram dictis: „quid si mittamus ad illum
Colloquium nostrum? Dic mihi, nonne placet?"
Sic ego et ille: „placet". Luchtmansi curre, viaque
Arcana, soli quae tibi nota satis,
Exemplar nitide scriptum pulchreque ligatum,
Egregio dignum denique, mitte, viro.
Hoc unum adde tamen: nulli Romana Camena
Notior est quoniam, versibus hisce roga
Sit lenis iudex; nam iudice doctior illo
Mortalis nemo aut aequior esse potest.

Postridie Kal. Ian. a. MDCCCCII.

Digitized by Google

Lusus scholasticus, quo recitando HENRICUS VAN HERWERDEN, Professor Rhenotraiectinus, propter aetatem rude donatus discipulis suis magna adsidente amicorum et fautorum corona valedixit mensis Iunii d. X a. 1902.

Τεσσαράκοντα δύω τε Διὸς μεγάλου λυκάβαντας,
τέσσαρα μὲν παῖδας ῥέτεα, τὰ δέ τ' ἄλλ' αἰζηοὺς
γλῶσσαν ἐγὼν ἐδίδαξ', ἀμφ' ἣν μάλα πόλλ' ἐμόγησα,
ἦ ποτ' Ὀλυμπιάδες Μοῦσαι λιγυρώτατ' ἄειδον
παιδεύουσαι Ὅμηρον ἀμύμονα Ἡσίοδόν τε,
Πίνδαρον, ἠδ' ἄλλους, οὓς αἰνῆσ' οὔ κε δυναίμην,
οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν,
φωνὴ δ' ἄρρηκτος, οὐδ' ὡς χ' ὑμνέοιμι κατ' αἶσαν.
Νῦν δ' ἐγώ, ὦ φίλοι ἄνδρες, ἐμοὶ ἐρίηρες ἑταῖροι,
οἵ ποτ' ἐμῆς διδαχῆς ἤντεσθέ γε πρόφρονι θυμῷ,
ὕμεας ὑστάτιόν γε λιλαίομαι Ἑλλάδι φωνῇ
προσφθέγξασθαι, ἐπεὶ ἱεραί τε σοφαί τε θέμιστες
οὐκ ἐάουσί μ' ἔτι μετὰ ταῦτα φανῆναι ἐν ὑμιν.
Τηλίκος εἰμὶ γέρων, ὃς δηποντάνῳ ὁμοίως,
ὡς κλύεν ἐν Ῥώμῃ, κεκλῄτό κε καταγέφυρος,
χρὴ δ' ἦν ῥ', εἰ ἀγόρευ', αἰψ' ἔδρης ἐκστυφελίξαι.

Digitized by Google

Ὅσσον νῦν τε πάλαι τ' ἀμφὶς μέροπες φρονέουσιν!
εἰ τότε μὲν δόκεον αἰεὶ φρένες ἠερέθεσθαι
ὁπλοτέρων, ὁράειν δ' ἅμα καὶ πρόσσω καὶ ὀπίσσω
πρεσβύτεροι, Νέστωρ τε λιγὺς Πυλίων ἀγορητής,
ᾧ τ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
ἐφθίαθ', οἵ ῥοι πρόσθεν ἅμ' ἔτρεφον ἠδ' ἐγένοντο
ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισ' ἐράνασσε,
θεσπεσίοισ' εἰ χρὴ ῥέπεσιν πείθεσθαι Ὁμήρου,
ἥρωας πάντας ἀγορῇ καὶ βουλῇ ἐνίκα.
Ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός;
Νέστωρ οὔτ' ἐγώ εἰμ', οὔτ' εἰ δύναμίς γε παρείη,
βουλοίμην κεν γηραλέοισ' ὤμοισ' ἔτ' ἐνεῖκαι
δρῆν ἀντίρροπον ἄχθος, ὃ δεύεται ἰσχύος ἄκρης,
οἵη θ' ὁπλοτέροισ', οἷσ' αἱμά τε γοῦνά τ' ἐλαφρά.
Αἰσθάνομαι γὰρ ἀφ' οὗ γέ με γῆρας ἔχει κάτα λυγρόν,
ὀλόμενον, καματηρόν, ὅ τε στυγέουσ' ἀγαθοί περ,
βράσσονα γιγνόμενόν τε νόον μείω δέ τε μῆτιν,
καὶ μνήμην μινύθουσαν ἁπάσης μητέρα τέχνης.

Οὐ μὲν ἐμοὶ φίλον ἐστ' ἐμέθεν πέρι ἀγοράεσθαι
αὐτοί, ἀλλ' ἀρέκοντά μ' ἐφέλκεται οἶμος ἀοιδῆς
καιρός τ', ὄφρ' ἔμπης διαρείπω τοῖα φίλοισιν.
Κλῦτ' ἄρα μοι καὶ μὴ χαλεπαίνετέ μ' ἀφραδέοντι.

Ἔστι τις ἐν Φρισίῃ ποντοκλύστῳ ἐνὶ χώρῃ
κώμη, τὴν ἄνδρες Βηστερσκάγην καλέουσι,
οὔ τι μάλα μεγάλη γ', ἀλλ' οὐδ' ἐλαχεῖα τέτυκται,
δενδρήεσσ', ἅμα τ' αὖ ἐρατοὺς λειμῶνας ἔχουσα,
ἐν δ' ἄνδρες ναίουσι πολύρρηνες πολυβοῦται.

Digitized by Google

Ἔνθα φάοσδέ μ᾽ ἔηκε μογοστόκος Εἰλείθυια
ἐσθλοῖσιν τοκέεσσ᾽, ἀκτήμοσι δὲ χρυσοῖο,
τριτογόνον, τρεῖς δ᾽ αὖτε κασιγνήτας μοι ἔφυσαν.
Ἦσκε πατὴρ ἱερεύς, ἐναλίγκιος ἀθανάτοισι,
ἀγνότατος, πολλοῖσι τετιμένος ἀνθρώποισι,
Βατταῦος [1]) γενεῇ, μήτηρ δέ μοι εὐπατέρεια
Γερμανὶς γεγαῶσα ἐνίκα φῦλα γυναικῶν
παντοίῃ τ᾽ ἀρετῇ καὶ ϝέργοισιν χαρίεσσι.
Τοίων ἐκγεγαὼς τρεφόμην· ἐν νηπιέῃ δὲ
ἀγρονόμων μετὰ παῖσ᾽ εἴασκόν μ᾽ ἐψιάεσθαι,
δένδρεά τ᾽ ἀμβαίνειν ὑπεράλλεσθαί τε χαράδρας,
ὅττι δέμας σθεναρόν γε νόοιό τε κῖκυν ἀέξοι.
Αὐτὰρ ἐπεὶ ϝέτος ἦλθε περιπλομένων ἐνιαυτῶν
ἕβδομον, ἦ τότε δή σφι δοάσσατο κέρδιον εἶναι,
μή μ᾽ ἔτι, ὡς τὸ πάρος, πᾶν ἦμαρ νηπιαχεύειν,
ἀλλ᾽ ἄρα καί τι δαήμεν᾽, ὅ κ᾽ ἀνέρ᾽ ἐόντα μ᾽ ὀνήσοι.
Καί ῥ᾽ αὐτός μ᾽ ἐδίδασκε πατήρ, ἅτε μυρία ϝειδώς.
Ἀλλ᾽ οὐ δή μ᾽ ἐδίδασχ᾽, ἅ τε Πηλείδην ποτὲ Φοίνιξ,
μύθων τε ῥητῆρ᾽ ἔμεναι πρηκτῆρά τε ϝέργων,
αὐδάων δ᾽ ἀρχαιάων στοιχήια πρῶτα,
φωνήν θ᾽ ἡμετέρην καὶ ϝιστορίην μάλα πολλήν,
ὅσσα τε ϝειδέμεναι χρεὼ ἦν Ἀκαδημοπολίτας.
Καί κε τό γ᾽ ἐξετέλεσσ᾽, εἰ μὴ φάτις ἵκετο δῆμον,
λαίλαπος ἥ τε δέμας πάντων τότε θυμὸν ὄρινεν,
εἰς Ἀκαδημείας φοιτᾶν ὅτι οὐ θέμις ἔσται,
ὅστις μὴ κρινθῇ εὖ δημοσίῃ δοκιμασθείς.
Ταῦτα δαείς μ᾽ Ἄσσην εὖ ναιόμενον πτολίεθρον

---

1) Metri causa pro Βαταβός sive Βατάουος.

Digitized by Google

πέμψ' εἰς Νάσσαυον τότε παιδηγῶν ὄχ' ἄριστον,
ὃς φρένα μ' ἐμπλήσειε μαθήσιος, ἧς γ' ἐπιδευής,
ἐσθλότατος γενέτωρ, δαπανῇσί περ αἰνὰ πιεσθείς,
καὶ ϝέτεα μεγάρων δυοκαίδεκα μ' ἐκτὸς ἔθρεψε,
πρίν γε ϝάλις βίοτον δυνάμην κατ' ἐμαυτὸν ἀγεῖραι.

Ἄσσηθεν Λείδην Βαταϝῶν πόλιν εὐρυάγυιαν
εἰσελθὼν ἐγώ, ἔνθα κικλήσκεται ἄγλαον ἄλσος
Μουσάων, ἐβίων Ῥήνου παρὰ καλὰ ῥέεθρα,
οὗ πάντων Κωβὴτ ἐϝάνασσ', ἀριδείκετος ἀνδρῶν,
Ἑλλήνων ὄχ' ἄριστος, ὃ κλέος οὐρανὸν ἶκεν.
Ὅσσον ἐγώ ϝε ϝιδὼν τε κλυὼν τ' ἐτεθήπεα θυμῷ!
Ἦ γὰρ κεῖνος ἀνήρ, ὅσσ' οὐ φρονέουσι δέκ' ἄνδρες,
οἷοι νῦν βροτοί εἰσι, τόσ' οἷος ἐπίστατο πάντα·
οὐδ' ἔτι τοῖον ἐνὶ φρεσὶ ϝέλπομαι εἰσόψεσθαι.
Πολλοῖσιν τότ' ἐκεῖ μεθομίλεον, οὓς φιλέεσκον,
τῶν πλείστους ἤδη κατέχει φυσίζοος αἶα.
Κεῖται Κίλ [1]) ἠύς, βασιλῆα τόθ' ὃν τ' ὀνομαίνειν
ἦν ἑτάροισι ϝέθος, ἐπεὶ σκήπτρῳ ἐδάμασσε
ἡμῶν ὁπλοτέρους, κεῖται δέ τε Ῥίγκεσος [2]) ἥρως,
Ἀλβερτσμά τε μέγας, τὸν ἐγὼ πλεῖστον φιλέεσκον,
ὅς ποτ' ἐν Ὑνσείοισιν [3]) ἔχ' Ἑλλήνων θρόνον ἐσθλόν,
Δυριεύς [4]) τ' ἀγαθός, πολλὸν χρόνον ὅς τ' ἴθυνεν
ἐν Λείδης πόλιι πυκινῇ φρενὶ βυβλιοθήκην,
τοῖν μέτα πόλλ' ἔπαθον, ἐπί τε τραφερήν τε καὶ ὑγρὴν
πιστοτάτοιν ἑτάροιν σοφίης ἕνεκέν γ' ἐπαληθείς.

---

1) = Kiehl. 2) = Rinkes.
3) i. e. Groninganis, ita dictis ab Hunse, parvo flumine.
4) = Durieu.

Digitized by Google

Κεῖνται δ' ἄλλοι ὅσοι μοι ὁμήλικες, οὓς, ὅτι πολλὸν
κρείσσονες ἦσαν ἐμοῦ καὶ ἀρείονες οὐκ ὀλίγον περ,
θηρότερόν ζωοῖσι μετέσσεσθαι τότ' ὄιον.
Ἀλλ' οὕτως Δί' ἔμελλεν ὑπερμενέϊ φίλον εἶναι.

Αὐτὰρ ὅτ' ὄγδοος ἦλθε περιτροπέων ἐνιαυτός,
νῶϊ ἐπαγαλλομένω τιμῇσ' ἀκαδημιακῇσι,
Ἀλβερτσμαν καὶ ἐμέ, σοφίης ἔρος αἰνὸς ἔλεσκε
μείζονος ἐξάγαγέν τ' εἰς ἀλλοθρόους ἀνθρώπους,
πατρίδα μὲν προλιπόνθ', ὥσπερ πολύμητις Ὀδυσσεύς,
ὃς πόλλ' ἀνθρώπων ῥίδε ῥάστεα καὶ νόον ἔγνω,
πρῶτα δὲ Λουτετίηνδ', ἣν ἄνθρωποι Βαβυλῶνα
πολλοὶ κικλήσκουσ', ἄλλοι δ' ἔδος οὐρανιώνων.
ἔνθ' ἄρα Κωβητοῖο φίλω, Δύβνηρ τε καὶ Ἄσος [1]),
γήραϊ κυφὸς ὁ μὲν σημάντωρ βυβλιοθήκης,
Δύβνηρ δ' ὁπλότερος γενεῇ, πεπνυμένω ἄμφω,
νῶι μέγ' ὤνησάν γε νόῳ καὶ ἐπίφρονι βουλῇ,
νῶί τε καὶ Δυριῆα, ὃς ὕστερον ἵκετο κεῖσε.
Τίς δ' ἄρ' ἔην βίος ἡμιν ἐρωτᾷς; ἐκφερέω σοι.
ὄφρα μὲν ἠὼς ἦν καὶ ἀέξετο ἱερὸν ἦμαρ,
τόφρα μάλ' ἀντίγραφα περιείπομεν ἐν κονίῃσιν,
γράμματ' ὅπως ῥα παλαιὰ δαέντες μυριόμορφα
γραπτῶν ἕλκε' ἔπειτα δυναίμεθα ἐξακέσασθαι·
ἦμος δ' ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει,
ἄρτῳ τέρψαντες θυμὸν γλυκερῷ τε γάλακτι,
καρπαλίμως ἐπὶ ῥέργον ἐνισσόμεθ' ὕστερον αὖτις.
ἦμος δ' ἠέλιος κατέδυ καὶ ἐπὶ κνέφας ἦλθε,

---

1) = Haase.

Digitized by Google

δόρπον τὸν λαρὸν Γαλατῶν κέθος ἦεν ἐλέσθαι
οὐ τύχοι, οὐδέ τι θυμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐίσης.
αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρος εἶτο,
λάψαντας Βολεκάρδοισιν [1]) μελιηδέα μόκκαν
κωμικὰ καὶ τραγικά τινα παίσματα ἦτορ ἴαινον.
κυριακῇ δὲ κεκάστῃ, ὅτ' ἔπλετο νήνεμος αἰθὴρ
ἀννέφελός τ', αἰεὶ προλιπεῖν κέθος ἦν μέγα κάστυ
οὔρε' ἐπὶ σκιόεντ' ἢ βήσσας ἀνθεμοέσσας
ἠὲ καὶ ἐν πλοίῳ ποταμὸν κάτα δινήεντα.

Ἔνθεν δ' Ἰταλίην εὐδείελον εἰσαφίκανον
καὶ Φλωρεντίνων ἀνδρῶν δῆμόν τε πόλιν τε,
οὐ περ δὴ τότ' ἔμεινα τελεσφόρον εἰς ἐνιαυτόν,
κέργα τε δαιδάλεα θηεύμενος ἤματα πάντα
καὶ περὶ βύβλων ἀρχαίων φρεσὶ μερμηρίζων,
αἰὲν ἀκειόμενος ψυχῆς πολυκαγκέα δίψαν.
Αὐτὰρ ἔπειτ' εἰς κρᾶτ' ἀνέβην γαίης πολυφόρβου.
Ὦ Ῥώμη ἱερὴ ξανθὸν παρὰ Θύμβριδος ὕδωρ,
πῶς ἄρα σ' ὑμνήσω πάντως εὔυμνον ἐοῦσαν;
πόλλ' ἔγιδες καὶ πόλλ' ἔπαθες καὶ πόλλ' ἐμόγησας,
νῦν δέ τ' ἔτ' αἰώνων μυστήρια πόλλ' ἀναφαίνεις,
θαῦμ' ἀρχαιολόγῳ καὶ ποιητῇσιν ἀοιδή.
Ὅς τε δ' ἅπαξ Τρεκίης κρήνης ἔπιεν μέλαν ὕδωρ,
λήσεται οὔποτε σεῖ, οὐδ' εἰ πίεν ὕδατα Λήθης!

Πολλά γ' ἔτι πτολίεθρα πολυσπερέων ἀνθρώπων
μοῦνος ἐὼν κίδον ἠδ' ἐτεθήπεα ἠὲ μετ' ἄλλων

---

1) = les Boulevards.

Digitized by Google

εὐκλεέων Ἰταλῶν καὶ Ἰβήρων αὖ μεγαθύμων
ἠδ' ἔτι Γερμάνων, πολυπίδριες οἵ περ ἔασιν,
(ὧν ἐὺ μέμνημαι ἀνδρῶν πολέων τε καὶ ἐσθλῶν),
πρίν γ' ἀπονοστῆσαί ῥα φίλην εἰς πατρίδα γαῖαν
πεικοσινεπταετής, φρονιμώτερος οὐκ ὀλίγον περ,
εἰ γε κατ' Ἐμπεδοκλῆα „μάθη" ἀνδρὸς „νόον αὔξει".

Νοστήσας δ' ἄρ' ἔρεζον, ὃ καὶ πρόσθεν ποτ' ἔρεξα,
γράμματα πεφραδέμεν Ἑλληνικὰ ἠδὲ Λατῖνα,
πρῶτον μὲν πιδίῃ, μετέπειτα δὲ δημοκέλευστος.
Καί θ' ἅμ' ἐμερμήριζον, ὅσος χρόνος ἦν ὑπόλοιπος,
συγγραφέων δέλτοισι παλαιῶν ἐπικεκυφώς,
ἕλκεα τε μεμαώς τιν' ἀναίματα ἐξακέσασθαι,
γραμματικῇ τέχνῃ καὶ πιδριίηφι πεποιθώς,
νύκτα δι' ὀρφναίην, ὅτε θ' εὕδουσιν βροτοὶ ἄλλοι,
πολλάκι δὴ μογέων, εἰ πέργου πλῆθος ἀνώγοι.
πειρώμην γὰρ δὴ γραφέμεν ὅ τι ἄξιον εἴη
μνήμης, καί τι ἔρεξ', ὁτὲ μὲν πίπτων ὁτὲ δ' οὐκί,
— οὐδέ τι τοξόται ἄκροι ἀεὶ τύχον οὓ ἐστοχάσαντο,
πολλοὶ γὰρ ναρθηκοφόροι παῦροι δέ τε βάκχοι, —
ἀλλ' ἄνδρες γε σοφοί, οἷσ' ἔπραδεν οἷά τ' ἔρεξα,
ποίησάν μ' ἄρ' ἐόντα νέον ἔτι τήνδε καθέδραν
Καρστενίοιο θανόντος ἀγάκλυτον εἰσαναβῆναι.
Ἑξηκόστῳ δ' οὖν πετεῖ προσεληλύθε' ἤδη
τέτρατον αἰῶνος προτέροι', ὅτε γυμνάσιόν τε
καὶ πόλιν ἐκπρολιπὼν Ἄγης ἐγὼ ἐνθάδ' ἵκανον,
πρῶτον μὲν δισσὴν σοφίην, μετέπειτα δὲ μούνων
Ἑλλήνων δώσων πάρα γράμματα κουροτέροισιν,
τρισδεκάτῳ πετεῖ μετὰ ταῦτ' ἐπελευσομένοιο

Digitized by Google

Φραγκενίου τριποθήτου ἐμοὶ δεῦρ', Αὐσονιάων
Μουσάων ὄφρ' ἠνίοχος ἦ πολλὸν ἀμείνων.
Πιερίδες γὰρ ἔχουσιν ἐμοὶ πολὺ μεῖζον' ἴυγγα,
αἳ θ' Ἑλικῶνος ἔχουσαι Ὀλύμπου τ' αἰπὰ κάρηνα
πεζαὶ πρὸς Δαναοὺς ἠ' ἅρμασιν ἐν κατέβαινον
κλείουσαί τε θεοὺς ἠδὲ θνητῶν κλέε' ἀνδρῶν.

Μούσας τιμῆσαι βροτῷ ἀνέρι ϝηδὺ τέτυκται
ϝέργον, ὅ τ' οὐ ϝέρδοι κεν ἄμεινον ἢ εἰ, μάλα πίδρις
αὐδῆς ἣν ἴεσαν, νοέοι νοέειν τε διδάσκοι
ἄλλους ἀτρεκέως, ἅ τε θέλτοισ' ἐγκεχάρακται.
Πάσης δὴ σοφίης ἀρχαιολόγοιο θέμεθλον
γραμματικὴν δοκέων — καὶ συμφήσουσι σοφοί μοι —,
τὴν ἐδίδαξ', ὡς μὲν δυνάμην, οὐ δ' ὡς ἐθέλεσκον
αἰέν, ἐπεὶ θαμά μοι ὁρμήματα νοῦσος ἐπέσχεν·
ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς
ἀνέρος, εὖτέ κέ μιν κατὰ νουσερὸν ἦμαρ ἕλῃσιν.
Ἀλλ' ἔμπης οὐ πάμπαν ἀνήνυτος ἔσκε πόνος μοι·
φοιτηταὶ γὰρ ἐμοὶ ἤδη πολέες τε καὶ ἐσθλοὶ
παιδείας σκήπτρῳ γε τετίμηνται περὶ πάντων.
Ἦν χρόνος, οὐ πολλῶν γε περιπλομένων ἐνιαυτῶν,
πένθ' ὅτε δὶς καὶ τρίς μοι ἀκουέμεναι μεμαῶτες
σπουδῆς θεσπεσίης ἐμπλήμενοι ἠγερέθοντο·
βάθρα δὲ νῦν κενεά. ἦ τοι τὰ χερείονα νικᾷ·
εἰμὶ δ' ὁμοῖος ἐγώ γε διδασκάλῳ, ὅς ποτε δοιοὺς
φοιτητῆρας ἔχων μούνους, ὅτ' ἄρ' ἤρετό μίν τις,
ὁππόσοι εἰέν ϝοι, ἀπεμείβετο· „Σύν γε θεοῖσιν,
ὦ φίλ', ἔχω δυοκαίδεκ'" — ἔχεν δὲ δέκ' ἐν μεγάροισι
Μουσάων πολυδαίδαλ' ἀγάλματα καὶ Φοίβοιο.

Digitized by Google

Φθέγγομαι οἷς θέμις ἐστί, θύρας δ' ἐπιθέσθε βεβήλοις·
πάντῃ δ' ἐν δήμῳ μινύθει φιλόμουσος ἀριθμὸς
ἀρχαίων θιασωτάων. — Τί νυν αἴτιόν ἐστιν;
ἦ ὅτι οὐκέθ' ὁμῇ τάδε νῦν τίθεται ἐνὶ τιμῇ,
ἠὲ δι' ἔνδειαν βιότου καὶ γαστέρ' ἄναλτον
παυρότεροι μεθέπουσ' ἀρετήν, ἣ πατέρες ἧμων
νίκων κέθνεα πάντα πολυσπερέων ἀνθρώπων;
Ἀνέρες ἐστέ, φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς,
σώετε δ' ἀκρόπολιν, τὴν δειμάμενοί ποτε κεῖνοι
ὔμιν τειχίσσαι παρέδον καινοῖσι λίθοισιν·
ὑμέτερον τόδε κέργον· ἐνὶ στήθεσσι δ' ἔθηκε
δαίμων ὑμετέροισι μένος καὶ ἀγήνορα θυμόν.
Οὐκ ἔτυμον κέπος ἔστ' ἀνδρῶν ὑπερηνορεόντων
τρυζόντων ματίην τινά γ' ἔμμεναι ἀρχαιάων
αὐδάων πόνον ἀργαλέον, καὶ κέργα παλαιὰ
οὔ τι ὀνησέμεναι ἡμὸν βίον. — Εἴ γε βίον μὲν
τοί γε λέγουσ' ἔσθειν καὶ πινέμεναι, τί μάλα χρὴ
ἀντιλέγειν; εἰ δ' αὖ νοέειν φρονέειν τε, τί ἄλλο
βέλτερον ἠὲ σοφοῖσι μάλ' ἀνδράσι νωλεμὲς αἰεὶ
μίσγεσθ', ὧν μύθοισι χάρις ἐπενήνοθε πολλή,
εἴτ' ἄρα πεζοὶ ἴασ', εἴθ' ἅρμασιν ἐμβεβάασιν,
ῥητήρων πρῶτοι καὶ ἀοιδῶν ἱεροφώνων;
Οὐδ' αὖ ἔγωγέ τί φημι τέλος χαριέστερον εἶναι
ἠὲ παλαιγενέων καὶ δαιμονίων ἀνθρώπων,
καινυμένων σοφίῃ πλείστους οἳ νῦν βροτοί εἰσιν,
κήθε' ἐρευνῆσαι βιότόν θ', ὅς γ' ἔτρεφε τοίους!
Μηδ' αὖ οἵετε ταῦτα κάλις ῥεχθῆναι ὑπ' ἄλλων,
νῦν δ' οὔ τι ῥέξαι περιέμμεναι ὁπλοτέροισιν.
Μυριετής γε πόνος ἀρχαιολόγοισ' ἔτι πᾶσιν,

Digitized by Google

πρὶν δὴ ἀρίγνωτα καὶ ἀκέστ' ἄρα πάντα πέλεσθαι.
Δενδρέου ὡς ἐπὶ κλωνὶ μελισσάων ἀδινάων
ϝέθνε' ἀέξεται, ὣς ἀπορήματα ἐμμενὲς αἰεὶ
γραμματικοὺς κλονέοντ' ἐπισεύεται ἄλλοθεν ἄλλο.
Συγγραφέας τ' οὔ πω λέγομεν, ὧν βυβλία πολλὰ
ἐφθίσθαι δοκέοντα Ὀλύμπιος ἧκε φάοσδε,
Βακχυλίδην ἠδ' Ἠρώνδην δῖόν θ' Ὑπερείδην
ἄλλους τ', οὐδ' ἄρα τοὺς μουνωσέμεναί μιν ὀίω.
Σιγάομεν δέ θ' ὅσα μνημήοισ' ἐγκεχάρακται,
ὅσσους τ' Αἴγυπτος χάδεν ἠὲ κέχονδε παπύρους.
Πόλλ' ἔτι τίς κ' ἔσποι περὶ τῶν· ἐχθρόν δέ μοί ἐστιν
αὖτις ἀριζήλως ϝερρημένα μυθολογεύειν.

Οὔ τοι ἐγὼ μετέπειτα φίλοισ' ὀδὸν ἡγεμονεύσω,
ἥξει δ' εἰς ὑμάς τις ἀνὴρ ἠύς τε μέγας τε [1])
ἐκ νοτίης γαίης, ἀτὰρ ἡμέτερος πολιητής,
φοιτητήρ ποτ' ἐμός, διὰ νῦν δέχθαι ἐμὲ μέλλων,
ὃς στιβαροῖσι βραχίοσ' ἐλὼν τόδε ὄβριμον ἄχθος
ὑμας ἐποτρύνειε θοοὺς ἔμεν' ὡς τὸ πάρος περ·
αὐτὸς δ' ὅσσα κέ μοι ἄρ' ἔτ' ἤματα ἐγγυαλίξῃ
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης ὔμεας ἔτ' ὀνῆσαι ἑτοῖμος
ϝέργοισ' ἢ ϝέπεσι, σπουδῆς τ' ἔσομαι παράδειγμα,
ὄφρ' ὔμιν μετέω καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ.
Ἀλλὰ σοφῶς γὰρ ἔϝειπεν ἀνὴρ Κραναός τις ἀείδων·
„ἵππῳ γηράσκοντι τὰ μείονα κύκλ' ἐπίβαλλε".
Οὐδ' ἄλλο φρονέων ἔφαθ' Ἑσπέριός τις ἀοιδός·
„ὥρια λῦσαι χρὴ ἵππον γηρῶνθ' ὑφ' ἁμάξης,

---

1) J. C. Vollgraff.

Digitized by Google

πρίν κ' ὀλιγηπελέων παρέχῃ γέλον εἰσοράουσιν".
καὶ πόλι' ἔϝραδε τά· τῇ δὲ χρὴ πάντα πιθέσθαι.

Φραζόμενός νυν ἐγὼ τὸν ἐμὸν βίον ἄμμορος εἶναι
οὐ δοκέω, εἰ χρή γε Μελητιάδῃ τι πιθέσθαι,
ὃς φάτ' „ἐπεκλώσαντο θεοὶ δϝειλοῖσι βροτοῖσι,
ζωέμεν' ἀχνυμένοισ' αὐτοὶ δέ τ' ἀκηδέες εἰσί·
δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὐδῷ
δώρων οἷα διδῶσι, κακῶν, ἕτερος δέ τ' ἐάων."
Μυρία μὲν γὰρ ἐμοὶ πόρεν ἔσθλ' ὅ γε, παῦρα δὲ λυγρά.
Ἐσθλοὺς δῶκε τοκῆας, ὧ ἄμφω γῆρας ἱκέσθην,
ἠδὲ νέῳ ἔτ' ἐόντ' ἄλοχον, τῇ τ' ὤπασ' Ἀθήνη
ϝέργα τ' ἐπίστασθαι περικαλλέα καὶ φρένας ἐσθλάς,
οἷαι ἔσαν Ϝεκάβη ἠδ' Ἀνδρομάχη καὶ ἀγαυὴ
Πηνελόπει', εὐϝεργεσίῃσ' ἅς πολλὸν ἐνίκα·
ἣ τρία μοι τέκε τέκνα, ἅμ' ἀγλαΐην καὶ ὄνειαρ.
Κεδνοὺς δ' αἰὲν ἔχον γ' ἑτάρους κεδνούς τε μαθητάς,
σήμερον ὧν παρεόντες ἐμῶν μύθων τ' ἀΐοντες
οὐκ ὀλίγοι τέρπουσί με δακρυόεν γελάοντα,
ὄφρα κε κυδαίνωσιν ὀφέλλωσίν τέ με τιμῇ.
Πλοῦτόν ῥ' οὔ τι ὄπασσε θεός, βίοτον δὲ ϝάλις μοι·
καί θ' ἅμα κήδε' ἀπῆν παρά τ' ἦν μοι πείρατα τέχνης,
βυβλία, τῶν ἄτερ οὐ ῥέζοι κέ τις οὐδ' ἠβαιόν.
Τῶν θ' οἵ μ' ἐνθάδ' ἔσαν ἑτάρων φάος εἰσοράονται
οἱ μὲν ἔτ' ἠελίου, οἱ δ' ἐν Ἀΐδαο δόμοισι,
Μόλστηρ, Φραγκένιος καὶ Ἴογγος [1]), φίλτατοι ἀνδρῶν,
Μουσάων οἱ ἐμεῖο μέθ' ἅρματα ἡνιόχευον,

1) P. de Jong, litterarum orientalium professor, Molster autem docebat litteras Nederlandicas, Francken, cui van der Vliet successit Latinas, ut norunt omnes.

Digitized by Google

καπφθιμένων δὲ φίλων χῶρος πλῆθ' αὖτις ὑπ' ἄλλων.
Πῶς δέ κε θνητὸς ἐὼν ἤλυσκον ἐγώ γ' ἀλεγεινά;
τῶν ἄρα λυγροτάτῳ ἐνέκυρσ' ἐπὶ γήραος οὐδῷ,
ὅ με κατ' οὖν ἔβαλεν, καί τ' οὐτάμενός περ ἀνέστην
νῦν μόγις· οὐδὲ γὰρ ἀνέρ' ἀνιηρέστερόν ἐστιν
ἄλγος ἢ εἴ κ' ἄλοχόν μιν ἐπίφρονα, ἧς περὶ θυμῷ
ἠράσατ', αἶψ' ἀφέλῃ θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.
Οὐ θνητῶν ξυνόν με λάχος, ὅσα τ' ἄλλα ϝέϝοικε
αὐδᾶσθαι χηρῷ, ὤνησε τόσον τόθ', ὅσον περ
πλείονος ἠμὲν ἔρος σοφίης πολυϝιδριίης τε
ἠδὲ πόνος πολύμοχθος, ὃς ἀνθρώποις μέγ' ὄνειαρ·
δυάων γὰρ ἀνηκέστων νόον αἰὲν ἀποσπᾷ,
τρωπῶν εἰς τά κ' ὀνήσαι, ἀγάλλων δὴ βίον ἀνδρῶν.
Θαρσήσας νυν ἐγὼ τὰ τλήσομαι ἅσσ' ἄρ' ἐμοί γε
πέπρωτ', ὄφρα κε δή με ὁμὴ σορὸς ἀμφικαλύψῃ.

Ϝέργ' ἄρ' ἔμ' ἐξεσάωσε, σαώσει δ', ὦ φίλοι, ὑμας,
εἴ ποτε λευγαλέον χ' ὕμων φρένα ἄλγος ἵκηται
— τίς δέ ποτ' ἔπλετο πάμπαν ἀδάκρυτος καὶ ἀπήμων! —
μνησαμένους αἰεὶ ϝέπεος κλυτοῦ Ἡσιοδείου·
„ϝέργον δ' οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη δέ τ' ὄνειδος."
Ἀεργὸς δὲ τέτυκται „ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης".
Σπουδὴ δ' ἀνδρὶ βροτῷ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι,
ὃς σπεύδῃ γ' ἀγαθόν, τὸ δὴ ἄλλ' ἄλλοισι τέτυκται·
εἰ δέ κε μὴ σπεύδῃς, οὐ ζώεις ἀλλὰ τέθνηκας.
ξυνός τοι πᾶσιν πέλεται ϑϝειλοῖσι βροτοῖσι
θεσμὸς ὅδ', ὡς ὅς τις μογέει μάλα πρόφρονι θυμῷ,
οὔ ποτε πάμπαν ὄλωλ', ἀλλ' ὕστερον, εἴ γε μὴ αἶψα,
ὀρθοῦτ', εἰ δὲ μὴ αὐτὸς ἀνήρ, γενεὴ μετόπισθεν.

Digitized by Google

Παυσόμενος ρεπέων πῶς κεν κλειτοῖο λαθοίμην
ἀνέρρς, ὅν τ' ἐν τῇδ' ἀγορῇ ποθέω πανάριστον,
ρερχθέντ' ἀγρομένοισι μετέμμεναι; ἀργαλέη γὰρ
νοῦσος ἐλοῦσ' ἐδάμασσε φιλον καὶ ἀγήνορα φῶτα,
ὃς ρετέων δεκάδ' ἐσθλὸς ἐμοὶ ἐπιτάρροθος ἦεν.
Ζεῦ ὕψιστε μέγιστε κελαινεφὲς αἰθέρι ναίων,
ἦμας μή ρ' ἀφέλῃς· μάλα γάρ τ' ἐπιδευέες ἐσμέν.
εἰ δὲ χρή ρ' ἤδη θανέμεν καὶ ποτμὸν ἐπισπεῖν,
πόλλ' ἔ γε βυβλία καλὰ νόου πυκινοῖο λελοιπὼς
καρπούς, οὔ τι μάτην ἐβίω! Πολλοῖσι μὲν οὕτως
πένθος ἀνάσχετον ἔσσετ', ἀτάρ ρου μνησόμεθ' αἰεί,
λείψανα γάρ τ' ἀγαθῶν χρόνος οὐχ οἷός τ' ἀφελέσθαι,
ἀλλ' ἀρετὴ λάμπει φωτῶν κατατεθνηώτων![1])

Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, ἵλητέ μοι, ὅς τις ἀοιδὸς
οὔ περ ἐὼν τάδ' ἄεισα ἐν ἑκμέτροισι τόνοισι,
γηραλέου στόματος ἀφιεὶς μέλος ἠύτε κύκνος.
οὔ θην ρέργον ἐσαῦτις ἐγὼ ῥέξω ἀθέμιστον!

Χαίρετε δή, φίλοι ἄνδρες ὁμοῦ νέοι ἠδὲ παλαιοί,
καὶ μνήσασθ' ἐμέθεν, ὡς οὔποτε λήσομαι ὑμῶν.

Tribus viris amicissimis et aestumatissimis, S. A. Naber, J. C. Matthes, E. H. Renkema, qui postquam peroravi, praeter merita, ut in tali occasione fieri solet, me

1) Cf. Eurip. Androm. 778 sqq. Dicta haec sunt de collega aestumatissimo J. van der Vliet.

Digitized by Google

laudarunt, offerentes mihi pretiosissimum *Album gratulatorium* a multis eruditis tam nostratibus quam extraneis compositum, gratias egi recitando hance elegiolam:

Οὐ „μύθων ῥητῆρα" πατὴρ ἔμεναί μ' ἐδίδαξεν,
οὐδὲ φύσις πόρε μοι, καὐφασία μ' ἄρ' ἔχει.
Πολλάκις ἤ γε βίῳ κρατεροῖσ' ἐπέδησέ με δεσμοῖς,
οὔποτε μὴν δάμασέν μ' ἄλγιον ἠὲ τὰ νῦν.
Ὑμεῖς γάρ με τόσαισι, φίλοι, ὀλβίζετε τιμαῖς,
ὥστε με συγχεῖσθαι καὐδόι καὶ χάριτι,
βατταρίσαι τε ψελλοῖσιν μοῦνόν με δύνασθαι
χείλεσι φαῦλον ἔπος „Ὑμιν ἐγῷδα χάριν".
φαῦλον ἔπος, κεδνὸν δὲ νόον γ' ἔντοσθε κεκευθός,
ψευδοῦς καλλιεποῦς λῷον, ἀληθὲς ἄτ' ὄν.

Digitized by Google



ΝΑΡΔΟΣ ΠΙΣΤΙΚΗ.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

Venit nuper ad me Michelsenius meus et, qui noster mos est, data redditaque salute, quum nihil non percontando summatim attingebamus, mox brevi mora interposita attuli Tischendorfianum Novi Testamenti exemplar, ut experiremur numquid nobis contingeret conferre ad meliorem Sacrae Scripturae intelligentiam. Uti aequum est, nihil describam eorum quae amicus tunc ex larga penu depromsit, nam summo opere spero fore ut aliquando in lucem ipse proferat quae aliis debentur; sed tandem me rogavit ecquid esset illa *νάρδος πιστική*, quam Marcus et Iohannes Evangelistae appellarunt. Ego id saepe quaesieram et nuper narrationem diligenter examinaram, lecta Manenii disputatione in *Ephemer. Theol.* 1901 p. 1 de Lucae loco, qui exposuit quomodo in Simonis domo mulier peccatrix Iesum laverit et unxerit; sed semper frustra fueram et omnem corrigendi spem iamdudum abieceram; verumenimvero *τὸ ζητούμενον ἀλωτόν* et quod optanti vix ipsae Musae promittere auderent, id, credo, volvenda dies, en, attulit ultro.

Omnium primum operae pretium esse duco quatuor Evangelistarum narrationes accurate describere, ne quid nobis pereat quod pertineat ad quaestionem solvendam. Ac iam statim animadvertimus trium testium concordantiam, sed solus Lucas in alia omnia abit. Hunc igitur tribus verbis dimittemus; locus est VII 36: *ἠρώτα δέ τις αὐτὸν τῶν Φαρισαίων ἵνα φάγῃ μετ' αὐτοῦ· καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸν οἶκον τοῦ Φαρισαίου κατεκλίθη. καὶ*

Digitized by Google

ἰδοὺ γυνὴ ἥτις ἦν ἐν τῇ πόλει ἁμαρτοῦσα, καὶ ἐπιγνοῦσα ὅτι κατάκειται ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ Φαρισαίου, κομίσασα ἀλάβαστρον μύρου καὶ στᾶσα ὀπίσω παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ κλαίουσα τοῖς δάκρυσιν ἤρξατο βρέχειν τοὺς πόδας αὐτοῦ καὶ ταῖς θριξὶν τῆς κεφαλῆς αὐτῆς ἐξέμαξεν, καὶ κατεφίλει τοὺς πόδας αὐτοῦ καὶ ἤλειφεν τῷ μύρῳ. Haud uno nomine est notabilis haec traditio et imprimis me adverterunt Iesu verba ad Simonem Pharisaeum: *βλέπεις ταύτην τὴν γυναῖκα; εἰσῆλθόν σου εἰς τὴν οἰκίαν, ὕδωρ μοι ἐπὶ τοὺς πόδας [οὐκ] ἔδωκας, αὕτη δὲ τοῖς δάκρυσιν ἔβρεξέ μου τοὺς πόδας καὶ ταῖς θριξὶν αὐτῆς ἐξέμαξεν. φίλημά μοι [οὐκ] ἔδωκας, αὕτη δὲ ἀφ' ἧς εἰσῆλθον* (sed malo: *εἰσῆλθεν*) *οὐ διέλειπε καταφιλοῦσά μου τοὺς πόδας. ἐλαίῳ τὴν κεφαλήν μου [οὐκ] ἤλειψας, αὕτη δὲ μύρῳ ἤλειψέ μου τοὺς πόδας,* nam teneo quod contendi *Mnem.* 1881 p. 283 ter tollendam esse negationem, quae stulto librariorum iudicio se in Sacrum Codicem insinuaverit. Quid enim? Certa sunt officia quae convivator praestare debet iis quos invitavit ad coenam; haec nobis philologis satis nota sunt; sed comperi etiamnunc esse inter theologos, qui addubitarent quae minus cognovissent. Si quis quem adiret, ut intelligeret se amari et iucundum hospitem adesse, dominus eum osculo excipiebat; non contra. Feci quod potui ut hoc lectoribus persuaderem *Mnem.* 1883 p. 35. Veluti ut ex ipso Novo Testamento locum excitem, qui eodem pertinet: Iudas Iscariota, Matth. XXVI 48, satellitibus *ἔδωκε σημεῖον λέγων· ὃν ἂν φιλήσω αὐτός ἐστιν· κρατήσατε αὐτόν.* Fiebat hoc praeter receptum morem itaque *σημεῖον* erat. Ipse Iesus, quia Iudas indecore osculum prior rapuerat, cum accipere debuisset: *Ἑταῖρε,* inquit, *ἐφ' ὃ πάρει;* nec ferre poterat importunum hominem inciviliter familiarem. Hoc est quod tanquam ne nomine quidem notum appellat eum *ἑταῖρον.* Item de Iacobo Patriarcha legimus: *καὶ προσεκύνησεν ἐπὶ τὴν γῆν ἑπτάκις, ἕως τοῦ ἐγγίσαι τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ. Καὶ προσέδραμεν Ἡσαῦ εἰς συνάντησιν αὐτῷ καὶ περιλαβὼν αὐτὸν προσέπεσεν ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ καὶ κατεφίλησεν αὐτόν.* Hoc recte, nam contrarium non minus fuisset absurdum quam si quis prior Imperatorem Romanum voluisset osculari et Domitianus Agricolam ex Britannia reversum brevi osculo excepit, non Agricola Domitianum. Sed quid pluribus opus est? Vetus historia plena est exemplorum. Adstabat praeterea lavacrum —

Digitized by Google

Iohannes in Evangelio XIII 5 *τὸν νιπτῆρα* appellat et tirones velim ad articulum attendant — ad pedes abluendos et caput etiam oleo inungebatur. Putidum est ea de re multa inutiliter congerere: continebo me uno loco laudando, qui legitur Plat. Symp. p. 175: *καὶ ἓ μὲν ἔφη ἀπονίζειν τὸν παῖδα ἵνα κατακέοιτο.* Qui hic loquitur Aristodemus, advenerat sane *ἀνυπόδητος*, cf. p. 173 B, et Iesus certe exemplo suo praeivit, quum apostolis praecipiebat: *μὴ κτήσησθε χρυσόν ... μηδὲ ὑποδήματα·* sed etiamsi calceatus advenerit, nam video viros doctos ea de quaestione dissentire, non tamen minus Simon facere debuit quod officii erat. Conf. Iudic. XIX 21: *αὐτοὶ ἐνίψαντο τοὺς πόδας αὐτῶν καὶ ἔφαγον καὶ ἔπιον.* Etiam hoc persaepe legimus Graecos et Romanos ante epulas inungi solitos fuisse; sed idem quoque mos apud Israelitas obtinebat, quod cum alibi in Sacro codice declaratur, ut infra videbimus, tum ex nostro loco planissime efficitur. Illud igitur teneo quod ante viginti annos perscripsi: „Miror Pharisaei erga convivam quem ipse invitarat, superbiam, nec multo minus ipsum Iesum demiror, qui insignem sibi factam contumeliam aut non senserit aut certe dissimulaverit. Liberum erat Simoni Iesum non invitare, sed postquam invitavit ut rusticitatis crimen effugeret, id omne praestare debuit quod moribus requirebatur. Itidem liberum erat Iesu non ire ad Pharisaeum, sed statim abire debuit, postquam animadvertit sibi debita officia non praestari." Sed loco triplici vitio liberato, e deverticulo in viam; aliud enim est, quod nunc ago.

Relicta Galilaea, — illic enim Simon Pharisaeus secundum Lucam habitabat — Matthaeum in Iudaeam sequamur; legimus XXVI. 6: *τοῦ δὲ Ἰησοῦ γενομένου ἐν Βηθανίᾳ ἐν οἰκίᾳ Σίμωνος τοῦ λεπροῦ, προσῆλθεν αὐτῷ γυνὴ ἔχουσα ἀλάβαστρον μύρου πολυτίμου καὶ κατέχεεν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ ἀνακειμένου. ἰδόντες δὲ οἱ μαθηταὶ ἠγανάκτησαν λέγοντες· εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη; ἐδύνατο γὰρ τοῦτο πραθῆναι πολλοῦ καὶ δοθῆναι πτωχοῖς. γνοὺς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· τί κόπους παρέχετε τῇ γυναικί; ἔργον γὰρ καλὸν εἰργάσατο εἰς ἐμέ. πάντοτε γὰρ τοὺς πτωχοὺς ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν, ἐμὲ δ' οὐ πάντοτε. βαλοῦσα γὰρ αὕτη τὸ μύρον τοῦτο ἐπὶ τοῦ σώματός μου πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με ἐποίησεν.* Vides haud leve discrimen; non enim est mulier peccatrix quae Iesu hunc habet honorem; deinde non pedes illa Iesu

Digitized by Google

ungit, sed caput. Illud quoque me maximo opere advertit quod Iesus addit: *ὅπου ἂν κηρυχθῇ τὸ εὐαγγέλιον τοῦτο ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ, λαληθήσεται καὶ ὃ ἐποίησεν αὕτη εἰς μνημόσυνον αὐτῆς*, nam hoc vaticinium per saeculorum decursum ad hunc usque diem ratum est.

Quod Manenio concedendum est, ab hoc Matthaei loco profecit is cui illa debemus apud Marcum XIV. 3: *καὶ ὄντος αὐτοῦ ἐν Βηθανίᾳ ἐν τῇ οἰκίᾳ Σίμωνος τοῦ λεπροῦ, κατακειμένου αὐτοῦ ἦλθε γυνὴ ἔχουσα ἀλάβαστρον μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς· καὶ συντρίψασα τὸν ἀλάβαστρον κατέχεεν αὐτοῦ τῆς κεφαλῆς. ἦσαν δέ τινες ἀγανακτοῦντες πρὸς ἑαυτούς· εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη τοῦ μύρου γέγονεν; ἠδύνατο γὰρ τοῦτο τὸ μύρον πραθῆναι ἐπάνω δηναρίων τριακοσίων καὶ δοθῆναι τοῖς πτωχοῖς. καὶ ἐνεβριμοῦντο αὐτῇ* ..... cetera quae fere cum Matthaeo conveniunt. Quod autem mulier vasculum dicitur confregisse, id saepe mihi mirationem fecit neque usquam alibi tale quid me legere memini. Unicum novi locum quem admovere fortasse potero. Aeschylus qui tam erat natus ad iocandum quam ad saltandum camelus, dixisse traditur *ἐν Ὀσολόγοις·*

ὅδ' ἐστὶν ὅς ποτ' ἀμφ' ἐμοὶ βέλος
γελωτοποιόν, τὸν κάκοσμον οὐράνην
ἔρριψεν οὐδ' ἥμαρτε· περὶ δ' ἐμῷ κάρᾳ
πληγεῖσ' ἐναυάγησεν ὀρακουμένη
χωρὶς μυρηρῶν τευχέων πνέουσ' ἐμοί.

Sophocli tamen haec impense placuisse videntur itaque imitatus est *ἐν Ἀχαιῶν συνδείπνῳ·*

ἀλλ' ἀμφὶ θυμῷ(?) τὴν κάκοσμον οὐράνην
ἐρριψεν οὐδ' ἥμαρτε· περὶ δ' ἐμῷ κάρᾳ
κατάγνυται τὸ τεῦχος οὐ μύρου πνέον·
ἐδειματούμην δ' οὐ φίλης ὀσμῆς ὕπο.

Adeo verum est ridiculum fieri si quis in campo non suo spectari velit et unumquemque iubemus *ἔρδειν ἣν εἰδείη τέχνην·* facilius tamen insulsum iocum feram, si revera apud veteres moris fuerit *de casser quelqu'un l'encensoir sur le nez.*

Illuc redeo. Apud Iohannem XII 3 convivium est Bethaniae in domo Lazari et Maria Lazari soror est, quae *λαβοῦσα λίτραν νάρδου πιστικῆς πολυτίμου ἤλειψε τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ καὶ ἐξέμαξε ταῖς θριξὶν αὐτῆς τοὺς πόδας αὐτοῦ· ἡ δ' οἰκία ἐπληρώθη*

Digitized by Google

ἐκ τῆς ὀσμῆς τοῦ μύρου. λέγει δὲ Ἰούδας ὁ Ἰσκαριώτης εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, ὁ μέλλων αὐτὸν παραδιδόναι· διὰ τί τοῦτο τὸ μύρον οὐκ ἐπράθη τριακοσίων δηναρίων καὶ ἐδόθη πτωχοῖς; cetera quae fere cum Matthaeo et Marco conveniunt.

Difficile est dicere utrum in quatuor traditionibus plura concinant an discrepent; nec meum est post Manenium in scenam prodire; sed restat unum itemque alterum quod nondum ab omni parte pervestigatum est. Veluti secundum Matthaeum et Marcum mulier quaedam oleum effundit super *caput* Iesu recumbentis; secundum Lucam et Ioannem eius *pedes* ἀλείφει. Quaeritur quid hoc sit ἀλείφειν et quomodo differat verbum χρίειν. Respondet Casaubonus quem omnes, uti opinor, taciti sequuntur, ad hunc ferme modum, *Animadv. ad Athenaeum* p. 976. 23. Ex Hicesio laudarat Athenaeus XV p. 689 C: τῶν μύρων ἃ μέν ἐσι χρίματα, ἃ δ' ἀλείμματα, ad quae verba Magnus Animadversor ita disputat: „Proponitur unguentorum distinctio inter χρίματα et ἀλείμματα, nec dubium esse inter ista discrimen statuendum, etsi difficile est auctorem invenire, qui his vocibus non sit usus promiscue. Ne testimonia procul arcessam, scribit paulo post Athenaeus μυρίσασθαι significare χρίσασθαι ἀλείμμασι — nec multo aliter libro duodecimo ἀλείμμασιν ἐγχρίειν ἑαυτόν. Tamen ut dixi magna differentia est, nam ἀλείφεσθαι proprium voluptariorum et mollium, χρίεσθαι etiam sobriis interdum et ex virtute viventibus convenit." Quae hic statuit Casaubonus de promiscuo usu verissima sunt, nec tamen minus duorum verborum discrimen paulo pressius definiri poterit ac proinde debebit.

Ab Homero principium, apud quem quantum video nihil prorsus interest utrum χρίειν an ἀλείφειν appelles. Telemachum Nestoris filia, γ 466, λοῦσέν τε καὶ ἔχρισεν λίπ' ἐλαίῳ. Similiter δ 49: τοὺς δ' ἐπεὶ οὖν δμῳαὶ λοῦσαν καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ. Contra κ 577: λοεσσαμένω καὶ ἀλειψαμένω λίπ' ἐλαίῳ — δείπνῳ ἐφιζανέτην et Σ 350 Patrocli cadaver λοῦσάν τε καὶ ἤλειψαν λίπ' ἐλαίῳ. Apud Athenienses nec rarum est verbum χρίειν et paulo frequentius legitur ἀλείφειν. Scribit Plato Lysid. p. 217 D: εἴ τίς σου ξανθὰς οὔσας τὰς τρίχας ψιμυθίῳ ἀλείψειε. Aristoph. Vesp. vs. 606:

ὅταν οἴκαδ' ἴω τὸν μισθὸν ἔχων κἄτ' εἰσήκονθ' ἅμα πάντες

Digitized by Google

ἀσπάζωνται διὰ τἀργύριον καὶ πρῶτα μὲν ἡ θυγάτηρ με
ἀπονίζῃ καὶ τῷ πόδ' ἀλείφῃ καὶ προσκύψασα φιλήσῃ.

Complura exempla apud Athenaeum invenio, veluti XII p. 553 A: Cephisodori:

Ἔπειτ' ἐναλείφεσθαι τὸ σῶμά μοι πρίω
μύρον ἴρινον καὶ ῥόδινον, ἄγαμαι Ξανθία·
καὶ τοῖς ποσὶν χωρὶς πρίω μοι βάκχαριν.

Eubuli:

καὶ τοὺς πόδας
ἀλείψατ' αὐτοῦ τῷ Μεγαλλείῳ μύρῳ.

Eiusdem:

ἐν θαλάμῳ μαλακῶς κατακείμενον. ἐν δὲ κύκλῳ νιν
παρθενικαὶ τρυφεραὶ χλανίσιν μαλακαῖς κατάθρυπτοι
τὸν πόδ' ἀμαρακίνοισι μύροις τρίψουσι τὸν ἁβρόν.

Nam pedum frictiones — Malaice *pidjet* appellant — cum unctionibus perpetuo coniunguntur: Ἀντιφάνης ἐν μὲν Ἀλκήσιδι ἐλαίῳ τινὰ ποιεῖ χριόμενον τοὺς πόδας. ἐν δὲ Μητραγύρτῃ φησί·

τήν τε παῖδ' ἀλείμματα
παρὰ τῆς θεοῦ λαβοῦσαν, εἶτα τοὺς πόδας
ἐκέλευ' ἀλείφειν πρῶτον, εἶτα τὰ γόνατα.
ὡς θᾶττον ἡ παῖς δ' ἥψατ' αὐτοῦ τῶν ποδῶν
ἔτριψέ τ', ἀνεπήδησεν.

καὶ ἐν Ζακύνθῳ·

Εἶτ' οὐ δικαίως εἰμὶ φιλογύνης ἐγὼ
καὶ τὰς ἑταίρας ἡδέως πάσας ἔχω;
τουτὶ γὰρ αὐτὸ πρῶτον ὃ σὺ ποιεῖς, παθεῖν,
μαλακαῖς καλαῖς τε χερσὶ τριφθῆναι πόδας,
πῶς οὐχὶ σεμνόν ἐστι;

Itaque dixeris vere scribere Lactantium, cuius locum Henrico Stephano debeo VIII p. 1689 B, Graecos veteres χρίεσθαι dixisse ungi quod postea ἀλείφεσθαι et omnino concedo huius verbi paulo crebriorem usum esse apud Athenienses; interest tamen aliquid ac multum quidem, nam pedes, uti et reliquum corpus, sicuti inunguntur et fricantur, ἀλείφονται et τρίβονται· effuso autem oleo caput proprio sensu χρίεται. Est hoc imprimis videre in Sacra Scriptura, in qua sacerdotes uti et reges sacro oleo perunguntur, quod quomodo conficiendum sit, accurate exponitur Exod. XXX 22; perpetuo hoc χρίειν dicitur et quis

Digitized by Google

sustineret Iesum appellare non Χριστόν sed Ἀλειπτόν; Rex est ac proinde κέχριται et Χριστός est; sed hunc usum veteres Graeci perpetuo ignorarunt; Ecclesia autem diu retinuit, veluti apud Anglos usque ad Iacobum II et apud Francos usque ad Carolum X. Quod ad Israelitas attinet, legimus 3 Regg. I 39: ἔλαβε Σαδὼκ ὁ ἱερεὺς τὸ κέρας τοῦ ἐλαίου ἐκ τῆς σκηνῆς καὶ ἔχρισε τὸν Σαλωμών. Psalm. 89. 21: εὗρον Δαυὶδ τὸν δοῦλόν μου, ἐν ἐλαίῳ ἁγίῳ ἔχρισα αὐτόν. Est hoc verbum in sacro codice μυριόλεκτον. Contra de profano usu Esth. II 12: virgines regi destinatae μῆνας ἓξ ἠλείφοντο ἐν σμυρνίνῳ ἐλαίῳ καὶ μῆνας ἓξ ἐν τοῖς ἀρώμασι καὶ ἐν τοῖς σμήγμασι τῶν γυναικῶν· item Ruth. III 3, 2 Regg. XIV 2, 2 Chron. XXVIII 15 et Mich. VI 15. Hinc usus verbi χρίειν optime vitatur Psalm. 23. 5: ἡτοίμασας ἐνώπιόν μου τράπεζαν ἐξ ἐναντίας τῶν θλιβόντων με· ἐλίπανας ἐν ἐλαίῳ τὴν κεφαλήν μου et Matth. VI 17: σὺ δὲ νηστεύων ἄλειψαί σου τὴν κεφαλὴν καὶ τὸ πρόσωπόν σου νίψαι et Luc. VII 46: ἐλαίῳ τὴν κεφαλήν μου ἤλειψας. His tribus locis praeter Israelitas nemo vitasset verbum χρίειν itemque de extrema unctione rectissime ἀλείφειν usurpatur Iacob. Epist. V 14: ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν, προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ' αὐτόν, ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ, cum quo loco conferemus Marc. VI 13: ἤλειφον ἐλαίῳ πολλοὺς ἀρρώστους καὶ ἐθεράπευον.

Scilicet in Hebraeorum lingua —

Nec meus hic sermo est, sed quae praecepit amicus
Nomine Matthesius, cui sunt Hebraica curae —

in Hebraeorum igitur lingua itidem sunt duo verba quae distinguuntur eo modo quo dixi; alterum est *māsjach* — unde *Messias* — quocum convenit Graecum χρίειν· sed de profano usu peculiare habent verbum *suk* = ἀλείφειν. Septuagintaviri Sacrum codicem fideliter interpretati sunt et semel tantum ἀλείφειν dixerunt, quod propter veritatem Hebraicam χρίειν dicere debuerant, nimirum Genes. XXXI 13: ἐγώ εἰμι ὁ Θεὸς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ Θεοῦ, οὗ ἤλειψάς μοι ἐκεῖ στήλην, sed pellucet causa cur hic variatum fuerit. Contra bis terve χρίειν habent, ubi verius fuerit ἀλείφειν, Ezech. 16. 9: καὶ ἔλουσά σε ἐν ὕδατι καὶ ἀπέπλυνα τὸ αἷμά σου ἀπὸ σοῦ καὶ ἔχρισά σε ἐν ἐλαίῳ, Vatic. Amos. VI 6: οἱ πίνοντες τὸν διυλισμένον οἶνον καὶ

Digitized by Google

τὰ πρῶτα μύρα χριόμενοι· fuisse autem moris etiam apud Israelitas ut convivae uncti accumberent, iam supra ex Lucae loco effecimus. Etiam Ecclesiasta IX 8 praecepit: ἐν παντὶ καιρῷ ἔϛωσαν ἱμάτιά σου λευκὰ καὶ ἔλαιον ἐπὶ κεφαλῆς σου μὴ ὑϛερησάτω.

Plurimae erant odorum species. Lepidus est Antiphanis locus apud Athen. XII p. 553 D:

Λοῦται δ' ἀληθῶς; Β. ἀλλὰ τί;
ἐκ χρυσοκολλήτου γε κάλπιδος μύρῳ
Αἰγυπτίῳ μὲν τοὺς πόδας καὶ τὰ σκέλη,
Φοινικίνῳ δὲ τὰς γνάθους καὶ τιτθία,
σισυμβρίνῳ δὲ τὸν ἕτερον βραχίονα,
ἀμαρακίνῳ δὲ τὰς ὀΦρῦς καὶ τὴν κόμην,
ἐρπυλλίνῳ δὲ τὸ γόνυ καὶ τὸν αὐχένα.

Ex quo loco consequi dixeris in convivio dextram manum perungi solitam fuisse, sinistram manum non fuisse. Sed de unguentis multo plura quam equidem scire cupio, habet Athenaeus XV p. 688 sq. Etiam ex Vetere Testamento sat multa colligi possunt; veluti sacrum oleum, de quo praecipitur Exod. XX, fiebat admixtione σμύρνης, κιννα μώμου, καλάμου et ἴρεως, de quibus fruticibus non meum est quaerere, quum praesertim plantarum historiam numquam attigerim.

Ingens erat unguentorum abusus apud veteres et, quum nota res sit, satis habebo duos locos afferre. Martialis VIII 3. 10 Musam describit:

Cui coma et unguento sordida vestis erat.

Adeo carebat illa signo quo immortales apud Indos agnosci possunt. Israelitae nihil hoc melius: Psalm. 133. 2: ὡς μύρον ἐπὶ κεφαλῆς τὸ καταβαῖνον ἐπὶ πώγωνα, τὸν πώγωνα τὸν Ἀαρών, τὸ καταβαῖνον ἐπὶ τὴν ὤαν τοῦ ἐνδύματος αὐτοῦ., nam tirones velim attendant ad participium neutri generis nec scribitur τὸν καταβαίνοντα, in qua lectione delicatis auriculis minus fuisset offensionis. Addo Psalm. 45. 7: ἔχρισέ σε ὁ θεός σου ἔλαιον ἀγαλλιάσεως παρὰ τοὺς μετόχους σου. Σμύρνα καὶ ϛακτὴ καὶ κασία ἀπὸ τῶν ἱματίων σου. His moribus ad lavandria non mille Nausicaae potuerunt sufficere.

Semper tamen fuerunt qui sanius iudicarent. Iam Ciceroni, ad Atticum II 1, mulieres ideo bene olere quia nihil olebant

Digitized by Google

videbantur. Scilicet quam multi Gelonis instar ὀζόςομοι fuerint, abunde monstrabit Hieroclis ὁ Φιλόγελως· hinc adversus oris foetorem plurimus usus irini unguenti. Unde etiam Martialis II 12:

Esse quid hoc dicam, quod olent tua basia myrrham
Quodque tibi est numquam non alienus odor?
Hoc mihi suspectum est quod oles bene, Postume, semper:
Postume, non bene olet qui bene semper olet.

Etiam Athenaeum conferam XV p. 691 F: πρὸς θεῶν, φίλοι, ποία ἡδονή, μᾶλλον δὲ σαλακωνία, θαλμάτια μολύνεσθαι, ἐξὸν ταῖς χερσίν, ὥσπερ ἡμεῖς νῦν ποιοῦμεν, ἀρυσαμένους ἀλείφεσθαι πᾶν τὸ σῶμα καὶ μάλιςα τὴν κεφαλήν. Longe autem disertius aequalis eius Clemens Alexandrinus Paedag. II 8 p. 207 Pott.: τῶν μύρων ἄπειροι διαφοραί, βρένθειον καὶ Μεγάλλειον, πλαγγόνιον τε καὶ ψάγδας Αἰγύπτιος — ἐπιτηδεύουσι δὲ καὶ τὸ ἀπὸ κρίνων μύρον καὶ τὸ ἀπὸ τῆς κύπρου, καὶ ἡ νάρδος εὐδοκιμεῖ παρ' αὐτοῖς καὶ τὸ ἀπὸ τῶν ῥόδων ἄλειμμα καὶ τὰ ἄλλα, οἷς ἔτι χρῶνται αἱ γυναῖκες, ὑγρά τε καὶ ξηρὰ καὶ τὰ ἐπίπαςα καὶ ὑποθυμιώμενα μύρα· ἐπινοεῖται γὰρ αὐταῖς ὁσημέραι πρὸς τὸ ἄπλητον τῆς ἐπιθυμίας τὸ ἀκόρεςον τῆς εὐωδίας, διὸ καὶ πολλῆς ἀπειροκαλίας ἀποπνέουσιν· αἱ δὲ καὶ τὰς ἐσθῆτας καὶ τὰς ςρωμνὰς καὶ τοὺς οἴκους ὑποθυμιῶσί τε καὶ καταραίνουσι, μονονουχὶ δὲ καὶ τὰς ἀμίδας ὄζειν ἀναγκάζει τοῦ μύρου ἡ τρυφή. Ita enim est: sunt alia unguenta quibus viri, alia quibus mulieres maxime delectantur: secundum Theophrastum de Odor. 42: τὸ ῥόδινον καὶ ἡ κύπρος τοῖς ἀνδράσι μάλιςα ἁρμόττειν δοκεῖ καὶ πρὸς τούτοις τὸ κρίνον· ταῖς δὲ γυναιξὶν ἡ ςακτὴ καὶ τὸ Μεγαλλεῖον καὶ τὸ Αἰγύπτιον καὶ τὸ ἀμαράκινον καὶ τὸ νάρδινον. Uti vides, Clementis aetate mulierum effrenata luxuria etiam acerbius notatur quam virorum et Clementis testimonium confirmat Galenus ed. K. XII p. 604, quem locum Friedlandero debeo: τό τε κάλλιςον νάρδινον μύρον — καὶ μετὰ τοῦτο τό τε Κομμαγηνὸν καὶ τὸ Σουσινὸν καὶ τὰ πολυτελῆ μύρα τῶν πλουσίων γυναικῶν, ἃ καλοῦσιν αὗται σπίκατα καὶ φουλίατα. Solae mulieres, uti audivimus, ipsam quoque vestem unguentis adspergunt: credo sane, nam ex lana oleum difficulter eluitur, muliebres autem vestes ea certe aetate linteae erant, qua de re nuper quaedam adnotavi *Mnem.* 1901 p. 189. Apud Israelitas autem, uti et apud Aegyptios, itidem linteae

Digitized by Google

fere vestes vel byssinae erant. Tamen est quod mireris fuisse qui talibus sordibus delectarentur atque adeo superbirent, dum toto corpore delibuto per plateas incederent. Ἄλλα δ' ἀλλαχοῦ καλά. Nos hoc certe lucramur ex celebrata Hollandorum munditie, quod illa δυσωδίας medicamenta non valde requirimus.

Variae sunt μύρων, uti vidimus, species, sed inter eas μύρον νάρδινον principale est. Hinc Menander ap. Athen. XV 691 A:

ἡδὺ τὸ μύρον, παιδάριον, ἡδύ. Β. πῶς γὰρ οὔ;
νάρδινον.

Nardinum unguentum dicitur vel νάρδινον ἔλαιον vel etiam simpliciter νάρδος. Nemo ignorat Horatiana illa: Assyriaque nardo potamus uncti, uti et: Nardo vina merebere, Nardi parvus onyx. Sed hic nonnullorum errori occurrendum est, quos id quod verum est Blumnerus docere poterit *Technolog.* III p. 60. Nempe proprio ac stricto sensu onyx gemmae nomen est, quae inter achatas haud ultimum locum tenet; hodie ne ambigue loquantur homines etiam achatonycha barbare appellitant. Vascula autem non ex gemma secantur, sed ex lapide alabastrita qui itidem onyx dicitur. Alabastri formam vide apud Marquardtium *Antiqq. Privat.* p. 631 estque ἄριστος τοῖς μύροις ὁ τοιοῦτος, ut scribit Theophrastus de odor. 41. De onyche scribit Plinius XXXVI 12: „Nepos Cornelius tradit magno fuisse miraculo, cum P. Lentulus Spinter amphoras ex eo Chiorum magnitudine cadorum ostendisset: post quinquennium deinde triginta duorum pedum longitudine columnas vidisse se. Variatum in hoc lapide postea est. Namque pro miraculo insigni quatuor modicas in theatro suo Cornelius Balbus posuit. Nos ampliores triginta vidimus in coenatione, quam Callistus Caesaris Claudii libertorum potentia notus sibi exaedificaverat. Hunc aliqui lapidem alabastriten vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optime servare incorrupta dicitur." Hoc modo hodie Romae quatuor columnae ex onyche conspiciuntur in aede S. Pauli extra muros. Quin et narrant qui Montem Caroli — *Monte Carlo* — adierunt spectasse se in splendida domo οὗ ἡ τηλία τίθεται, duodecim ingentes columnas *ex onyche:* hic certe nemo cogitabit de „achatonyche": iam nimium luxuriae inest in columnis ex alabastrita sectis.

Nardum India mittebat; mittebat Babylonia; mittebat Phoe-

Digitized by Google

nicia, aliae fortasse regiones; sed quaenam optima fuerit, dicet nobis Apollonius ap. Athen. XV p. 688 E: Ἶρις μὲν ἐν Ἠλιδι χρησοτάτη καὶ ἐν Κυζίκῳ· ῥόδινον δὲ κράτιστον ἐν Φασήλιδι καὶ τὸ ἐκ Νέας δὲ πόλεως καὶ Καπύης· κρόκινον δὲ ἐν Σόλοις τοῖς Κιλικίοις καὶ ἐν Ῥόδῳ· νάρδινον δὲ τὸ ἐν Τάρσῳ, cet. cet. quae vide apud ipsum. Quod ex ipsa rei natura sequitur, addebatur oleum: ut artis vocabula usurpem: *suco* admiscebatur *corpus;* nam „destillationem" quam nos dicimus, veteres nondum cognoverant. Hinc scribit Plinius XIII 3: Unguenta optime servantur in alabastris, odores in oleo: quod diuturnitati eorum tanto utilius est quanto pinguius, ut *ex amygdalis.* Quod ad pinguedinem attinet, discrepat Theophrastus de odor. 15, quantum intelligo; convenit quod Plinius habet de amygdalis: πολλὰ δὲ γίγνεται περὶ Κιλικίαν καὶ ποιοῦσιν ἐξ αὐτῶν χρῖμα. φασὶ δὲ καὶ εἰς τὰ σπουδαῖα τῶν μύρων ἁρμόττειν, atque sic etiam melius intelligimus optimam nardum ex Cilicia provenire, cum accedat olei amygdalini praestantia. Etiam pretia novimus quibus optima quaeque unguenta venalia erant: scribit Athenaeus XV p. 691 C: παμπόλλου δ' ἐπιπράσκετο Ἀθήνησιν ἡ τοῦ μύρου κοτύλη, καὶ ὡς μὲν Ἵππαρχός φησιν ἐν Παννυχίδι πέντε μνῶν, ὡς δὲ Μένανδρος ἐν Μισογύνῃ δέκα. Ἀντιφάνης δ' ἐν Φρεαρρίῳ σακτῆς τοῦ μύρου μνημονεύων φησί· Στακτὴ δυοῖν μναῖν οὐκ ἀρέσκει μ' οὐδαμῶς. Hinc vile donum quod apud Lucianum amator meretriculae attulit, Dialog. Meretr. 14, ἀλάβαστρον μύρου ἐκ Φοινίκης δύο δραχμῶν. Apud Iohannem Evangelistam, uti et apud Marcum, est λίτρα μύρου νάρδου venalis trecentis denariis. Si quidem metrologorum doctrinam bene intelligo, κοτύλη et λίτρα tantundem fere valent, scil. tertiam kilogr. partem et quum trecenti denarii vel totidem drachmae tres minas efficiant, sat bene convenit de insano pretio nardi (miror enormitatem: unum kilogr. quadringentis circiter florenis) inter comicos poetas et Iudam Iscariotam, quorum nomina perraro coniuncta vidisti. Neque multum abludit Plinius XIII 4: Summa commendatio unguentorum, ut transeunte femina odor invitet etiam aliud agentes: exceduntque *quadringenos denarios librae.*

Vidimus supra apud Clementem Alexandrinum esse ἀρώματα ὑγρά, ξηρά, ἐπίπασα et ὑποθυμιώμενα· est hoc satis apertum; sed apud Athenaeum II p. 46 A invenio: ἐκκλίνειν δὲ δεῖ τὰ

Digitized by Google

πάχη τῶν μύρων et quae sint ea, docet Basilius, cuius locum Henricus Stephanus attulit VII p. 650 D: ἡ δὲ σακτὴ καὶ αὐτὴ σμύρνης ἐστὶν εἶδος τὸ λεπτότατον· ἐκθλιβέντος γὰρ τοῦ ἀρώματος, ὅσον μὲν αὐτοῦ ῥυτόν, εἰς τὴν σακτὴν ἀπομερίζεται· τὸ δὲ παχὺ ὑπομένον σμύρνα προσαγορεύεται. Est ea observatio ex bono fonte ducta et verosimiliter Theophrastum auctorem habet; convenit etiam Athenaeus XV p. 688 D: τὰ πολλὰ τῶν μύρων διὰ σμύρνης ἐσκευάζετο καὶ ἥ γε σακτὴ καλουμένη διὰ μόνης ταύτης. Sed Athenaeus X p. 438 F narrat Antiochum Epiphanem in nescio cuius caput effundi iussisse ὑδρίσκην ὑπὲρ δύο χόας ἔχουσαν παχέος μύρου. Tradidit hoc Naucratita secutus Ptolemaei Evergetae testimonium, sed V p. 194 B, ubi eadem nobis historiola apponitur, substitutum fuit μέγιστον κεράμιον πολυτελεστάτου μύρου τῆς σακτῆς καλουμένης, nempe ex Polybio XXVI 10. 3. Certe μύρον παχὺ intelligendum apud Pollucem X 120 in Eubuli fragmento:

Λῦε τἀλαβάστια
θᾶττον σὺ καὶ τῇ σπαθίδι τὸν πώγωνά μου
καὶ τὴν ὑπήνην μύρισον.

Apud Evangelistas autem haud dubie *liquida* nardus est quae memoratur.

Venio nunc ad Manenium qui negavit ac pernegavit intelligi posse Iesu verba apud Matthaeum XXVI 12: βαλοῦσα γὰρ αὕτη τὸ μύρον τοῦτο ἐπὶ τοῦ σώματός μου πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με ἐποίησεν, vel apud Marcum XIV 8: προέλαβεν μυρίσαι μου τὸ σῶμα εἰς τὸν ἐνταφιασμόν, vel apud Iohannem XII 7: ἄφες αὐτήν, ἵνα εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τηρήσῃ αὐτό. Fateor, quum Iesu corpus sepeliebatur, nullae sunt libationes factae. Secundum Matthaeum XXVII 59 Iosephus Arimathaeanus cadaver simpliciter ἐνετύλιξεν σινδόνι καθαρᾷ. Secundum Marcum XVI 1 mulieres ἠγόρασαν ἀρώματα ἵνα ἐλθοῦσαι ἀλείψωσιν αὐτόν. Secundum Lucam XXIII 56 eaedem ἡτοίμασαν ἀρώματα καὶ μύρα. Secundum Iohannem denique XIX 39, ἦλθε δὲ καὶ Νικόδημος φέρων μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡς λίτρας ἑκατόν. Ἔλαβεν οὖν τὸ σῶμα Ἰησοῦ καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις μετὰ τῶν ἀρωμάτων, καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις ἐνταφιάζειν. Nullum hic memoratur libamentum, nec magis σπονδή fit in sepultura regis Asae 2 Chron. XVI 14: ἐκοίμισαν αὐτὸν ἐπὶ τῆς κλίνης καὶ ἔπλησαν

Digitized by Google

ἀρωμάτων καὶ γένη μύρων μυρεψῶν, καὶ ἐποίησαν αὐτῷ ἐκφορὰν μεγάλην ἕως σφόδρα. Itaque concedo, quod frustra negabitur: lectoribus utriusque Testamenti locus necessario obscurus est; ipsis Graecis fortasse non item. Secundum Iesum fuit ea unctio tanquam τύπος τῶν μετ' ὀλίγον μελλόντων, quemadmodum Apostolus loqui amat. Etenim inferiae fiebant liquoribus odoriferis libandis, neque ea res Tischendorfium fugit qui ad Marcum XIV 3 laudat Schol. Plat. Hipp. Min. p. 334 Bk.: λήκυθον δὲ ἀγγεῖον Φασὶν ἀττικοί, ἐν ᾧ τοῖς νεκροῖς ἔφερον τὸ μύρον. Plutarchus Aristid. 21 pompam describit quae quotannis ducitur in honorem eorum qui apud Plataeas in proelio occubuerunt; peraguntur aliae multae caerimoniae quas omittere possumus et procedunt adulescentes ingenui portantes χοὰς οἴνου καὶ γάλακτος ἐν ἀμφορεῦσιν ἐλαίου τε καὶ μύρου κρωσσούς· tum ὁ τῶν Πλαταιῶν ἄρχων, postquam ad ipsum locum pervenit ubi pugnatum fuit, λαβὼν ὕδωρ ἀπὸ τῆς κρήνης ἀπολούει τὰς στήλας καὶ μύρῳ χρίει. Solemnia haec erant etiam apud alios. Athenaeus IX p. 410 A affert testimonium Κλειδήμου ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἐξηγητικῷ· προθεὶς γὰρ περὶ ἐναγισμῶν γράφει τάδε· Ὄρυξαι βόθυνον πρὸς ἑσπέραν τοῦ σήματος. ἔπειτα παρὰ τὸν βόθυνον πρὸς ἑσπέραν βλέπε, ὕδωρ κατάχει λέγων τάδε· Τμῖν ἀπόνιμμα οἷς χρὴ καὶ οἷς θέμις. ἔπειτα αὖθις μύρον κατάχει. Eodem pertinet Artemidorus Onirocrit. IV 57: ἐπὶ τῶν νοσούντων ἡ μὲν ἐλαία θανατηφόρος οὖσα τετήρηται αὐτή τε καὶ ὁ καρπὸς αὐτῆς καὶ τὰ φύλλα, δάφνη δὲ σωτηρίας. καὶ γὰρ εἰκός. τοῖς γὰρ ἀποθανοῦσιν ἐλαίας μὲν συνεκφέρουσιν, δάφνας δ' οὐδαμῶς. Confer etiam Petron. Sat. c. 78: Statim ampullam nardi aperuit omnesque nos unxit: et Spero, inquit, futurum ut aeque me *mortuum* iuvet, tamquam *vivum*. Vide praeterea Lucian. de luctu 11, cet.

Verum utcumque ea de re existimabitur, quid est illud quod Marcus et Iohannes appellant ἀλάβαστρον νάρδου πιστικῆς? Interpretes tantum non uno ore concedunt nondum sibi successisse obscuri vocabuli explanationem. Scaliger quem Lobeckius fere sequitur, derivatam vocem autumat παρὰ τὸ πτίσσειν, quam opinionem vix opus est redarguere. Sunt qui *potabilem* nardum interpretentur, sed neque a bibendi verbo adiectivum πιστικὸν ullo modo derivari poterit et nardus potatur quidem, sed vino addita non oleo; quod ut demonstretur, supervacaneum est ad-

Digitized by Google

scribere testimonium Hicesii apud Athenaeum XV p. 689 D. In Vulgata editione *spicata* nardus dicitur; — unde Franci: *parfum d'aspic* liquide; — quod ipsi supra vidimus, revera ab Galeno μύρα σπίκατα καὶ Φουλίατα inter optima celebrantur et facile id verum esse credimus quod Plinius scribit XII 26: Gemina dote nardi spicas ac folia celebrant. Potero etiam alia quam plurima addere quae habet Marquardtius *Antiqq. Priv.* p. 761; sed nemo dixerit quomodo σπικάτης in πιστικῆς potuerit abire. Equidem dum rem in omnes partes versabam, tandem eo deveni ut putarem nihil aliud posse latere nisi hoc, nardum fuisse *liquidam*: effunditur certe ex vasculo. Seplasiarii ex spicis vel foliis expressum sucum oleo infusum coquunt: μυρεψίαν appellant. Theophr. ad odor. 14: τῶν δὲ μύρων ἡ σύνθεσις καὶ ἡ κατασκευὴ τὸ ὅλον οἷον εἰς θησαυρισμόν ἐστι τῶν ὀσμῶν· διόπερ εἰς τοὔλαιον τίθενται· τοῦτο γὰρ χρονιώτατον καὶ ἅμα πρὸς τὴν χρείαν μάλιστ' ἁρμόττον· deinde de oleo amygdalino varie pronunciat, addit tamen: Φασὶ δὲ καὶ εἰς τὰ σπουδαῖα τῶν μύρων ἁρμόττειν ὥσπερ καὶ τὸ ἐκ τῆς βαλάνου. Si quis praeterea hoc curat scire, — quamquam ea res ad sacri textus emendationem non pertineat — secundum Plinium XIII 7 resina aut gummis adiicitur ad continendum odorem in corpore; celerrime is evanescit atque defluit, si non sunt haec addita. Nimirum est ea „fixatio" quam unguentarii hodie appellant, quem Theophrastus dixit θησαυρισμόν. Quam igitur nardum mulier attulit, non fuit ea ξηρά, non παχεῖα sed ὑγρά, non sicca, non crassa sed liquida: *libari* poterat, σπένδεσθαι, nam etiam in Sacro Codice non inauditus usus est verbi ceteroquin frequentissimi σπένδειν et σπονδή, veluti Genes. XXXV 14: καὶ ἔχησεν Ἰακὼβ στήλην ἐν τῷ τόπῳ ᾧ ἐλάλησε μετ' αὐτοῦ ὁ θεὸς στήλην λιθίνην καὶ ἔσπεισεν ἐπ' αὐτὴν σπονδὴν καὶ ἐπέχεεν ἐπ' αὐτὴν ἔλαιον. Hinc uti arbitror, liquida nardus quae ex ampulla libatur, recte dici poterit σπεισική et in Evangeliis utrobique commendabo: νάρδου σπεισικῆς πολυτελοῦς vel πολυτίμου. Non alibi legitur hoc adiectivum, sed est formatum secundum analogiam et talia pro re nata ab unoquoque finguntur. Apud Plinium XVIII 105 panis *speusticus* est a festinatione, παρὰ τὸ σπεύδειν dictus itemque νάρδος σπεισική dici potuit παρὰ τὸ σπένδειν. Aristoph. Eqq. 1378:

Digitized by Google

Δῆμ. *σοφός γ' ὁ Φαίαξ, δεξιῶς τ' οὐκ ἀπέθανεν.*
ξυνερτικὸς γάρ ἐϛι καὶ περαντικὸς
καὶ γνωμοτυπικὸς καὶ σαφὴς καὶ κρουϛικὸς
καταληπτικός τ' ἄριϛα τοῦ θορυβητικοῦ.
Ἄλλ. *οὔκουν καταδακτυλικὸς σὺ τοῦ λαλητικοῦ;*

ΠΙΣΤΙΚΗC an ΠΕΙΣΤΙΚΗC scribatur, in vetere codice nihil interest itaque corrigendo CΠΕΙCΤΙΚΗC nihil addidi praeter dimidiatum circulum. Vetussimam corruptelam esse vides quae ex altero Evangelio fluxit in alterum.

Atque sic quinquagesimo Mnemosynes anno feliciter exacto, *προσκυνῶ* Matrem cum novem filiabus.

EMENDATUR ARISTOTELIS *περὶ ἑρμηνείας* C. X § 5.

Nuper (*Act. Acad. Reg. Belgicae* a. 1901 p. 349 seqq.) LAMINNIUS Canonicus, vir pereruditus et luculenter Graece sciens, libellum *de Interpretatione*, verum *κειμήλιον*, si harum rerum iudices audis, sed ut cetera Aristotelis opera acroamatica tantum non omnia — in quibus, ut festive ait Simplicius, *ἀσάφειαν ἐπετήδευσε διὰ ταύτης τοὺς ῥᾳθυμοτέρους ἀποκρουόμενος* — reliquis mortalibus intellectu difficiliorem, adiecto commentariolo critico et exegetico, eleganter vertit Gallice. Idem more suo satis festinanter olim fecerat BARTHÉLEMY SAINT-HILAIRE v. c. Graece, ut videre est, mediocriter tantum doctus. Est tamen ubi Barthélemy ingenio, quo valebat plurimum, obscuratam corruptae orationis sententiam acutissime perspexerit. Ecce exemplum:

c. X § 5 s. f. vulgo editur: *ὁμοίως δὲ ἕξει, κἂν καθόλου τοῦ ὀνόματος ᾖ ἡ κατάφασις· οἷον, πᾶς ἐστιν ἄνθρωπος δίκαιος· ἀπόφασις τούτου, οὐ πᾶς ἐστιν ἄνθρωπος δίκαιος· πᾶς ἐστιν ἄνθρωπος οὐ δίκαιος· οὐ πᾶς ἐστιν ἄνθρωπος οὐ δίκαιος. πλὴν οὐχ ὁμοίως τὰς κατὰ διάμετρον ἐνδέχεται συναληθεύειν· ἐνδέχεται δὲ ποτέ. αὗται μὲν οὖν δύο ἀντίκεινται ἀλλήλαις.*

„BARTHÉLEMY", inquit Laminnius, traduit: „Ces énonciations sont opposées DEUX A DEUX", *ce qui convient très bien au contexte*, mais ne rend pas exactement le texte lui-même; *δύο* ne signifiant pas *deux à deux*. Nous préférons donc la leçon *αὗται μὲν οὖν οὐκ ἀντίκεινται ἀλλήλαις*" — quae tamen lectio a Carolo Weisio, nisi fallor, excogitata nulla nititur auctoritate idonea.

Et recte quidem Laminnius, nec tamen falsus erat Barthélemy. Tu mecum pro OTN corrige CTN:

αὗται μὲν CTN*δυο* (*σύνδυο binae*) *ἀντίκεινται ἀλλήλαις.*

I. C. V.

Digitized by Google

THUCYDIDEA.

SCRIPSIT

I. C. VOLLGRAFF.

(*Continuantur e T. XXIX p.* 81).



THUCYDIDIS HISTORIAE. Recensuit CAROLUS HUDIUS HAUNIENSIS. Lipsiae 1898.

IV c. 4 § 4 in.

ὡς δ' οὐκ ἔπειθεν (ὁ Δημοσθένης) οὔτε τοὺς στρατηγοὺς οὔτε τοὺς στρατιώτας — ὕστερον καὶ τοῖς ταξιάρχοις κοινώσας — ἡσύχαζεν [ὑπ' ἀπλοίας] a), *μέχρι αὐτοῖς τοῖς στρατιώταις σχολάζουσιν ὁρμὴ ἐνέπεσε* b) *περιστᾶσιν* c) *ἐκτειχίσαι τὸ χωρίον.*

a) *ὑπ' ἀπλοίας* exp. Dobraeus; b) *ἐνέπεσε* corr. Stahlius: *ἐσέπεσε* codd.; c) *περιστᾶσιν* scr. Reiskius; *περὶ στάσιν* cod. C (G): *περίστασιν* AB; *τοῖς πᾶσιν ὁμοίως* cit. Cobetus.

Demosthenes subita tempestate Pylum delatus, cum neque ipse ducibus neque per ordinum praepositos exercitui ullo modo persuadere posset ut locum iam ipsa natura magnam partem egregie clausum emunirent, *quiescebat* i. e. in praesentia praestare ducebat a proposito desistere et per otium expectare aliquantisper. Namque hanc vim habet *τὸ ἡσυχάζειν*. Cf., si tanti est, V c. 7: *ὁ δὲ Κλέων τέως μὲν ἡσύχαζεν, ἔπειτα ἠναγκάσθη ποιῆσαι ὅπερ ὁ Βρασίδας προσεδέχετο.* Itaque rem acu tetigisse videtur Dobraeus scribens: *„saltem ἡσύχαζον; sed vix dubito quin delendum sit ὑπ' ἀπλοίας utpote schol. ad σχολάζουσιν et servandum ἡσύχαζεν"*.

Non propter navigandi difficultatem otiabantur milites sed quod callide sic voluerat Demosthenes. Accedit quod vv. *ὑπ'*

Digitized by Google

ἁπλοίας cum sequentibus iungi nequeunt nisi durissime traiecto μέχρι [1]). Emblema manifesto fluxit ex antec. c. 3 § 1: ἀντιλεγόντων δὲ κατὰ τύχην χειμὼν ἐπιγενόμενος κατήνεγκε τὰς ναῦς ἐς τὴν Πύλον.

In fine sententiae, si unum Bloomfieldum exceperis qui tuetur librorum C.G. scripturam περὶ στάσιν mire interpretans: *a sort of tumultuous impulse seized them*, reliqui editores ad unum omnes nunc acquiescunt in coniectura Reiskiana. Male factum tamen quod περιστᾶσιν illud aliis *mutata sententia* significare videtur, aliis *(Pylum) circumstantibus* [2]).

Cobetus quid sit in tali re περιστῆναι minime exputans, ut ait, coll. VI c. 24 (καὶ ἔρως ἐνέπεσε τοῖς πᾶσιν ὁμοίως ἐκπλεῦσαι) proponit aut id ipsum aut certe simile quid. Eximie quod ad sententiam, ut vides. Possis tamen, nisi fallor, cum lenius tum probabilius coniicere: ὁρμὴ ἐνέπεσε πειρᾶσθαι ἐκτειχίσαι τὸ χωρίον. Cf. e. g. IV c. 15 s. f.: ὡς τάχιστα πειρᾶσθαι κομίσασθαι.

IV c. 8 § 9.

ὡς δ' ἐδόκει αὐτοῖς ταῦτα, καὶ διεβίβαζον ἐς τὴν νῆσον τοὺς ὁπλίτας ἀποκληρώσαντες ἀπὸ πάντων τῶν λόχων. καὶ διέβησαν μὲν καὶ ἄλλοι πρότερον κατὰ διαδοχήν, οἱ δὲ τελευταῖοι [καὶ] a) ἐγκαταληφθέντες (occlusi) εἴκοσι καὶ τετρακόσιοι ἦσαν καὶ Εἵλωτες οἱ περὶ αὐτούς· ἦρχε δ' αὐτῶν Ἐπιτάδας ὁ Μολόβρου. — Cf. c. 38 § 5.

a) καὶ del. Badhamus coll. IV c. 38 § 3: ὁ τελευταῖος διαπλεύσας.

τοὺς ὁπλίτας lectori qui hoc agit in hoc vv. contextu mirationem movet. Difficultatem sensit et elusit Grotius libere vertens: „*with these views they drafted off by lot* SOME *hoplites from each of the Spartan lochi*", quasi Th. dedisset ὁπλίτας τινάς.

Neminem vero animadvertisse pro τοὺς ὁπλίτας rescribendum

1) Inepte Goellerus: „ὑπ' ἀπλοίας ante μέχρι consulto posuit Th. contrarie positorum causa; sensus enim hic est: ὑπ' ἀπλοίας μέχρι αὐτοῖς ὁρμὴ ἐπέπεσε καὶ οὐχ ὑπὸ Δημοσθένους".

2) Steupius: „um den Platz *herumgetreten* d. i. zu rascherer Forderung der Arbeit rings herum auf alle Punkte, wo es nötig war, verteilt".

Digitized by Google

esse *τριακοσίους ὁπλίτας*! Utrumque in antiquis libris exarabatur per T.

Vitium plane gemellum olim deteximus HEROD. V c. 85 ubi legendum est: *Ἀθηναῖοι μέν νυν λέγουσι ..... ἀποσταλῆναι τριήρεϊ μιῇ τῶν ἀστῶν τριηκοσίους*: Codd. *τούτους*.

Haud ita raro apud nostrum numerorum notae aut male lectae sunt aut prorsus perierunt. Veluti huius ipsius libri IV c. 13 § 2, quo loco optimus quisque liber MS. exhibet: *ἐν τούτῳ δ' αἱ ἐκ τῆς Ζακύνθου νῆες τῶν Ἀθηναίων παρεγίγνοντο τεσσαράκοντα* sed verum esse vidit Aem. Portus: *πεντήκοντα* et c. 46 in.: *ἐπειδὴ ἐκ τῆς Πύλου ἀπῆραν ἐς τὴν Σικελίαν * ναυσὶν Ἀθηναίων* ubi necessarium numerum *μ'* i. e. *τεσσαράκοντα* excidisse coniecerunt Kruegerus et Classenius.

IV c. 14 in.

οἱ δ' Ἀθηναῖοι γνόντες καθ' ἑκάτερον τὸν ἔσπλουν ὥρμησαν ἐπ' αὐτοὺς καὶ τὰς μὲν πλείους [καὶ] μετεώρους ἤδη τῶν νεῶν καὶ ἀντιπρῴρους προσπεσόντες ἐς Φυγὴν κατέστησαν..

„Athenienses re cognita ab utroque portus ostio in hostes invecti sunt atque impetu facto plerasque naves a terra iam in altum provectas et adversis proris ‹venientes› in fugam verterunt".

Dele sis coniunctionem quam uncinis inclusimus. Quam parum verisimile est scriptorem dare voluisse „naves *cum* in altum provectas *tum* adversis proris venientes"?

IV c. 15 § 2.

Acerbo rerum ad Pylum gestarum nuntio Spartam allato ipsi ephori tamquam in maxima calamitate in castra se conferunt: cum dolore vident suis iam nulla ratione succurri posse. Quamobrem continuo cum Eurymedonte et Sophocle inducias facere placet, legatos Athenas mittere, strenue operam dare ut primo quoque tempore cives suos in insula Sphacteria interceptos recipiant:

.... ἔδοξεν αὐτοῖς πρὸς τοὺς στρατηγοὺς τῶν Ἀθηναίων, ἢν ἐθέλωσι, σπονδὰς ποιησαμένους [τὰ περὶ Πύλον] ἀποστεῖλαι ἐς τὰς Ἀθήνας πρέσβεις περὶ ξυμβάσεως κτέ.

Equidem minime assentior Scholiastae dicenti: *τὰ περὶ*

Digitized by Google

Πύλον· καλῶς ἡ προσθήκη· ἵνα νοήσωμεν, εἰς τὰ κατὰ Πύλον μόνα. Nemo sanus enim hoc loco de ullis aliis induciis inter duces Atheniensium et summos Spartanorum magistratus cogitare potest quam quae ad solam Pylum et Sphacteriam spectabant. Apage puerile additamentum quod vide ne eidem stipiti assignandum sit qui in fine capitis antecedentis de suo supplevit: *οἱ δ' ἐν τῇ ἠπείρῳ Πελοποννήσιοι καὶ ἀπὸ πάντων ἤδη βεβοηθηκότες ἔμενον κατὰ χώραν [ἐπὶ τῇ Πύλῳ]*. Expunxit hoc Herwerdenus.

IV c. 17 § 2.

τοὺς δὲ λόγους μακροτέρους a) *οὐ παρὰ τὸ εἰωθὸς μηκυνοῦμεν [ἀλλ'] ἐπιχώριον ὂν ἡμῖν οὗ μὲν* b) *βραχεῖς ἀρκῶσι, μὴ πολλοῖς χρῆσθαι, πλείοσι δ' ἐν ᾧ ἂν καιρὸς ᾖ διδάσκοντάς τι τῶν προύργου [λόγοις]* c) *τὸ δέον πράσσειν.*

a) *μακροτέρους* coll. schol. delet Cobetus; Kruegerus comp. Soph. Trach. V. 679: *μείζον' ἐκτενῶ λόγον* (vide etiam Lobeckii *Parall. Gr. gr.* p. 532); b) *ἂν* probabiliter inserendum putant nonnulli; contra quos tamen audi Steupium: „Peipers macht darauf aufmerksam dass die Worte *οὗ μὲν .... χρῆσθαι* bis auf das letzte Wort Ton und Rhythmus eines Trimeters haben (mit *λέγειν* st. *χρῆσθαι* wäre der Vers untadelhaft); um so eher erklärt sich das fehlende *ἄν*"; c) exp. Cobetus.

Aut egregie fallor aut coniunctio *ἀλλὰ* ante accusativum absolutum ferri non potest.

IV c. 18 § 2.

καίτοι οὔτε δυνάμεως ἐνδείᾳ ἐπάθομεν αὐτὸ οὔτε μείζονος προσγενομένης ὑβρίσαντες, ἀπὸ δ' τῶν ἀεὶ ὑπαρχόντων γνώμῃ σφαλέντες [ἐν ᾧ πᾶσι ταὐτὸν ὁμοίως ὑπάρχει], ὥστε οὐκ εἰκὸς ὑμᾶς διὰ τὴν παροῦσαν νῦν ῥώμην ⟨τῆς⟩ a) *πόλεως τε καὶ τῶν προσγεγενημένων καὶ τὸ (τὰ?) τῆς τύχης οἴεσθαι ἀεὶ μεθ' ὑμῶν ἕσεσθαι.*

a) *τῆς* add. Herwerdenus.

vv. *ἀπὸ τῶν ἀεὶ ὑπαρχόντων* Steupius optime interpretatur: „ausgehend von den immer vorhandenen Verhältnissen". Schol.: *ἀπὸ τῶν ὄντων ἀεὶ τοῖς ἀνθρώποις*. Sequentia *ἐν ᾧ πᾶσιν ταὐτὸν ὁμοίως ὑπάρχει* si genuina sunt, quod non praestiterim, dubius enim haereo num quicquam aliud contineant nisi futilem vv. praecedentium explanationem in hunc fere modum: *τῶν ἀεὶ ὑπαρχόντων] ἤγουν ἐν ᾧ (ἐν οἷς) πᾶσιν ⟨ἀεὶ⟩ ταὐτὸν ὁμοίως ὑπάρχει* — at si tamen genuina sunt et vulgo recte explicant: *qua in*

Digitized by Google

re (scil. *ἐν τῷ δύνασθαι σφαλῆναι*) *omnibus idem pariter accidere potest*, supplendum videtur:

ἐν ᾧ ⟨παθεῖν⟩ πᾶσι ταὐτὸν ὁμοίως ὑπάρχει.

Ibidem § 4 (cf. Stob. flor. III, 5. 17) multorum ingenia multum exercuit locus impeditissimus et aperte vitiosus ubi libri exhibent:

σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν οἵτινες τἀγαθὰ ἐς ἀμφίβολον ἀσφαλῶς ἔθεντο καὶ ταῖς ξυμφοραῖς οἱ αὐτοὶ εὐξυνετώτερον ἂν προσφέροιντο τόν τε πόλεμον νομίσωσι μὴ καθ' ὅσον ἄν τις αὐτοῦ μέρος βούληται μεταχειρίζειν τούτῳ ξυνεῖναι a) *ἀλλ' ὡς ἂν αἱ τύχαι αὐτῶν ἡγήσωνται καὶ ἐλάχιστ' ἂν οἱ τοιοῦτοι πταίοντες διὰ τὸ μὴ τῷ ὀρθουμένῳ αὐτοῦ πιστεύοντες ἐπαίρεσθαι ἐν τῷ εὐτυχεῖν ἂν μάλιστα καταλύοιντο.*

a) *τούτῳ ξυνεῖναι* deest in cod. A.

Verissime Dobraeus, si quid video: „intellige quasi esset *σωφρόνων ἀνδρῶν ἔργον ἐστίν*". Quamquam in orationis contextu, ut nunc quidem se habet, quaerenti tibi quid tandem sapientum illorum sit *facere* aut *sentire*, necessarium verbum infinitum nusquam apparet. Quare pro molesto coniunctivo *νομίσωσι* quem multos damnare video, equidem, deleta particula *τε* ante *πόλεμον*, rescripserim potius *νομίσαι*. Deinde cum Badhamo pro *αὐτοῦ μέρος* requiro *⟨τὸ⟩ αὐτοῦ μέρος* i. e. *pro virili parte*. Tum pro *ξυνεῖναι* (Herwerdenus coniecit *ἐξεῖναι*) per quam exigua mutatio est reponere verbum quod sententia flagitat *ξυμβῆναι*, *bene, ex sententia procedere* (cf. Thuc. III c. 3 § 13): *ἦν μὲν ξυμβῇ ἡ πεῖρα*; Plat. *Leg.* 5, p. 744 A: *εἴ μοι συμβαίνει τοῦτο ἢ καὶ ἀποτυγχάνω τοῦ σκοποῦ*, sive cum Schol. [1]) pro *τούτῳ* praefers *⟨κατὰ⟩ τοῦτο ξ.*, sive cum Seatonio (*Class. Rev.* a. 1900) *⟨ἐς⟩ τοῦτο ξ.* Tum in vv. *τῷ ὀρθουμένῳ αὐτοῦ* (scil. *τοῦ πολέμου*) *[πιστεύοντες] ἐπαίρεσθαι*, cum sine controversia *τῷ ὀρθουμένῳ αὐτοῦ* et *ἐπαίρεσθαι* sint arcte coniungenda, interpositum *πιστεύοντες* sapit glossema. Postremo vv. *καὶ ταῖς ξυμφοραῖς οἱ αὐτοὶ εὐξυνετώτερον* (cum Herwerdeno et Badhamo coll. Schol. lege *ξυνετώ-*

1) *οἱ νομίζοντες τὸν πόλεμον .... μὴ καθ' ὃ μέρος ἄν τις αὐτοῦ μεταχειρίζηται .... κατὰ τοῦτο συντυγχάνειν, ἀλλ' ὡς ἂν ἡ τύχη ἡγῆται τοῦ πολέμου.*

Digitized by Google

τερον) ἂν προσφέροιντο quae Stahlius ponit in parenthesi, Steupius autem inserenda putat post c. 7 § 5 (οἷς δὲ πλεῖσται μεταβολαὶ ἐπ' ἀμφότερα ξυμβεβήκασι δίκαιοί εἰσι καὶ ἀπιστότατοι εἶναι ταῖς εὐπραγίαις) meo quidem iudicio iustam suam sedem habebunt in fine huius ipsius periodi.

Nunc iam totum locum vide an sic liceat refingere:

σωφρόνων δ' ἀνδρῶν, οἵτινες τἀγαθὰ ἐς ἀμφίβολον ἀσφαλῶς ἔθεντο, τὸν [τε] πόλεμον νομίσαι μὴ καθ' ὅσον ἄν τις ⟨τὸ⟩ αὐτοῦ μέρος βούληται μεταχειρίζειν, ⟨κατὰ⟩ (vel ἐς) τοῦτο ξυμβῆναι, ἀλλ' ὡς ἂν αἱ τύχαι αὐτῶν ἡγήσωνται· καὶ ἐλάχιστ' ἂν οἱ τοιοῦτοι πταίοντες διὰ τὸ μὴ τῷ ὀρθουμένῳ αὐτοῦ [πιστεύοντες] ἐπαίρεσθαι, ἐν τῷ εὐτυχεῖν ἂν μάλιστα καταλύοιντο καὶ ταῖς ξυμφοραῖς οἱ αὐτοὶ ξυνετώτερον ἂν προσφέροιντο.

„Sapientium autem virorum, res secundas prudenter inter „ambigua ponentium, est arbitrari bellum non quatenus quis „pro virili parte id administrari velit, ex sententia succedere „solere, verum ⟨hac quoque in re⟩ fortunae arbitrio regi mor„tales. Atque tales homines, cum prosperis certaminum eventis „non efferantur, cladibus et calamitatibus minimum obnoxii, „victores ut plurimum bellum component idemque adversam „fortunam ferent fortius sapientiusque".

IV c. 19 § 2 (coll. Schol. et IV c. 59 § 1) corrigendum esse censeo:

παρὸν αὐτὸ vel αὐτὸ τοῦτο δρᾶσαι[1]) πρὸς τὸ ἐπιεικές. Codd.: ταὐτὸ δρᾶσαι.

Obiter Schol. stulto mendo liberabo. Editur scilicet: ἀλλ' ἐὰν δυνάμενος αὐτὰ ταῦτα πεῖσαι τὸν ἡττηθέντα .... ἐκ τοῦ ἴσου διαλλαγῇ. Quis mihi non dabit quantocyus rescribendum esse: αὐτὰ ταῦτα ποιῆσαι? Plane idem vitium nuper sustulimus apud ipsum scriptorem III c. 4 § 4 ubi omnes libri conspirant in εἴ πως πείσειαν τὰς ναῦς ἀπελθεῖν, vera lectio tamen sine dubio est: εἴ πως ποιήσειαν τὰς ναῦς ἀπελθεῖν.

Persaepe apud Thucydidem, in orationum sententiis longioribus praesertim et intricatioribus, legentem impedit coniunctio

1) Intellige: μὴ ἀπὸ τοῦ ἴσου ξυμβῆναι.

Digitized by Google

καὶ inepte a librariis invecta. Veluti IV c. 19 § 1: Λακεδαιμόνιοι δ' ὑμᾶς προκαλοῦνται ἐς σπονδὰς .... διδόντες μὲν εἰρήνην καὶ ξυμμαχίαν .... ἀνταιτοῦντες δὲ τοὺς ἐκ τῆς νήσου ἄνδρας [καὶ], ἄμεινον ἡγούμενοι ἀμφοτέροις μὴ διακινδυνεύεσθαι κτἑ. ubi fraudem detexit Cobetus. Idem merito inclusit καὶ IV c. 14 § 3: ἐγένετό τε ὁ θόρυβος μέγας [καὶ] ἀντηλλαγμένου τοῦ ἑκατέρων τρόπου περὶ τὰς ναῦς κτἑ. et IV c. 25 § 11: ἰδόντες δ' οἱ Ἀθηναῖοι [καὶ] ἀποβάντες ἀπὸ τῶν νεῶν ἐβοήθουν καὶ κατεδίωξαν τοὺς Μεσσηνίους πάλιν ἐς τὴν πόλιν.

Addo IV c. 20 § 1:

ἡμῖν δὲ καλῶς, εἴπερ ποτέ, ἔχει ἀμφοτέροις ἡ ξυναλλαγή, πρίν τι ἀνήκεστον διὰ μέσου γενόμενον ἡμᾶς καταλαβεῖν. .... ἔτι δ' ὄντων ἀκρίτων, [καὶ] ὑμῖν μὲν δόξης καὶ ἡμετέρας φιλίας προσγιγνομένης, ἡμῖν δὲ πρὸ αἰσχροῦ τινος ξυμφορᾶς μετρίως κατατιθεμένης διαλλαγῶμεν κτἑ.

Cum ἔτι δ' ὄντων ἀκρίτων Steupius simillimam structuram componit I c. 7: καὶ ἤδη πλοϊμωτέρων ὄντων. Recte autem Schol. interpretatur: ἔτι δ' ὄντων ἀδιακρίτων καὶ ἀμφιβόλων τῶν πραγμάτων τῶν κατὰ τὴν Σφακτηρίαν.

In extr. Stahlius commendat: πρὸ αἰσχροῦ τινος ⟨τῆς⟩ ξυμφορᾶς μετρίως κατατιθεμένης. Equidem praetulerim: πρὸ αἰσχρεῖ τινος ξυμφορᾶς μετρίΑΣ κατατιθ.

„Quare nunc potissimum, dum belli eventus adhuc incertus „est, in gratiam redeamus, Athenienses! vos cum gloriae „nostraeque amicitiae accessione, nos vero, antequam turpe „aliquod nobis accidat, cum mediocri tantum iactura".

Ibidem § 2 s. f.

πολεμοῦνται μὲν γὰρ ἀσαφῶς * ὁποτέρων ἀρξάντων et nobis nunc mira cum brevitate dictum videtur et olim Scholiastae qui longiore paraphrasi usus dicit: πολεμοῦνται γὰρ ἀδήλου ὄντος τοῦ πράγματος τίς ἐστιν ὁ προκαταρξάμενος τοῦ πολέμου εἴτε ὁ Λακεδαιμόνιος εἴτε ὁ Ἀθηναῖος. An forte reponendum: ἀσαφῶς ⟨ἔχον⟩ (acc. absol. = ἀσαφὲς ὄν) ὁποτέρων ἀρξάντων?

IV c. 27 § 1.

ἐν δὲ ταῖς Ἀθήναις πυνθανόμενοι περὶ τῆς στρατιᾶς ὅτι ταλαιπωρεῖται καὶ σῖτος τοῖς ἐν τῇ νήσῳ [ὅτι] a) ἐσπλεῖ, ἠπόρουν

Digitized by Google

καὶ ἐδέδισαν μὴ σΦῶν χειμὼν τὴν Φυλακὴν ἐπιλάβοι ὁρῶντες τῶν τε ἐπιτηδείων τὴν περὶ τὴν Πελοπόννησον b) κομιδὴν ἀδύνατον ἐσομένην ἅμα ἐν χωρίῳ ἐρήμῳ [καὶ] c) οὐδ' ἐν θέρει οἷοί τε ὄντες ἱκανὰ περιπέμπειν, τόν τε ἔΦορμον χωρίων ἀλιμένων ὄντων οὐκ ἐσόμενον, ἀλλ' ἢ σΦῶν ἀνέντων τὴν Φυλακὴν περιγενήσεσθαι τοὺς ἄνδρας, ἢ τοῖς πλοίοις ἃ τὸν σῖτον αὐτοῖς ἤγε χειμῶνα τηρήσαντας ἐκπλεύσεσθαι.

a) ὅτι del. Cobetus; b) περὶ τὴν Π. exp. Dobraeus; c) del. Herwerdenus.

Hoc loco (de quo consule Steupium p. 279 Anhang) verborum ordo a librariis mirifice turbatus est. Et recte quidem Herwerdenus (in Editione) expuncto καὶ ante οὐδ' ἐν θέρει voculam ἅμα post ὁρῶντες transponere suadet, sed praeterea vv. ἐν χωρίῳ ἐρήμῳ ut cum reliquis rite cohaereant et sana sententia evadat, in sedem suam revocanda erunt inter τὴν Φυλακὴν ἐπιλάβοι et ὁρῶντες ἅμα. Nempe hoc voluit Th.:

„Athenienses consilii inopes erant et verebantur *ne hiems praesidium suum opprimeret in loco deserto*" etc.

Prorsus eodem modo erratum est in vicinia c. 28 § 2 ubi Cobetus restituit: γνοὺς δὲ τῷ ὄντι παραδωσείοντα (τὸν Νικίαν) δεδιὼς ἤδη ἀνεχώρει καὶ οὐκ ἔΦη αὐτὸς ἀλλ' ἐκεῖνον στρατηγεῖν [καὶ οὐκ ἂν οἰόμενός οἱ αὐτὸν τολμῆσαι ὑποχωρῆσαι]. Codd. γνοὺς δὲ .... παραδωσείοντα ἀνεχώρει .... στρατηγεῖν δεδιὼς ἤδη. Inclusa induxit Kruegerus.

IV c. 27 § 5 Cleon affirmat ῥᾴδιον εἶναι * παρασκευῇ, εἰ ἄνδρες εἶεν οἱ στρατηγοί, πλεύσαντας λαβεῖν τοὺς ἐν τῇ νήσῳ.

Adiectivo suo carere videtur dat. παρασκευῇ et legendum esse suspicor: ⟨ἱκανῇ⟩ παρασκευῇ. Cf. c. 28 § 1: ἐκέλευεν (ὁ Νικίας) ἥν τινα βούλεται δύναμιν λαβόντα τὸ ἐπὶ σΦᾶς εἶναι ἐπιχειρεῖν.

IV c. 29 § 1.

καὶ (ὁ Κλέων) πάντα διαπραξάμενος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ [καὶ ψηΦισαμένων Ἀθηναίων αὐτῷ τὸν πλοῦν] τῶν τε ἐν Πύλῳ στρατηγῶν ἕνα προσελόμενος, Δημοσθένη, τὴν ἀναγωγὴν διὰ τάχους ἐποιεῖτο.

Affirmat Poppo, quod nemo negat, haud ita raro apud Thucydidem genetivos absolutos per copulam καὶ cum participiis

Digitized by Google

ad subiectum relatis coniunctos esse idque, ut solet, magna vi exemplorum demonstrat. Loco supra laudato tamen qui hoc agit facile, credo, sibi persuadebit vv. *„cumque Athenienses expeditionem ei decrevissent"* misere abundare. Cuncta enim insunt ἐν τῷ πάντα διαπράττεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ i. e. „omnia in concione populi impetrare quae cupis". Frequentissima haec est verbi διαπράττεσθαι *nanciscendi* atque *impetrandi* vis apud Atticos imprimis.

Ibidem § 3.

Insula Sphacteria ante incendium (c. 30) magna ex parte silvosa erat. Demosthenes autem πρὸς τῶν πολεμίων τοῦτο ἐνόμιζε μᾶλλον εἶναι· * πολλῷ γὰρ ἂν στρατοπέδῳ ἀποβάντι ἐξ ἀφανοῦς χωρίου προσβάλλοντας αὐτοὺς βλάπτειν κτἑ.

Iure quaerat quispiam: „cur *maioribus* potius copiis quam minoribus"? Res ipsa clamat hoc voluisse Thucydidem: τοὺς πολεμίους ἐξ ἀφανοῦς (abdito) χωρίου προσβάλλοντας βλάπτειν ἂν στρατεύματι ἀποβάντι εἰ καὶ μέγα ἦν. Quare necessario revocandum esse reor: ⟨καὶ⟩ πολλῷ στρατοπέδῳ; *vel* magno exercitui.

IV c. 30 § 4.

καὶ ὁμοῦ γενόμενοι πέμπουσι πρῶτον ἐς τὸ ἐν τῇ ἠπείρῳ στρατόπεδον κήρυκα προκαλούμενοι εἰ βούλοιντο ἄνευ κινδύνου τοὺς ἐν τῇ νήσῳ ἄνδρας σφίσι τά τε ὅπλα καὶ σφᾶς αὐτοὺς κελεύειν παραδοῦναι κτἑ.

Immo εἰ βούλονται. Non parenthesin haec efficiunt sed provocantis et invitantis sunt. Urbanitatis formula *si videtur* ab hoc loco abhorret. Cf. V c. 115 § 2: (Λακεδαιμόνιοι) ἐκήρυξαν, εἴ τις βούλεται παρὰ σφῶν Ἀθηναίους λήζεσθαι. IV c. 27 § 2 Codd. quidem omnes exhibent: ἐκήρυξάν τε εἰ βούλοιντο τὰ ὅπλα παραδοῦναι καὶ σφᾶς αὐτούς, verum potiorem lectionem praebet fragmentum Oxyrhynchium εἰ βούλονται quam iure in ordinem recepit Hudius [1]).

IV c. 47 § 3.

παραλαβόντες δ' αὐτοὺς οἱ Κορκυραῖοι ἐς οἴκημα μέγα κατεῖρξαν,

1) Vide etiam VAN LEEUWEN Mnemos. a. 1898 p. 117.

Digitized by Google

καὶ ὕστερον ἐξάγοντες κατ' εἴκοσιν ἄνδρας διῆγον διὰ δυοῖν στοίχοιν ὁπλιτῶν κτέ.

Participia ἄγων et ἀγαγὼν sexcenties confundi, nemo nescit. Noli tamen hoc loco cum Cobeto ἐξάγοντες in ἐξαγαγόντες mutare. In re identidem repetita requiritur participium *praesentis* et *imperfecti*. Corcyraei optimates primum universos ἐς μέγα οἴκημα concludunt. Deinde eos ex hoc carcere *vicenos educebant* (ἐξῆγον) mediosque per binos ordines militum *traducebant* (διῆγον).

IV c. 48 in.

καὶ ἐς μὲν ἄνδρας ἐξήκοντα ἔλαθον τοὺς ἐν τῷ οἰκήματι τούτῳ τῷ τρόπῳ [ἐξαγαγόντες καὶ] διαφθείραντες· ὡς δ' ἤσθοντο ἤ τις αὐτοῖς ἐδήλωσε, τούς τε Ἀθηναίους ἐπεκαλοῦντο καὶ ἐκέλευον σφᾶς, εἰ βούλονται, αὐτοὺς διαφθείρειν.

Non tantum supervacaneum sed aperte falsum est ἐξαγαγόντες .... ἔλαθον. Si ita scripsit noster, quod valde dubito, neque terse neque eleganter scripsit. E carcere educti sexaginta illi captivi clam reliquis trucidari sane poterant: reliquis ignaris e carcere *educi* potuisse quis credat?

IV c. 59 § 1.

οὔτε πόλεως ὢν ἐλαχίστης, ὦ Σικελιῶται, τοὺς λόγους ποιήσομαι οὔτε πονουμένης μάλιστα τῷ πολέμῳ, ἐς κοινὸν δὲ τὴν δοκοῦσάν μοι βελτίστην γνώμην εἶναι ἀποφαινόμενος τῇ Σικελίᾳ πάσῃ.

Graecum est: τοὺς λόγους ποιήσομαι ..... τὴν δοκοῦσάν μοι βελτίστην γνώμην εἶναι ἀποφανούμενος. Consimile vitium manifesto propagatum e literatura anteeuclidea, cum O scribebatur pro diphthongo OT, Thuc. II c. 34 § 4 indicavit Herwerdenus (*Stud. Thuc.* p. 128) ..... καὶ γυναῖκες πάρεισιν αἱ προσήκουσαι ἐπὶ τὸν τάφον ὀλοφυρΟΤμεναι; libri omnes perperam habent ὀλοφυρΟμεναι.

Ibidem § 2 codd. exhibent:

τί ἄν τις πᾶν τὸ ἐνὸν ἐκλέγων ἐν εἰδόσι μακρηγορίᾳ;

Nova atque inaudita more suo narrat Ludovicus Herbstius contendens v. ἐκλέγειν et hic et apud Isocratem ad Nicoclem

Digitized by Google

§ 44 [1], significare: „nicht *annehmen*, sondern *hervorholen* und *vortragen*". Cum aliter ubique tum maxime ll. apud Isocratem ἐκλέγειν (ἐκλογὴν ποιεῖσθαι *eligendi* vim habet. Herwerdenus (*Stud. Thuc.* p. 57 proposuit: ἐὰν ⟨εἰπεῖν⟩ λέγων idque profecto dare potuit Th. Nihilominus coll. Isocr. *Phil.* § 110: κατιδὼν τὸ πλῆθος τῶν ἐνόντων εἰπεῖν sufficerit, ut opinor, correxisse: τί ἄν τις πᾶν τὸ ἐνὸν λέγων ἐν εἴδοσι μακηγορείη;

IV c. 62 § 1.

καὶ τὰ μὲν πρὸς τοὺς Ἀθηναίους τοσοῦτον ἀγαθὸν εὖ βουλευομένοις εὑρίσκεται· τὴν δ' ὑπὸ πάντων ὁμολογουμένην ἄριστον εἶναι εἰρήνην πῶς οὐ χρὴ καὶ ἐν ἡμῖν αὐτοῖς ποιήσασθαι; ἢ * δοκεῖτε εἰ τῷ τι ἔστιν ἀγαθὸν ἢ εἴ τῳ τἀναντία, οὐχ ἡσυχία μᾶλλον ἢ πόλεμος τὸ μὲν παύσειεν ἄν [a] ἑκατέρῳ, τὸ δὲ ξυνδιασώσειε [a] * καὶ τὰς τιμὰς καὶ λαμπρότητας ἀκινδυνοτέρας ἔχειν τὴν εἰρήνην, ἄλλα τε ὅσα ἐν μήκει λόγων ἄν τις διέλθοι [ὥσπερ περὶ τοῦ πολεμεῖν] [b].

a) recte Heilmannus legit παύσαι i. e. παύσειεν et διασώσαι i. e. διασώσειε: in libris est παῦσαι .... διασῶσαι; b) expectares saltem: ὥσπερ ⟨καὶ⟩ περὶ τοῦ πολέμου; languida verba tamen auctore Kruegero iure induxit Hudius.

Ratione habita eorum quae de loco perplexo docte atque ingeniose disputaverunt Badhamus Herwerdenus Cobetus scriptoris manum sic in integrum restituere conabor:

ἢ ⟨πῶς⟩ δοκεῖτε; εἴ τῷ τι ἔστιν ἀγαθὸν ἢ εἴ τῳ τἀναντία, οὐχ ἡσυχία μᾶλλον ἢ πόλεμος τὸ μὲν παύσειεν ἂν ἑκατέρῳ, τὸ δὲ ξυνδιασώσειεν; ⟨εἰκὸς δὲ⟩ καὶ τὰς τιμὰς καὶ λαμπρότητας ἀκινδυνοτέρας ἔχειν τὴν εἰρήνην, ἄλλα τε ὅσα ἐν μήκει λόγων ἄν τις διέλθοι.

Ibidem § 4.

τιμωρία γὰρ οὐκ * εὐτυχεῖ δικαίως, ὅτι καὶ ἀδικεῖται.

Herwerdenus coll. Cassii Dionis L. XLIV, 27 (οὔτε τὸ πλεονεκτούμενον ἔν τινι πάντως εὐτυχεῖ, ὅτι καὶ ἀδικεῖται, οὔτε τὸ δυνάμει προῦχον πάντως κατορθοῖ διότι καὶ προήκει) pro δικαίως (quo adverbio carere possumus) scribit πάντως. Aptissime quod

1) ἔτι δ' εἴ τις ἐκλέξειε τῶν προεχόντων ποιητῶν τὰς καλουμένας γνώμας, ἐφ' αἷς ἐκεῖνοι μάλιστ' ἐσπούδασαν, ὁμοίως ἂν καὶ πρὸς ταύτας διατεθείη.

Digitized by Google

ad sensum, nisi quod haud facile tibi explicaveris quomodo πάντως in δικαίως abierit. Quare praetulerim:

τιμωρία γὰρ οὐκ ⟨ἀεὶ⟩ εὐτυχεῖ δικαίως, ὅτι καὶ ἀδικεῖται κτέ.

δικαίως intellige: *sicuti iustitiae consentaneum et par erat.*

IV c. 63 § 2.

ἐὰν δ' ἀπιστήσαντες ἄλλοις ὑπακούσωμεν, οὐ περὶ τοῦ a) τιμωρήσασθαί τινα * ἀλλὰ καὶ ἄγαν εἰ τύχοιμεν φίλοι μὲν ἂν τοῖς ἐχθίστοις, διάφοροι δ' οἷς οὐ χρὴ κατ' ἀνάγκην γιγνοίμεθα b).

a) περιέσται pro περὶ τοῦ infeliciter cit. Hudius; b) γιγνοίμεθα edd. omnes γιγνόμεθα perperam codd. omnes.

Ad vv. οὐ περὶ τοῦ τιμωρήσασθαί τινα Schol. annotat.: λείπει τὸ, ὃ ἀγὼν ἡμῖν ἔσται κτέ. Ad hanc lucem cum Cobeto et Leeuwenio manifestam lacunam commodo explere licet. Ceterum pro καὶ ἄγαν εἰ τύχοιμεν Cobetus ἀλλὰ κἂν εὐτυχῶμεν, *etiamsi reliqua nobis prospere cadent;* Herwerdeno iam ante in mentem venerat: ἀλλὰ κἂν, ⟨εἰ⟩ εὐτυχοῖμεν; Leeuwenius autem coniicit: ἀλλὰ καί, εἰ τύχοιμεν. Eleganter ac probabiliter omnes, ut vides. Damnantibus vero voculam ἄγαν non plane assentior. ἄγαν post ἄν (quocum in libris MSS. interdum confunditur) errore nasci posse e dittographia consentaneum est; attamen si πασσυδὶ ἄγαν διαφθαρῆναι Thucydidi (VIII c. 1) est *prorsus perire*, quidni idem de iis quibus omnia quam prosperrime procedunt, ἄγαν εὐτυχεῖν dederit? Quamobrem ego commendo:

οὐ περὶ τοῦ τιμωρήσασθαί τινα ⟨ὃ ἀγὼν ἡμῖν ἔσται⟩, ἀλλὰ, κἂν ἄγαν εὐτυχῶμεν, κτέ.

IV c. 66 § 1.

τοῦ δ' αὐτοῦ θέρους Μεγαρῆς [οἱ ἐν τῇ πόλει] πιεζόμενοι ὑπό τε Ἀθηναίων τῷ πολέμῳ ἀεὶ κατ' ἔτος ἕκαστον δὶς ἐσβαλλόντων πανστρατιᾷ ἐς τὴν χώραν, καὶ ὑπὸ τῶν σφετέρων φυγάδων τῶν ἐκ Πηγῶν κτέ.

Verba seclusa omnino otiosa esse et magistellum sapere quis praesertim admonitus non sentit? „Megarenses cum et ab Atheniensibus bello premerentur et a *suis exulibus*" (quos τοὺς ἔξω vocat Th. § 2), num forte periculum erat ne quis inter legendum cives illos Megarenses, de quibus nunc primum nar-

Digitized by Google

rare incipit scriptor, cum exulibus, quorum nulla dum mentio iniecta erat, nescio quomodo confunderet?

Longe aliter res se habet c. 74 in. ubi recte et necessario inter *τοὺς ἐν τῇ πόλει* et *τοὺς ἔξω* distinguitur.

IV c. 73 § 4.

οἱ γὰρ Μεγαρῆς — ὡς οἱ Ἀθηναῖοι ἐτάξαντο μὲν παρὰ τὰ μακρὰ τείχη ἐξελθόντες, ἡσύχαζον δὲ καὶ αὐτοὶ [1]) *[μὴ ἐπιόντων] λογιζόμενοι [καὶ οἱ ἐκείνων στρατηγοὶ]* [a]) *μὴ ἀντίπαλον εἶναι σφίσι τὸν κίνδυνον, ἐπειδὴ καὶ τὰ πλείω αὐτοῖς προὐκεχωρήκειν, ἄρξασι μάχης πρὸς πλείονας αὐτῶν ἢ λαβεῖν νικήσαντας Μέγαρα ἢ σφαλέντας τῷ βελτίστῳ τοῦ ὁπλιτικοῦ βλαφθῆναι .... οὕτω δὴ τῷ μὲν Βρασίδᾳ αὐτῷ καὶ τοῖς ἀπὸ τῶν πόλεων ἄρχουσιν οἱ τῶν Φευγόντων Φίλοι Μεγαρῆς ..... θαρσοῦντες μᾶλλον ἀνοίγουσί τε τὰς πύλας καὶ ... ἐς λόγους ἔρχονται.*

a) *καὶ οἱ ἐκείνων στρατηγοὶ* „manifestum emblema additum ab eo qui non sentiebat id ipsum in *Ἀθηναῖοι* inesse": *Mnemos.* a. 1880 p. 80 del. Cobetus coll. III, 4 § 1 et IV, 46 § 3 ubi *οἱ στρατηγοὶ* et IV, 132 § 1 ubi *τοῖς τῶν Ἀθηναίων στρατηγοῖς* eodem modo inepte interpolatum est.

Longum anacoluthon multifariam corruptum de quo et alii multi disputaverunt et imprimis adeundi sunt Herwerdenus (*Mnemos.* a. 1873 p. 88 nec non in calce Editionis eius) et Steupius (IV Anhang p. 293 seq.). Hoc unum tantum addere licet: ad *μὴ ἐπιόντων* Schol. recte observat: *λείπει· τῶν Λακεδαιμονίων.* At necessarium substantivum cur omisisset noster? Vide ne potius expungendum sit inutile istud *μὴ ἐπιόντων* utpote desumtum e c. 73 § 1.

IV c. 80 § 3.

Lacedaemonii *Ἀθηναίων ἐγκειμένων τῇ Πελοποννήσῳ .... ἤλπιζον ἀποστρέψειν* [a]) *αὐτοὺς μάλιστα, εἰ ἀντιπαραλυποῖεν, πέμψαντες ἐπὶ τοὺς ξυμμάχους αὐτῶν στρατιάν .... καὶ ἅμα τῶν Εἰλώτων* (gen. partt.) *βουλομένοις ἦν* (Lacedaemoniis) *ἐπὶ προφάσει ἐκπέμψαι μή τι πρὸς τὰ παρόντα [τῆς Πύλου ἐχομένης]* [b])

1) Scil. ut et Brasidas. Cf. c. 73 § 1: *μετὰ τοῦτο Βρασίδας καὶ τὸ στράτευμα ἐχώρουν ἐγγυτέρω τῆς θαλάσσης καὶ τῆς τῶν Μεγαρέων πόλεως καὶ καταλαβόντες χωρίον ἐπιτήδειον παραταξάμενοι ἡσύχαζον <οὐκ> οἰόμενοι* (partic. neg. recte neglexit Steupius) *σφίσιν ἐπιέναι τοὺς Ἀθηναίους κτέ.*

Digitized by Google

νεωτερίσωσιν· ἐπεὶ καὶ τόδε ἔπραξαν φοβούμενοι αὐτῶν τὴν σκαιότητα καὶ τὸ πλῆθος κτἑ.

a) ἀποστρέψειν corr. Cobetus; ἀποτρέψειν, ἀποτρέψαι, ἀποστρέψαι libri; b) τῆς Πύλου ἐχομένης induxit Hudius; c) σκαιότητα cod. B; νεότητα A.C.E.M.

Utraque librorum lectio, tam σκαιότητα quam νεότητα, fortiter quidem sed frustra a nonnullis defenditur. Neque enim *temeritas* est σκαιότης (Classen) neque *stolida contumacia* (Stahl) sed idem fere quod ἀπαιδευσία et ἀμαθία; νεότητα vero (cum Cobeto) ad solos *iuniores* aetate fervidos inter Helotas referre magnopere verendum ut liceat. Quamobrem suaserunt:

Herwerdenus: aut γενναιότητα
„ aut νεωτεροποιΐαν [1])
Rauchensteinius: δεινότητα
Widmannus: καινότητα
Steupius: ἰταμότητα.

In tanta consiliorum diversitate ἐγὼ βασεῦμαι ἐμὰν ὁδόν. E scriptura νεότητα, quam e levi lectoris cuiusdam coniectura natam esse suspicor, nihil sani extundere queo; verum age intenta acie alteram scripturam σκαιότητα consideremus, quam neminem facile excogitavisse credendum est. Nonne animadvertis quam simplici correctione: σκαιότητα in σκληρότητα mutando: laboranti sententiae subveniri possit?

Inter CKAIOτητα enim et CKAI<P>Oτητα i. e. σκλΗροτητα quantillum interest!

Gens dura atque aspera cultu profecto, ἄγριοι καὶ σκληροὶ erant Helotes, quorum σκληρὸν φρόνημα ac σκληρὸν θράσος reformidasse Lacedaemonios nemo hercle mirabitur. Accedit quod σκληρότης apud Atticos non solum de contumacia ac superbia sed etiam de mente obstinatiore et offirmatiore usu tritum est. Quis Thucydidis Demosthenisve aequalis ab inferis excitatus σκαιοὺς appellaret qui hodie in Africa plaudentibus omnibus bonis pro patria et libertate, pro liberis et uxoribus decertare non desinunt? Immo iuvenesque senesque manu prompti, tenaces propositi, in hostem pervicaces, σκληροὶ sunt.

Ceterum saevus Achilles animum indomitus, durus et in-

1) Coll. Dion. Cass. L. LXII c. 9 § 2.

Digitized by Google

tractabilis Aristoteli (*περὶ ποιητικῆς* XV, 2) insigne *παράδειγμα σκληρότητος* est.

Ibidem § 3.

In parenthesi: *ἀεὶ γὰρ τὰ πολλὰ Λακεδαιμονίοις πρὸς τοὺς Εἵλωτας τῆς φυλακῆς πέρι μάλιστα καθειστήκει* ad ultimum verbum Hudius non sine causa annotat: „fortasse *καθέστηκεν* scribendum". Namque aliter, ut opinor, de Spartanis et Helotibus Th. aequalis de aequalibus loquens dare vix potuit. At vide ne ipse plusquamperfecti temporis usus indicio sit ea quae hodie satis incommoda sede in media sententia interposita tamquam Thucydidea circumferuntur, revera sero nato Graeculo deberi.

IV c. 108 § 1.

Amphipoli capta Athenienses, quibus multis partibus emolumento et utilitati erat illa civitas, magnus terror invasit; quod vero imprimis cum dolore reputabant hoc erat: Lacedaemonios qui ad hoc usque tempus, dum pons in eorum potestate non esset, Thessalorum ope ad Strymonem quidem usque progredi possent, fluvium transire nullo modo possent — superne enim longo spatio stagnabat atque altera pars ad mare versus Atheniensium triremibus protegebatur — nunc capta Amphipoli iam neutiquam impediri quominus ita facerent.

Si loci sententiam bene perspexi, textus in hunc fere modum constituendus erit:

ἐχομένης δὲ τῆς Ἀμφιπόλεως οἱ Ἀθηναῖοι ἐς μέγα δέος κατέστησαν, ἄλλως τε καὶ ὅτι ἡ πόλις ἦν αὐτοῖς ὠφέλιμος ..... καὶ ὅτι <μέχρι τοῦδε> μέχρι μὲν τοῦ Στρύμονος ἦν πάροδος, Θεσσαλῶν διαγόντων ἐπὶ τοὺς ξυμμάχους σφῶν, τοῖς Λακεδαιμονίοις, τῆς δὲ γεφύρας μὴ κρατούντων ..... οὐκ ἂν δύνασθαι προελθεῖν· τότε δὲ ῥᾴδια a) *ἤδη [ἐνόμιζεν]* b) *γεγενῆσθαι.*

a) *ῥᾴδια* cit. Kistemaker; *ῥᾳδία* codd.; b) *ἐνόμιζεν* (*ἐνόμιζον*?) libri; *ἐνομίζετο* vulg.; del. Kistemaker.

IV c. 110 § 2.

οἱ δὲ πράσσοντες αὐτῷ εἰδότες ὅτι ἥξοι [καὶ] προελθόντες τινὲς αὐτῶν λάθρᾳ ὀλίγον a) *ἐτήρουν τὴν πρόσοδον κτἑ.*

a) *ὀλίγον* em. Cobetus; *ὀλίγοι* codd.

Digitized by Google

Rectissime Steupius: „*τινὲς αὐτῶν* beschränkt das Hauptsubjekt in Form der *Apposition* (vgl. zu II, 4, 2; II, 16, 1; II, 54, 2)".

Sequitur coniunctionem *καὶ* post *ἦξοι* utique expellendam esse.

IV c. 118.

In hoc capite (de quo vide STEUPII *Thuk. Studien* I pp. 1—28 nec non Comm. editioni eius a. 1900 adiecti p. 227 seqq.: Anhang p. 306 seqq.) aut sententiarum ordinem valde turbatum esse fatendum erit, quae erat Kruegeri opinio iam statim initio §§ 1 et 2 speciose transponentis aut — quod mihi certe longe probabilius esse videtur: nam sic demum Lacedaemoniorum eorumque sociorum ter quaterve in media induciarum formula repetita mentio (§§ 2, 4 et 8) commodum explicatum habebit: verum vidit Dobraeus ratus singula pacti capita primum Athenis conscripta deinde, nonnullis adiectis et mutatis, ordine a Lacedaemoniis comprobata esse; post ea sequi formulam *ἔδοξεν τῷ δήμῳ κτἑ.* qua inducias ratas habebant Athenienses, itaque totam hanc *ἐκεχειρίαν* inter Athenienses et Lacedaemonios distinguendam esse. Quamquam hac in re, ut et in aliis quibusdam minoris momenti, fallitur Dobraeus quod § 4 vv. *ἐπὶ τῆς αὐτῶν μένειν ἑκατέρους κτἑ.*, ea certe forma qua apud Th. in pacto inserta reperiuntur, non Lacedaemoniis sed Atheniensibus tribuit. Equidem sic distinguere malim:

Athenienses: *περὶ μὲν τοῦ ἱεροῦ καὶ τοῦ μαντείου τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Πυθίου δοκεῖ ἡμῖν χρῆσθαι τὸν βουλόμενον ἀδόλως καὶ ἀδεῶς κατὰ τοὺς πατρίους νόμους.*

Lacedaemonii: *τοῖς μὲν Λακεδαιμονίοις ταὐτὰ* a) *δοκεῖ καὶ τοῖς ξυμμάχοις τοῖς παροῦσιν· Βοιωτοὺς δὲ καὶ Φωκέας πείσειν Φασὶν ἐς δύναμιν προσκηρυκευόμενοι.*

Ath.: *περὶ δὲ τῶν χρημάτων τῶν τοῦ θεοῦ ἐπιμέλεσθαι ὅπως τοὺς ἀδικοῦντας ἐξευρήσομεν, ὀρθῶς καὶ δικαίως τοῖς πατρίοις νόμοις χρώμενοι καὶ ὑμεῖς καὶ ἡμεῖς καὶ τῶν ἄλλων οἱ βουλόμενοι τοῖς πατρίοις νόμοις χρώμενοι.*

Lac.: *περὶ μὲν οὖν τούτων ἔδοξε Λακεδαιμονίοις καὶ τοῖς* b) *ξυμμάχοις κατὰ ταὐτά·* c)

a) *ταὐτὰ* em. Steupius: *ταῦτα* libri MSS.; b) *τοῖς ἄλλοις* G.M.; c) *κατὰ ταὐτὰ* cod. M solus addit qui praeterea habet: *τάδε ἔδοξε Λακεδαιμονίοις καὶ τοῖς ἄλλοις ξυμμάχοις.*

Digitized by Google

ἐὰν ⟨δὲ⟩ σπονδὰς ποιῶνται οἱ Ἀθηναῖοι, ἐπὶ τῆς αὐτῶν μένειν ἑκατέρους ἔχοντας ἅπερ νῦν ἔχομεν ..... δίκας τε διδόναι ὑμᾶς τε ἡμῖν καὶ ἡμᾶς ὑμῖν κατὰ τὰ πάτρια, τὰ ἀμφίλογα δίκῃ διαλύοντας ἄνευ πολέμου.

τοῖς μὲν Λακεδαιμονίοις καὶ τοῖς ξυμμάχοις ταῦτα δοκεῖ· εἰ δέ τι ὑμῖν εἴτε κάλλον εἴτε δικαιότερον τούτων δοκεῖ εἶναι, ἰόντες ἐς Λακεδαίμονα διδάσκετε κτἑ.

Ath. psephisma: ἔδοξεν τῷ δήμῳ κτἑ.

IV c. 120 § 1 seq.

περὶ δὲ τὰς ἡμέρας ταύτας .... Σκιώνη ἐν τῇ Παλλήνῃ πόλις ἀπέστη ἀπ' Ἀθηναίων πρὸς Βρασίδαν.

Qua re cognita Brasidas nihil moratus ad Scionaeos confirmandos noctu ad insulam appellitur:

.... ἀποστᾶσι δ' αὐτοῖς ὁ Βρασίδας * διέπλευσε νυκτὸς ἐς τὴν Σκιώνην * τριήρει μὲν Φιλίᾳ προπλεούσῃ, αὐτὸς δ' ἐν κελητίῳ ἄπωθεν ἐφεπόμενος κτἑ.

Si Steupium audis, qui parum feliciter comparat locum mea quidem sententia dissimillimum (IV c. 10 § 3), „ist der Dativ ἀποστᾶσιν αὐτοῖς zwar mit διέπλευσε zu verbinden, doch *in freierer Beziehung* und τριήρει .... προπλεούσῃ wie vorher ἀποστᾶσιν αὐτοῖς zu erklären, denn dass kein Dativ der Begleitung angenommen werden kann, ergiebt sich aus der Entgegensetzung der vorausfahrenden Triere und des Brasidas selbst".

Donec huiusmodi liberioris structurae sive e Thucydide sive ex alio quovis probato scriptore plura quaedam et certiora exempla prolata erunt, equidem suspicabor potius ante διέπλευσε casu intercidisse participium unde pendeat dativus ille αὐτοῖς ἀποστᾶσιν. Ipsa autem sententia manu ducit ad verbum quo opus est.

ἀποστᾶσι δ' αὐτοῖς ὁ Βρασίδας — quidnam facturus? quid nisi *opem laturus*? ⟨βοηθήσων⟩ διέπλευσεν.

Pro altero nudo dativo τριήρει requiro: ⟨ξὺν⟩ τριήρει .... Φιλίᾳ προπλεούσῃ: Belgice: *onder begeleiding van*.

IV c. 126 § 4.

καὶ γὰρ ὅσα μὲν τῷ ὄντι ἀσθενῆ ὄντα τῶν πολεμίων δόκησιν ἔχει ἰσχύος, διδαχὴ ἀληθὴς προγενομένη περὶ αὐτῶν ἐθάρσυνε

Digitized by Google

μᾶλλον τοὺς ἀμυνομένους· οἷς δὲ βεβαίως τι πρόσεστιν ἀγαθόν, [μὴ] προειδώς τις ἂν αὐτοῖς τολμηρότερον προσφέροιτο.

Qui verborum sententiam diligenter perpenderit, fortasse mecum praeferet τοὺς ἀμυνΟΤμένους. Cf. quae supra observavimus ad IV c. 59 § 1.

Extrema vv. dd., ut plerumque fit in locis mendis obscuratis, alii aliter expedire student. Ubi, si cum Schol. [1]), quem multi sequuntur, iunges μὴ προειδώς τις, et reliquorum vv. ordo contra certum dicendi usum turbatus esse videbitur — expectes saltem τούτοις μὴ προειδώς τις τολμηρότερον ἂν προσφέροιτο vel simile quid — et oratio nascetur, me quidem iudice, minus idonea [2]).

Graecum ac Thucydideum est sententiaeque optime congruit aut: ⟨οὐκ⟩ ἂν προειδώς τις αὐτοῖς τολμηρότερον προσφέροιτο, aut *interrogative* — atque sic (exp. μή) Th. scripsisse crediderim — προειδὼς τίς ἂν αὐτοῖς τολμηρότερον προσφέροιτο;

Latine locum sic reddere possis:

„Quaecunque in hostibus (in Illyriis e. g.) reapse infirma „roboris non nisi speciem offerunt, adversarios vim illatam vi „defensuros rerum veritatem opportune edoctos confirmare solent; „contra quis recte monitus stulta temeritate in illos feratur qui „haud dubie (ut vester exercitus) et acres et fortes sint?"

---

1) ὅσοι πολέμιοι ἀσθενεῖς ὄντες δόκησιν ἰσχύος παρέχουσι τοῖς ἐναντίοις, περὶ τούτων τἀληθῆ μαθόντες οἱ δι' ἐναντίας θαρσύνονται μᾶλλον· ὅσοι δὲ τῷ ὄντι εἰσὶν ἰσχυροί, τούτους εἰ μή τις ἔμπροσθεν μάθοι, τολμηρότερον αὐτοῖς προσενεχθήσεται.

2) Veluti Steupius (quem honoris causa nomino) in Commentario fusius interpretatur:

„Eine vorhergehende Belehrung über die Schwäche des Gegners ist nicht nur nützlich wenn dieser auch durch nichts den Schein von Stärke erregt, sondern auch, wenn er, obwohl er in Wirklichkeit schwach ist, stark zu sein scheint, während gegen einen wirklich starken Feind ein nicht vorher von dieser Stärke Unterrichteter kühner vorgehen wird".

Digitized by Google

ARISTOPHANEA.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Magna semper voluptas est legere et relegere immortalis comici Attici fabulas, sed duplicatur utentibus Leeuweni nostri earum editionibus, quae stupenda celeritate sese excipientes prodeunt in lucem; tanta excellunt cum praefationes tum adnotationes et criticae et exegeticae iudicii sanitate, sagacitate, eruditione in rerum non minus quam sermonis Atheniensium intima cognitione conspicua.

Ingens foret nec sane ingratus labor, si vellem quidquid novi simul et certi aut probabile saltem attulerint referre, sed quoniam cum aliis comparatae id ubique ipsae satis declarant, utilius esse duxi locos nonnullos tractare, ubi mihi quidem legenti per ferias aestivas tres fabulas, editas deinceps annis 1898, 1900, 1901 (Nubes, Equites, Acharnenses) dubitationes quaedam sive iure sive iniuria natae sunt, quas nunc collegae aestimatissimi ceterorumque Mnemosynes lectorum iudicio submittere lubet.

I. Ad Acharnenses.

Vs. 1. *ὅσα δὴ δέδηγμαι τὴν ἐμαυτοῦ καρδίαν.*
ἥσθην δὲ βαιά, πάνυ δὲ βαιά, τέτταρα κτἑ.

Memini me olim in *Studiis criticis ad poetas scenicos Graecos* proponere

ἥσθην δὲ βαιὰ πάνυ <τρἳ ἅττ' ἢ> τέτταρα

verba *δὲ βαιά* dittographema esse suspicantem. Quod tum

Digitized by Google

eximie mihi placebat, hodie minus placere confiteor, quia negare non possum Leeuwenium speciose obmovere post *βαιά* omnem numerum molestum videri. Si autem falsa est coniectura, meus est error, non Naberi, cui immerito tribuit editor. Ipse enim Naber alter fuit iudicum, quibus commentatio illa mea de more commissa est antequam Academiae Disciplinarum Nederlandicarum sumptibus ederetur, itaque si ipse iam proposuisset, id fuisset, ut arbitror, moniturus. Similiter mihi vindico pervetustam coniecturam sive veram sive falsam, qua Nub. vs. 721 *φρουρὰς* in *φρούδας* mutandum putabam, a Leeuwenio Vollgraffio tributam. — Ceterum quae ipse proponit in Acharnensium loco a tradita lectione ita recedunt, ut omni probabilitate destituta videantur.

Vs. 24. *εἶτα δ' ὠστιοῦνται πῶς δοκεῖς*
ἥκοντες ἀλλήλοισι περὶ πρώτου ξύλου.

Nabero obsecutus vLeeuwen edidit *πρῶτον ξύλον*, quod sane praesertim collato Teleclidis qui affertur loco optime dictum esse nemo facile negabit, nec tamen prorsus mihi persuasum est genetivum ferri non posse, quoniam primum subsellium praemium est, de quo certantes concionantes alii alios trudunt, quo sensu olim Dobree parum numerose *διωστιοῦνται* scribendum esse coniecit. Cf. Plut. 330 *εἰ τριωβόλου μὲν οὕνεκα ὠστιζόμεσθ' ἑκάστοτ' ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ*. Si autem vulgata lectio sana est, melius intellegitur cur articulus omissus sit, sic enim (nam *περὶ πρώτου ξύλου* idem valet quod *περὶ προεδρίας*) comparari poterunt locutiones *ἀγωνίζεσθαι περὶ ἀρχῆς*, *περὶ ἡγεμονίας* similesque. Quare si vera sit (ut est sane vero similis) Naberi correctio, equidem scripserim

ἥκοντες ἀλλήλοις περὶ <τὸ> πρῶτον ξύλον.

Vs. 45. Amph. *ἦδη τις εἶπε*; Praeco. *τίς ἀγορεύειν βούλεται*; Amph. *ἐγώ*; Praeco. *τίς ὤν*; Amph. *Ἀμφίθεος*; Pr. *οὐκ ἄνθρωπος*; Amph. *οὔ, κτἑ.*

Adnotat editor „Coll. Thesm. 541 conieci *οὐκ ἄρ' ἀστός*; non „civis igitur es? Quod postquam homo male sanus et fastu „elatus cum indignatione negavit, statim detrahitur de sug„gestu, unde verba facere solis civibus licitum." Ut omittam

Digitized by Google

quaerere, quo tandem pacto homo peregrinus (non dato ei aditu ad populum) comitium intrare potuerit, scire velim unde praeco efficere potuerit eum civem non esse, quod ex nomine concludere non potuit. Me quidem si audis, propter Amphithei nominis significationem, *circumcirca* (undique) *deus*, eum *an homo non sit* ioculariter interrogat. Tum vero, posteaquam contra exspectationem Amphitheus id ipsum negans absurdissima effutire coepit, non potuit praeco (sive prytanes) non sibi persuadere hominem aut ebrium esse aut mente captum et propterea, minime quod civis non sit, de suggestu eum deturbat; Dicaeopolis vero, quippe qui pro sano habeat eundem, in quo solo sit ipsi spes pacis cum Lacedaemoniis componendae, suo iure exclamat *ὦνδρες πρυτάνεις, ἀδικεῖτε τὴν ἐκκλησίαν, τὸν ἄνδ' ἀπάγοντες κτἑ.* Certissimum autem argumentum Amphitheum non negasse *civem* se esse praebent ultima eius verba (53 sq.) *ἔφόδι' οὐκ ἔχω· | οὐ γὰρ διδόασιν οἱ πρυτάνεις.* Qui enim quaeso homini peregrino legationem fuissent permissuri? Sed omnino legatos Spartam mittere nolebant, quia de pace ne cogitabant quidem, bello et ipsi faventes. Haec vero Amphithei accusatio, quod viaticum sibi dare nollent, et ipsa faciebat ut hominem furiosum plura verba facere vetarent.

Vs. 95. *πρὸς τῶν θεῶν, ἄνθρωπε, ναύφαρκτον βλέπεις.* Adnotat editor: „Corruptus esse videtur hic versus, fortasse etiam contextus; nam nisi legatur *τί πρὸς θεῶν, ἄνθρωπε* vel *πρὸς τῶν θεῶν, τί οὕτω*, sequentia apte subiungi nequeunt. Sed gravius etiam displicet quod *navis* vox, cui assimulatur Pseudartabas, deest. Intellegerem *ναῦς σταθμὸν βλέπεις*; *navisne es stationem spectans.*" Quod mihi quidem parum arridet propter versum sequentem:

ἢ περὶ ἄκραν κάμπτων νεώσοικον σκοπεῖς;

cuius sententia ita fere eodem rediret. Hoc quidem incommodo careret multo lenior mutatio *ναῦς ἄρκτον βλέπεις*, cui tamen praeter omissum articulum probabilis oculi illius navalis positio obstat. Quare longe praestat traditam lectionem servare, quam vLeeuwen vertit *vultum maritimum* (quidni *navalem?*) *habes.* Non enim nimis incommode (nam pleni sunt similium licentiarum scriptores Graeci) e lectione *ναύφαρκτον* in sequenti versu pri-

Digitized by Google

mum eius elementum *ναῦς* mente repeti mihi posse videtur. Magis mihi placet prior coniectura libensque sic scripserim:

τί πρὸς θεῶν, ἄνθρωπε, ναύφαρκτον βλέπεις;

Vs. 127. *τουσδὶ ξενίζειν! οὐδένα ποτ' ἴσχει θύρα.*

Sic vLeeuwen de sua coniectura, nisi quod *τουσδὶ* dedit cum Brunckio pro traditis in Ravennate *τούσδε ξενίζειν οὐδέποτ' ἴσχει θύρα*, continuatam lectionem vetare putans *ξενίζειν* positum, ubi *ξενίζεσθαι* vel *μὴ ξενίζεσθαι* sit necessarium. Negatio, credo, aeque recte omitteretur ac passim omittitur post *κωλύειν*, et *ξενίζειν* recte se habet, si obiectum verbi *ἴσχει* cogitamus *τοὺς ξενίζοντας*, non *τοὺς ξενιζομένους*, ut sit sententia: ianuam clausam impedire quominus prytanes legatos excipiant. Nihilominus Leeuwenii et interpunctio et reliqua correctio satis mihi placent, sed scrupulus mihi restat de omisso articulo, cum propter universum eius in quotidiano sermone usum tum quod plerique codices exhibent *οὐδέποτέ γ' ἴσχ' ἡ θύρα*, schol. *οὐδέποτ' ἴσχει ἡ θύρα*, Suid. *οὐδέποτ' ἴσχει γ' ἡ θύρα*, et Eupolidis versiculus apud scholiastam sonat *νὴ τὸν Ποσειδῶ οὐδέποτ' ἴσχει ἡ θύρα* (Porson *οὐδέποτέ γ' ἴσχεν ἡ θύρα*, Elmsley *κοὐδέποτέ γ' ἴσχει θύρα*, vLeeuwen *κοὐδέποτ' ἴσχεν ἡ θύρα*).

Iam si articulo opus est, ut sane videtur, nec quisquam facile admittet crasin *ἴσχει ἡ θύρα*, quaero annon potius scribendum sit

τουσδὶ ξενίζειν! οὐδέποτ' ἴσχεν ἡ θύρα!

numquam (scil. adhuc) *impediebat ianua!*

In quali versu deficiens obiectum facile ex ipsa sententia suppleri potest.

Vs. 195. *ὦ Διονύσια!*

αὗται μὲν ὄζουσ' ἀμβροσίας καὶ νέκταρος
καὶ μὴ ἐπιτηρεῖν σιτί' ἡμερῶν τριῶν,
κἀν τῷ στόματι λέγουσι „βαῖν' ὅποι ἐθέλεις".

Editor versu 197 cum Reiskio transposito post sequentem coniecit *κοὐ μὴ ἐπιταχθῇς* minus leniter nec melius quam Hamaker, qui coll. vs. 548 *καὶ μηκέτι μέτρει* scribendum proposuit.

Audaciae si locus esset, versum suo loco servans scriberem v. c.

<κἀποστρέφονται> σιτί' ἡμερῶν τριῶν.

Digitized by Google

Sed vereor ne versus corruptus non sit et in ipso verbo *ἐπιτηρεῖν* parum apte usurpato indicium contineat spuriae originis. Aut fallor, aut poetaster nescio quis recordatus notissimi imperii militaris hunc versiculum, quo omisso nihil desideramus, de suo fictum margini adscripsit.

Vs. 429. *χωλός, προσαιτῶν, στωμύλος, δεινὸς λέγειν.*
Propter verba *δεινὸς λέγειν* librarii errore ni fallor (saepius enim vocabula omisit) in Ravennate neglecta vLeeuwen fortasse *iocosius* quid, e. g. *δεινὸς λαλεῖν*, ab Aristophane scriptum esse putat. Non iocosius id me iudice foret, sed minus aptum, utpote supervacuum propter praegressum *στωμύλος*.

Vs. 436. *ἐνσκευάσασθαί μ' οἷον ἀθλιώτατον.*
Procul dubio hic versus cum Brunckio h. l. delendus est, non vs. 384, ubi aeque aptus est atque hic ineptus.

Vs. 665.
δεῦρο Μοῦσ' ἐλθὲ Φλεγυρά, πυρὸς ἔχουσα μένος, ἔντονος Ἀχαρνική.
οἷον ἐξ ἀνθράκων πρινίνων Φέψαλος ἀνήλατ' ἐρεθιζόμενος οὐρίᾳ ῥιπίδι,
ἡνίκ' ἂν ἐπανθρακίδες ὦσι παρακείμεναι,
οἳ δὲ Θασίαν ἀνακυκῶσι λιπαράμπυκα,
οἳ δὲ μάττωσιν, οὕτω σοβαρὸν ἐλθὲ μέλος κτέ.
Miror collegam sagacissimum, quem tam pauci errores fugiant, latuisse vitiose scriptum esse *ὦσι παρακείμεναι* pro *ὥσιν ἐπικείμεναι*, scil. *τῷ πυρί*, cum praesertim plurimis abhinc annis ita corrigendum esse monuerim, quoniam *παρακεῖσθαι* noto usu dicantur cibi in mensa convivis *apositi*, hic vero ex universo loco liquide constet agi de coena praeparanda. Quod attinet ad ellipsin vocabulorum *ἐπὶ τῷ πυρί*, eam nemo mirabitur qui meminerit verbum correspondens *ἐπιτιθέναι* nude sic usurpari de adolendis suffimentis.

Vs. 709. *οὐδ' ἂν αὐτὴν τὴν Ἀχαΐαν ῥᾳδίως ἠνέσχετο.*
Quod Hamaker coniecit pro verbis corruptis *Αὐτοκλῆς παλαίων* propter versum sequentem speciem quidem habet aliquam, sed non nisi speciem, quia ita pro *ἠνέσχετο* dicendum fuisset *ὑπέμεινεν* aut *ὑπέστη*, et *αὐτὴν* sanum esse videtur. Nihilominus

Digitized by Google

prorsus ferri nequit quod vLeeuwen proponit *τὴν πρόκλησιν*, propterea quod *vocatio in ius* graece constanter *κλῆσις* aut *προσκλησις* dicitur, *πρόκλησις* contra litigantium est *provocatio*, de qua hic sermo esse nequit. Quid lateat et ego saepe sed frustra quaesivi.

Vs. 724. *ἀγορανόμους δὲ τῆς ἀγορᾶς καθίσταμαι*
τρεῖς τοὺς λαχόντας τούσδ' ἱμάντας ἐκ Λεπρῶν.

Quia Athenis haec aguntur, mireris hunc numerum. Expectes enim *δέκα*, *ι'* pro *γ'*.

Vs. 746. *ὅπως δὲ γρυλιξεῖτε καὶ κοΐξετε*
χήσεῖτε Φωνὰν χοιρίων μυστηρικῶν.
ἐγὼν δὲ καρυξῶ Δικαιόπολιν ὅπᾳ.

Notissimo quidem usu, de quo etiam editor egit in nota, post *ὅπου* verbum *ἐστίν* omittitur, sed nihil ea scientia loco sic scripto prodest. Fac enim *κηρύσσειν* h. l. cum accusativo eodem modo usurpatum esse, quo Euripides contra vulgarem usum Hec. 148 dixit *κηρύσσειν θεούς*, vox *ὅπᾳ* (*ἐστίν*) nihil significare potest, quia requireretur *ὁπᾴ(δή)ποτ' ἐστίν*, *ubicumque* (tandem) *est*, aut simile quid. Sed enim *κηρύσσειν* manifeste hic significat *praeconem agere*, scil. porcellorum, quos Megarensis venumdat, itaque post *καρυξῶ* plene incidendum, quod iam cum Hamakero Meinekium video fecisse, aptissime deinde scribentem *Δικαιόπολι; δέ πᾳ;* Quod simulac rogavit, hominem animadvertit in scenam prodeuntem, itaque optime sequitur

Δικαιόπολις, ἦ λῇς πρίασθαι χοιρία;

Eximiam me iudice emendationem ne verbo quidem ab editore commemorari impense miror. Ne quis forte coniciat, una deleta littera *Δικαιόπολις, ὀᾱ*, moneo hanc rarissimam interiectionem apud solum Aeschylum occurrere nec vocantis esse, sed eiulantis, neque alia interiectio facili mutatione pro *ὅπᾳ* substitui potest.

Vs. 1181. *καὶ Γοργόν' ἐξέσεισεν ἐκ τῆς ἀσπίδος.*

Ita de suo vLeeuwen rescripsit pro corrupto *ἐξήγειρεν* sive *ἐξέγειρεν*, sed quid *ἐκσείειν* hic significare possit frustra quaero. Aperte enim requiritur *effringendi* notio, sive latet *ἐξέρρηξεν*,

Digitized by Google

sive quod Blaydes proposuit ἐξέθραυσεν, sive quod Brunck ἐξήραξεν, nam certam emendationem frustra circumspicio, sed ἐξέσεισεν verum esse non posse habeo persuasissimum.

Vs. 1219. Lamacho dicenti

εἰλιγγιῶ κάρα λίθῳ πεπληγμένος,
καὶ σκοτοδινιῶ

Dicaeopolis subsannans respondet

κἀγὼ καθεύδειν βούλομαι καὶ στύομαι
καὶ σκοτοβινιῶ.

Nimis suspicio Aristophanis ingenium quam ut persuadere mihi possim poetam, qui reliqua omnia in hac scena tanta arte tractaverit, hic solo lusu in verbis σκοτοδινιῶ et σκοτοβινιῶ contentum esse potuise. Accedit quod vs. 1220 depravatum esse arguit καθεύδειν inepte positum pro necessario hac in re συγκαθεύδειν, pro quo συνεύδειν reponi vitat dictio comica. Ab eadem abhorreret quidem, sed propter ludicram verborum Lamachi detortionem satis, ni fallor, excusaretur, si v. c. παρατραγῳδῶν scripsisset:

ἐγὼ δὲ κέαρ γ' ἔρῳ πεπληγμένος (scil. εἰλιγγιῶ),
καὶ σκοτοβινιῶ.

At quin στύομαι genuinum sit, dubium non videtur, itaque tali venia minime egemus. Lubet igitur ariolari (in talibus enim praestari nihil pro certo potest):

κἄγωγ' <ἔρωτι> στύομαι <πεπληγμένος>,
καὶ σκοτοβινιῶ,

veteres lacunas infeliciter expletas esse suspicanti.

II. Ad Equites.

Vs. 89. ἄληθες, οὗτος; κρουνοχυτρολήραιον εἶ.

vLeeuwen „In epitheto ioculariter ficto quid sibi velit κρουνοῦ nomen apertum est, sed χυτρῶν sive ollarum mentio non satis perspicua".

In qua mentione et ipse haerens olim monui fortasse demta una littera scribendum esse κρουνοχυτο-λήραιον, ut κρουνόχυτον intellegatur *e fonte manans*, i. e. ὕδωρ.

Digitized by Google

Vs. 191. *ἡ δημαγωγία γὰρ οὐ πρὸς μουσικοῦ*
ἔτ' ἐστὶν ἀνδρὸς οὐδὲ χρηστοῦ τοὺς τρόπους,
ἀλλ' εἰς ἀμαθῆ καὶ βδελυρόν. ἀλλὰ μὴ παρῇς
ἃ σοι διδόασ' ἐν τοῖς λογίοισιν οἱ θεοί.

Editori, quod probabilis coniectura non sit proposita, neglegentius haec poeta scripsisse videtur; id quod prorsus improbabile equidem arbitror, nec vero video quid tandem culpandum sit in coniectura, quae semper mihi visa est hodieque videtur vero similis admodum, vocula *ἀλλά*, qua opus non est, veterem lacunam sartam esse, poetam vero recte et ordine scripsisse:

ἀλλ' εἰς ἀμαθῆ καὶ βδελυρὸν <ἥκει>. — μὴ παρῇς κτἑ.

Vs. 220. *χρησμοί τε συμβαίνουσι καὶ τὸ Πυθικόν.*

Adnotatur „Hendiadyn haec efficiunt — si sana sunt. Nam quominus discrimen aliquod nunc statuamus multa prohibent, immo aut nihil significat *τὸ Πυθικὸν* aut *χρησμόν τινα.*"

Posteriora verissime, sed hendiadyn admittere nequeo. *Τὸ Πυθικόν* vix aliud quid significare potest quam oraculum Delphis datum, de quo in praegressis nulla fit mentio. Proposuit autem vLeeuwen *χρόνοι τε συμβαίνουσι κατὰ τὸ Πυθικόν.* Sed animadverte quaeso quam male hic versiculus Demosthenis sermonem interrumpat, quippe cui unice respondendum esset Agoracriti verbis, quibus metum suum ne tanto impar negotio foret significavit, addens oracula sibi abblandiri:

τὰ μὲν λόγι' αἰκάλλει με· θαυμάζω δ' ὅπως
τὸν δῆμον οἷός τ' ἐπιτροπεύειν εἶμ' ἐγώ.

Quibus alter respondet:

Φαυλότατον ἔργον· ταῦθ' ἅπερ ποιεῖς ποίει·
τάραττε καὶ χορδεῦ' ὁμοῦ τὰ πράγματα
ἅπαντα, καὶ τὸν δῆμον ἀεὶ προσποιοῦ,
ὑπογλυκαίνων ῥηματίοις μαγειρικῶς.
τὰ δ' ἄλλα σοι πρόσεστι δημαγωγικά·
φωνὴ μιαρά, γέγονας κακῶς, ἀγοραῖος εἶ·
ἔχεις ἅπαντα πρὸς πολιτείαν ἃ δεῖ.
[χρησμοί τε συμβαίνουσι καὶ τὸ Πυθικόν.]
ἀλλὰ στεφανοῦ καὶ σπένδε τῷ Κοαλέμῳ·
χὤπως ἀμυνεῖ τὸν ἄνδρα.

Versus igitur, ut leniter dicam, supervacaneus idemque tam

Digitized by Google

inepte compositus quin prodat manum alienam punctum temporis non dubito.

Vs. 259. *κἀποσυκάζεις πιέζων τοὺς ὑπευθύνους κτἑ.*
Ego servato vulgari versuum ordine difficultatem expediri posse putabam mutando *ὑπευθύνους* in *ὑπηκόους*, cui coniecturae nunc collega obmovet Athenienses ab hac voce in designandis sociis suis caute abstinuisse. Haud ignoro plerumque *συμμάχους* appellari, sed minime prorsus abstinuisse ab altero vocabulo in eorum mentione fidem facient v. c. loci Thucydidei VII 57, 4 (bis); VIII 2; 64, 1, 5. Si vero cum editore et Brunckio vss. 264 sq. ponimus statim post vss. 259 sq., permira nascitur oppositio vocabulorum *τῶν πολιτῶν* et *τούς ὑπευθύνους*, quasi vero hi cives non sint. Haec causa fuit cur olim transpositioni Brunckianae fidem non haberem, nec hucusque sententiam mutavi.

Vs. 405. *ἆσαιμι γὰρ τότ' ἂν μόνον·*
„πῖνε, πῖν' ἐπὶ συμφοραῖς".
Rectissime editor in nota exegetica vertit *tum demum* et melius abstinuisset a coniciendo *γελῶν* vel *χαρείς*. Passim enim apud omnes scriptores Graecos *μόνος* hyperbolice usurpatur. Sensus est *tum praesertim.*

Vs. 451. Dem. *παῖ' ἀνδρικῶς.* Paphl. *ἰού, ἰού,*
τύπτουσί μ' οἱ ξυνωμόται.
Tam ex hac Demosthenis adhortatione, quam e Paphlagonis eiulatu effecerim nunc primum hunc vapulare, neque igitur probaverim editoris parepigraphas ad vs. 450 *alapam e infringens* et *multo vehementiore ictu eum percutiens.* Hucusque convitiis et minis adversarii contenti fuisse videntur.

Secuntur haec Demosthenis verba, sic scripta in libris:
παῖ' αὐτὸν ἀνδρικώτατα καὶ
γάστριζε, καὶ τοῖς ἐντέροις
καὶ τοῖς κόλοις
ὅπως κολᾷ τὸν ἄνδρα.
Recepit vLeeuwen Blaydesii correctionem sane lenissimam *ἀνδρικῶς τε καί*, sed non infitior me propter praegressa *παῖ' ἀνδρικῶς* expectasse potius h. l. comparativum. Nec satis deinde

Digitized by Google

expedio dativos τοῖς ἐντέροις et τοῖς κόλοις. Venit in mentem:

παῖ' [αὐτὸν] ἀνδρικώτερόν τε καὶ
γάστριζε; καὐτοῖς ἐντέροις
καὐτοῖς κόλοις
ὅπως κολᾷ τὸν ἄνδρα.

Vs. 526.

εἶτα Κρατίνου μεμνημένος, ὃς πολλῷ ῥεύσας ποτ' ἐπαίνῳ
διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίων ἔρρει κτέ.

Ἀφελῆ πεδία significare potuisse, quod putat editor, campos planos lenissimaeque sinuositatis cras credam, nam quo pacto haec notio derivari possit e notione huius vocabuli μὴ ἔμπηρος apud Solonem aut cohaereat cum notione *simplex*, *nativus* apud seriores scriptores prorsus me latet. Eo sensu, qui sane h. l. requiri videtur, expectes ὁμαλῶν. Cf. Xen. Anab. IV 6, 12. Plat. Critias p. 118 A. — De corrupto ῥεύσας et infelicibus in h. l. coniecturis vid. Leeuwenium prudenter disputantem. Aoristum ferri non posse pro praesenti et ego olim animadvertens proposui iusto audacius ῥῷ τῶν ἐπινοιῶν, in qua coniectura nunc etiam displicet omissum ποτέ. Vix hodie dubito quin ῥεύσας nihil aliud sit quam infelix tentamen explendae veteris lacunae, ita ut probabilitate non careat πλήθων, de quo editor cogitavit coll. Hom. Λ 492 vel Ε 87.

Vs. 538.

ὃς ἀπὸ σμικρᾶς δαπάνης ἡμᾶς ἀριστίζειν ἀποπέμπει
ἀπὸ κραμβοτάτου στόματος μάττων ἀστειοτάτας ἐπινοίας.

Leniorem quam feliciorem esse Kiehlii coniecturam κραμβοΦάγου hodie, credo, constat inter omnes. Hoc omnino intellegi non potest, illud optime potest, modo fidem habeamus (et quidni habeamus?) glossis Hesychianis κράμβον· καπυρόν τινα γέλωτα καὶ ξηρόν Φασιν (scil. κράμβον γέλωτα). — κραμβότατον· καπυρώτατον (quod si huc pertinet, legendum κραμβοτάτου· καπυρωτάτου). Eodem pertinet κράμβα· γέλως (cod. κραμβατέλος) ξηρὸς καὶ καπυρός. Nihil haec commune habere cum voce κράμβη per se liquet. Cf. Leeuwenii nota.

Digitized by Google

Vs. 551. Ἵππι' ἄναξ Πόσειδον, ᾧ
χαλκόκροτον ἵππων κτύπος
καὶ χρεμετισμὸς ἀνδάνει
καὶ κυανέμβολοι θοαὶ
μισθοφόροι τριήρεις
μειρακίων θ' ἅμιλλα λαμ-
πρυνομένων ἐν ἅρμασιν
καὶ βαρυδαιμονούντων,
δεῦρ' ἔλθ' εἰς χορόν, κτέ.

Probabiliter explicari non posse μισθοφόροι vere contendens editor proponit ποντοπόροι. De eodem epitheto cogitans quondam ipse in exemplaris quo uti solebam margine adnotavi „Fortasse λιμνοπόροι, fictum ad exemplum Homerici vocabuli ποντοπόρος, quod a tradita lectione iusto longius distat." Optime mox idem manifeste corruptum dicit βαρυδαιμονούντων, nam ab omni ioco (cf. schol.) pulcherrimum hoc carmen alienum est. Temporis momentum, sed non nisi momentum, cogitavi fortasse poetam ad exemplum noti vocabuli βαθύπλουτος novam vocem fingentem dedisse βαθυδαιμονούντων, i. e. πάνυ εὐδαιμονούντων = πλουσίων, quia ditissimos cives equos aluisse constat, sed propterea quod sermonis ratio id vetare videtur, multo altius vulnus hic ali habeo persuasum. Comminisci aliquid possim: velut

καὶ περὶ τέρμ' ἐλώντων

sed cum exigua probabilitatis specie. Quaerat alius! — Vs. sq. notanda locutio εἰς χορόν, in qua ex usu praepositionis apparet, more homerico χορός non chorum hic significare, sed locum ubi saltatur, τὴν ὀρχήστραν.

Vs. 581. ὦ πολιοῦχε Παλλάς, ᾧ
τῆς ἱερωτάτης ἁπα-
σῶν πολέμῳ τε καί ποιη-
ταῖς δυνάμει θ' ὑπερφερού-
σης μεδέουσα χώρας,
δεῦρ' ἀφικοῦ κτέ.

Latuisse videtur editorem me iamdudum haerentem in ποιηταῖς et monentem pro eo desiderari notionem, qualis est πλοῦτος sive χρήματα, dubitanter proposuisse πόροισιν, i. e. προσόδοις.

Digitized by Google

Vs. 813.

„ὦ πόλις Ἄργους, κλύεθ' οἷα λέγει". σὺ Θεμιστοκλεῖ ἀντιφερίζεις;
ὃς ἐποίησεν τὴν πόλιν ἡμῶν μεστήν, εὑρὼν ἐπιχειλῆ.

Cum antiquis grammaticis ἐπιχειλῆ intellegens ἐνδεᾶ sive ἐλλειπῆ iam ego, quod idem repetens ignorare videtur vLeeuwen, pro μεστὴν olim proposui μεγάλην, quod praeterea suadet oppositum μικροπολίτας. Themistocles urbem quam incolis non sufficientem invenerat, magnam reddidit, Cleon contra quam magnam acceperat, parvam reddebat. Num vero propterea opus sit gravissima mutatione ἀγαθῶν τ' ἐπιχειλῆ quam etiamsi cum Willemsio, quem sequitur, ἐπιχειλῆ *vacuam* interpretemur, non intellego, dubito multum, traditumque participium εὑρών necessarium esse arbitror; ampliandum censens de vera adiectivi significatione. Leeuwenii coniectura ita tantummodo vera esse posset, si constaret ἐπιχειλῆ *plenam* interpretari licere.

Vs. 853. τούτους δὲ περιοικοῦσι μελιτοπῶλαι.

Coniecturis allatis addi debuit mea ceteris omnibus lenior περιηχοῦσι, quia passim οι et η, κ et χ a librariis confundi constat. Sed fieri potest ut recte editor verbum traditum tueatur vLeeuwen.

Vs. 934. σπεύδειν ὅπως τῶν τευθίδων
ἐμπλήμενος Φθαίης ἔτ' εἰς
ἐκκλησίαν ἐλθεῖν.

Veneti codicis lectionem ἐλθών editor recepit, intellegens ὅπως Φθαίης ἔτ' ἐλθὼν εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐμπλήμενος. Sed fac admitti posse verborum ordinem parum naturalem, loci sententia, nisi fallor, huic lectioni obstat. Cleoni enim hoc agendum erat ut ne sero veniret in comitia, non ut prius (quam opus esset) veniret. Quapropter praeferendam arbitror Ravennatis et plerorumque librorum scripturam, sive ἔτ' mecum in πρίν mutandum est, sive ἢ εἰς scribendum cum Zachero, quod nunc ut lenius praetulerim.

Vs. 1399. τὰ κύνεια μιγνὺς τοῖς ὀνείοις πράγμασιν.

Cur conicere ausus sim <σ>άγμασιν, *farciminibus*, exposui nuper in Mnemosynes vol. XXIX, part. II.

Digitized by Google

III. Ad Nubes.

Vs. 15. *ἱππάζεταί τε καὶ ξυνωριχεύεται.*
Veterem meam coniecturam *ξυνωριδεύεται*, quam commemorat editor, dudum alibi retraxi monens formam traditam aphaeresi syllabica natam videri ex *ξυνωριδικεύεται*, ut *κομψευριπικῶς* (Eq. 18), qualium formarum in sermone Graeco ingentem copiam esse constat, ex qua permultas collegi s. v. *τριμίσκιν* in lexico meo suppletorio et dialectico, quod prelo subiectum propediem publici iuris fiet.

Vs. 35—38. Zielinskii ratio, qui non ante vs. 80 Phidipidem a spectatoribus conspici putat, mihi quidem multo probabilior videtur quam Leeuwenii, qui vs. 35 eum facit e lecto proruentem in scenam et subito (vs. 37) denuo cubitum euntem; id quod parum duco naturale, neque huius scenae vim comicam ex mea sententia auget.

Vs. 137. *καὶ Φροντίδ' ἐξήμβλωκας ἐξηυρημένην.*
„Εὖ *κεκυημένην lusit* vHerwerden" scribit editor. Utrum vere sic coniecerim necne, alia quaestio est, sed *lusisse* me vehementer nego, quoniam rei iam inventae, quae ergo luce iam gaudet, nullo modo quisquam abortum facere potest. Si igitur sana est tradita lectio, neglegenter admodum poeta locutus est.

Vs. 247.

Socr. *ποίους θεοὺς ὀμεῖ σύ; πρῶτον γὰρ θεοὶ*
ἡμῖν νόμισμ' οὐκ ἔστι.
Streps. *τῷ γὰρ ὄμνυτ'* (s. *ὤμνυτ'*); *ἢ*
σιδαρέοισιν, ὥσπερ ἐν Βυζαντίῳ;

Bene repudiata Goetlingi, quae vulgo recepta est, coniectura, aptissime editor de suo reposuit *τῷ δ' ἀγοράζετ'*, in quo nihil mihi displicet praeter mutationis gravitatem. Paullo minus a litteris traditis distat, quod simili sensu conici potest *τῷ δ' ὠνεῖσθ' ἄρ'*, addita particula huiusmodi loco accommodatissima *ἄρα*.

Digitized by Google

Vs. 303. *ἵνα | μυστοδόκος δόμος*
ἐν τελεταῖς ἁγίαις ἀναδείκνυται
Adnotatur: Cf. Soph. El. 1458 *ἀναδεικνύναι πύλας*, nisi illic *ἀναπιτνάναι* [dudum hoc ipse proposui], et nostro loco *ἀναπίτναται*." Hic verbi *ἀναδεικνύναι* usus mihi quoque suspectus est admodum.

Vs. 324. *χωροῦσ' αὖται πάνυ πολλαὶ*
διὰ τῶν κοίλων καὶ τῶν δασέων.
Quia nihil vitat *τὰ κοῖλα* simul *δασέα* esse, olim proposui *ψιλῶν*, quibus *τὰ δασέα* opponi assolent. Scriptura ΦCΙΛΩΝ sive ΠCΙΛΩΝ a ΚΟΙΛΩΝ non multum distat.

Vs. 377. *κατακρημνάμεναι.* Quin Veneti libri lectio *κατακριμνάμεναι*, quam analogia verborum *πιτνάναι*, *κιρνάναι*, *πιλνάναι*, *σκιδνάναι* unice tuetur, vera sit non dubito, mirorque hanc non receptam esse a Leeuwenio, quippe quī similiter iudicare videatur in Enchiridio p. 517, quo lectores ablegat. Magis magisque apparet codicem illum multis locis fideliorem esse scripturae Aristophaneae testem quam Ravennatem.

Vs. 388.
νὴ τὸν Ἀπόλλω καὶ δεινὰ ποιεῖ γ' (ἡ *γαστήρ* scil.) *εὐθύς*
[μοι, καὶ τετάρακται,
χὥσπερ βροντὴ τὸ ζωμίδιον παταγεῖ] καὶ δεινὰ κέκραγεν,
ἀτρέμας πρῶτον παππάξ παππάξ, καὶ ἔπειτ' ἐπάγει παπαππάξ.
καὶ ὅταν χέζω, κομιδῇ βροντᾷ παπαπαππάξ, ὥσπερ ἐκεῖναι.
Verba quae saepsi uncinis, sive vere Aristophanis sunt sive interpolatoris, abesse equidem longe malim. Cf. Leeuwenii nota critica.

Vs. 394. Streps. *ταῦτ' ἄρα καὶ τὠνόματ' ἀλλήλοιν βροντὴ*
καὶ πορδὴ ὁμοίω.
Scilicet homo plebeius et illitteratus, nisi egregie fallor, pronuntiasse censendus est *προνδή* et *πορδή*, vel *βροντή* et *βορτή* (sive *-δή*), ut haud rare apud Graecos, quemadmodum fit hodieque in multis Germaniae praesertim regionibus, *π* et *β*, *τ* et *δ*, plebeio sermone confusa esse tituli testantur.

Digitized by Google

Vs. 396.

καὶ καταφρύγει βάλλων ἡμᾶς, τοὺς δὲ ζῶντας περιφλύει.

Commemorat editor Blaydesii coniecturam περιφλεύγει (sic), coll. Herodoto V 77. At quod ibi legitur perf. pass. περιπεφλευσμένων non a περιφλεύγειν, forma incredibili, sed a περιφλεύειν derivatum est. Hoc ego quondam Aristophani reddebam. Nempe φλύειν (cf. φλεῖν et βλύειν) longe alia significare lexica docent.

Vs. 407.

ὑπὸ τοῦ ῥοίβδου καὶ τῆς ῥύμης αὐτὸς ἑαυτὸν καταχαλῶν.

Valde dubito num recte editor hic et alibi grammaticos secutus scripserit κάειν cum compositis. Nam omnes tituli saeculi quinti a. C. ubi verbum occurrit, habent iota teste Meisterhansio[2] p. 142, 24, ut neglegam h. l. et saepe apud Aristophanem, plerumque vero apud alios scriptores apparere diphthongum. Quare grammaticorum praeceptum potius seriores Atticos respicere crediderim. Vel certius est αἰετός (cum derivatis) non ἀετός bona aetate dixisse Athenienses itaque errasse Leeuwenium in nota exegetica ad Eq. vs. 197 et iniuria Boissonadium secutum Ran. 929 edidisse γρυπαέτους pro γρυπαιέτους, quae sincera est omnium codicum lectio. Cf. Meisterhans[2] p. 25, 5. — Vs. 603 pro Παρνασίαν scripserim Παρνασσίαν, cui formae tituli magis favent et Ran. 671 Φερρέφατθ' pro tradito Φερσέφατθ'.

Vs. 433. Streps. μή μοί γε λέγειν γνώμας μεγάλας· οὐ γὰρ τούτων ἐπιθυμῶ.

Vix sanum esse λέγειν planissime assentior Leeuwenio etiam propterea quod ita sequi debebat οὐ γὰρ τούτου ἐπιθυμῶ. Nec probabilis coniectura foret μή μοί γε (σὺ?) λέγε. Vero similius est λέγειν lacunae esse supplementum. Scribere potuit poeta μή μοι γ' <ὦ τᾶν> κτέ.

Vss. 438 sqq. fortasse sic sunt redintegrandi:

νῦν οὖν — χρήσθων <γὰρ πᾶν> ἀτεχνῶς
ὅ τι βούλονται —
τουτὶ τοὐμὸν σῶμ' αὐτοῖσιν
παρέχω τύπτειν, πεινῆν, διψῆν κτέ.

Digitized by Google

Vs. 528. οἷς ἡδὺ καὶ λέγειν.
Coniecturae meae ψέγειν vLeeuwen iniuria obmovet, quod *libenter vituperare* non sit iudicis emunctae naris; non enim de tali iudice hic agitur, sed de ipso populo Atheniensi. Cf. supra vs. 519 et mox vs. 532.

Vs. 542 adeo planus est ac perspicuus, ut incredibile sit quemquam verba sanissima sollicitare potuisse. Numquam aliter eum intellexi quam editor.

Vs. 559 spurium esse facile mihi nunc persuasit vLeeuwen, sed nullus dubito quin eius auctor dicere voluerit comicos istos de Hyperbolo eadem usos esse imagine, qua usus sit Aristophanes in Equitibus de Cleone.

Vs. 636. ἄγε δή, τί βούλει πρῶτα νυνὶ μανθάνειν,
ὧν οὐκ ἐδιδάχθης πώποτ' οὐδέν; εἰπέ μοι,
πότερα περὶ μέτρων ἢ ῥυθμῶν ἢ περὶ ἐπῶν;
Haud placet mihi proposita ab editore interpunctio πώποτ'; — οὐδέν; Mire enim statim sequeretur εἰπέ μοι κτέ. In πώποτε non haerendum videtur. Locum sanissimum esse puto.

Vs. 653.
Streps. τίς ἄλλος ἀντὶ τουτουὶ τοῦ δακτύλου;
πρὸ τοῦ μέν, ἔτ' ἐμοῦ παιδὸς ὄντος, οὑτοσί.
Socr. ἀγρεῖος εἶ καὶ σκαιός.
De verbis πρὸ τοῦ — οὑτοσί omnem interpretationem fugientibus nec probiliter tentatis prudenter disputat vLeeuwen, cui prorsus assentior. Dubitatio mihi nata est an forte spuria sint: hoc video, si absint, nihil desiderari. In praegressis enim satis causae erat, cur agrestem et stolidum Strepsiadem Socrates vocaret. Quia tamen ut scribuntur omni sensu destituta sunt utrum genuina sint an spuria non potest diiudicari.

Vs. 721. Vid. supra ad Acharn. vs. 1.

Vs. 785. ἀλλ' εὐθὺς ἐπιλήθει σύ γ' ἅττ' ἂν καὶ μάθῃς.
Iure mireris formam a vitae communis usu et comoedia alie-

Digitized by Google

nam, cum praesertim nulla parodia huic versui inesse videatur. Si re vera non inest (quod pro certo sciri nequit) coniecerim abiecta coniunctione non necessaria:

εὐθὺς ἐπιλανθάνει σύ γ' ἅττ' ἂν καὶ μάθῃς.

Cf. supra ad Eq. 191 sqq. Vel εὐθὺς δ' κτἑ.

Vs. 882. ὅπως δ' ἐκείνῳ τὼ λόγω μαθήσεται
τὸν κρείττον' ὅστις ἐστί, καὶ τὸν ἥττονα,
ὃς τἄδικα λέγων ἀνατρέπει τὸν κρείττονα,
ἐὰν δὲ μή, τὸν γοῦν ἄδικον πάσῃ τέχνῃ.

Equidem nescio an Dobree vss. inutiles 883 sq. merito deleverit, etiam propter inusitatum ictum in τἄ|δικα λέ|γων, qui haud satis defenditur exemplis allatis ab editore ad vs. 817.

Vs. 974. ὅπως τοῖς ἔξωθεν μηδὲν δείξειαν ἀγεννές.

Ita leniter sane et speciose rescripsit editor pro corrupto ἀπηνές, at subdubito num obscoena pars corporis ita recte dici potuerit, quemadmodum hic non ferrem ἀνελεύθερον vel δουλοπρεπές, quibus vocabuli notionem bene reddidit. Nam ad mores, non ad corpus, talia pertinent, neque, ut hoc utar, Latine recte usurpaveris *ignobile*, sed *turpe* sive *obscoenum* et similiter graece αἰσχρόν. Eadem de causa displicet Blaydesii coniectura ἀναιδές, minus sane ἀηδές, sed omnino ferri nequit ἀεικές, quod attice αἰκές sonaret. Γενναῖον ad corpus aliasve res relatum, *magnum* aut *eximium* significat, neque igitur coniecturam ἀγεννές, *turpe*, tuetur.

Vs. 998.

μηδ' ἀντειπεῖν τῷ πατρὶ μηδέν, μηδ' Ἰαπετὸν καλέσαντα
μνησικακῆσαι τὴν ἡλικίαν, ἐξ ἧς ἐνεοττοτροφήθης.

Contra acutissimam Blaydesii coniecturam καλέσ' αὐτὸν | μνησικακήσας, qua loci syntaxis egregie curatur, duo affert vLeeuwen, quae mihi quidem aeque falsa videntur: languere additum pronomen αὐτῷ et μνησικακῆσαι potius quam καλέσαι contextu requiri. Immo pro καλέσαι fortiter pugnat praegressum ἀντειπεῖν, et mutato verborum regimine, licet necessarium non sit pronomen, minime tamen est supervacaneum. Magna est in talibus eius usus aut omissionis apud optimos scriptores libertas.

Digitized by Google

Vs. 1351.

ἀλλ' ἐξ ὅτου τὸ πρῶτον ἤρξαθ' ἡ μάχη γενέσθαι,
ἤδη λέγειν χρὴ πρὸς χορόν· πάντως δὲ τοῦτο δράσεις.

Posterioris versus difficultates, de quibus cf. Leeuwenii nota, evanescent, ni fallor, si corrigitur:

ἤδη λέγειν χρή· πρὸς χάριν πάντων δὲ τοῦτο δράσεις

i. e. *omnibus autem* (scil. spectatoribus) *gratum ita feceris.*

In qua coniectura χάριν debetur Dobraei acumini. Quia autem tria prima vocabula artissime cohaerent, collocatio particulae δέ veniam habet, nisi fallor; sin minus, pro eo substitui potest pronomen σύ.

Subiungere his lubet disputatiunculam de paucis Ranarum locis.

Vs. 346. ἀποσείονται δὲ λύπας
χρονίους τ' ἐτῶν παλαιῶν ἐνιαυτούς.

Sic optimi libri. Consensu fere viri docti, in quibus quondam ipse fui ἰνῶν coniciens, aperti vitii sedem ducentes ἐτῶν nihil tamen reppererunt, quod satis aptum videatur. Quare videndum an potius ἐνιαυτούς mendosum sit, pro quo me iudice aptissimum foret μελεδώνας. Cf. Hom. Od. XIX 517. Hes. Opp. 66 etc.

Vs. 467. Orci ianitor ad Bacchum, quem Herculem esse putat:

ὦ βδελυρὲ κἀναίσχυντε καὶ τολμηρὲ σὺ
καὶ μιαρὲ καὶ παμμίαρε καὶ μιαρώτατε,
ὃς τὸν κύν' ἡμῶν ἐξελάσας τὸν Κέρβερον
ἀπῆξας ἄρχων κἀποδρὰς ᾤχου λαβών,
ὃν ἐγὼ ἐφύλασσον· ἀλλὰ νῦν ἔχει μέσος.

Misere depravatum mihi videtur participium ἐξελάσας, nam absurdum est canem quem prehendere velis, prius exigere. Sensisse hoc videtur olim Reiske, infeliciter coniciens ἐξελών, quod graecum non est pro συλλαβών. Si re vera latet partici-

Digitized by Google

pium, nihil aptius reperio quam ἁρπάσας, coll. vs. 605 τὸν κυνοκλόπον. — Ioculariter mox additur ὃν ἐγὼ ἐφύλασσον. Risum enim movet custos ipse custode indigens.

Vs. 818.

ἔσται δ' ὑψιλόφων τε λόγων κορυθαίολα νείκη
σχινδαλάμων τε παραξόνια σμιλεύματά τ' ἔργων
Φωτὸς ἀμυνομένου Φρενοτέκτονος ἀνδρὸς
ῥήμαθ' ἱπποβάμονα.

Felicissima mihi videtur Headlami coniectura σμιλευματοέργου Φωτὸς, Euripidis scilicet. Quod pro depravato παραξόνια ipse quondam proposui παραξόανα, vLeeuwen non intellexit, *adiectivum* me id ducere putans. Immo *substantivum* esse volebam a poeta formatum = παραξέσματα, ut ξόανον est ξέσμα. Videlicet σχινδαλάμων παραξόανα hyperbolice dicta accipiebam *assularum ramenta*. De praepositione cf. παραπρίσματ' ἐπῶν vs. 881. Quod *inauditum* est vocabulum, id commune habet cum multis aliis quae de coniectura restituta sunt.

Vs. 905.

ἀλλ' ὡς τάχιστα χρὴ λέγειν, οὕτω δ' ὅπως ἐρεῖτον
ἀστεῖα καὶ μήτ' εἰκόνας μήθ' οἵ' ἂν ἄλλος εἴποι.

Cur εἰκόνας ferri nequeat cadit in oculos, ut olim monui. Intellegi fortasse posset ἐνδεᾶ. (Cf. Soph. O. C. 1432 τὰ κρείσσω μηδὲ τἀνδεᾶ λέγειν), sed aperte ne hoc quidem plane satisfacit. Venit in mentem:

ἀστεῖα καινά τ' εἰκότα τε, μηδ' οἵ' ἂν ἄλλος εἴποι.

Vs. 1026.

ἀλλ' ὑμῖν ταῦτ' ἐξῆν ἀσκεῖν· ἀλλ' οὐκ ἐπὶ τοῦτ' ἐτράπεσθε.
εἶτα διδάξας Πέρσας μετὰ τοῦτ' ἐπιθυμεῖν <ἐξ>εδίδαξα κτέ.

VLeeuwen requirens τοὺς Πέρσας, quod est in paucis libris, proposuit:

εἶτα διδάξας τοὺς αὖ (αὖ τοὺς?) Πέρσας μετὰ τοῦτ' ἐδίδαξ' ἐπιθυμεῖν.

Articulo opus esse apud Aristophanem (nam grammatici citantes scenicorum locos omittere assolent) et ego crediderim ob

Digitized by Google

vs. 1021 τοὺς Ἑπτ' ἐπὶ Θήβας et Nubb. 553 et Thesmoph. 135. Quamquam contra afferri possunt veterum titulorum didascalicorum in CIA articulum omittentium testimonia. Sed omnino mihi displicet eiusdem verbi in eodem versu repetitio, ubi aperte nullus est verborum lusus. Quare conicerem εἶτα καθεὶς τοὺς Πέρσας κτἑ., si et tradito similius esset et satis mihi constaret iam Aristophanis aetate graecum fuisse καθιέναι δρᾶμα, ut fuit postea. Non enim id evincit similis metaphora, qua Thuc. VI 16 dixit in Alcibiadis oratione ἅρματα μὲν ἑπτὰ καθῆκα et Isocr. p. 353 D ζεύγη γὰρ καθῆκε τοσαῦτα τὸν ἀριθμόν. Hunc igitur versum aliorum curae commendare habeo satius.

Vs. 1180. ἴθι δὴ λέγ' · οὐ γάρ μοί ἐστιν ἀλλ' ἀκουστέα
τῶν σῶν προλόγων τῆς ὀρθότητος τῶν ἐπῶν.

Utrumque versum „ut languidos et parum elegantes" abesse malit vLeeuwen. Quod tamen de solo versu posteriore recte contendi posse videtur, quem igitur solum damnaverim. Sic etiam melius apparet causa interpolandi.

(*Continuabuntur*).

ΟΙΣΟΜΕΝ — ΘΗΣΟΜΕΝ.

Haec inter se confundi a librariis vel minus miramur reputantes eos vix distinguere vocales η̄ et ῑ, quas eodem modo pronuntiarent. Quare θήσομεν pro οἴσομεν reddere non dubito Platoni de republ. V 477 D, ubi haec leguntur: Δεῦρο δὴ πάλιν, ἦν δ' ἐγώ, ὦ ἄριστε, ἐπιστήμην πότερον δύναμίν τινα φὴς εἶναι αὐτήν, ἢ εἰς τί γένος τίθης; Εἰς τοῦτο, ἔφη, πασῶν γε δυνάμεων ἐρρωμενεστάτην. Τί δέ; δόξαν εἰς δύναμιν ἢ εἰς ἄλλο εἶδος οἴσομεν; Οὐδαμῶς, ἔφη, κτἑ.

H. v. H.

Digitized by Google

DE ARGONAUTARUM VELLERE AUREO.

SCRIPSIT

J. VÜRTHEIM.

I.

Variae sententiae et olim et aevo recentiore de Argonautarum vellere aureo sunt prolatae, quas omnes, utpote quae in Roscheri lexico mythographico sedulo sint collectae atque tractatae, nunc referre fuseque recognoscere lectoribus molestum et supervacaneum iudico. Videbunt autem harum rerum curiosi, qui lexicum illud adierint, quaestionem hanc de velleris origine et significatione, licet varie sit instituta, minime ad finem perductam esse neque diremptam aestimari ab editoris collaboratore doctissimo. Nec iniuria; nam permulti tam antiqui quam hodierni scriptores, cum varia variorum temporum argumenta, quae in unum coniecta praebet Argonautarum historia, simul omnia, quasi ad mythi nucleum pertinerent, explicare et absolvere conarentur, falsam viam inierunt. Quod et iis ipsis statim apparuit, quoniam cuncta facta gestaque in unum schema cogi se aegre patiebantur; itaque necessitate coacti aut vim adhibuerunt aut verbis obscuris usi sunt. Equidem, paucis verbis de horum virorum doctorum conaminibus praemissis, explicationem velleris naturae atque originis mihi ortam necdum ab aliis, quantum scio, propositam, subiiciam iudicio lectorum benevolorum.

C. O. Muellerus, quem honoris causa etiam nunc in mythis antiquis tractandis ante alios nominare solemus, hac de re ita scripsit (Orchom. 159 sqq.): „dass Vliess, das die Argonauten

Digitized by Google

heimholen, ist *ein ideelles Gut*, das Pfand der Versöhnung des Zeus Laphystios", — at frustra rogamus quid significent verba illa „ein ideelles Gut", praesertim cum de fabula Minyarum populi simplicis rebusque maritimis dediti, fiat sermo.

Mannhardtius autem explicat: „der Widder ist das Sonnen- und Tageslicht", neque addit cur homines lucem solis *arietis* sub forma olim sibi proposuerint.

Forchhammerus (Die Kyanen und die Argonauten) tam in vellere aureo quam in Argo ipsa latere suspicatus est imaginem nubium, quae primo Caucasi circum cacumen collectae, dein longo tractu per Mesopotamiam, trans Mare Rubrum, in Aegyptum tranantes, inde in Graeciam proficiscuntur. Quem circulum admirabilem vel inde vitiosum esse apparet, quod velleris fabula aetate vetustissima — ut postea videbimus — nondum cum Colchorum regione erat coniuncta. Asseclam tamen Forchhammerus invenit Groegerum (De Arg. fab. dissert. 1889).

Gerhardus (Mythologie) vellus vocat „die regenspendende Wolke, den Held, den Retter, der zum Heile des dürren Landes den befrüchtenden Regen schafft".

Prellerus (II³ 318) agnoscere sibi videtur „die Dämonen des Frühlings mit seiner milden Sonne und seinen befrüchtenden Regengüssen".

„Ἀργὼ πᾶσι μέλουσα!" cum Homero (μ 73) exclamare licet. Ultima autem explicatio cum latius serpserit, et hisce praesertim annis magis magisque valeat opinio Graecos velleris voce symbolice semper indicasse nubem pluvialem, digna videtur quae accuratius perpendatur. Citatur enim a defensoribus testis nobilissima *Iovis aegis*, quae fuisse dicitur et vellus et nubes. Negari autem nequit aliquando aegidem fuisse Amaltheae pellem caprinam. Cum vero hic agatur de notionibus antiquissimis, rogandum est, fueritne apud *Homerum* quoque aegis vellus et nubes necne; quod si Homerus negat, actum erit praeclaro de testimonio.

Legimus autem O 307 sqq.:

πρόσθεν δὲ 'κίε ..... Φοῖβος Ἀπόλλων
ϝειμένος ὤμοιιν νεφέλην, ἔχε δ' αἰγίδα θοῦριν
δϝεινὴν ἀμφιδάσειαν ἀριπρεπέ', ἣν ἄρα χαλκεὺς
Ἥφαιστος Δί' ἔδωκε φορήμεναι εἰς φόβον ἀνδρῶν.

Digitized by Google

Humeri igitur Apollinis *nube* sunt tecti, *manu* autem fert *aegidem*, ita ut appareat de rebus diversis esse sermonem. Vulcanus *faber ferrarius* aegidem fabricavit, itaque de aheneo aliquo artis opere cogitare cogimur; quam sententiam corroborat epitheton ἀριπρεπής sive *splendidus*. Vocatur aegis ἀμφιδάσεια propter θυσάνους παγχρυσέους, sed ἀμφι- illud dici vix potuit de lanae floccis *totam* velleris *superficiem* tegentibus.

Quod si quis afferre velit Ε 738 sqq., ubi Minerva humeros sibi aegide velat, observet in ea aegide fuisse *imagines* (Eridem, Gorgo, alias), ita ut hic potius de *thorace caelato* videatur esse cogitandum.

Denique versus Ω 20:

(Apollo) περὶ δ' αἰγίδι πάντ' ἐκάλυπτε
χρυσείῃ, ἵνα μή μιν ἀποδρύφοι ἑλκυστάζων

olim notati sunt ab Aristarcho, qui aegidis mentione h. l. offendebatur collatis Ψ 180 sqq., ubi Apollo:

ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ
ἀμβροσίῳ, ἵνα μή μιν ἀποδρύφοι ἑλκυστάζων.
τῷ δ' ἐπὶ κυάνεον νέφος ἤγαγε Φοῖβος Ἀπόλλων.

Corpus enim per solum raptum *nube* involvere, quid expedit? Dubium non est quin *aegidis* vocabulum Ω 20 sit insertum ab interpolatore, qui in libri Ψ versibus τὸ κυάνεον νέφος, quo solis radios Apollo a corpore arcebat, pro aegide haberet.

Quidquid igitur aegis Homeri fuit, mihi quidem pro certo constat poetam neque *vellus* neque *nubem* hac voce indicasse. Quinimo Herodoti aequales, licet aegidem pro vellere haberent, tamen forma inusitata „αἰγίς", pro qua exspectabatur αἰγέη (cf. κυνέη, βοέη), ita offendebantur, ut explicationem huius mutationis excogitarent. Scribit enim Herodotus (IV, 189): αἰγέας γὰρ περιβάλλονται ψιλὰς περὶ τὴν ἐσθῆτα θυσανωτὰς αἱ Λίβυσσαι, κεχριμένας ἐρευθιδάνῳ, ἐκ δὲ τῶν αἰγέων τουτέων αἰγίδας οἱ Ἕλληνες μετουνόμασαν. Verba quoque II 81 satis superque probant Herodotum vocabulo θυσάνῳ minime *lanam* indicasse; scriptum enim legimus: ἐνδεδύκασι (Aegyptii) κιθῶνας λινέους περὶ τὰ σκέλεα θυσανωτούς, τοὺς καλέουσι καλασίρις. Fuerunt nimirum, ut Helbig² p. 207 docet, θύσανοι illi fimbriae e filo aureo vel e bracteis tenuibus confectae satisque notae ex imaginibus assyricis.

Digitized by Google

Aegidem igitur homericam nullo modo testem citari posse, siquis probare studeat vellus in re mythologica fuisse nubem pluvialem, iam manifestum est; prius enim aegidem fuisse vellus auctores nobis demonstrent necesse est.

Secundus affertur testis τὸ Διὸς κῴδιον, arietis Iovi Milichio mactati vellus, quod in sacrificiis lustralibus, ut floccis suis impura omnia sorberet, circumferebatur, vel in quo homo lustrandus sinistro pede insisteret. Sed quid hoc ad nubem pluvialem?

Denique citantur Dicaearchi verba (II 8, Muelleri Geogr. min. I p. 1070): ἐπ' ἄκρας δὲ τῆς τοῦ ὄρους (Πηλίου) κορυφῆς σπηλαῖόν ἐστι τὸ καλούμενον Χειρώνειον, καὶ Διὸς ἀκραίου ἱερόν, ἐφ' ὃ κατὰ κυνὸς ἀνατολήν, κατὰ τὸ ἀκμαιότατον καῦμα, ἀναβαίνουσι τῶν πολιτῶν οἱ ἐπιφανέστατοι καὶ ταῖς ἡλικίαις ἀκμάζοντες ἐπιλεχθέντες ὑπὸ τοῦ ἱερέως, ἐνεζωσμένοι κῴδια τρίποκα καινά· τοιοῦτον συμβαίνει ἐπὶ τοῦ ὄρους τὸ ψῦχος εἶναι. Quid simplicius quam homines montem ascensuros ad frigora arcenda secum ferre vellera? Aliter tamen visum est Neumannio et Partschio (Physikal. Geogr. v. Griech. 1885 p. 76), qui hic quoque arcani aliquid odorati sic iudicant: „dahin wallfahrteten zur Zeit der brennendsten Hundstagshitze Jünglinge in Widdervliesse gehüllt, die gewiss nicht der kühlen Luft der Höhen wegen, sondern ganz wie anderwärts (ubi?) als Symbol der Regenwolke den Gegenstand ihres Gebetes andeuten sollten". Meram hanc esse interpretandi libidinem, quis neget? In omnibus montibus necnon in Graeciae illis cavendum esse a frigoribus repentinis, multis verbis exponere opus non est; siquis forte parum credat, inspiciat Plut. de primo frigore c. 18.

Recensuimus testimonia quibus symbolica illa velleris significatio niti vulgo perhibetur. Mihi quidem non persuaserunt; sed ne inique cum adversariis egisse dicar, indicabo iis quartum locum ubi de ariete aureo fit sermo, nempe Eur. Or. 812 sqq. coll. Schol. ad B 105 et Apollod. epitoma 2, 5—12 p. 185 ed. Wagneri. Hic fortasse iis prosperius cedet; interim meam qualemcunque proferam de velleris aurei origine atque significatione opinionem.

Digitized by Google

II.

Οἴμοι, exclamat Strepsiades ne a Socrate sacrificetur veritus, *οἴμοι, Σώκρατες, ὥσπερ με τὸν Ἀθάμανθ' ὅπως μὴ θύσετε!* et scholiasta annotat: *ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν τὸν Φρίξον τὸν Ἀθάμαντα εἶπεν, ὡς ἀγνοῶν τὰς ἱστορίας· οὐ γὰρ Ἀθάμας ἐτύθη ἀλλ' ὁ Φρίξος.* Nesciebat autem bonus ille scholiasta Strepsiadem Athenis in theatro spectasse Athamantem Coroniferum, Sophoclis tragoediam, ubi senex victimae ad instar infulatus ad aram ducebatur; immemor erat Herodoti historiarum, qui libro VII° cap. 197 scripsit haec: „Xerxi cum Halum, quae est urbs Achaiae in parte meridionali Thessaliae, venisset, itineris duces narrarunt *τὰ περὶ τὸ ἱρὸν τοῦ Λαφυστίου Διὸς, ὡς Ἀθάμας ὁ Αἰόλου ἐμηχανήσατο Φρίξῳ μόρον σὺν Ἰνοῖ βουλεύσας· μετέπειτα δὲ ὡς ἐκ θεοπροπίου Ἀχαιοὶ προτιθεῖσι τοῖσι ἐκείνου ἀπογόνοισι ἀέθλους τοιούσδε*: filium e gente Athamantis maximum natu Achaei *ἐκ τοῦ λητου* — ita vocant prytaneum — arcent; si tamen intrat, non ante emittitur quam ad aram *στέμμασι πᾶς πυκασθείς* ducatur, ut ibi immoletur. Attamen eorum multi mortem solo vertendo effugerunt; lex autem iis erat, ut in terra peregrina manerent, nam redeuntes in Laphystii ara mors manebat. *ταῦτα δὲ πάσχουσι οἱ Κυτισσώρου τοῦ Φρίξου παιδὸς ἀπόγονοι, διότι καθαρμὸν τῆς χώρης ποιευμένων Ἀχαιῶν ἐκ θεοπροπίου Ἀθάμαντα τὸν Αἰόλου καὶ μελλόντων μιν θύειν ἀπικόμενος οὗτος ὁ Κυτίσσωρος ἐξ Αἴης τῆς Κολχίδος ἐρρύσατο, ποιήσας δὲ τοῦτο τοῖσι ἐπιγενομένοισι ἐξ ἑαυτοῦ μῆνιν τοῦ θεοῦ ἐνέβαλεν*".

Sensus videtur esse hic: Athamas Phrixo mortem intendit; hic vero effugit ad Colchos; quorum hànc ob causam nulla fit mentio, quoniam Phrixum *illam* regionem petisse Herodoti aetate inter omnes conveniebat. Multis autem annis post, cum Phrixus interea ex Iophossa, Aeëtae filia, filios genuisset quattuor, quorum natu minimus erat Cytissorus (schol. Apollon. II 1122), Achaei ex oraculo quodam Athamantem *καθαρμόν* erant immolaturi; at Cytissorus ad tempus e Colchis adfuit, qui avum morti eripuit. Hinc in servatoris genus ira Laphystii incubuit.

Sophocles vero secundum scholion ad Nub. vs. 257 servatoris partes tribuerat Herculi *λέγοντι ὡς σώζοιτο ὁ Φρίξος, δι' ὃν ἔμελλεν ἐκεῖνος τεθνήξεσθαι.* Rogaverit autem aliquis, quid sibi velit

Digitized by Google

Hercules interveniens; nam Iovem Laphystium ex Herculis ore demum accepisse nuntium de Phrixi vita servata, consentaneum non est. Sciebat nempe ut deus ante herois adventum atque multo ante. Attamen iram suam non deposuit, immo Achaeos afflixit, donec oraculo moniti Iovis furorem Athamante sacrificando lenire atque avertere conati sunt. Iratusne ergo fuit Athamanti, quod is ipsius filio mortem esset *minatus*? At meras minas tam valere ad deorum iram excitandam nullo e bonis literis exemplo comprobatur. Aliud fuit si quid video. Perinde ac Iehovah Testamenti Veteris, ut Molochus et Melkartus Phoenicum dei, sic Laphystius Iuppiter humanis immolandis corporibus placabatur; praesertim primigeniti, e genere Athamantis, cui domui cultus Laphystii velut sacrum gentile incumbebat, ei deberi existimabantur. Cum autem Athamas mori maiorum obsecutus filium maximum natu deo esset oblaturus, ille in ariete sedens, ut voluit fama vulgaris, per aera effugit deumque victima debita frustravit. Qua fabula antiqui videntur significasse victimas humanas olim velleribus indutas — qua de re infra — ad aram Laphystii esse ductas, sed volventibus annis moribusque mutatis tempus copiamque iis fuisse praebita ut fuga caedem subterfugerent. Ante oculos igitur habemus exemplum *veris sacri*.

Laphystius vero posthac, ita fabula pergit, agris vastandis iram suam testatus Athamantem ipsum poposcit, qui hac modo lege, ut proles Phrixi semet ipsam Cytisori verbis deo leniendo voveret, servatus est. Partes igitur Herculis in tragoedia Sophoclea fuisse videntur hae, ut populum de Phrixo servato certiorem faceret, Laphystio vero ius sempiternum in Phrixi posteros polliceretur. Mythus contra popularis Cytisorum ipsum, Phrixi filium, ut avum liberaret et semet ipsum deo offerret, rediisse ferebat.

Ritus, qualem descripsit Herodotus, quae fuerit vis tempore etiam historico, non frustra quaerebant veteres harum rerum curiosi. Plato enim Min. 315 vel quisquis auctor huius dialogi est habendus, agi de hominibus immolandis sentiebat; cuius haec sunt verba: *ἡμῖν μὲν οὐ νόμος ἐστὶν ἀνθρώπους θύειν ἀλλ' ἀνόσιον, Καρχηδόνιοι δὲ θύουσιν ὡς ὅσιον ὄν κ. τ. λ. καὶ μὴ ὅτι βάρβαροι ἄνθρωποι ἡμῶν ἄλλοις νόμοις χρῶνται, ἀλλὰ καὶ οἱ ἐν*

Digitized by Google

τῇ Λυκαίᾳ οὗτοι καὶ οἱ τοῦ Ἀθάμαντος ἔκγονοι οἵας θυσίας θύουσιν Ἕλληνες ὄντες κ.τ.λ. Cf. etiam quae Plutarchus de Agrioniis narrat, Mor. 299.

Ritus autem sacrificandorum hominum quoniam huius historiae nucleus fuit, in promptu est suspicari novercam Inonem eiusque odium in Nepheles liberos et omnia quae e. g. apud Ovidium hac de re leguntur, a mytho antiquissimo fuisse aliena (ut soror Ἕλλη ne apud Herodotum quidem hac in materia nominatur). Neque hoc miramur reputantes Inonem apud Homerum esse nympham marinam. Novercae Phrixi partes primum, quod scimus, in Eois videntur fuisse. Conferantur fragmenta 169, 170, 171, 176 apud Rzachium; quorum fragmentorum observatu dignissimum puto 170um, ubi exstant haec: πεπηρῶσθαι δὲ Φινέα φησὶν Ἡσίοδος ἐν μεγάλαις Ἠοίαις, ὅτι Φρίξῳ τὴν ὁδὸν ἐμήνυσεν. MS. Par. praebet lectionem ampliorem: τὴν εἰς Σκυθίαν ὁδόν. Mentio igitur hic fit de Phrixi itinere peregrino in Scythiam, idque hanc ob causam observatu dignum iudico, quod Phrixo profugo opus non erat *transmarinas* sedes quaerere, — utpote cui e patriae modo finibus excedendum esset — nec, quod mox demonstrabimus, ab initio ei nova patria in *Colchorum regione* est assignata. Duae idcirco nobis oriuntur quaestiones:

1) cur antiqui Phrixum *trans mare* effugere finxerunt?

2) quae sedes transmarinae ei fuerunt attributae et cur primarium inter has locum obtinuit Colchis?

Incipiamus a quaestione priore.

Si reputamus Iphigeniam immolandam apud Aeschylum vocari παυσάνεμον θυσίαν vel ἐπῳδὸν θρηκίων ἀημάτων (Ag. 224, 1418), suspicio nascitur virginem hoc praecipue consilio fuisse immolatam, ut *fluctus* et *venti* ante Agamemnonis in Troiam transitum sedarentur; quod claris verbis ab Euripide in Hecubae fabula (vs. 536 sqq.) enunciatur, ubi de Polyxena sacrificata agit; nec immemores sumus versus Vergiliani (II 116):

Sanguine placastis ventos et virgine caesa.

Graecos itaque antiquissimos ante magnas expeditiones trans mare initas ventis et fluctibus obtulisse victimas humanas in dubium vocari nequit, et recte scribit Eustathius Iphigeniam esse immolatam κατὰ τὸν νηΐτην νόμον; necnon argumento afferri possunt Herodoti verba (II 119) de Menelao in Aegypto versante:

Digitized by Google

ἀποπλέειν ὁρμημένον αὐτὸν ἶσχον ἀπλοῖαι· ἐπειδὴ δὲ τοῦτο ἐπὶ πολλὸν τοιοῦτον ἦν, ἐπιτεχνᾶται πρῆγμα οὐχ ὅσιον· λαβὼν γὰρ δύο παιδία ἀνδρῶν ἐπιχωρίων ἔντομά σφεα ἐποίησεν. Cf. insuper Xen. Hell. III, 5 § 3, ubi Agesilaus altum petiturus Aulide cervam mactat. Denique commemoro aram ventorum Titanae a Pausania II, 12 commemoratam et Hesychii verba de genere ἀνεμοκοιτῶν Corinthi.

Hisce perpensis verisimile videtur, Minyas quoque, gentem prae ceteris studio maris colendi deditam, antequam funes navigationem diuturnam suscepturi solverent, hominem aliquem numinibus marinis mactare fuisse solitos. Iam suspicamur Phrixi quoque sacrificium cum deorum cultu marinorum cohaerere, et revera legimus apud Strabonem p. 498: ἐν τῇ Μοσχικῇ (ἐστὶ) τὸ τῆς Λευκοθέας ἱερὸν Φρίξου ἵδρυμα. Quis autem fuit Leucothea illa, cui Phrixus sacrum condidisse fertur? Respondet Homerus (ε 334 sqq.):

καλλίσφυρος Ἰνὼ
Λευκοθέη, ἣ πρὶν μὲν ἔην βροτὸς αὐδήεσσα,
νῦν δ' ἁλὸς ἐν πελάγεσσι θεῶν ἔξ ἔμμορε τιμῆς.

Est igitur Ino, nympha marina, quae posthac dicta est Phrixi noverca, Ino, de qua Pindarus (Ol. II 51 sqq.):

λέγοντι δ' ἐν καὶ θαλάσσᾳ
μετὰ κόραισι Νηρῇος ἁλίαις βίοτον ἄφθιτον
Ἰνοῖ τετάχθαι τὸν ὅλον ἀμφὶ χρόνον.

Ab origine numen aquarum, inter Nerei filias vitam degens, a Minyis pie colebatur sacris in litoribus positis; ac in fabulae forma recentiore, ubi Phrixi noverca facta huius sanguinem poposcisse dicitur, optime intellegimus posteriorem aetatem, licet huius originis esset oblita, nucleum tamen mythi conservasse, quo Phrixus Inoni, id est *mari*, mactatus fuisse ferebatur. Venit autem tempus, quo inter deas *terrestres* Inoni datus est locus et Cadmi filia facta est (Hes. Theog. 975); de quo tempore, etsi pro obscuritate horum saeculorum nihil certi constituere possumus, coniecturam tamen proponere ausim. Vocatur enim narratio, quam Xerxi tradunt duces, ἐπιχώριος λόγος; sed etiam apud Orchomenum Boeotium colebatur Laphystius, necnon ibi Phrixi mythus cum cultu huius dei coniunctus erat (Paus. IX, 34 § 4). Itaque statuere licet Minyas, cum sedes

Digitized by Google

novas quaerentes Boeotiam, quae patria secunda iis futura esset, invaderent cultu Laphystii Phrixique mytho illic traductis, fabellam ita mutasse, ut Ino marina e nympha fieret dea agrestis Cadmique filia, perinde ac *ipsi*, qui natura nautae erant, nunc dura necessitate in posterum a maris commercio prohibiti, remum cum ligone mutarunt et agricolae sunt facti. Tunc fabulam quoque de improba noverca esse natam suspicor. Manebat quidem memoria Inonis victus marini, sed tam vaga atque incerta ut mox homines nescirent utrum primo dea marina fuisset, dein ruricola facta esset, an rura pro fluctibus deseruisset. Unde orta videtur Inonis apud Homerum apotheosis (ε 334 sqq.), unica in homericis (λ 602 sqq. forte exceptis) et originem recentiorem aegre abscondens.

At cum ex Herodoti verbis luce clarius appareat, Laphystio deo Phrixum esse immolatum, cur tandem numini alicui marino puerum fuisse oblatum demonstrare conaris? Quoniam si bene video, Laphystii Iovis cultus cum maris numinibus arcto vinculo cohaerebat. Cuiusmodi nexus primam suspicionem movet Halus oppidum, ubi Laphystii sacrificia habebantur, prope a mari distans. Fors autem fert ut exemplo parallelo causam nostram probare queamus. Habet enim Iuppiter Laphystius collegam, ut ita dicam, femineam, Dianam Laphriam, de cuius cultu feroci Pausanias mirabilia tradidit. Legimus enim (VII, 8 § 18) vel temporibus historicis animalia plurima, cervos, ursos, lupos, apros, vivos ingentem in rogum ab omni parte saeptum coniectos atque Dianae in honorem esse combustos. Erat dea venatrix, ut Diana illa Elaphebolus, quacum mores quoque communes habuisse traditur, nam et huic victimae humanae Aulide immolabantur. Fuerunt nimirum una et altera formae eiusdem deae orientalis, quae Artamis, i. e. *iugulatrix*, nuncupatur. Sacrificium autem Dianae Aulidensi oblatum, ut supra vidimus, παυσάνεμον vocatur nexumque cum mari indicat; quare nexum quoque inter mare et Dianam Laphriam exstitisse tuto statueris. Idem autem vinculum inter Iovem Laphystium et mare exstitisse, ita ut victimae ad bonam deprecandam navigationem oblatae Laphystii in ara sacrificarentur, non nimis temerarium videtur statuisse. Phrixus igitur *Laphystio* licet fuerit devotus, immolandus erat ad *ventos fluctus*que placandos.

Digitized by Google

Ultimum etiam restat argumentum, quo demonstrare possumus *mari* Phrixi sacrificium fuisse destinatum. Quis enim erat Phrixus ille? vel potius, quis fuit antequam Athamantis filius factus est?

Ex Homero novimus substantivum τὴν Φρῖκα et verbum Φρίσσω [1]). Est Φρίξ maris agitati, vento crispati, superficies aspera; Φρίσσειν est *asperum esse, horrere.* Apud Pausaniam autem commemorantur naias Φρίξα (VIII, 47 § 3) et flumen Φρίξος (II, 36 § 6); apud Strabonem cognomen Cymae et Larisae *Phriconis* (XIII, 621; cf. Herod, I 149); quae nomina omnia *aequor* vel *flumen commotum* indicant. Φρίξος igitur fuit proprie ὁ πόντος Φριξός i. e. mare horridum, superficies ponti aspera [2]), postea deus marinus, deinde filius Athamantis regis Minyarum populi nautici. Conferri potest Γλαῦκος ὁ Πόντιος, qui primum piscator deinde in deum marinum fuisse mutatus dicitur:

Νηρέως προφήτης Γλαῦκος ἀψευδὴς θεός

(Eur. Or. 364). Sed et hic, ut supra de Inone vidimus, ordo rerum conversus est. Fuit initio γλαυκὴ θάλασσα (Π 34), tunc mare i. u. (Hes. Theog. 440), deinde deus marinus, postremum nauta, piscator.

Neque abhorret a priscorum de rebus divinis opinionibus, quod Phrixus mari i. e. mare sibimet ipsi immolatum esse narratur. Recordemur modo Dionysi tauriformis, cui taurum, Dianae Lycosurae, δέρμα ἐλάφου ἀμπεχομένης, cui cervam mactare solitos fuisse antiquos; quo de ritu fuse disputavit Cookius in Journ. of Hell. Stud. 1894 p. 116, Frazerus passim in libro The golden Bough.

Quibus perpensis intellegimus, qui factum sit ut Phrixi cultus tam late sit divulgatus. Nautae id effecerunt, qui Phrixeis in

---

1) Φ 126, Η 67: οἵη δὲ Ζεφύροιο ἐχεύατο πόντον ἔπι φρίξ.

2) Longam esse radicem φρικ, breve haberi ι vocis Φρίξου, non me fugit. Observo autem Hymn. Orphic. 23, 2 nymphas marinas appellari φρῖκίας, hanc vero vocem a naiadis nomine Φρίξα, a fluminis illo Φρίξος seiungi non posse. Fluminis autem nomen ac Phrixi nostri esse idem, non facile quis negarit.

Adiectivum φριξόν aeolice pronunciatum in syllaba priore habuisse accentum non miramur; sed *acui* iota, non circumflecti, id iustam movet mirationem. Quod quo iure fiat quis dixerit! Operae pretium videtur hac in re laudasse Etym. Magn., ubi legitur: φρίξ, ἡ αἰτιατικὴ τὴν φρίκα.

Digitized by Google

litoribus condendis (Strabo I 45) deum marinum transferebant ultimas in regiones, quas negotiandi causa petebant ipsi. Non alio modo Aeneae cultus a nautis propagatus ad occidentem pervenit.

Iamque denuo Herodoti locum evolventes, ubi virum immolandum *πάντα πυκασθέντα στέμμασι* Laphystii ad aram ductum fuisse refert, moris huius originem perspicimus. Antiquissimis enim temporibus Phrixus ille, qui aequori commoto mactandus erat, involvebatur *arietis vellere, quoniam velleris lana crispa referebat maris vento crispati imaginem.*

Vellus erat aequor agitatum atque commotum, spuma candida conspersum. Quid autem vellus *aureum,* thesaurus a tot Thessaliae imprimis heroibus petitus? Dubium esse atque obscurum amplius non potest. Fuit enim maris superficies crispa aureo lumine solis orientis refulgens; spectaculum magnificum quo cottidie Minyae sive in alto sive in patriae litore fruebantur, quod hominibus tam fertili praeditis ingenio videbatur esse gaza aurea procul in oriente deposita et dignissima, quae a fortissimis heroibus peteretur.

Quod melius etiam nobis liquebit si perpenderimus initio non in Colchis *τὸ χρυσοῦν κῶας* quaesitum esse. Legimus enim apud Mimnermum fr. 11 (Bergk):

οὐδέ κοτ' ἂν μέγα κῶας ἀνήγαγεν αὐτὸς Ἰήσων
ἐξ Αἴης, τελέσας ἀλγινόεσσαν ὁδόν,
ὑβριστῇ Πελίῃ τελέων χαλεπηρὲς ἄεθλον,
οὐδ' ἂν ἐπ' Ὠκεανοῦ καλὸν ἵκοντο ῥόον
. . . . . .
Αἰήταο πόλιν, τόθι τ' ὠκέος Ἠελίοιο
ἀκτῖνες χρυσέῳ κείαται ἐν θαλάμῳ
Ὠκεανοῦ παρὰ χεῖλος, ἵν' ἕρχετο θεῖος Ἰήσων.

Aeëtae igitur ad urbem, quae sita erat ad flumen Oceani, ubi solis radii aurei in cubiculo iacent, Iason venit vellus aureum surrepturus. Si quis autem rogat fueritne urbs illa posita occidentali in parte an in oriente, respondet Strabo I, 46 sqq.: *ὁ Σκήψιός* (Demetrius, 200 a C. n.) *φησι παραλαβὼν μάρτυρα Μίμνερμον, ὃς ἐν τῷ Ὠκεανῷ ποιήσας τὴν οἴκησιν τοῦ Αἰήτου πρὸς ταῖς ἀνατολαῖς κ.τ.λ.*

Nec mirum, nam *Aeaea* quoque insula sita erat

Digitized by Google

ὅθι τ' Ἠόος ἠριγενείης
τοιχία καὶ χοροὶ εἰσι καὶ ἀντολαὶ Ἠελίοιο,

i. e. in oriente, licet Odysseae contextus hodiernus quominus Circen in oriente ponamus adversari videatur. Quod vero ad nomen Aeae attinet, contendit Groegerus (De Argon. fab. quaest. select. p. 18) derivatum esse a *flandi* stirpe ϝη (nostrum *waaien*) per seriem continuam formarum ἀϝε-ια, ἀεια, ἀια, αἴα; confert autem vocem αἰκής ex ἀϝεικής natam, at hoc ipso exemplo se ipsum damnavit, nam contractionem illam homerica lingua respuit (cf. X 336 ed. Leeuwenianae). Vox autem αἴα iustissimum locum in carminibus homericis occupat, neque nos castra in sua pertraxit G. Curtius, qui (Grundzüge I[1] p. 146, 314 II[1] p. 67) negavit αἶαν et γαῖαν cohaerere voces. Puta ad Γ 244 sqq.

τοὺς κατέχεν Φυσίζοος αἶα
ἐν Λακεδαίμονι αὖθι, φίλῃ ἐν πατρίδι γαίῃ

exclamat: „konnte irgend jemand sagen αἶα ἐν γαίῃ? hier möchte ich den letzten Vers für ein Glossem halten." At Doederlenius vere observarat sensum esse hunc: iacebant in patria sub solo, in het vader*land* onder den *grond*, αἶα: γαῖα = *Au: Gau* (Lexic. Hom. i. v.). Itaque Αἶα fuit initio *solum* κατ' ἐξοχήν, *siccum* (cf. αὖος), *lymphae* Oceani fluminis et *aetheri* in quem Sol ascendit oppositum. Ibi, procul igitur in Oriente, iacebat illud μέγα κῦμα, crispa maris superficies solis lumine inaurata, thesaurus ad quem nulla navis, ne celerrima quidem, pervenire poterat, qui semper e longinquo visus semper appropinquanti recedebat; quem ibi demum consequi posse videbantur homines ubi evadendi copia non amplius praebebatur: in mundi parte ultima, in litore Oceani, ubi regnabat Aeëtes [1]).

Iacebat vero ibi vellus aureum ἐν θαλάμῳ Αἰήταο; ita enim Mimnermus; ita Pindarus quoque in Pyth. IV[a], licet apud hunc poetam Aea iam ad Colchos sit translata:

ἐς Φᾶσιν δ' ἔπειτεν
ἤλυθον· ἔνθα κελαινώπεσσι Κόλχοισιν βίαν
μῖξαν Αἰήτᾳ παρ' αὐτῷ (375 sqq.).

1) Vocatur vellus *aureum*, *purpureum* (Simonid. fr. 21), *candidum* (schol. Apoll Rh. IV 177); quae epitheta optime intellegit omnia qui in litore solem orientem vel occidentem vidit.

Digitized by Google

Qui thalamus ipsi nucleo mythi proprius fuit, certamen vero Iasonis cum dracone recentioris est aetatis; quod etiam apparet ex iis quae de Naupacticis, carmine epico ignoti scriptoris, nobis innotuerunt (cf. fr. 7, 8, 9 Kinkel). Hic modo afferatur fr. 9: *συνεκφέρουσαν αὐτὴν* (sc. Medea) *τὸ κῶας κατὰ τὴν Φυγὴν κατὰ τὸν αὐτοῦ οἶκον κείμενον τοῦ Αἰήτου.*

Iam videamus cur et quando Aeëtae regia in Colchos fuerit transportata.

εἰς Φᾶσιν, ἔνθα ναυσὶν ἔσχατος δρόμος

cecinerunt aliquando nautae Milesii, quibus Phasis Thule Ultima fuit, quam qui petebat, finem *τῆς οἰκουμένης* et locum ipsum quo Sol equos iungebat adire habebatur. Sic iudicabant Milesii, sic Corinthii. Sed quae nautae, homines religiosi superstitionibusque dediti post reditum narrabant, ea poetae carminibus suis celebrabant; nam qui primus quantum scimus in carmine Aeam in Colchos transtulit, fuit poeta Corinthius Eumelus (fr. 2 Kinkel). Vixit hic medio saeculo octavo, quo tempore „die Milesier an ihrer pontischen Handelsstrasse Faktoreien angelegt haben, die dann in folge des Einbruches der Kimmerier aufgegeben wurden" (Busolt I 466). Observemus et haec:

Pindarus, ut vidimus supra, Colchos vocavit *κελαινωπας*, quod nomen explicatur Herodoti loco (II 103), ubi Colchis attribuitur origo aegyptia; erant, si eum audis, reliquiae exercitus Sesostridis, depinguntur *μελάγχροες καὶ οὐλότριχες*. Idem Herodotus (VII, 70) verba faciens de *Αἰθιόπεσσι τοῖς ἐκ τῆς Λιβύης* annotat: *οὐλότατον τρίχωμα ἔχουσι πάντων ἀνθρώπων.* Itaque statuamus licet, etiam primis navigatoribus, qui ad Phasidem appulerunt, Aethiopas et Colchos nexu quodam cohaerere visos esse, neque abs re erit adnotasse, Herodotum in catalogo populorum Persis tributariorum Colchos inseruisse inter Aethiopas et Arabas (III 97). Hunc nexum aliquid valuisse ad fabulosos Aethiopas, *ἐσχάτους ἀνδρῶν* sub sole oriente (*ϰ* 24) viventes, cum Colchis commutandos, necnon ad Aeëtae Aethiopum regis sedem ad Phasidem transferendam, verisimile est. Cum vero Scythae, Thraces, Colchorum accolae essent *εὐθύτριχες* (Arist. de gen. an. V, 3), mirum non est ipsorum Colchorum colorem, formam, habitum procerum Graecis admirationem movisse; haec autem admiratio videtur peperisse

Digitized by Google

multas fabulas, quae a nautis in patria venditatae effecerunt ut Colchis mox Oriens ipse aestimaretur. Nomen quoque Sindorum in Caucasi litore habitantium cum Indorum illo confusum hac in re non pro nihilo fuisse suspicor.

Aeëtae autem sedibus ad Phasidem translatis, vellus ipsum aureum posthac in Colchis erat quaerendum. Sera vero aetas, ut hodierna, fabulae originem cognoscere cupiens necnon, ut hodierni homines, ad explicationes rationales propensa, Colchidis regionis *divitias* mythum peperisse putabat. Inde verba Strabonis XI, 45: *καὶ ὁ πλοῦτος τῆς ἐκεῖ χώρας ἐκ τῶν χρυσείων καὶ ἀργυρείων καὶ σιδηρείων δικαίαν τινὰ ὑπαγορεύει πρόφασιν τῆς στρατείας* (sc. Iasonis); inde illa Appiani (Mithrid. 103): *χρυσοφοροῦσι δ' ἐκ τοῦ Καυκάσου πολλαὶ πηγαὶ ψῆγμα ἀφανές· καὶ οἱ περίοικοι, κώδια τιθέντες ἐς τὸ ῥεῦμα βαθύμαλλα τὸ ψῆγμα ἐνισχόμενον αὐτοῖς ἐκλέγουσι. καὶ τοιοῦτον ἦν ἴσως καὶ τὸ χρυσόμαλλον Αἰήτου δέρας.* Nempe nesciebant boni viri, vel erant obliti, vellus aureum initio non apud Caucasum iacuisse sed quo loco prae ceteris solis aurum mari inspersum erat, ipso in Oriente, *ἐν θαλάμῳ Ἡελίοιο.*

AD PLUTARCHUM.

Lyc. 12 (Sint.). Si quis ad phiditia admitti vult, convivae de eo ita sententiam ferunt ut *ἀπομαγδαλιὰς* in urnam coniciant. Haec perspicua, sed cur *servus illam urnam capite portet* (*τοῦ διακόνου φέροντος ἀγγεῖον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς*) non intelligo. Scripsitne Plutarchus: *λαβὼν τῶν συσσίτων ἕκαστος ἀπομαγδαλιὰν εἰς τὴν χεῖρα, τοῦ διακόνου φέροντος ἀγγεῖον, ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἔβαλλε σιωπῇ καθάπερ ψῆφον*? Non solum silentio, verbum non addens, suam quisque *ἀπομαγδαλιὰν* in urnam coniciebat, sed etiam sic ut ceteri videre non possent essetne *πεπιεσμένη* (= *τετρημένη*) an non. Praepositio *ὑπέρ* et alibi sic adhibetur et in inscriptione apud Roehlium IGA. 370: *Βύβων τητέρῃ χειρὶ ὑπὲρ κεφαλᾶς ὑπερέβαλε.* J. J. H.

Digitized by Google

AD ARISTOPHANIS AVES.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F. [1])

(*Continuantur e Vol. XXIX pag.* 460).

Vs. 202 sqq. Epops uxorem advocaturus:

δευρὶ γὰρ εἰσβὰς αὐτίκα μάλ' εἰς τὴν λόχμην
ἔπειτ' ἀνεγείρας τὴν ἐμὴν ἀηδόνα
καλοῦμεν αὐτούς —

quae nihili esse estne qui serio neget? Nihil autem prodest viri semidocti coniectura quam codices nonnulli praebent: καλοῖμ' ἂν αὐτούς: — Graecum non est illud, hoc non est Atticum, neque singularis ferri potest propter id quod sequitur:

οἳ δὲ νῷν τοῦ φθέγματος
ἐάν περ ἐπακούσωσι, θεύσονται δρόμῳ.

Dicere igitur debet Epops se excitaturum esse Lusciniam, dein cum illa ceteras aves convocaturum. Quod dicet si sic scribimus:

ἀνεγείρας τὴν ἐμὴν ἀηδόνα
καλῶ μετ' αὐτῆς.

Praeterea pro τὴν ἐμὴν ἀηδόνα nescio an praestet τὴν φίλην.

Venusti versus 245 sqq., quibus Epops cives ad aedes suas convocat, manifesto gravissimoque turpantur vitio. Praeter cetera alitum agmina *vos quoque adeste* — vocat — *quae*

1) Quae de versibus 204, 753 sqq., 842, 1262 sqq., 1395 sq. observavi, repetita sunt e libro in honorem v. clar. Boot a philologis nostratibus anno proximo conscripto.

Digitized by Google

εὐδρόσους γῆς τόπους
ἔχετε λειμῶνά τ' ἐρόεντα Μαραθῶνος
ὄρνις πτεροποίκιλος ἀτταγᾶς ἀτταγᾶς.

Quae corrupta esse cum numeri tum ipsa verba luculenter testantur. Partem autem veri acute restituit Meineke, qui glossa Hesychiana „πτέρων" huc tracta scripsit: πτέρων ποικίλος τ' ἀτταγᾶς. Sed misere praeterea displicet ὄρνις vox inutilissima, nec minus iteratum ἀτταγᾶς, cuius avis nomen bis poni ideo quod ipse attagen τὸ ἴδιον ὄνομα φθέγγεται καὶ ἀναμέλπει [1]), id quidem cras credam. Itaque deletis glossemate ὄρνις ad πτέρων pertinenti et altero ἀτταγᾶς, lacunam statuo. Quam pro certo explere velle merae profecto esset temeritatis; exempli gratia tamen licebit proponere aliquid quod comicus potuerit certe scribere:

ὅσα τ' εὐδρόσους γῆς τόπους
ἔχετε λειμῶνά τ' ἐρόεντα Μαραθῶνος, ‹ἴτε,
πάρδαλος καὶ› πτέρων ποικίλος τ' ἀτταγᾶς.

De versu 276 simile quid videtur observandum. Alite mirae staturae incredibilisque splendoris adspecto Pisetaerus rogat:

τίς ποτ' ἔσθ' ὁ μουσόμαντις ἄτοπος ὄρνις ὀρειβάτης;

Quae verba neque sensum praebent neque trimetrum efficiunt. Avis autem μουσόμαντις et mox Μῆδος quae dicatur nescimus; nisi autem egregie fallor, ipse nesciebat poeta [2]). Id vero manifestum est, non *gallum gallinaceum*, avem ea aetate cuivis Atheniensi notissimam, nunc procedere, quod sunt qui putent propter galli nomen τὸν περσικὸν (non Μῆδον!) ὄρνιν. Optimo igitur iure in scholiis rogatur num revera avi alicui *Medus* proprium fuerit nomen, et tute opinor responderis nulli fuisse. Ex Aeschyli dein Edonis versum aliquem corruptum sic afferunt scholia codicis Veneti: τί ποτ' ἔσται ὁ μουσόμαντις ἄλλο ἀκρατοῦς ὂν σθένει, in aliis pro ἀκρατοῦς legitur ἀβρατεὺς, Suidas autem s. v. μουσόμαντις habet: τίς ποτ' ἔσται ὁ μ. ἄλαλος ἀβρατεύς. Quae verba in tolerabilem trimetrum effingere nondum contigit cuiquam, temere autem ut opinor Reisig aliique suspicati sunt in iis latere adiectivum ἀβροβάτης [3]) idque in Aristophanis versu

1) Aelian. H. Anim. IV 42.
2) Cf. quae Mnemos. 1901 p. 447 observavi.
3) Cf. Aesch. Pers. 1072.

Digitized by Google

scribendum esse pro ὀρειβάτης. Quamquam libenter concedo mihi quoque suspectum — in Pisetaeri certe ore — esse illud ὀρειβάτης vel ὀριβάτης, cum parum appareat cur *montanam* hanc esse avem suspicetur alter Atheniensium.

Id unum liquet, comicum nunc quoque imitari verba tragicorum; sed obscurus manet locus neque habeo quod proponam, nisi quod „ἄτοπος ὄρνις" non poetae sed glossatoris verba esse arbitror.

Vs. 331 sqq. A rege suo proditos se queruntur alites:

παρέβη μὲν θεσμοὺς ἀρχαίους,
παρέβη δ' ὅρκους ὀρνίθων·
εἰς δὲ δόλον ἐκάλεσε, παρέβαλέ τ' ἐμὲ παρὰ
γένος ἀνόσιον, ὅπερ ἐξότ' ἐγένετ' ἐπ' ἐ-
μοὶ πολέμιον ἑτράφη.

Ultimorum versuum numeros corruptos esse testantur versus antistrophi (349—351), verbum autem παραβάλλειν hinc est alienum, neque atticum est ἐξότε pro ἐξ ὅτου, neque praepositiones παρά et ἐπί ita adhiberi potuerunt. Itaque partem quidem vitiorum tollit id quod proposuit Green ὅπερ ἐξ ὅτου 'γένετ' ἐμοὶ πολέμιον ἑτράφη, non tamen sufficit, sed requiritur potius huiuscemodi quid:

εἰς δὲ δόλον ἐνέβαλέ με, δεῦρό τε παρεκάλεσεν
γένος ἀνόσιον ἐπ' ἔμ', ὅπερ ἐξ ὅτου 'γένετ' ἀεί
μοι πολέμιον ἑτράφη.

Vs. 395 sqq. Euelpidi roganti ubi sepulturam sint inventuri si in pugna ab avibus occidantur, iocans Pisetaerus:

ὁ Κεραμεικὸς δέξεται νώ·
δημοσίᾳ γὰρ ἵνα ταφῶμεν,
φήσομεν πρὸς τοὺς στρατηγούς,
μαχομένω τοῖς πολεμίοισιν
ἀποθανεῖν ἐν Ὀρνεαῖς,

ubi *Orneae* urbs Argolica non propter causas quasdam reconditas, quas deprehendere sibi visi sunt interpretes, sed propter solum nominis sonum commemoratur. Sed hoc in transitu. Vitium manifestum alit versus secundus a dactylo incipiens; quapropter δημόσια proposuit Brunck, δημόθεν Kock. Qualia in

Digitized by Google

dictionem comicam non quadrare qui probe sensit Herwerdenus suspicatus est totum versum esse delendum. At si deleatur, lacuna erit statuenda, nam particula γάρ omnino necessaria est. Nonne igitur satius est unum δημοσίᾳ reicere? quod ex annotatione in textum irrepere facile potuit. Iure si hoc statuo, quaerendum erit quid poeta scribere apte potuerit, equidem autem aptius quicquam non invenio quam εὐπρεπῶς. Verum igitur videtur:

δημοσίᾳ
εὐπρεπῶς γὰρ ἵνα ταφῶμεν.

In vicinia plura ita sunt corrupta, ut aut pro conclamatis habita crucibus sint insignienda, aut violentioribus remediis tentanda.

Vs. 400 sqq. Coryphaeus haec iubet socios:

ἄναγ' εἰς τάξιν πάλιν εἰς ταὐτόν,
καὶ τὸν θυμὸν κατάθου κύψας
παρὰ τὴν ὀργήν, ὥσπερ ὁπλίτης,
καὶ ἀναπυθώμεθα τούσδε, τίνες ποτὲ
καὶ πόθεν ἔμολον ἐπὶ τίνα τ' ἐπίνοιαν.

Manifestum emblema duco verba ὥσπερ ὁπλίτης, quorum originem ostendit scholion: ὡσεὶ ὁπλίτῃ ἐγκελεύων τὸ δόρυ καταθέσθαι παρὰ τὴν ἀσπίδα. Non vero displicet participium κύψας, pro quo κρύψας et πήξας sunt proposita. Iubentur milites clipeo innisi teloque terrae infixo consistere κύψαντες sive *parati in hostem* (*ramassés* Gall.). Quo participio indicatur is qui corpore veluti conglobato, genubus leviter flexis alteroque brachio proiecto ad saltum cursumve vel ad adversarii impetum retundendum se parat. Sic in Ecclesiazusis „ὁμόσ' εἶμι κύψας!" quidam exclamat [1]) et in Ranis ridetur tardus homo frustra κύψας καὶ δεινὰ ποιῶν ut ceteros cursores aequet [2]).

Hoc igitur sollicitandum non videtur participium. Ultima vero coryphaei verba in mera vitia excurrunt. Quae ut tollerent, Reisig ποίαν τιν' ἔχοντ' ἐπίνοιαν, Blaydes ποίαν τ' ἐπίνοιαν ἔχουσιν coniecerunt, non tamen sollicitantes immodulata illa καὶ πόθεν ἔμολον. Equidem partim eorum inventis usus locum sic constituendum arbitror:

1) Eccl. 863. 2) Ran. 1091.

Digitized by Google

ἄναγ' εἰς τάξιν πάλιν εἰς ταὐτόν,
καὶ τὸν θυμὸν κατάθου κύψας
παρὰ τὴν ὀργήν,
καὶ ἀναπυθώμεθα τούσδε, τίνες ποτὲ
καὶ πῶς ἔμολον [1])
ποίαν τ' ἐπίνοιαν ἔχοντες.

Paucis interiectis coryphaeus rogat (vs. 410 sqq.):

τύχη δὲ ποία κομί-
ζει ποτ' αὐτὼ πρὸς ὄρ-
νιθας ἐλθεῖν;

cui Epops haec respondere fertur in codicibus:

ἔρως
βίου διαίτης τε σοῦ
τοῦ ξυνοικεῖν τέ σοι
καὶ ξυνεῖναι τὸ πᾶν.

In Coryphaei his verbis cum ferri nequeat ἐλθεῖν infinitivus verbo κομίζει subiunctus, Herwerdenus ingeniose coniecit: ὄρνιθας. ΕΠ. αἴθων ἔρως coll. Xen. Cyr. V 1 § 15. Parum tamen placet versus ita divisus. Quem toti potius Coryphaeo esse tribuendum, non temere olim suspicatus est Reisig; nam infinitivus finalis haud uno veterum loco voci ἔρωτι adiunctus legitur. Sed verum si is vidit, sequentia graviter corrupta esse statuamus necesse est. Equidem nescio an sufficiat rescriptum ἡμᾶς pro ἐλθεῖν.

Epopis dein verba alii aliter refinxerunt. Reiske: βίου διαίτης τε σοῦ | καὶ κτὲ.; item Meineke, praeterea coniciens ξυνοικεῖν γε pro τε. Bergk: βίου διαίτης τε καὶ | σοὶ ξυνοικεῖν τε καὶ | σοὶ ξυνεῖναι τὸ πᾶν. Sed satis haec licet sint audacia, parum prosunt; neque enim a versu 413 abesse potest epitheton, neque articulus a sequenti. Equidem vocem βίου glossema duco ad διαίτης pertinens. Quod si delere licet, cetera leni manu probabiliter nisi fallor sic possunt constitui:

ΚΟΡ. τύχη δὲ ποία κομί-
ζει ποτ' αὐτὼ πρὸς ὄρ-
νιθας ἡμᾶς;

---

1) Etiam καὶ πόθεν ἦλθον recte dici potuit.

Digitized by Google

ΕΠ. ἔρως
νέας διαίτης τε καὶ
τοῦ ξυνοικεῖν τέ σοι
καὶ ξυνεῖναι τὸ πᾶν.

Vs. 422. Epops: λέγει μέγαν τιν' ὄλβον, οὔτε λεκτὸν οὔτε πιστόν.

Satisne ad haec verba defendenda valent quae infra leguntur: κάλλος οὐ φατὸν λέγειν [1]) vel Aeschyleum οὐ γὰρ ῥητὸν αὐδᾶσθαι τάδε [2])? Non credo; nam tautologia illa quidem est, non tamen auribus sed sola mente percipitur; nostro vero loco λέγει ... οὐ λεκτὸν egregie displicet. Quapropter vix dubito quin ἔχει dederit comicus [3]).

Quae coniectura in mentem mihi revocat versum vicinum 457, ubi chorus ad Pisetaerum:

σὺ δὲ τοῦθ' ὁρᾷς λέγ' εἰς μέσον.

Et haec quidem ferri non posse quivis videt. Bentley pro vitioso ὁρᾷς scribebat ὦ τᾶν, Bothe οὐρᾷς, pro ὃ ὁρᾷς dici id potuisse ratus; probabilius certe Molhuysen meus οὔ ἐρᾷς id interpretabatur. LDindorf coniecit ἦρες, Bergk ὃ δρᾷς, Kock denique ὃ φέρεις collato versu 540: χαλεπωτάτους λόγους ἤνεγκας, is demum probabiliter me iudice. Sed etiam aptius huic loco videtur verbum ἔχειν: *dic si quid habes*. Itaque deleto verbo ὁρᾷς, quod e versu 454 huc irrepsisse suspicor, scribo:

σὺ δὲ τοῦθ' οὕ χεις λέγ' εἰς μέσον.

Vs. 430 sq. Epops hospitem Atheniensem vocat

πυκνότατον κίναδος,
σόφισμα, κύρμα, τρῖμμα, παιπάλημ' ὅλον.

Quae tantum non omnia perspicua et aliunde cognita sunt epitheta, nec immorari iis nunc attinet. Sed quid est κύρμα? *Praeda* opinor, e carminibus epicis vox notissima. Ergo hinc quam maxime aliena. Leni autem speciosaque coniectura in κύρβις posset mutari collatis verbis Strepsiadis nostro loco simillimis:

1) Vs. 1713. 2) Aesch. Prom. 766.
3) Minus placet φέρεις.

Digitized by Google

περίτριμμα δικῶν,
κύρβις, κρόταλον, κίνδος, τρύμη κτέ. [1]),

nisi vicina vocabula in -μα desinerent cuncta, quam parechesin turbare merae temeritatis mihi videtur. Quapropter ne Blaydesii quidem coniecturae κρόταλον [2]) quicquam tribuo. Si quid video, vitium peperit vox κύρβις e Nubium loco parallelo exscripta, poetam autem vocem λῆμα adhibuisse suspicor, veramque versus formam hanc esse:

σόφισμα, τρῖμμα, παιπάλημα, λῆμ' ὅλον.

Vs. 465 sqq. Pisetaerus orationem sic orditur:

λέγειν ζητῶ τι πάλαι μέγα καὶ λάβρινον ἔπος τι,
ὅ τι τὴν τούτων θραύσει ψυχήν.

Ad ipsas dein aves conversus:

οὕτως ὑμῶν ὑπεραλγῶ,
οἵτινες ὄντες πρότερον βασιλῆς ...

Admirabundus eius verba interrumpit Coryphaeus:

ἡμεῖς βασιλῆς; τίνος;

Pergit Pisetaerus:

ὑμεῖς
πάντων ὁπόσ' ἐστίν, ἐμοῦ πρῶτον τουδί, καὶ τοῦ Διὸς αὐτοῦ.
ἀρχαιότεροι πρότεροί τε Κρόνου καὶ Τιτάνων ἐγένεσθε κτέ.

Quae quomodo decurrant non video. Nam versus paenultimus si puncto clauditur, ut fieri solet, asyndeton fit plane non ferendum; virgula autem si scribitur in eius fine auctore Dindorfio, qui iungit οἵτινες ... ἀρχαιότεροι ... ἐγένεσθε, ne sic quidem satis apte haec cohaerent, nam praelonga illa parenthesis „ἡμεῖς — αὐτοῦ" molesta est, et speciem quidem sententiae haec praebent, revera tamen absurda sunt, non enim alites βασιλῆς ὄντες πρότεροι Κρόνου ἐγένοντο sed πρότεροι Κρόνου γενόμενοι βασιλῆς ἦσάν ποτε. Optimo igitur iure Blaydes desiderat particulam γάρ, coniecit autem ἀρχαιότεροι γὰρ Κρόνου αὐτοῦ vel ἀρχαιότεροι δ' αὐτοῦ γε Κρόνου. Equidem in paenultimum potius versum illud γάρ inserendum esse suspicor, sic scribens:

..... ἐμοῦ πρῶτον τουδί. καὶ γὰρ Διὸς αὐτοῦ
ἀρχαιότεροι πρότεροί τε Κρόνου καὶ Τιτάνων ἐγένεσθε.

1) Nub. 448. 2) Coll. Nub. 260.

Digitized by Google

Melius enim hoc placet quam quod item in mentem venit:

ἀρχαῖοι γὰρ κτἑ.

Perridicule igitur hoc prae ceteris argumentum urget orator regiam avibus dignitatem asserens, quod vel *in ipsum* legitimum iis sit imperium. Sententia autem postquam interrupta est, non ita ad finem deducitur ut coepta erat institui, ipsa tamen argumentatio bene cohaeret. Nam hoc est quod dicit orator: *ὑπεραλγῶ ὑμῶν, οἵτινες πρότερον βασιλῆς ὄντες νῦν τὸ μηδὲν ἔστε. πάντων γὰρ πρότεροι ἐγένεσθε, ὥστε ὀρθῶς ὑμετέρα ἐστὶν ἡ βασιλεία.*

Vs. 486 de gallo gallinaceo dicitur:

διὰ ταῦτ' ἄρ' ἔχων καὶ νῦν, ὥσπερ βωσιλεὺς ὁ μέγας, διαβάσκει κτἑ....

Sed cum locutioni *ταῦτ' ἄρα* praepositio praemitti non soleat, suspicor verum esse:

ταῦτ' ἄρα καὶ νῦν ἔτ' ἔχων, ὥσπερ β. ὁ. μ., δ.

Graviore vitio laborat versus vicinus 492. Ubi in laudem galli haec addit orator:

ἀπὸ[1] *τῆς ῥώμης τῆς τότ' ἐκείνης, ὁπόταν νόμον*[2] *ὄρθριον ᾄσῃ, ἀναπηδῶσιν πάντες ἐπ' ἔργον, χαλκῆς, κεραμῆς, σκυλοδέψαι, σκυτῆς, βαλανῆς, ἀλφιταμοιβοί, τορνευτολυρασπιδοπηγοί, οἳ δὲ βαδίζουσ' ὑποδησάμενοi νύκτωρ.*

Cunctos igitur homines e lecto excitare inque officia quotidiana impellere dicitur ales aurorae nuncius; sed quinam etiam subiunguntur: *alii vero noctu viam ingrediuntur calceati?* Infeliciter Kock de *furibus nocturnis* cogitans *οἳ δὲ βαδίζουσ' ἀποδύσοντες* coniecit; nam „latrones" licet „de nocte surgant ut iugulent homines", at *grassatores* incipiente potissimum nocte praetereuntibus insidiantur[3], gallorum autem *νόμος ὄρθριος* sub noctis demum finem dormientes e lecto excitat. Itaque multo probabilius Blaydes:

εἶτα βαδίζουσ' ὑποδησάμενοι νύκτωρ, —

dein calceati per tenebras (*ἔτι ὄρθρου βαθέος ὄντος*) *viam suam ineunt*, ut cum lumine adesse possint *εἰς τὸ ἐργαλεῖον* in alia

1) Sic Hamaker pro *ὑπὸ*.

2) Egregia haec est Porsoni emendatio; *μόνον* codd.

3) Conferri potest e. g. versus vicinus 497.

Digitized by Google

urbis parte situm. Quae scribens comicus Hesiodi opinor in mente habebat versum:

ἠώς, ἥ τε φανεῖσα πολῦς ἐπέβησε κελεύθου
ἀνθρώπους [1]).

De summa igitur rei Blaydesio plane assentior; nisi tamen fallor, ipsam comici manum ille non restituit. Lenior certe haec videtur correctio:

ὑποδησάμενοι δὲ βαδίζουσιν.

Vitii originem e dittographemate (ὑποδησάμενOI) repeto.

Vs. 546 sq. Chorus indignatus atavorum suorum negligentiam, qui mundi regimen ipsis debitum e manibus suis dilabi passi fuerint, *at tu iam sospitator nobis ades*, ad Pisetaerum ait:

ἀναθεὶς γὰρ ἐγώ σοι
τά τε νεόττια καὶ ἐμαυτὸν οἰκήσω —

sic certe est in codicibus, sententia et numeris invitis. Et levis quidem est quaestio, sitne particula τε delenda, an ferri possit, quod censebat Dindorf, νεόττια vel νόττια pro trisyllabo accipiens. Gravius est vitium quod feliciter procuravit Blaydes, ἄρ' pro γὰρ restituendo; nam sic demum cum praegressis apte iunctum est hoc enunciatum. Manet absurdum illud οἰκήσω. Proposita sunt οἰκετεύσω et οἰκιῶ δή vel σε, — maiore metri quam sententiae emolumento. Blaydesianum autem ἀναθεῖν' ἄρ' ... οὐκ ὀκνήσω aptum quidem sensum praebet, et gratus illud „οὐκ" ab eo accipio; parum tamen placet elisum ἀναθεῖναι, et praestat servasse participium ἀναθείς, quod per se spectatum nullam movet suspicionem, egregie autem defenditur simillimo Nubium versu: ταυτὶ ... πέπονθ' ἐγὼ | ὑμῖν ἀναθεὶς ἅπαντα τἀμὰ πράγματα [2]).

Mihi verum videtur:

ἀναθεὶς ἄρ' ἐγώ σοι
τὰ νεόττια καὶ ἐμαυτὸν οὐκ ἀνήσω.

Non remittam (ab opere incepto). Saepe verbum ἀνιέναι absolute sic adhibitum invenitur, e. g. apud nostrum: οὐκ ἀνήσω πρὶν ἂν σχοῖνος αὐτοῖσιν ἀντεμπαγῶ [3]), vel apud Platonem de Socrate: ἐπειδὴ οὐ προυχώρει αὐτῷ, οὐκ ἀνίει, ἀλλ' εἱστήκει ζητῶν [4]).

1) Hes. Oper. 581. 2) Nub. 1453. 3) Ach. 230. 4) Plat. Conv. 220c.

Digitized by Google

Vs. 593 sq. Epopi roganti: *unde vero divitias mortalibus praebituri sunt alites?* respondet Pisetaerus:

τὰ μέταλλ' αὐτοῖς μαντευομένοις οὗτοι δώσουσι τὰ χρηστά,
τάς τ' ἐμπορίας τὰς κερδαλέας πρὸς τὸν μάντιν κατεροῦσιν.

In quibus verbis molestissima est *metallorum* mentio. Cui neque satis aptum est *dandi* verbum, — quapropter δείξουσι coniecit Bergk, — neque facile opinor dixerit quispiam undenam aves terrae penetralia tam probe nota habere possint. Neque omnino locus hic est *metallis*; nam paucis versibus interiectis additur:

τοὺς θησαυρούς τ' αὐτοῖς δείξουσ', οὓς οἱ πρότεροι κατέθεντο.

Quae mira profecto est anticlimax: prius ipsas terrae opes inexhaustas hominibus daturae dicuntur aves, dein argenti aliquid hic illic abditum indicaturae.

Haec qui sensit Cobetus, τὰ μὲν ἄλλα pro τὰ μέταλλα coniecit. Qua coniectura ipsius ingenio condigna removentur cunctae quas indicavi molestiae, quominus tamen in textum recipiatur obstat enuntiati structura; ego certe non video quid particula μέν h. l. sibi velit. Itaque licet periculosum et fere impium videatur coniecturam Cobetianam corrigere velle, dicam tamen quid suspicer. Comicus dedisse mihi videtur:

μαντευομένοισι τά τ' ἄλλ' αὐτοῖς οὗτοι δώσουσι τὰ [χρηστά,
τάς τ' ἐμπορίας ... κατεροῦσιν.

Vs. 662 sq. In codicibus Pisetaeri ad Epopem sunt verba:

ἐκβίβασον ἐκ τοῦ βουτόμου τουρνίθιον.
ἐκβίβασον αὐτοῦ πρὸς θεῶν αὐτήν, ἵνα
καὶ νῷ θεασώμεσθα τὴν ἀηδόνα.

Quorum versuum secundum tertiumque Beerius recte tribuit Euelpidi. Displicet autem molestum, certe inutile, adverbium αὐτοῦ, quod ut removeretur, Halbertsma proposuit ἐκβίβασον ὦ πρὸς τῶν θεῶν, Meineke ἐκβίβασον αὐτὴν δῆτα πρὸς θεῶν, probabilius ut opinor; nam articulum minime necessarium esse, licet plerumque in hac locutione addatur, testantur Pac. 9 Eccl. 1095 Plut. 1147, et δῆτα eleganter est dictum. Non tamen sequendus mihi videtur Meinekius, nam etiam pronomen αὐτήν molestum potius duco quam necessarium; itaque sic potius scribo:

ΕΤ. ἐκβίβασον αὐτ / κα μάλα πρὸς θεῶν, ἵνα κτἑ.

Digitized by Google

Vs. 717 sq. chorus haec canit:

ἐλθόντες γὰρ πρῶτον ἐπ' ὄρνις, οὕτω πρὸς ἅπαντα τρέπεσθε,
πρός τ' ἐμπορίαν, καὶ πρὸς βιότου κτῆσιν, καὶ πρὸς γάμον ἀνδρός.

Ultimum autem vocabulum *ἀνδρός* ferri nequit; nam quod Lenting olim putabat, defendi posse coll. Eur. Andr. 469, de *feminis* igitur dictum esse, ne commemoratu quidem eam explicationem haberem dignam, nisi luculenter inde appareret quam sit absurda quae sic tuenda videatur lectio. Ieiuna sunt quae Brunckius et Meinekius proposuerunt *ἄνδρες* et *ἄλλος*, pulcherrimum vero est Herwerdeni inventum *πρὸς γάμου ἀριθμόν*, sed vereor ne nimis sit pulcrum, nimis poeticum pro huius loci dictione. Quid igitur? Mihi poeta scripsisse videtur:

καὶ πρὸς γάμον αὐτόν.

Ne nuptias quidem ineunt mortales nisi *οἰωνοὺς κρίναντες οἳ ἐπ' ἔργματι τούτῳ ἄριστοι.*

Vs. 723 sqq. Coryphaeus *τὸ μακρόν* ab his versibus orditur:

ἦν οὖν ἡμᾶς νομίσητε θεούς,
ἕξετε χρῆσθαι μάντεσι μούσαις
αὔραις, ὥραις, χειμῶνι, θέρει,
μετρίῳ πνίγει —

quae merae sunt tenebrae. De quibus quicquid statuendum videtur, id quidem certum duco, Aristophane plane indigna esse quae excogitavit Bergk: *αὔραις ἤρος* (*λιαραῖς* Kock) *χειμῶνι, θέρει μετρίῳ πνίγει.* Nam egregie haec mihi displicet oppositio ita expressa [1]), ab hoc autem loco est aliena, ubi non de *caeli temperie* agitur, sed de *rerum futurarum* scientia *fortunaeque* donis. Dativi *temporis*, non dativi a verbo *χρῆσθαι* suspensi requiruntur.

Itaque non dubito quin recte Blaydes vocem *αὔραις* e vicino *ὥραις* natam in *πάσαις* mutaverit [2]). *Musas* autem feliciter procuravit Kock, adiectivum aliquod in vitiosa hac voce latere suspicatus. Et fortasse licet acquiescere eius coniectura *μάντεσιν ὀρθοῖς*, satis aptum certe ea sensum praebet; lenior tamen videtur correctio *μάντεσιν εὔνοις*, meliusque ni fallor contextui accommodatum est hoc adiectivum.

---

1) Puerulorum iocis (*De boeren van het Noorderland Hebben tien vingers aan iedere hand* — quaeque sequuntur) quam versibus similiora dixerim.

2) Cf. Sophoclis in Tereo versus fr. 519, et Nub. 310.

Digitized by Google

Restant molesta *μετρίῳ πνίγει*, parum enim congruit adiectivum *modicus* cum substantivo, cuius ea est vis ut id quod *immodicum* sit indicet; nam de *nimio aestu*, de caniculari calore *τὸ πνῖγος* dici solet, *veris* igitur *auctumnique* tempora non potuerunt satis apte *μετρίου πνίγους* nomine designari. Equidem requiro dativum substantivi quod *τῷ πνίγει* opponatur, nec invenio nisi id quod dubitanter sane — nam audacior est coniectura — propono, *ψύχει*.

Sic demum intellego locum, quem denuo excribam:

ἦν οὖν ἡμᾶς νομίσητε θεούς,
ἕξετε χρῆσθαι μάντεσιν εὔνοις
πάσαις ὥραις, χειμῶνι θέρει,
ψύχει πνίγει. κοὐκ ἀποδράντες
καθεδούμεθ' ἄνω σεμνυνόμενοι
παρὰ ταῖς νεφέλαις, ὥσπερ χὠ Ζεύς κτἑ.

Et praestat certe huiusmodi remediis quantumvis violentis hos versus tentare, quam ex Hamakeri auctoritate abicere verba: „ἕξετε — πνίγει· κ'" et mox: „ὥσπερ χὠ Ζεύς". Neque enim dixerit quispiam unde tandem irrepere potuerint ea omnia, neque iis demtis recte procedit argumentatio.

Vs. 753 sqq. — Epirrhematis initium vitio quodam laborat, quod leve quidem est, sed tamen eiusmodi ut verba poetae obscura reddat:

εἰ μετ' ὀρνίθων τις ὑμῶν, ὦ θεαταί, βούλεται
διαπλέκειν ζῶν ἡδέως τὸ λοιπόν, ὡς ἡμᾶς ἴτω.
ὅσα γὰρ ἐνθάδ' ἐστὶν αἰσχρὰ τῷ νόμῳ κρατούμενα,
ταῦτα πάντ' ἐστὶν παρ' ἡμῖν τοῖσιν ὄρνισιν καλά.
εἰ γὰρ ἐνθάδ' ἐστὶν αἰσχρὸν τὸν πατέρα τύπτειν νόμῳ,
τοῦτ' ἐκεῖ καλὸν παρ' ἡμῖν ἐστιν, ἤν τις τῷ πατρὶ
προσδραμὼν εἶπῃ πατάξας· „αἶρε πλῆκτρον, εἰ μαχεῖ".

Non dico nunc verbum *διαπλέκειν*. Quamquam nimis insolite id est dictum nisi obiectum accedat *τὸν βίον*, quapropter *διατελεῖν* pro eo fortasse coniecerit quispiam; sed librariorum errore in verbum rarius et exquisitum *διαπλέκειν* id abiisse quoniam nemo credet, suspicor potius comicum dedisse huiusmodi quid:

εἴ τις ὑμῶν, ὦ θεαταί, διαπλέκων εὖ τὸν βίον
βούλεται ζῆν ἡδέως τὸ λοιπόν, ὡς ἡμᾶς ἴτω.

Digitized by Google

Merae tamen temeritatis foret talia in textum recipere; itaque mitto hoc, ut dixi, sententia autem salva est et perspicua: *si quis vestrum suaviter vitam transigere cupit, o spectatores, ad nos veniat.*

At quid nunc sequitur? Quid est quod *αἰσχρὰ* inter mortales esse dicuntur *τὰ τῷ νόμῳ κρατούμενα*? Vitium profecto haec crepant; non enim scelera, non flagitia, non mores hominum *κρατοῦνται τοῖς κειμένοις νόμοις*, sed ipsi cives legibus serviunt, ut liberi esse possint. Quae dum perpendimus, emicat vera lectio *κρατουμένοις*.

Admodum igitur ludicre — sed ita ut per iocos vera poetae mens pelluceat — regio in quam cives Athenienses rerum novarum appetentes confugerunt eam potissimum ob causam nunc laudatur, quod concessa et laudabilia ibi ducantur quaecunque inter homines pro turpibus vetitisque semper sint habita. Non iam *τὴν δίκην καὶ τοὺς νόμους ἐκείνους* secuturi sunt, quos solus usus ipsaque mens mortalium constituit, sed duce usi natura *ἀγράφοις τισὶ νόμοις*, qui illis longe sunt potiores, posthac parebunt in nova patria, ubi licet quod libet. Sic dum gentis alatae orator exponit quanta bona habeat vita sublimior, audire videmur *Ἄδικον* illum *Λόγον*, *„χρῶ τῇ Φύσει!"* et *„νόμιζε μηδὲν αἰσχρόν!"* exclamantem. Nova autem et plane inexpectata ratione adhibetur nunc tragicorum illud, quod Antigonas olim impellebat ipsamque mortem contemnere docebat, nunc Pisetaeros *ἐπαίρει καὶ ἀναπτεροῖ: quae hic mala putantur, in caelo ea sunt bona.*

In versus 757 fine cur *νόμῳ* servandum ducam, non ex Kockii auctoritate in *νέῳ* mutandum, post ea quae disputavi obscurum esse non potest.

Vs. 842. Neque gravius neque minus apertum est vitium, quo hunc versum etiam nunc laborare miror. Pisetaerus ad moenia mittit sodalem, cui et alia iocose mandat et haec:

Φυλακὰς κατάστησαι, τὸ πῦρ ἔγκρυπτ' ἀεί,
κωδωνοφορῶν περίτρεχε καὶ κάθευδ' ἐκεῖ.

Non vidi magis! Estne *dormire* omnium officiorum gravissimum et maxime reip. salutare? Artisne militaris est illud: *va te coucher, Basile?* Siccine ab hostium impetu cavebitur?

Digitized by Google

Scilicet prior versus parum intellectus effecit ut in posteriore toleraretur verbum corruptum. Quid est: „τὸ πῦρ ἔγκρυπτ' ἀεί"? Confert interpres hodiernus priscum illud: *bewahrt das feuer und das licht, dass in der nacht kein schaden geschicht,* et probe memini me quoque puerum quotidie audire vigilem publicum alta voce per vici nostri plateam desertam clamantem: „*bewaar uw vuur en kaarslicht wel!*" Talia autem custos ille mandabat civibus *cubitum euntibus*, ne in utramvis aurem dum dormiunt incendium faceret candela neglecta vel carbones parum sedulo favilla protecti. Sed Athenis nunc versamur, et praestat Aristophanem non e patrum nostrum moribus interpretari sed ex ipso Aristophane. Mox autem ex ore nuncii audimus peracta esse quae iussit Pisetaerus:

φυλάττεται κύκλῳ,
ἐφοδεύεται, κωδωνοφορεῖται, πανταχῇ
φυλακαὶ καθεστήκασι καὶ φρυκτωρίαι
ἐν τοῖσι πύργοις.

Hoc igitur est quod imperavit ille: „τὴν φρυκτωρίαν *institue.* Cura ut militibus in praesidio collocatis per totam noctem praesto sit ignis aliquid, ut signa militaria quovis tempore possint dari per faces." — At ita si invigilandum est, quam insulsum sit illud „*ibique dormi*" nemo non videt. Quid multa: non ΚΑΙΚΑΘΕΤΔΕ sed ΚΑΙCΚΑΘΕΤΔΕ dederat poeta, κἀκκάθευδ' ἐκεῖ, vel potius (ut nunc scribere solemus) καὶ ἐκκάθευδ' ἐκεῖ, *ibique excuba.* Hoc enim proprie dicitur de iis qui non domi suae noctem transigunt sed in praesidio collocati vigilant. Sic apud Xenophontem legimus exempli gratia: ἐξεκάθευδον οἱ ἱππεῖς ἐν τῷ Ὠιδείῳ (Hell. II 4 § 24).

Redit autem vitium apud Andocidem (I § 45) in edicto praetorio: τὴν βουλὴν εἰς ἀκρόπολιν ἰέναι κἀκεῖ καθεύδειν, τοὺς δὲ πρυτάνεις ἐν τῇ θόλῳ, et apud Thucydidem: ἔτυχον γὰρ ἐν τῇ ἀγορᾷ ὁπλῖται καθεύδοντες ὡς πεντήκοντα (Thuc. IV 113 § 2, corr. Classen). Quibus locis praepositio (ἐ)κ- eandem ob causam periit.

Vs. 909 sqq. Poeta, qui sit interrogatus, respondet:

ἐγώ; [1]) μελιγλώσσων ἐπέων ἰεὶς ἀοιδὰν

1) Interrogandi signum addidit Kock.

Digitized by Google

Μουσάων θεράπων ὀτρηρός,
κατὰ τὸν Ὅμηρον.

Verba „κατὰ τὸν Ὅμηρον" optimo iure delevit van Herwerden, usus observatione, quae in codice R adscripta legitur versui 914, ubi ea verba redeunt: „περισσά τινες ταῦτα". Nisi autem fallor, non ad illum sed ad nostrum locum ea notula pertinet; nolim certe etiam iteratum illud κατὰ τὸν Ὅμηρον auctore Herwerdeno delere:

πάντες ἐσμὲν οἱ διδάσκαλοι
Μουσάων θεράποντες ὀτρηροὶ
κατὰ τὸν Ὅμηρον.

Vs. 949. Poetae famelici verba corrupta sic ad nos pervenerunt:

ἀπέρχομαι,
κἀς τὴν πόλιν (γ') ἐλθὼν ποιήσω (δὴ) ταδί.

In scholiis ἀπελθὼν legitur. Sed neque trimetrum haec efficiunt neque *veniendi abeundive* verbum huc quadrat, non enim posthac poeta facturus est versus, sed nunc statim subiuncturus. Meineke γ' ἐθέλων coniecit, dein ut pedem quintum expleret, — nam δή particula neque in melioribus codicibus extat neque huic enuntiato est apta, — in versus fine scripsit τοιαδί: multo tamen aptius est quod codices habent pronomen *haece* quam *talia*, languidum autem nimis est γ' ἐθέλων. Blaydes μέλη ποιήσω τοιαδί proposuit. Mihi unum (γ') ἐλθὼν mutandum videtur, immo delendum, ut emblematis loco possit restitui id quod comicus videatur scripsisse. Propono:

κἀς τὴν πόλιν ἀντὶ τῶνδε ποιήσω ταδί.

Gratum quo tibi referam — pro pallio tunicaque dono modo acceptis — *urbem tuam hisce celebraturus sum versibus.*

Vs. 1247. *Iuppiter taedio me afficere si pergat*, — Pisetaerus ait tragica usus dictione, —

μέλαθρα μὲν αὐτοῦ καὶ δόμους Ἀμφίονος
καταιθαλώσω.

Scribendum esse

μέλαθρα μὲν αὐτοῦ καὶ ἀμφικίονας δόμους

ostendisse mihi videor Mnem. 1900 p. 391.

Digitized by Google

Vs. 1253 sqq. Has de ipsa Iovis nuntia Iride minas addit Pisetaerus:

σὺ δ' εἴ με λυπήσεις τι, τῆς διακόνου
πρώτης ἀνατείνας τὼ σκέλει διαμηριῶ
τὴν Ἶριν αὐτήν.

Ultima Meinekius optimo iure in suspicionem adduxit. Ferri tamen nequit quod ille proposuit: εἶτ' Ἶριν αὐτήν; non enim de *famula* aliqua *Iridis* in vs. 1253 sq. sermonem esse, sed ipsam Iridem Iovis ministram audire, cum Kockio aliisque omnino certum duco. Suspicor autem notulam „τὴν Ἶριν αὐτὴν λέγει" ad vocem διάκονον spectantem in textum irrepsisse, ipsum vero comicum dedisse grandisonum aliquod Iridis epitheton. Itaque exempli gratia propono:

διαμηριῶ
τὴν σεμνόμυθον.

Vs. 1262 sqq. — Fugata Iride deorum nuntia chorus victoriam Nubilocuculiensium laeto cantico celebrat, quod lyricis numeris lyricisque verbis est insigne (vs. 1262 sqq.):

ἀποκεκλήκαμεν διογενεῖς θεοὺς
μηκέτι τὴν ἐμὴν διαπερᾶν πόλιν
μηδέ τιν' ἱερόθυτον ἀνὰ δάπεδον ἔτι
τῇδε βροτῶν θεοῖσι πέμπειν καπνόν.

Omnia haec sunt sana, — nam quod in codicibus est ἀποκεκλήκαμεν, verum vitium id nemo dicet, dudum autem levis ille error est correctus, — omnia igitur sunt sana, nisi quod numeri versus tertii non constant. Itaque Meineke integrum dochmium ut efficeret, post δάπεδον inserebat particulam ἄν, sed quid ea sibi velit neque ego video neque vidit Blaydes, qui γε voculam addere maluit, post μηδέ eam inserens. At res sicubi eo devenit ut γε videatur „ex abundanti" esse additum vel addendum, verum nondum repertum esse tute statueris. Mihi restituenda videtur vocis δαπέδου forma exquisitior:

ἀνὰ ζάπεδον ἔτι.

Confero autem inscriptionem Pariam saeculi Vi (IGA. 401):

Δημοκύδης τόδ' ἄγαλμα Τελεστοδίκη τ' ἀπὸ κοινῶν
εὐξάμενοι στῆσαν παρθένῳ Ἀρτέμιδι
σεμνῷ ἐνὶ ζαπέδῳ, κούρῃ Διὸς αἰγιόχοιο.

Digitized by Google

Quam vocis δαπέδου formam qui etiam Homero tribuerent olim fuisse, apparet ex Aristotele, ubi Odysseae versus qui est de lapide Sisyphi:

αὖτις ἔπειτα πέδονδε 'κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής

sic affertur:

αὖτις ἐπὶ δάπεδόνδε.

Nam manifestum est non hanc sed ἐπὶ Ζάπεδόνδε olim fuisse lectionem alteram, quae e litteris ΕΠ(ε)ΙΤΑΠΕΔΟΝΔΕ facillime sane potuit nasci.

Vs. 1337 sqq. iuvenis supervenit cantillans canticum:

γενοίμαν αἰετὸς ὑψιπέτας,
ὡς ἂν ποταθείην ὑπὲρ ἀτρυγέτου
γλαυκᾶς ἐπ' οἴδμα λίμνας.

Vitiosus est versus secundus. Et levior quidem est error, quem feliciter correxit Blaydes, ὡς ἀμποταθείην scribendo. Multo vero gravius est quod animadvertit Meineke, desiderari substantivum. Nam numeri verborumque ordo obstant quominus inter se iungamus: ὑπὲρ ἀτρυγέτου γλαυκᾶς, memores Hesiodei „γλαυκῆς δυσπεμφέλου" [1]). Non tamen licet acquiescere Meinekii coniectura ὑπὲρ ⟨αἰθέρος⟩ ἀτρυγέτου, licet aetheris epitheton epicum sit ἀτρύγετος; non enim *super* aetherem sed *per* aetherem vel aerem volatur. Itaque δι' αἰθέρος scribendum esset, nisi potius videretur supplendum: ⟨πόντοι'⟩ ὕπερ ἀτρυγέτου. Minime autem rarum esse in dictione poetica *volare* ὑπὲρ πόντου, vix est quod observem [2]). Itaque praepositio ὑπέρ licet in Aldina desit, minime eam delendam duco auctore Brunckio, qui deinde in vs. 1339 ὑπὲρ οἴδμα scripsit; multoque minus facio cum Bergkio, in ὕπαρ(!) eam mutante.

Verum igitur duco:

γενοίμαν αἰετὸς ὑψιπέτας,
ὡς ἀμποταθείην πόντοι' ὕπερ ἀτρυγέτου
γλαυκᾶς ἐπ' οἴδμα λίμνης.

---

1) Hes. Theog. 440.
2) Pind. Pyth. II 127 Aesch. Ag. 576 Soph. Ai. 702 Ar. Ran. 1438 etc.

Digitized by Google

Vs. 1342 sqq. sic pergit iuvenis:

οὐκ ἔστιν οὐδὲν τοῦ πέτεσθαι γλυκύτερον.
ἐρῶ δ' ἔγωγε τῶν ἐν ὄρνισιν νόμων.
ὀρνιθομανῶ γὰρ καὶ πέτομαι καὶ βούλομαι
οἰκεῖν μεθ' ὑμῶν καὶ ἐπιθυμῶ τῶν νόμων.

Quae pluribus nominibus quin cuivis displiceant non potest fieri. Secundum autem versum, qui quarto nimis est similis, non legit is qui in scholiis scribit: „post versum 1342 codices quosdam unius versus spatium habuisse indicatum, Aristophanem autem grammaticum id explevisse verbis ἐρῶ — νόμων." *Excogitatum* tamen a prisco grammatico nemo contendet [1]), neque omitti potest, nisi aut indicetur lacuna, aut γὰρ vs. 1344 in δὲ mutetur, aut graviore etiam vitio hos versus laborare sumamus. Et hoc ne dubium quidem potest esse, nam verbum πέτομαι vs. 1344 a contextu quam maxime est alienum. Itaque Kock coniecit: καὶ πέτεσθαι βούλομαι | κῴκεῖν (vel οἰκῶν) μεθ' ὑμῶν, lenius Blaydes: καὶ πετόμενος βούλομαι | οἰκεῖν μεθ' ὑμῶν. Sed ne sic quidem satis apte haec cohaerere atque decurrere mihi videntur; quapropter suspicor comicum dedisse:

οὐκ ἔστιν οὐδὲν τοῦ πέτεσθαι γλυκύτερον.
ὀρνιθομανῶ δέ, καὶ μεθ' ὑμῶν βούλομαι
οἰκεῖν· ἐρῶ γὰρ τῶν ἐν ὄρνισιν νόμων.

Haec casu turbata, dein inutilibus quibusdam additamentis imperite aucta in quatuor versiculos excrevisse.

Respondet Pisetaerus:

ποίων νόμων; πολλοὶ γὰρ ὀρνίθων νόμοι!

avium „νόμους" quid loqueris! infiniti sunt earum „νόμοι"! Voces nimirum homonymae fere νόμος et νομός (aeol. νόμος) sive *leges* et *pascua* ludendi ei praebent materiem, memori ut opinor versiculi Alcmanis: οἶδα δ' ὀρνίχων νόμους πάντων [2]). Sic alibi δῆμος et δημός permiscentur [3]), eodem autem verborum lusu supra usus est nuntius, Atheniensium mores subito immutatos esse referens: olim Lacones imitatos esse, nunc ὀρνιθομανεῖν. *Itaque* — ait — *illic cum versabar*

1) Credibile id esse optimo iure negavit van IJzeren meus *de vitiis cod. Ar.* p. 20.
2) Alcm. fr. 61. 3) Eq. 954 Vesp. 40.

Digitized by Google

πρῶτον μὲν εὐθὺς πάντες ἐξ εὐνῆς ἅμα
ἐπέτονθ' ἕωθεν, ὥσπερ ἡμεῖς, ἐπὶ ... νόμον·
καὶ ἔπειθ' ἂν ἅμα κατῇρον εἰς τὰ ... βιβλία,
εἶτ' ἀπενέμοντ' ἐνταῦθα τὰ ... ψηφίσματα

(vs. 1286 sqq.). Quae quomodo sint accipienda minime obscurum arbitror, verbum autem -νέμεσθαι (vs. 1289) clare omnino ostendit. Quemadmodum aves primo mane nihil habent antiquius quam ut pullis sibique escam petant, ἐπὶ νομὸν igitur e nido provolantes, sic Athenienses οἱ φιλόδικοι ἅμ' ἕῳ festinant ad iudicia, vel etiam in senatum et concionem, — *ad leges* igitur sive ἐπὶ νόμον. Olim autem a pnyce vel a tribunali in forum tendere solebant εἰς τὰ ἅλφιτα vel εἰς τοὺς ἰχθῦς: nunc aridiores magis placent cibi, leges nimirum et libelli; εἰς τὰ βιβλία igitur ruunt, et ne quid desit dapis delicatioris, opsonii loco *decretum* aliquod sibi parant.

Quem iocum, olim ab interpretibus probe perspectum, qui aspernantur editores hodierni, de verborum lusu hic cogitari posse praefracte negantes [1]), velim explicent cur Athenienses οἱ ὀλιγόσιτοι „ad cibum potumque" [2]) diei initio potissimum iam se convertere dicantur, quidve insoliti aut ridiculi habere potuerit illud ἀκράτισμα sive ientaculum, aut cur „volandum" illuc fuerit — e cubiculo scilicet in triclinium.

Bene igitur hunc locum intelligere mihi videor, nisi quod versum 1288, quem levi vitio olim liberavit Cobet κατῇρον pro κατῄ(ι)ραν scribendo, alia praeterea corruptela laborare suspicor. Vix enim aptum est ἅμα nisi quid accedat, ut in versu vicino 1286. Quapropter malim:

καὶ ἐκεῖθεν ἂν κατῇρον εἰς τὰ βιβλία.

Illinc — e tribunali nimirum vel e concione — ad tabernas librarias ruebant.

Post iuvenem illum Nubilocuculiam visit Cinesias homo ventosissimus, nubes et inane illud cantu celebrans, ubi est patria poetarum dithyrambicorum. Exclamat autem, si credimus codicibus (vs. 1395 sq.):

---

1) „An ein Wortspiel mit νόμος ist nicht zu denken" Kock.
2) „Zum Essen und Trinken".

Digitized by Google

τὸν ἀλαδρόμον ἀλάμενος
ἅμ' ἀνέμων πνοαῖσι βαίην.

At nihil est ἀλαδρόμον, itaque hodie in editionibus regnat fere Godofredi Hermanni correctio: τὸν ἄλαδε δρόμον, quam suggesserunt verba scholii: „τὸν εἰς ἅλα δρόμον". In qua tamen parum placet vox δρόμος ieiune satis adhibita, nullo addito indicio unde appareat de quanam via quove mari sit sermo; egregie autem displicet ipsum illud maris visendi studium. Desperantium id esse solet, ut procellis abripi fluctibusque obrui cupiant: poeta hic cur littus appetat — non enim de *nostrae aetatis* aliquo vate lyrico sermo est — nulla apparet causa. Ea autem via quam instituit ad mare minime est perventurus, neque cupere se illuc pervenire ostendit verbis quae statim addit:

τοτὲ μὲν νοτίαν στείχων πρὸς ὀδόν,
τοτὲ δ' αὖ βορέᾳ σῶμα πελάζων,
ἀλίμενον αἰθέρος αὔλακα τέμνων,

moxque abiens „οὐ παύσομαι" ait „πρὶν ἂν πτερωθεὶς διαδράμω τὸν ἀέρα". Et id quidem aptissime, quoniam *sursum* semper tendit poetarum animus inquies et sublimia quaevis appetens. Aquilas, non mergos aemulantur vates; caeli convexa, non aestum maris visere cupiunt; Icarus ad solem appropinquans, non Icarus in fretum delapsus iis est exemplo. Itaque nostro homini id in votis est quod choro Euripideo (Iph. T. 1137 sq.):

λαμπρὸν ἱππόδρομον βαίην
ἔνθ' εὐάλιον ἔρχεται πῦρ.

Per *solis tramitem* festinare novus hic Phaethon gestit. Aristophanes dederat:

τὸν ἁλίου δρόμον ἁλάμενος
ἅμ' ἀνέμων πνοαῖσι βαίην.

Cum cetera iam bene quadrant tum parechesis ἅλίου — ἁλάμενος non oculis tantum sed etiam auribus percipitur.

Tertii qui urbem recens conditam cantans intrat sycophantae prima verba sunt (vs. 1410 sq.):

ὄρνιθες τίνες οἵδ' οὐδὲν ἔχοντες πτεροποίκιλοι;
τανυσίπτερε ποικίλα χελιδοῖ!

Quae vertere frustra conetur quispiam, — sive enclitice scribat

Digitized by Google

„τινες ...!" cum scholiasta et Dindorfio, sive interrogativum τίνες, quod verum esse me iudice testatur versus vicinus 1415: „ταννυσίπτερε ποικίλα μάλ' αὖθις!", haec enim sunt impatienter denuo clamantis, cum ad verba sua: „heus tu hirundo, quinam hic habitant?" responsum non acceperit. Vix tamen quicquam prodest Blaydesii coniectura ὧδε νέμοντες, nam parum venuste coeunt οἵδε et ὧδε, et nimis languidum est νέμοντες. Neque alienum hinc est *tenendi* sive *occupandi* verbum ἔχειν, quod praebent codices, modo aptum praemittatur obiectum; non enim *nihil* sed *caelum* vel *arcem caelestem* aves obtinent. Itaque ἀίρ' vel αἰθέρ' proponerem, si minus id esset dissimile litteris traditis, neque praeterea suspicionem moveret adiectivum inauditum πτεροποίκιλος pro ποικιλόπτερος. Melius tamen nihil invenio.

Vs. 1407 cavendum videtur ne spernatur et in oblivionem abeat id quod feliciter olim est inventum. Ubi Cinesiam poetam macilentum irridens Pisetaerus iubet Leotrophidi cuidam, qui item ob pallorem corporisque gracilitatem erat notus, docere chorum avium, Κεκροπίδα φυλήν. Quod tribus nomen cum festivi nihil habeat, acute olim sensit Palmerius, hunc locum ex iis esse ubi comicus nomen aliquod civibus bene cognitum in ridiculum detorsit; itaque Κεκροπίδα mutavit in Κερκωπίδα. „At simiae longas caudas trahentes ab avium regno alienae," sic Kock et alii. Non obloquor, neque in contrariam partem utar Hermippi loco, qui in „Κέρκωψιν" fabula ipsum illum Leotrophidem risit. Meliusne igitur placet Kockii coniectura Κρεκοπίδα? [1]) Minime; nam κρέκας aviculas cur hoc loco potissimum respiceret comicus non habebat, neque -ωπίς terminus satis commode sic explicatur. Verum vidit Palmerius me iudice, non tamen ad κέρκωπας *simias* referendum est ridiculum illud tribus nomen, sed ad κερκώπας *cicadas*, cui genti garrulae et perpetua ieiunia agenti iocose adscribuntur macilenti poeta et choregus. Sic in nostri Anagyro „πρὸς θεῶν" clamabat femina nescio quae, Phaedram illam imitata,

„πρὸς θεῶν, ἔραμαι τέττιγα φαγεῖν
καὶ κερκώπην θηρευσαμένη
καλάμῳ λεπτῷ,

1) Κρεκοπίδι φυλῇ mavult Blaydes.

Digitized by Google

calamo nimirum *viscato* cicadas optans captare [1]). Alia mulier apud Alexidem κερκώπης λαλιστέρα dicebatur [2]), et meretricis cuiusdam Κερκώπη fuit cognomen [3]).

Quod autem modo dixi, κρεκῶν avium mentionem a macilenti huius poetae irrisione esse alienam, id paulo pluribus videtur persequendum. Sunt igitur κρέκες, quas τοῖς βύγχεσιν τοὺς θεμελίους λίθους τοῦ τείχους τυκίσαι infra refert nuntius [4]), aves quaedam palustres, quibus rostra dura et praeacuta pro τύκοις sive σιδηρίοις λιθουργοῖς fuerunt. Nomen unde duxerint, otiosum est quaerere; nam quis hoc sibi sumat, ut animalium plantarumve nomina singula ad etymum aliquod referat. Minime certe dubium videtur quin inani sonorum similitudine decepti fuerint qui cum verbo κρέκειν cohaerere statuerunt [5]). Est κρέκειν *texere*, sed in poetarum dictione a *radio canoro* [6]), qui *stamina* percurrit, ad *citharae pectinem* argutum translatum *fidibus canere* significat [7]). Itaque πτεροῖς κρέκειν dicuntur *cycni musici* in nostrae fabulae cantico [8]), nec minus apposite *locusta* vel *cicada* ἐκ πτερύγων μέλος κρέκειν dicitur alibi [9]); dein — neglecta quae subest imagine — verbum de quovis, etiam de *tibiae* cantu adhiberi coeptum est, ut in coryphaei nostri ad hirundinem verbis:

ὦ καλλιβόαν κρέκουσ'
αὐλὸν φθέγμασιν ἠρινοῖς [10]).

Quacum locutione — audaciore sane — conferri potest φόρμιγξ vocabulum de avium voce dictum apud Euripidem [11]). Sed nihil haec omnia cum rauco clamore *ralli aquatici* — vel quaecunque avis κρέξ ab Aristophane dicitur — habent communia, neque ullum ex eiusmodi locis argumentum peti potest quo demonstretur Κρεκοπίδι τινὶ φυλῇ satis festive adscribi potuisse poetam lyricum τοῦ πονηροῦ κόμματος.

---

1) Aristoph. fr. 51, de quo loco vid. Zacher Herm. 1884 p. 432.
2) Alex. fr. 92. 3) Philetaer. fr. 9. 4) Vs. 1138.
5) „κρέκειν wohl zuerst vom Schrei des Hähers (κρέξ)" Kock.
6) κερκίδα ἀοιδόν et aliunde novimus et ex Ran. 1316.
7) Vid. Telestes apud Athen. 626*a*. 8) Vs 772.
9) In Anthologia sic saepius. 10) Vs. 682 sq. 11) Eur. Ion. 164 sq.

Digitized by Google

TACITEA.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

I.

Eduardus Wölfflin, cum per longam annorum seriem doctissimis ingeniosissimisque ad Tacitum annotationibus praeclare iam de nostra arte meritus esset, hoc ipso anno splendidam atque insperatam huic scriptori attulit lucem et sic ab iis, qui Tacitum legunt, incubonem quendam, quo nimis diu opprimebantur, fugavit demonstrando ..... Plutarchum in vitis Galbae et Othonis scribendis Tacito auctore usum [1]).

Rideat hic forsan Pulfennius ingens et „praeclarum, hercle," exclamet „inventum, tantisque laudibus dignum! Quasi vero quidquam nostra scire intersit uter utrum exscripserit. Quodsi vetustae illae chartae, id quod dubitamus, omnino dignae sunt quae legantur, res inde discamus et facta, cetera ne curemus! Contenti esse possunt et Tacitus et Plutarchus si nostra aetas legere eos dignatur."

At qui in hisce studiis vitae posuit tabernacula longe aliter se rem habere expertus novit. Quamdiu enim regnavit opinio, quam nunc denique refutavit Woelfflinius, incredibilem quandam rem pro vera accipere cogebamur, qua tandem aliquando nos liberatos satis gaudere non possumus. Et *regnavit* illa: propugnatores enim habuit viros summa praeditos auctoritate,

1) In „Sitzungsberichten der philos.-philol. und der histor. Classe der kgl. bayer. Academie der Wissenschaften 1901 Heft I."

Digitized by Google

quorum imperiosa decreta philologorum vulgus tanto affecerant terrore metuque ut hiscere auderet nemo. Quae res quomodo se habuerit paucis narrare iuvat.

Tacitus et Plutarchus in enarranda Galbae Othonisque historia permulta habent communia, non solum — id quod vix dicere opus — res factaque, sed etiam rerum narratarum dispositionem, orationis lumina, sententias et quid non? Hic si nobis licuisset sumere id quod sponte se offert — vitarum scriptorem ex historiis hausisse — incommodi nihil fuisset. At id ipsum severissima lege sumere vetabamur, quae gravissimas minabatur poenas: nisi stulti stolidique et in republica literarum hospites dici vellemus, persuasum nobis esse debebat *e communi* fonte hausisse ét historicum ét biographum.

Ita de Plutarchi quidem laudibus nihil demebatur: quamvis enim multa sumsisset ab alio, suus ei perstabat honor: quae alibi in continua aliqua historia invenerat ad Galbam et Othonem pertinentia, ea excerpta sic digesserat, sic adornaverat, sic proposuerat ut iustae evaderent Vitae, eleganter perscriptae: artifex ergo erat putandus qui honesto liberalique labore laudabiliter esset perfunctus.

At misero Tacito nihil restabat quod proprium haberet suumque. Aliunde erat mutuatus cum rebus verba, cum verbis elocutionem, cum elocutione lumina et ornamenta. Non artifex erat sed operarius, non scriptor sed librarius, non liber homo sed servus. Neque unquam, quamdiu scripsit, se vindicavit in libertatem. Non enim in Historiis solum occurrunt ea quae Tacito communia sunt cum Plutarcho, sed etiam in *ultima parte Annalium* eiusmodi aliquid invenitur [1]). Ergo ab eo inde tempore cum primum animum ad scribendum appulit, usque ad illud quo ingens suum absolvit opus describere poterat ... altius non sapiebat.

„Crede, non quidem *quia* absurdum sed *quamvis* tibi absurdum videatur" sic edicebant viri docti, penes quos summum imperium esse videbatur: „habemus enim id quod quemquam quidquam suo arbitratu vel facere vel opinari vetabit, habemus — o meliora tandem discere incipe quisquis tuo tibi standum iudicio

1) Ann. XV, 72 coll. cum Plut. Galb. c. 9.

Digitized by Google

putas — LEGEM!" Iam illo *legis* audito vocabulo quis non

μέγαν ὄκνον ἔχει καὶ πεφόβηται
Φήνης ὡς ὅμμα πελειάς?

Ergo ἔπτηξαν πάντες.

Nam hercle dura erat illa Nisseni lex cui parendum erat. „Apud antiquos si quis scribebat quod scriptum iam erat ab alio, nihil ille mutabat, sed quod invenerat, ita ut invenerat, in suum transferebat librum." Adversus sapientiam illam caelestem

Primus Gallus homo mortales tendere contra
Est oculos ausus primusque obsistere contra.

Anno enim 1895 Gaston Boissier ὁ πάνυ diario c. t. „Journal des Savants" p. 403 sqq. disputationem inserendam curavit inscriptam „les sources de Tacite", qua lepide salseque demonstravit eiusmodi legem, si „stricto sensu" sit accipienda, nunquam usquam valuisse, si liberius sit interpretanda, omnium fuisse populorum aetatumque omnium.

„Nunc demum redit animus" et quamquam primo tempore postquam hanc facem extulit Boissier, nondum in clara versabamur luce, tamen iam paulo melius quam antea singula discernimus, sensimque intelligimus quantum in lege Nisseni et in opinione illa de Tacito fideliter auctores exscribente ridiculi sit atque absurdi. Unum dabo exemplum, quo nihil ad significandum quid censeam aptius videatur.

Tacitus (H. I, 74) narrat aliquamdiu Othonem inter et Vitellium fuisse quoddam de pace componenda literarum commercium, quod tamen paci obfuit magis quam profuit, nam „mox" (ipsius haec Taciti verba sunt)

„mox quasi rixantes stupra ac flagitia invicem obiectavere, neuter falso."

Neuter falso. Nonne mordax hoc dictum, nonne acre et acerbum, nonne denique vere Taciteum? „Nolite credere" lictores monent Nisseniani „nolite hic vel Taciti vel cuiusquam „liberum" agnoscere „arbitrium". Nam sic se res habet. Apud Plutarchum hoc de eadem re legitur iudicium:

οὐ ψευδῶς μέν, γελοίως δὲ καὶ ἀνοήτως θατέρου τὸν ἕτερον ἃ προσῆν ἀμφοτέροις ὀνείδη λοιδορουῦντος.

Ergo in communi fonte fuit quaedam orationis ubertas, quam

Digitized by Google

Plutarchus reliquit intactam, at Tacitus vocabulorum maiorem omisit partem et sic brevis illa nata est sententiola, quam vos nunc tamquam vere Taciteam stulte miramini: non enim, quoniam sic Tacitus voluit nata ea est, sed quia lex iubebat, quam post multa saecula Nissenius certa erat concepturus formula. Aut, si hoc mavultis, imprudens neque quidquam inde expectans laudis, eam ita Tacitus enuntiavit."

Boissier autem, quamquam ne ipse quidem quidquam pro certo affirmare ausus est — sic enim fere venustissimam suam doctissimamque concludit disputationem: „quaestio de Taciti fontibus neque soluta est neque, ut opinor, solvetur unquam" — tamen primus fuit, qui doceret homines ad quas absurditates detruderet lex illa cives nimis modestos. Illo enim auctore iam confidenter hoc declarare audemus: sit ceteroquin qualiscunque Tacitus, sit in inquirendo diligens vel incautus, in enarrando iustus vel cupidus, at habet ingenium proprium suumque, propriamque eius indolem refert oratio. Postquam vero exstitit Woelfflinius, qui egregio ingenii acumine hanc perscrutatus est quaestionem, omnia illa volumina, quae longis locorum parallelorum tabulis Tacito adimere student quidquid illum maxime a ceterorum scriptorum distinguit coetu, volumina illa composita a viris qui, ut ipsius Woelfflinii utar dicto aureo, „tam densa se circumdant doctrinae nube ut persequi eos possit nemo" [1]), illa, inquam, omnia eleganter, si ita videtur, ab opifice exornata tamquam scriniorum nostrorum decora seponimus, nunquam posthac inde exitura.

Exsequias Chremeti quibus est commodum ire, hem, tempus est.

II.

Ad rem quam felicissimo acumine perspexit demonstrandam uno tantum Woelfflinius hoc utitur argumento:

---

1) Stösst man in der Erklärung der erhaltenen Literatur auf Schwierigkeiten (und wo wäre diess nicht der Fall?), so vermeint man dieselben zu heben, indem man statt der bestimmten Zahlenwerthe zu x. y. z flüchtet, und man rechnet diess zur wissenschaftlichen Forschung, sobald man wegen des Dunkels nicht mehr verfolgt werden kann.

Digitized by Google

Plutarchus latine nescit, et si in vitis Galbae Othonisque aliquid perverse, stulte, ridicule narrat, facillimum est Taciti vocabula indicare quae in errorem eum induxerunt.

Sed exemplorum quibus hoc argumentum illustret magna Woelfflinio in promptu est copia. Sunt disertissima omnia; duo tamen eorum maximam mihi habere videntur persuadendi vim. Quae illa sint dicam:

Otho, a coniuratis suis vocatus ut se cum illis in castra conferat praetoria, hoc utitur mendacio quo subitum suum e Palatio defendat discessum. Rogatus a Galba cur abeat respondet a se *emi* aedes vetustate suspectas, nunc se ab *architecto redemptoribusque* exspectari (v. Tac. H. I, 27).

Res est quam maxime perspicua et e vita sumpta. Si aedes nostrae aliquod gravius ceperunt detrimentum, architectum arcessimus; is quomodo sarciri possint debeantque demonstrat. Tum autem aut solus rem totam suo periculo in se suscipit aut opus locat, redimitque illud plerumque vel faber lignarius vel lapidum structor, sed prius cum aliis loquitur fabris ne in statuendo pretio graviter erret. A nostra autem consuetudine res quam Otho fingit leviter tantum discrepat: hic enim singuli fabri quanto sua pars constet declarant.

Quid vero Plutarchus? Othonem simulasse dicit aedes vetustate suspectas a se *emptas*, nunc sibi cum *architectis* deliberandum ut earum vitia monstrare possit *venditoribus*.

Potestne quidquam stultius excogitari? Suaviter, hercle, rideat si quis in praedio vendendo emptorem emunxerit cum ille *postea* sibi demonstret quae sint eius vitia. At quod apud Tacitum Otho simulat, revera unusquisque paterfamilias cautus prudensque facere solet: quanti emere velit non prius declarat quam a peritis hominibus cognoverit quae sibi sit in reficiendo impensa facienda.

Et unde natus est immanis ille Plutarchi error? Res est incredibilis et tamen vera: non solum quid interesset inter *redemptorem* et *emptorem* nesciebat, sed etiam *emendi vendendique* verba Latina inter se confudit.

Nescio tamen an hoc exemplo, quamvis evidens sit et manifestum, alterum, quod iam sum prolaturus, in clariore etiam totam rem ponat luce. In eo autem idoneam, ut ego censeo, ob causam paulo diutius subsistam.

Digitized by Google

Quondam, dum Otho cum amicis, lautis senatoribus, epulabatur, gravis ortus est *praetorianorum* tumultus, cuius haec causa erat: cohortem quandam Otho Ostia arcessiverat eiusque armandae curam Crispino *tribuno praetorianorum* mandat. Is omnis vitandae morae causa, nocte negotium exsequitur: otio enim et spatio opus ei est. At vix aperto armamentario conspicitur ab uno alteroque milite, qui ebrii in principiis discurrunt: hi ceteros convocant, quorum alii armis visis caedis pugnaeque fiunt avidi, alii proditionem odorantur, fit rumor adversus Othonem armari senatorum familias: equi conscenduntur, ad Palatium advolatur. Senatores, qui etiam apud Othonem discumbunt, vix saevitiam militum effugiunt. Postridie Otho in *castra* venit *praetoria* et *praetorianos* male de ipso sollicitos oratione mitigat (res legitur apud Tac. Hist. I, 80 sqq.).

Quis hisce auditis non intelligit nullas in hoc tumultu fuisse *Ostiensis* cohortis partes? Illa utrum eo tempore Ostiae fuerit etiam an in aliquo urbis loco vel prope urbem sit deversata non docemur, neque ad hanc quidem narrationem intelligendam quidquam nostra scire interest. In *castris praetoriis* oriuntur turbae istae, a *castris praetoriis*, quae sunt *ad urbem*, Palatium petunt *praetoriani*. Et ne quis miretur hoc illos spatium *equis* emensos, inspiciat Taciti c. 40 eiusdem libri, ubi de praetorianis haec narrantur:

Othoni armari plebem nuntiabatur. Ire praecipites et occupare pericula iubet. Igitur milites Romani, quasi Vologaesum aut Pacorum avito Arsacidarum solio depulsuri, ac non imperatorem suum inermem et senem trucidare pergerent, disiecta plebe, proculcato senatu truces armis, rapidi equis forum inrumpunt [1]).

At Plutarchus *Ostia* tumultuantes illos advolasse milites tradit, qui error quantopere totam perturbet narrationem quivis coniicere potest. At quomodo natus ille est? Scilicet apud Tacitum legens *urbem ac Palatium petunt* non intellexit Plutarchus hoc dicere auctorem suum: „interiorem petunt urbis partem atque eam ubi Palatium est" et sic ea vocabula vertit Graece: ἤλαυνον εἰς τὴν Ῥώμην atque Crispinum *Ostiae* vehicula armis onerantem facit [2]).

---

1) Cf. Suet. Galba 19: equites quibus mandata caedes erat.

2) Suetonius O. 8 rectissime in narratione de hoc tumultu Ostiensium militum

Digitized by Google

Paulisper me in hoc loco subsistere velle dicebam: ipsi mihi quid in eo legendo tractandoque acciderit narrabo; eiusmodi enim illud est ut Woelfflinianum inventum corroboret; certe non indignum videtur quod cum Mnemosynen legentibus communicem. Fortasse ne ipsi quidem Woelfflinio, praestantissimo viro, cognitu ingratum erit.

Probe memini et, nisi meminissem, ipsum exemplar Taciti, quo iam Gymnasii Amstelodamensis discipulus usus sum, mihi multis signis interrogativis rem in mentem revocare posset, me cum primum sedulo operam Tacito dare inciperem in hoc ipso loco diutius haerere. Videbar mihi de seditione quadam cohortis cuiusdam Ostiensis legere, deinde ob intempestivam plenamque periculi de imperatore suo sollicitudinem obiurgari reprehendique ab Othone videbam — praetorianos. Neque tamen Ostienses illos missos facere poteram; legebam enim de militibus *urbem* petentibus: *aliunde* ergo illi venerant. Et quoniam *Ostiae* in prima narratione erat facta mentio *Ostia* illos accurrisse mihi constabat. Denique in eodem errore versabar in quo haesisse Plutarchum nunc scimus omnes. Sed quoniam intelligebam sic ceterae narrationis neutiquam constare rationem, iterum iterumque mecum totum locum volvebam, donec tandem aliquando quid Tacitus suo *urbem ac Palatium* sibi voluisset intelligebam.

Multi transierunt anni mihique Professori Academico cum commilitonibus meis Tacitus legendus erat. Vesperi tunc certis diebus domum meam conveniebant literarum candidati, iuvenes satis docti et subacti iudicii, ut suaviter confabulantes in Tacito enucleando mutuam traderemus operam. Ad nostrum autem locum cum pervenissemus quid videbam? Eodem omnes teneri errore qui mihi olim tot tantaque exhibuisset negotia! Ego vero admodum mihi placebam, qui tribus verbis *urbem ac Palatium* recte vertendis nebulam illam dissipare possem. Hic plerique tam efficaci statim manus dabant scientiae, at unus et alter pertinacior erat: Plutarchum contulerat, ita ut in tenaci haereret coeno, unde plantam evellere non auderet. Ego vero, cui Plu-

---

mentionem facit nullam. De consilio arma illa e praetorio petendi quae narrat paulo sunt obscuriora; sed *cur* e praetorio sint petita nunc non curamus, dummodo *inde* petita constet.

Digitized by Google

tarchi opponeretur auctoritas, diu — infitiari nolo — tacui: quid enim facerem? Tandem tamen, re accuratius pensitata, exclamavi: Tacitum ergo vertit Plutarchus et prave vertit .... ergoque falsissimum esse luculenter apparet quod viri docti de Tacito Plutarchoque e communi fonte haurientibus sunt commenti.

Admodum invento meo gaudebam, quantique illud esset momenti probe intelligebam. Nolebam tamen iam tunc in medium proferre. Iacet enim in scriniis meis spissum annotationum ad Tacitum volumen, accurate digestarum nitideque perscriptarum: illas et privata lectio et illa cum commilitonibus colloquia mihi suppeditarunt; quotidie fere novi aliquid accedit aut quod olim scriptum est vel emendatur vel novo stabilitur argumento. Diuque — nam diu est ex quo omnia ista mandare chartis coepi — spes me tenuit aliquando me inde aliquid esse compositurum quod unum esset totumque, iamque Analecta Tacitea Analectis Xenophonteis socia dabam. Sed illud *aliquando* longe etiam remotum videbatur. Hic me diaria philologica certiorem faciebant de Woelfflinii in Academia Monacensi oratione habita. Emo libellum et legere incipio: iam tribus paginis perlectis certissima esse multa quae vir summus afferat intelligo, nondum tamen quidquam video quod tantam habeat persuadendi vim, quantum unum illud argumentum quod ego a commilitonibus meis coactus inveneram. Pergo igitur idque corde micante; spero enim — cur hoc reticeam? — de Othonis praetorianis imperatoris sui causa tumultuantibus fore silentium, iamque mihi laetus promitto hoc me exemplum Woelfflinio suppeditaturum .... nihil enim iucundius mihi est quam pro virili parte efficere ut appareat factum non esse quod fieri non potuit. At mox mihi gaudium illud, quod animo iam praeceperam, eripitur; pagina enim 40 totam rem accurate docteque expositam video.

Ecquid doluisse me putas? Paulisper, fateor. Mox tamen dolor ille cessit laetitiae multo vividiori. Nonne enim iucundus cum tanto viro consensus? Et quid attinet quis primus invenerit aliquid, dummodo sit verum et aliquam habeat utilitatem? Atque hoc pridem, necdum cognita Woelfflinii disputatione, a me inventum licet pauci sciant, at fideli servant memoria. Mihi

Digitized by Google

vero non mediocriter inde crescit fiducia; sic enim credere incipio non plane frustra me antiquis dare operam scriptoribus.

Ad Tacitum quod pertinet, iucunda illa et honorifica *συνέμπτωσις* me impulit ut investigarem essentne praeterea in lucubrationibus meis Taciteis nonnulla quae iam nunc in medio proponenda viderentur; idque tum praesertim facere decrevi, si quaedam ibi invenirem quae aut Woelfflinianum inventum confirmarent, aut illustrarent aut denique cum eo aliquo modo cohaererent. Nec diu quaesivi: mox enim nonnulla excerpseram quae eiusmodi viderentur, atque — id quod pluris etiam mihi erat — ita possent componi ut non quidem absolutum existeret opus — illud autem quis hac aetate possit sperare? — sed tamen aliquid quod, qualecunque esset, tamen in se esset teres atque rotundum. Quomodo mihi ea res cesserit peritus atque aequus videat censor.

III.

Initium faciam a duobus locis, qui haud dubie quam arctissime cohaerent cum sententia a Woelfflinio tam luculenter defensa. Utrobique enim de se historiarum scriptore loquitur Tacitus, estque alter eiusmodi ut — dummodo integrum eum vindicemus ab inutili quodam emendandi conamine — egregie nos doceat Tacitum non minus bene quam aequales nostros sensisse quod esset boni historici officium [1]), altero semet ipsum indicat et vitium quoddam profitetur quod legentes identidem in utroque opere maiore — sed saepius tamen in Annalibus — agnoscimus.

A. Ann. XIII, 20. Postquam narravit Neronem, vehementer exterritum rebus quae sibi de matre et Rubellio a Paride nuntiarentur, non solum de illis perdendis cogitasse sed etiam de Burro praefectura demovendo, ut qui matris esset gratia provectus, sic pergit:

Fabius Rusticus auctor est scriptos esse ad Caecinam Tuscum codicillos, mandata ei praetoriarum cohortium cura, sed ope

---

1) De omnibus antiquis historiae scriptoribus valere idem neque quemquam eorum errare *voluisse* optime demonstrat Boissier l.l.

Digitized by Google

Senecae dignationem Burro retentam: Plinius et Cluvius nihil dubitatum de fide praefecti referunt ..... *Nos consensum auctorum secuturi, quae diversa prodiderint sub nominibus ipsorum trademus.* Ante *auctorum* Nipperdeius inserendum statuit *horum*, eamque coniecturam non tamquam incertam in calce paginae commemoravit sed tamquam nulli dubitationi obnoxiam in textum recepit. Est autem non solum temeraria et audax sed falsissima. Bene enim demonstravit Furneaux participio *secuturi* non solum *futurum* tempus indicari sed *et* praeteritum *et* futurum contineri, sic fere: „quemadmodum hactenus sum secutus ita posthac sequar." Nam si *inde ab hoc loco* se Fabium, Plinium, Cluvium secuturum Tacitus declarasset, id ei *accuratius* erat significandum. Tum fac eum de futuro tantum cogitare tempore: magna ergo gravitate pronuntiat se in posterum facturum *semper,* id quod revera *rarissime* fecit. Qui enim hic auctores nominantur tamquam *identidem* afferendi, illorum nomina in sequenti Annalium parte recurrunt ... singulorum semel. Quomodo historia sibi scribenda videatur Tacitus hic breviter exponit, quaenam studia illud postulet opus et quasnam investigationes. Et de illa re fere idem statuit illud quod etiam hodiernis historicis est persuasum [1]), quamquam illi, in tanta materiae copia, multo accuratiores esse diligentioresque et possunt et debent.

Consulendi conferendique sunt auctores, idque quam plurimi. Si de eadem re omnes tradunt idem, confidenter eos sequi potest et idem narrare qui denuo idem tractat tempus: tum autem nominare illos plane supervacuum est, omnes enim communem quandam efficiunt opinionem, de qua neque antea dubitavit quisquam neque nunc est cur nos dubitemus. Contra si alii auctores alia produnt, novus scriptor non potest quidquam pro certo affirmare sed nominat singulos ita ut illorum periculo fiat narratio.

Nos severiores quidem sumus adversus historicum, plus ei imponimus oneris, ipsum nihil non tamquam in trutina examinare iubemus, sed quin omnino bene perspexerit Tacitus quid esset historiam scribere, dubitare iniquum sit.

---

1) Hic quoque Boissier ll. conferatur.

292784 Digitized by Google

B. Ann. III, 3. Cineres Germanici cum Romam afferrentur communem fuisse civium, magistratuum, senatorum luctum praeclare Tacitus exponit, in tantaque omnium mortalium tristitia vulgi fuisse conversos oculos ad Germanici uxorem liberosque, ad Claudium defuncti fratrem germanum, ad Drusum fratrem adoptivum, quorum dolor fletusque erat conspicuus. In eodem capite et haec leguntur:

Matrem Antoniam non apud scriptores rerum, non diurna actorum scriptura reperio ullo insigni officio functam.

Dicebam Tacitum, omnesque bonos historicos antiquos, idem *fere* spectasse quod hodiernos, eodem tetendisse, eidem rei dedisse operam. Ut quid olim gestum sit quam accuratissime doceantur, quam optime perspiciant posteri, hoc sibi habent propositum utrique. At hic agnoscimus aliquid quod antiquis historicis quam maxime cordi sit, cum hodierni multo rectius sentiunt illud a se sine ullo operis sui detrimento omitti negligique posse. Historicus hodiernus, si pure terse perspicue scribit, si res apte disponit, si oratio rebus quas narrat est accommodata, nihil, quod quidem ad externam libri speciem pertinet, ultra quaerit: iure; et potest sic quoque tamquam artifex laudari. At antiquus historicus — et de nullo magis illud valet quam de Tacito ipso — eodem modo legentes afficere studet, quo qui nunc fictam narrat fabulam, quam Romanensem vocamus; cum tragici arte illius apte potest conferri studium. Et quemadmodum in quavis tragoedia certae sunt personae, quibus partes quaedam sunt mandandae, et in fabula Romanensi certi quidam rerum gestarum nexus, nexuumque illorum solutiones, quibus aegre careat qui illam pervolvit, sic antiquus Historicus omnes notos habet loculos unde petat ea quibus legentes delectet vel terrorem iis incutiat, vel moveat misericordiam. Nunc si cui in historiae suae aliqua parte de funere hominis vehementer defleti atque desiderati est agendum, parum, ut opinor, curat quid singuli eius cognati affinesque fecerint dixerintque, et ne matris quidem quae fuerint lamenta questusque anxie in fontibus suis quaeret; si nihil eiusmodi invenerit sine ullo libri periculo de illis taceri posse ei erit persuasum. At Tacitus aequales suos posterosque commovendos esse censet, idque, si fieri potest, vehementer; non ergo libenter hic aliquam lacri-

Digitized by Google

marum querimoniarumque facit iacturam; de Germanici matre sibi esse tacendum cum magno agnoscit dolore.

Atque haec quidem inter novos veteresque historicos discrepantia non statim his vitio danda est; at parit vitia eaque saepe admodum gravia. Qui enim quocunque modo legentium animos commovere studet, is saepe aequo paratior est ad rem aliquam, quae huic proposito inserviat, arripiendam. Praesertim cum aliquid invenit quod sit dirum, horrendum, nefarium, id quantocius in usum suum convertit, haud inquirens sitne verisimile et traditumne sit a bono auctore. Tacitum certe haud semel atrocia ita narrantem deprehendimus ut non difficile sit demonstrare cur illa vel omnino fieri non potuerint vel certe non sic ut tradidit historicus. Non est aliud exemplum insignius, quam quod Ann. L. XIV cc. 3 sqq. invenitur, ubi Tacitus, quibus modis matrem occidere conatus sit Nero, narrat.

Primum audimus de nave ita composita ut pars eius sponte solvi posset; ita in mare Agrippina decideret. Novum consilium sed minime incredibile: mentiri enim Nero poterat navem in scopulum aliquem latentem incidisse et sic mersam esse [1]). Praeterea ad eam rem *non plus uno* erat opus conscio. Unam tantum haec narratio molestiam habet, sed hanc prae ceteris multo gravioribus quas praebent sequentia negligere licet, nempe quod Nero plane oblitus fingitur quam fuerit natandi perita mater.

At accedit huic machinae camera eodem structa modo, quo instrumenta quibus nunc ad talpas capiendas utuntur agricolae.

Ubi neuter dolus succedit, remiges „in latus inclinare atque ita navem submergere" conantur. Quaeso, hic conatus si eventum habuisset, quid ipsis esset factum remigibus? Sed illis non est „in rem subitam consensus" et „alii" (quinam sunt illi qui nunc remigibus *opponuntur*?) contra tendunt. Sic Agrippina Acerroniaque leniori casu in mare decidunt. Haec, quae se Agrippinam esse simulat, omnibus, quae fors obtulerat, telis conficitur. Ergo *conscii sunt fere omnes*, quos navis illa vehit. Quid vero si ipsam Agrippinam sic nautae interfecissent, non,

---

1) Hoc, etiam si mare fuisset *placidissimum* poterat fingi; quod cur neget Furneaux haudquaquam intelligo.

Digitized by Google

errore ducti, Acerroniam, eiusque corpus postea esset inventum, plenum vulnerum? Num *casu* eam periisse Nero simulare potuisset? Et si omnes, aut tantum non omnes, quos navis illa vehebat, conscii erant, quorsum omnes illae machinae tanto artificio compositae? Sed nolo diutius haerere in hoc loco, cuius quae essent molestiae dudum demonstravit vir acutus, sed qui praeterea saepe ingenio est abusus. In editionibus tamen Taciti nihil ex hoc genere annotari est quod miremur.

Nullum est dirorum facinorum genus, de quo in Annalibus frequentius narret Tacitus quam de veneficiis: sic voluit tempus, de quo agit, sic ipsius indoles atque natura. Sed cognitis iis, quae modo exposuimus, nemo, ut opinor, mirabitur omnia illa veneficorum scelera, quae apud Tacitum paulo fusius describantur, ita narrari ut sic ea esse commissa credere non possimus. Et revera omnes Taciteae narrationes, quae huc pertinent, aliquid habent quod non concoquamus. Aut obscurae sunt aut eiusmodi, ut nostris nobis opus sit verbis ad demonstrandum non solum quid narret Tacitus, sed etiam quid revera factum sit, quod ab illo, dum commovendi nimis indulget studio, corruptum sit atque detortum.

Initium faciam ab eo veneficio quo de medio sublatus est Claudius. Hic quoque locus tractari recte non potest nisi removemus vitium, quod pravum emendandi studium ultro invexit. Legitur locus Ann. XII. 67:

(scriptores temporum illorum prodiderunt) infusum delectabili cibo [1]) venenum, nec vim medicaminis statim intellectam socordiane an Claudii [2]) vinolentia; simul soluta alvus subvenisse videbatur. Igitur exterrita Agrippina, et quando ultima timebantur, spreta praesentium invidia, provisam iam sibi Xenocratis medici conscientiam adhibet. Ille, tamquam nisus evomentis adiuvaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus eius demisisse creditur e. q. s.

Admodum intricata est narratio; videor tamen mihi re iterum iterumque explorata tandem perspexisse, si non quid Tacitus

---

boleto

1) Sic ego legere malim quam *boleto*. In codice est *ci boleto*, haud dubie natum e: *cibo*.

2) In codice est *socordiane an Claudii vi an vinolentia*. Ego tantummodo dittographia *vi an* tollo, non utor transpositione: *socordiane Claudii an vinolentia*.

Digitized by Google

doceat, at certe quid consilii ab Agrippina sit initum. Primum *lenti* veneni factum est periculum, sed ita lenti ut vis eius *statim* (i. e. in ipsa coena) posset *intellegi* (novicio vocabulo *constateeren* illud verbum est vertendum. Sperabat nempe Agrippina eiusque minister consopitum iri illo veneno Claudium, vel collapsurum esse; quo facto in cubiculum perferendus esset ille, ubi exspiraret neque dolo ab aliis intellecto neque facultate Claudio data ad amorem filii redeundi. Praeterea sic vitabatur *invidia praesentium*, quam Agrippina, cum res aliter cecidisset, spernebat. At quid fit? Sperata illa vis *non intelligitur*, sive quod *convivae*, qui Agrippinae consilii inscii erant, *socordes* sunt et nihil vident, sive quod putant *Claudium* de more *ebrium factum esse*. Alioquin exclamassent: „en, quid imperatori evenit?" Agrippina autem ministerque, cum nil tale exclamari audirent, frustra fuisse consilium suum putabant, cum praesertim eodem tempore Claudio soluta esset alvus, ita ut admodum esset verisimile veneno eum liberatum. Tunc ad rapidum confugiunt venenum.

Videamus nunc quae de veneno narrentur quod Britannico datum sit L. XIII, c. 15:

Nero lenti sceleris impatiens minitari tribuno, iubere supplicium veneficae, quod, dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitatem morarentur. Promittentibus dein tam praecipitem necem, quam si ferro urgeretur, cubiculum Caesaris iuxta decoquitur virus cognitis antea venenis rapidum.

Septem sunt anni ex quo *rapidius* legendum esse dixi (Mnem. A. 1894 p. 358), neque nunc me emendationis illius poenitet. Quid enim? Permiscenturne inter se *multa* venena? At si quod illorum *rapidissimum* est *merum* datur, multo illud erit efficacius. An chimica utitur ratione Locusta et *extractum* quoddam facit? At hoc quoque ex *uno* veneno et melius et facilius fieri poterat. Nunc vero *cognita antea venena* adhibet, hoc est, nisi verbis vim facere volumus, *omnia* quae hactenus innotuerant. Quod mihi quidem nimis videtur absurdum. Ergo nunquam hoc mihi eripietur illud *cognitis antea venenis* suum sibi flagitare *comparativum* unde pendeat. Nolo tamen nimis pertinaciter pro mea pugnare emendatione, quia etiam lectio tradita exemplum mihi praebet rei, quam nunc demonstro, non minus idoneum. Doc-

Digitized by Google

tissimus enim Andresenus, cuius studia Tacitea iure magni facimus omnes [1]), hoc me refutare argumento conatus est, quod mea recepta emendatione de *novo* sit cogitandum veneno, quod *prius* fuerit inveniendum quam ad facinus transiretur. Sed idem illud erit sumendum, si vulgatam sequimur lectionem. Quid enim? Si nil nisi *permiscentur* venena quaedam, nascitur aliquid quod *minus* sit efficax quam eorum illud quod sit omnium rapidissimum, fortasse aliquid quod plane sit innocuum. Sive herbas aliquas novas adhibet Locusta, sive venena pridem nota, *novi* aliquid ei est quaerendum inveniendumque. Ergo sive *rapidum* legimus, sive *rapidius*, cogitandum nobis est de aliquo *laboratorio toxologico* quod iuxta Caesaris cubiculum fuerit instructum. Incredibilem rem esse hanc lubenter Andreseno concedo. Sed, ut dicebam, veneficia, de quibus narrat Tacitus, plerumque incredibile habent aliquid, quod nostri loci non minus bene docet vulgata quam emendata lectio.

Nunc de Martina venefica quae narrantur A. III, 7 videamus. Frustra me ex illo labyrintho quaesisse exitum praemoneo. „Erecti" ait Tacitus „erant omnium animi petendae e Pisone" (qui Germanicum veneno necasse dicebatur) „ultionis et creber erat questus:

quod vagus interim (Piso) per amoena Asiae atque Achaiae adroganti et subdola mora scelerum probationes subverteret. Nam vulgatum erat missam, ut dixi, a Cn. Sentio (qui Syriae praeerat, Pisonis successor, cf. II 74) famosam veneficiis Martinam subita morte Brundisii exstinctam, venenumque nodo crinium eius occultatum, nec ulla in corpore signa sumpti exitii reperta."

Quae quid tandem sibi volunt? Argumentum loci huc fere redire statuit Nipperdeius: „Martina, quamquam dubium non erat quin venenum sumpsisset (hoc enim eam semper occultatum secum habuisse modo erat cognitum) tamen eiusmodi necis nulla habebat in corpore signa aperta; habuerat ergo venenum

1) Igitur miror equidem non ambabus eum manibus arripuisse felix Woelfflinii inventum (v. Wochenschr. f. klass. Phil. p. 431 sqq); non miror intellexisse virum perspicacem quam molesti essent πωλητᾶι illi Plutarchei, quam invicti arcis Woelfflinianae propugnatores. De Plutarcheo εἰς Ῥώμην in narratione de tumultuantibus praetorianis (v. p. 95 sqq.) cur altum sit in Andreseni censura silentium scire pervelim.

Digitized by Google

eiusmodi ut qui eo necatus esset nulla veneni proderet signa; atqui Germanici quoque corpus *praetuleritne veneficii signa, parum constitit* (II, 73), quod fere idem est ac si *nulla* inventa signa fateretur Tacitus: ergo ab illa Germanico paratum esse venenum perquam erat verisimile."

Audio, sed quid hisce cum praecedentibus? Quemadmodum enim coniunctio *nam* docet, de Martina narrando Tacitus praecedentium illorum *rationem reddidit.* Praecedit autem questus vulgi quod Piso, dum interim se oblectet Achaiam Asiamque peragrando, *scelerum subvertat probationes*, quorum verborum haud dubie hic sensus est ut Piso dicatur de medio tollere quidquid indicio esse possit necatum a se Germanicum. Est eius mora *arrogans*, quia tam diri facinoris suspectus in amoenissimis terrarum locis superbe lauteque vivit; est *subdola* quia, dum praeter voluptates suas nil curare videtur, in Italia per ministros securitatis suae causa scelera perpetranda curat. Haec omnia eo nos ducunt ut hoc dici credamus: „illorum ministrorum et Martina victima fuisse vulgo videbatur." At nunc quid sibi vult venenum illud nodo crinium occultatum, quid frustra quaesita sumpti exitii signa? An putabat populus Pisonis ministros ad Martinam tollendam illo ipso usos veneno, quod tam bene celaverat illa? Quomodo eo potiti sunt? Denique ipse Tacitus quid velit nescire videtur, ergo temere proferre rumores hic illic inventos.

IV.

Nunc unum alterumque locum indicabo, ubi hactenus unum vocabulum non satis accurate acceptum videatur, quo factum sit ut tota loci interpretatio vitium conciperet.

Hic mihi disputationis meae initium praebet Fr. Pollius, qui suavissimo doctissimoque libello quae sint vulgi de linguae ratione opiniones [1]) docet. Is enim ibi inter se confert Herodoti locum L. VIII, c. 140 et Demosthenis p. 68, atque de illis sic disputat:

---

1) Fr. Polle, Wie denkt das Volk über die Sprache?

Digitized by Google

Herodoto auctore Alexander Macedo Mardonii verbis Atheniensibus tantum non auri montes pollicetur dummodo communem Graeciae causam omittant regisque Persarum fiant socii.

At Demosthenes haec habet:

εὑρίσκει γὰρ (Philippus) *τοὺς μὲν ὑμετέρους προγόνους, ἐξὸν αὐτοῖς τῶν λοιπῶν ἄρχειν Ἑλλήνων ὥστ' αὐτοὺς ὑπακούειν βασιλεῖ, οὐ μόνον οὐκ ἀνασχομένους τὸν λόγον τοῦτον, ἡνίκ' ἦλθεν Ἀλέξανδρος ὁ τούτων* (L. *τούτου*) *πρόγονος περὶ τούτων κήρυξ κτἑ.*

„Traditum est ab historico" Pollius ait „petivisse ab Atheniensibus Alexandrum ut regis fierent *socii liberi*; at Demosthenes finxit aquam terramque postulasse eum et *plenam perfectamque deditionem*. Revera, si logices habemus rationem, sic ipse Demosthenes vim argumenti sui infirmat, nam quo *minus odiosum* fuerit antiqui illius Macedonis postulatum, quod tamen proavi Demosthenis tam aegre tulerint, eo *gravior* fit causa cur hodierni Athenienses hodierno regi Macedonum irasci debeant amicitiam eorum petenti. At logicam artem neque ipse curat Demosthenes neque curaturum putat populum quem alloquitur. Ut enim est callidus usuque doctus animorum popularium iudex, novit se eo quo tendat, nempe ut Athenienses in Philippum incendat, optime perventurum, si quam plurima colligat vocabula irae in Macedones movendae apta."

Equidem, ne quid dissimulem, Pollium Demosthenis locum leviter detorsisse puto quo suo fieret proposito aptior, sed facile hoc ferimus, quoniam sic revera illi aptissimus factus est, et quoniam ipsa res, quam Pollius docet, est verissima. In quotidiano sermone, si ii quos alloquimur aliquo modo sunt afficiendi, saepe quam plurima vocabula coacervamus, quae illi affectui sunt cognata, immemores sic nos saepe demonstrationis nostrae vim debilitare. Dabo exemplum ex ipsa vita sumptum, quod egregie popularem illum errorem (nam error vocandus est si logices habemus rationem) illustrare videatur. Nos si dicere volumus hominem aliquem lenissimum esse mitissimumque, saepe sic de eo loquimur: „ne puerum quidem laeserit ille" vel „ne gallinae quidem nocuerit" vel „ne muscam quidem occiderit." Revera extremam clementiam lenitatemque his verbis *non* describimus. Potest esse aliquis admodum crudelis et tamen non eadem qua Domitianus re delectari; potest esse durus neque

Digitized by Google

tamen unquam gallinas lapidibus persequi; canem saepe mordacem laudari audimus, apud quem tamen infantes tuti sint. Sed, ita loquentes, plenos esse audientium animos cupimus lenitatis clementiaeque imaginis, igitur de puero loquimur imbecillo, de gallina, omnium animalium innocua maxime, de musca minimi corporis; neque quisquam unquam tam fuit logicae dicto audiens, ut vulgari locutione omissa „ne *tigridi* quidem nocuerit" vel „ne *serpentem* quidem occiderit" diceret.

Tam autem ipsi naturae hominis innatum est illud vitium, tamque facilem habet excusationem, ut minime mirum sit etiam in cultissimorum scriptorum libris exempla eius inveniri. De exemplo a Pollio e Demosthene prolato iam dixi, et omnino rara esse opinor quae nulli sint obnoxia dubitationi. Apud Tacitum tamen duo mihi deprehendisse videor: de altero — atque illud prius proferam — certa mihi stat sententia, de altero suspicor tantum.

H. I. 33. Discessit a Galba Otho seque ad praetorianos contulit. In Palatio fit certamen opinionum. Alii exspectandum esse censent firmandumque Palatium, sponte emoriturum adversariorum impetum rati. Alii contra morae sunt impatientes Galbamque ad fortia incitant consilia. Haec ipsius Taciti verba sunt:

Festinandum ceteris videbatur, antequam cresceret invalida adhuc coniuratio paucorum. Trepidaturum etiam Othonem, qui furtim digressus, ad ignaros inlatus, cunctatione nunc et segnitia terentium tempus imitari principem discat.

„Dum nos tempus terimus," aiunt „Otho imitari principem discit." At si nihil ultra Othoni acquiritur, quam quod interea *imitari* tantummodo principem discit, non admodum magnum mora affert periculum. Tum demum festinandum esset, si metueretur ne per aliquod temporis intervallum bonus imperator et peritus copiarum suarum dux Otho fieret. Et revera illud metuunt qui cum Galba quamprimum obviam ire Othonis conatibus gestiunt, et secum sic loquuntur: „nunc neque Otho milites novit neque illi Othonem, nunc quid agat nescit etiam; at si aliquamdiu in castris permanserit, si vitae militari denuo assueverit, ut est homo comis et facundus, milites sibi devinciet ita ut pro illo extremum adire periculum non recusent." At

Digitized by Google

simul Othonem, virum levissimum voluptatibusque deditum, adeo contemnunt ut de eo tamquam de *vero* imperatore loqui non possint. Quidquid de eo dicunt plenum esse debet contumeliae; ergo, cum secundum artis logicae praecepta dicendum esset: „dum nos tempus terimus Otho *imperare* discit" sic loquuntur: „dum nos tempus terimus, Otho *imitari principem* discit" (Belg. „keizertje spelen").

Suspicor autem eodem modo accipienda esse verba quaedam, quae Ann. I, 4 leguntur; certe sic demum cum accipimus, servari potest lectio tradita, alioqui mutandum est aliquid. Ad imperium cum venisset Tiberius, varius erat de eo rumor. Virtutem bellicam nemo ei denegabat, sed superbiam ei innatam saevitiamque iam erumpentem multi metuebant. Ut Taciti utar verbis:

Hunc et prima ab infantia eductum in domo regnatrice, congestos iuveni consulatus, triumphos: ne iis quidem annis, quibus Rhodi specie secessus exulem egerit, aliud quam iram et simulationem et secretas libidines meditatum.

Pro *exulem* certatim omnes editores in textum recipiunt Mureti coniecturam *exul*. At ego *exulem* cum lego, multo clarius audio inimicos Tiberii de moribus eius cum summo odio contemptuque loquentes. Est λογικωτέρα Mureti lectio, haud nego: specie secessus Tiberius exul egit, simulavit sua sponte se Rhodum secessisse, revera in exilio ibi vixit. Contra si verbis *exulem egerit* adversarii illi usi sunt, sibimet ipsi sunt oblocuti; sed saepe hoc iratis hominibus evenit, dum quam plurima vocabula affectui suo accommodata simul proferunt. Vernaculo sermone si quem in familiari colloquio ita iram suam evomentem audiremus, logicae arti vim eum facere fortasse ne audiremus quidem.

Sed iam missum facio Pollium lepidamque eius observationem. Tres ex diverso genere proferam locos ubi unum vocabulum non satis bene intellectum, non satis accurate consideratum, turbas dedisse videatur non ita parvas.

Primus eorum haud dubie corruptus est, sed cum antehac alii aliter, sed omnes sat violenta medela, salutem ei afferre conati sunt, uno verbo recte intellecto lenissima coniectura in integrum potest restitui.

Digitized by Google

H. II, 4. Tres ... ipsi Vespasiano legiones erant exercitae bello: quattuor Mucianus obtinebat in pace; sed aemulatio et proximi exercitus gloria depulerat segnitiam, quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies *et inexperti belli labor.*

Sic est in codice, sine sensu. Iam vox *labor* non est quod nos moretur, eam enim e proxime praecedentibus huc aberrasse perspicuum est. De ceteris videamus. Quid illud est quod militibus *vigorem* dare possit etiam cum bellum non gerunt?

Num ipsum illud *quod* non pugnant? Hoc Nipperdeius putasse videtur, coniecit enim *et inexpertum bellum*, neque multo felicio-res ceteri fuisse videntur critici, qui hunc tractarunt locum. In eodem enim errore versati sunt omnes: *integram* quietem esse putarunt quietem nunquam perturbatam; quasi vero illa unquam fuerit *vigoris* causa. In Ritteri certe interpretatione vocabula legimus: „eine ungefährdete Ruhe." Sed non hanc adiectivum *integer* vim habet; *quies integra* est quies libera vitiis quae saepe quies affert exercitui: pigritiam, immodestiam, raptus atque luxuriem. Res multis potest illustrari exemplis, sed disertissimum hoc (II, 97): „integrum illic (in Africa) ac favorabilem proconsulatum Vitellius, famosum invisumque Vespasianus egerat." Saepe, ne plerumque dicam, proconsules in provinciis rapinis et crudelitate se nomenque Romanum commaculant, qui clementer provinciam rexit eius *integer* est proconsulatus. Quodsi quis contendat arctiore sensu ibi esse accipiendum adiectivum, integrum esse eum qui manus abstineat alienis integrumque eius proconsulatum, non obloquor, neque quominus de *integra quiete* idem statuamus intercedo: rectissime *integra* quies dicitur eorum militum qui non rapiunt sed, ut est in lepidissimo Wallensteinii Schilleriani versu, „contenti sunt pane suo militari". In pace autem quid raptus militum inhibet? Severa, opinor, disciplina, labor improbus, exemplum ducis. *Sic* integra quies vigoris fieri potest causa. Nunc duabus mutatis literulis, vel fortasse una (nam *labor* istud missum facimus) Taciti restitui manus potest: quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies et *inexpertis bello* (vel *belli*. Legitur enim H. II, 75 *legiones civili bello inexpertas*, A. XVI, 5 e lectione Puteolani: *lasciviae inexperti*).

Digitized by Google

Et [1]) inexpertis bello i. e. *quamquam* in aciem nunquam erant eductae, tamen vigorem legionibus dederat *integra quies* i. e. severitas disciplinae.

Alter legitur H. III, 77: interim ad L. Vitellium servus Verginii Capitonis perfugit, pollicitusque, si praesidium acciperet, *vacuam arcem traditurum* e. q. s. Quivis hic, obiter aspectis verbis *vacuam arcem*, exspectet a servo illo per ignotam quandam incustoditamve semitam paucos in arcem, tunc forte vacuam militibus, inductum iri milites. At quid fit? In collibus, qui urbi imminent, copias (non ita parvas, ut opinor) disponit, quae inde decurrunt ad caedem magis quam ad pugnam: oppidanorum neminem in arcem effugere conari miramur, sed omnino de arce οὐδεὶς λόγος. Prorsus eodem modo quingentis fere annis antea eadem urbs capitur a Servilio Ahala (Liv. IV, 59): tunc quoque *nullam arcem* Tarracina habuisse videtur; si habuit, certe diruta ea est cum colonia Romana urbs facta est (Liv. 8, 21). Denique totum illud *vacuam arcem tradam* a servo „proverbialiter" dictum est: „in eum vos deducam locum ut non minus facile tota urbe potiamini quam si arcem vacuam occupassetis." Haud inepte conferri possit *hereditas sine sacris*.

Tertius in Annalibus legitur l. III c. 74. De Blaeso perite et prudenter Tacfarinaticum administrante bellum et alia narrantur et haec:

tripertitum exercitum plures in manus dispergit praeponitque centuriones virtutis expertae. Nec, ut mos fuerat, acta aestate retrahit copias aut in hibernaculis veteris provinciae componit, sed *ut in limine belli* dispositis castellis per expeditos et solitudinum gnaros mutantem mapalia Tacfarinatem proturbabat.

Hic Nipperdeius *ut* delet, ego retinendum censeo, non tamen ita accipio ut Furneaux, qui tamquam idem valeat quod „utpote" interpretatur. Metaphoram ea vocula Tacitus excusat, nam metaphora est illud *limen belli*, qua tamen non (ut plerique vv dd. putare videntur) *tempus* sed *locus* indicatur. Castra disposuit Blaesus in ipsis finibus immensae illius regionis, ubi plerumque

---

1) Eodem sententiae loco et eadem vi coniunctio *et* legitur Agr. 14: *recepta populi Romani consuetudine ut haberet instrumenta servitutis et reges.* H. I, 79: *lapsantibus equis et cataphractarum pondere.*

Digitized by Google

bellum erat gerendum, inde facile in desertum excurrit recurritque, donec capto Tacfarinatis filio regressus est (in solita priorum ducum hibernacula) falso ratus finem iam bellum habere. Quodsi mihi non conceditur *propter metaphoram* illud *ut* positum esse, Nipperdeiano nobis remedio est utendum, nam si sensu τοῦ *tamquam si* accipimus, temporalem verbis *limen belli* vim tribuimus, quod falsum est; si idem putamus esse quod *utpote*, Blaesum reputantem facimus quae sensu cassa videntur. Sic enim tum eum secum facimus colloquentem: „sum semel in finibus regionis, ubi bellum geritur, *ergo* ibi manebo."

Apte his addere possum de duabus coniecturis disputationem, quae falsae mihi videntur; credo enim alteram saltem earum, si auctor unius verbi vim melius perspexisset, nunquam in lucem prodituram fuisse. Pertinet ea ad Ann. XII, 26:

Nemo adeo expers misericordiae fuit quem non Britannici fortunae maeror (Ern. fortuna maerore) afficeret. Desolatus paulatim etiam servilibus ministeriis, *p. intempestiva novercae officia in ludibria vertebat, intellegens falsi.*

Plerumque literam *p.* tamquam compendium praepositionis *per* accipiunt, atque ergo *vertebat* intransitive positum putant, ut omnia sic sint vertenda: „Britannicus officiis illis novercae, quae ipsius tempori atque tristi sorti tam erant contraria, ludibrium fiebat". Falsissime, si quid video. *Vertere in*, intransitive positum, est: „in condicionem venire contrariam illi in qua fueras antea". Atqui miser ille Britannicus post alteras patris nuptias minime fuerat *ludibrii contrarium*. Sed ne nunc quidem plane factus erat ludibrium Britannicus, quemadmodum apparet e vocabulis continuo sequentibus *intellegens falsi*. Gravius hoc quod, ut tamen illa sententia ex hoc loco extrahi possit, *ludibria*, quod traditum est, in *ludibrium* est mutandum, quae certe est temeraria coniectura nulloque solido nitens fundamento. At gravissimum quod tota sententia, tot artificiis composita, nullo vinculo cohaeret vel cum praecedentibus vel cum sequentibus. Ergo in illo *p.* cum Sirkero *puer* latere statuo, neque tamen sic verto: „puer officia illa novercae ridebat" nam legitur *ludibria* non *ludibrium*, neque quidquam *in ludibrium vertisse* Britannicum credibile est; tacitus contemnere potest, in risus erumpere non est hominis tam miseri. Denique retinemus *ludibria*, legimus *puer* et totum

Digitized by Google

locum sic accipimus: „puer (secum, tacitus) officia novercae tamquam ludibria interpretabatur." Nunc egregie sequitur: *intellegens falsi; neque enim segnem ei fuisse indolem ferunt e. q. s.* Verbi *vertendi* eo quo ego volo sensu positi praeclarum exemplum praebent duo versus Propertiani, qui totum locum nostrum egregie illustrant (Epic. Corn. 89 sq.):

Nec matrem laudate nimis; collata priori (noverca)
Vertet in offensas libera verba suas.

Alterâ vir doctus tentavit quod legitur A. III, 49:

Fine anni Clutorium Priscum, equitem Romanum, post celebre carmen, quo Germanici suprema defleverat, pecunia donatum a Caesare, corripuit delator, obiectans aegro Druso composuisse, quod, si exstinctus foret, maiore praemio vulgaretur. Id Clutorius in domo P. Petronii socru eius Vitellia coram multisque illustribus feminis per vaniloquentiam legerat. Ut delator exstitit, ceteris ad dicendum testimonium exterritis, sola Vitellia nihil se audivisse adseveravit.

Pro *legerat* Weisbrodtius coniecit *iecerat*, quod plerique editores in textum receperunt, hac, credo, re moti quod etiam VI, 31 *iaciendi* verbum cum vocabulis *per vaniloquentiam* iungitur, quasi vero nihil aliud per vaniloquentiam facere quisquam possit quam *iacere, gloriari* similia. At ego *legerat* retinendum censeo. De morte Germanici Clutorius carmen fecerat et grande pro eo acceperat praemium; vixdum de morbo Drusi certior factus est et, maioris mercedis spe, se ad novum accingit poema. Iamque partem eius recitaverat quibusdam, *qui eiusmodi recitationum auditionumque causa convenerant.* Nam talem conventum haud dubie verbis *in domo P. Petronii coram multis illustribus feminis* describit Tacitus et tantum non depingit. An putas Vitelliam negare non potuisse *audivisse se quod coram ipsa* fuerat recitatum? Inspice ergo Ann. XIV, 48:

Antistius .. probosa adversus principem carmina factitavit *vulgavitque celebri convivio, dum apud Ostorium Scapulam epulatur* ..... Et cum Ostorius *nihil audivisse* pro testimonio dixisset ....

et exemptus tibi omnis erit scrupulus.

Digitized by Google

V.

Ad illud Taciti redeo vitium de quo in Sectione III dixi. Nam non solum, ubi de veneficiis agit, habet aliquid quod displiceat, sed omnes eius narrationes de omni insidiarum genere, praeterea de delationibus calumniisque, de hominibus falsa sibi assumentibus nomina et quidquid ex illo est cognatove genere, fortasse legentium animos vehementer commoverunt firmiterque detinuerunt, sed nos saepe ibi vel perspicuitatem desideramus, vel rerum narratarum rationem. Alia sunt incredibilia, alia obscura, denique saepe nobis ipsis, omisso Tacito, divinandum est quid revera factum sit.

Primum consideremus quae Ann. XV, 50 de coniuratione Pisoniana leguntur: sic facillimum mihi transitum paro. Poterant enim quae de illa dicturus sum etiam in praecedenti capite tractari, quoniam, si quid video, hic quoque tota res in uno versatur vocabulo.

Postquam qui fuerint consilii auctores et quid illi inter se sint collocuti narravit, sat longam enumerat seriem virorum quos sibi aggregavere: Senecionem, Natalem, alios; tum sic pergit:

Ex quibus Senecio, e praecipua familiaritate Neronis, speciem amicitiae etiam tum retinens eo pluribus periculis conflictabatur; Natalis particeps ad omne secretum Pisoni erat; ceteris spes ex novis rebus petebatur.

De *causis* hic narratur quae tam Senecioni quam ceteris omnibus fuerint cur participes fierent coniurationis. Quam ergo causam habuit Senecio? Nempe quod *periculis conflictabatur*, iisque tandem aliquando quocunque tandem modo liberari cupiebat. Hoc quidem facile intelligimus. At illa pericula quae fuerunt? „A coniuratis proficiscebantur illa" Furneaux ait. Sed illud incredibile nisi — id quod nullo modo nobis suppeditat Taciti narratio — sumimus longam praecessisse coniurationum seriem, quarum unus et alter ex Neronis amicis iam victima fuerit. Nunc vero eiusmodi aliquid sic fere fuerit enuntiandum: *praecipuo in periculo erat*. At ipsum illud quam sit ineptum: Senecio de coniuratione fit certior secumque ita loquitur: „eheu quantum mihi, qui ex intima sim Neronis familiaritate, nunc impendet periculi!" Quid ergo facit? Defertne rem ad Neronem?

Digitized by Google

Immo vero ipse fit coniurationis socius, eius scilicet coniurationis, cuius quam sit dubius eventus facile possit intelligere, quae quam facile possit detegi ipse est expertus: ad ipsum enim iam tum de ea pervenerat nuntius cum vulgo Neronis videretur amicus. Sermo ergo est de perpetuis periculis in quibus Piso versabatur *in aula Neronis*. Illa vero, Tacitus ait, „eo plura erant ....“ Cur? Quia etiam tum *speciem amicitiae retinebat*. Hoc quid est? Quaenam res huic contraria cogitari potest? Nempe *palam Neroni amicitiam renuntiare*. Hoc ergo si fecisset Senecio, num in *minore* periculo futurus erat? Immo vero, qui ex intima familiaritate Neronis particeps fit alicuius contra Neronem coniurationis, huic certa est parata pernicies, nisi omnibus modis dat operam ut amicus Neronis videri pergat. Quodsi quis philosophice rem consideret, cum Nerone *veram amicitiam* esse non posse dicat, sed tantummodo *amicitiae speciem*, ergo hac in re Senecionem a ceteris Neronis familiaribus haudquaquam differre. At quod Senecio facit proprium aliquid et peculiare esse debet. Est ex intima familiaritate Neronis, nunc illi praecipue eo plura imminent pericula .... Cur? Quia habet aliquid, quod neque Nero ferre neque ipse deponere iam possit. Iam inde ab Actes tempore (XIII, 12), in eorum fuerat numero, quibuscum Nero genio indulgere solebat. Ergo plus tredecim anni sunt ex quo *retinet speciem* .... cuius rei? *Libertatis* opinor et παρρησίας. Non poterat adversus Neronem aulicum agere, sed quidquid in mentem veniebat libere proloquebatur, identidem etiam Neronem obiurgabat deridebatque, seroque sic odiosum se Neroni factum agnovit. Ergone pro *amicitiae* legendum *libertatis*? Non opinor, quamquam sic non incredibilem librario errorem imputaverimus. Eiusmodi enim locus est ut vox *amicitia* intempestive ei in mentem venire potuerit. Sed, nisi me fallunt omnia, *speciem amicitiae* illud ipsum significare potest. Servat Senecio id quod in amicitia maxime eminet, ex quo statim agnoscimus inter quosdam homines esse peculiare illud amicitiae vinculum: incuriam quandam, dico, negligentiam, sermonis libertatem. Conferamus quae c. 68 de Vestino leguntur: apparebit me et totum de Senecione locum et verba *speciem amicitiae* bene illustrasse:

Opperiebatur Nero, ut Vestinus quoque consul in crimen

Digitized by Google

traheretur, violentum et infensum ratus: sed ex coniuratis consilia cum Vestino non miscuerant quidam vetustis in eum simultatibus, plures, quia praecipitem et insociabilem metuebant. Ceterum Neroni odium adversus Vestinum *ex intima sodalitate* coeperat, dum hic ignaviam principis penitus cognitam despicit, ille *ferociam amici* metuit, saepe *asperis facetiis illusus*, quae ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt.

A coniuratione, quae Neroni revera facta est, transeamus ad insidias, quas Tiberio structas mentitus est pessimus mortalium. De Firmio Cato Libonis Drusi calumniatore quaedam in medium proferam. Res a Tacito sic narratur (Ann. II, 27):

Firmius Catus senator, ex intima Libonis amicitia, iuvenem improvidum et facilem inanibus, ad Chaldaeorum promissa, magorum sacra, somniorum etiam interpretes impulit, dum proavum Pompeium, amitam Scriboniam, quae quondam Augusti coniunx fuerat, consobrinos Caesares, plenam imaginibus domum ostentat, hortaturque ad luxum et aes alienum, socius libidinum et necessitatum, quo pluribus indiciis inligaret.

Si Libo liberius lautiusque vivit et aes alienum contrahit, palam fit eum summa quaeque sperare et exspectare, eiusque vitae Catus consors cum fit, multa in Libonem potest colligere indicia. Hoc ad intelligendum non ita est difficile. Magis in vocabulis *socius necessitatum* haeremus. Nam si voce *necessitates* significari sumimus *rei familiaris egestatem atque inopiam*, rogare subit: „unquamne quisquam in aere alieno contrahendo se alii dat comitem, idque ideo ut illius cognoscat consilia secreta?" Tam absurda ea res videtur ut propensus fias ad credendum *necessitatum* ita accipi debere ut idem sit quod *necessitudinum*. Sed ita vocem illam interpretari te vetat perspicuus „parallelismus" qui est in verbis: *hortatur ad luxum et aes alienum .... socius libidinum et necessitatum*. Ergone *socius* paulo liberius interpretemur ut Catus non dicatur et ipse aes contraxisse alienum, sed adfuisse tantummodo, cum denuo pecuniam mutuam sumeret Libo et suam interposuisse fidem? Difficile est quidquam pro certo affirmare, quia tota narratio vix ullam habet speciem veri. Ain vero? Adolescentem de insidiis Tiberio struendis ne cogitantem quidem Catus impulerit ut ea speraret exspectaretque quae ipsi funesta erant futura, adque eas ineptias eum sit ad-

Digitized by Google

hortatus, quae illius spei indicio essent, idque hoc consilio ut ipse delator eius fieri posset et sic inire gratiam Tiberii, quo nemo unquam fuit sobrius magis et „falsi intellegens"? Profecto, haec omnia si fecit Catus, *prodigium* fuit *pravitatis* Tacito Annales suos scribenti gratissimum, sed simul eiusmodi ut in rerum natura fuisse credere non possimus. Ergo narrationi hanc subesse veritatem suspicamur: revera Libo animo spem quandam fovit periculi plenam, et summa quaeque expectans iam principis vivere vitam coepit, aes alienum contraxit, amicos ad luxus necessitatumque perduxit societatem, donec eorum unus, Catus, metuebat ne se Liboni alligasset magis quam ipsi utile esset, atque ut ét periculo se subtraheret ét accepto praemio aes alienum solvere posset Libonem indicavit. Cf. Sen. Ep. 70, 10.

Multo me facilius expedio e difficultate quam narratio *de falso Agrippa* habet (A. II, 40). Ille enim

> percontanti Tiberio, quomodo Agrippa factus esset, respondisse fertur: Quomodo tu Caesar.

i. e. „falsum me Agrippam esse fateor, sed quibus ego fraudibus et mendaciis Agrippa sum factus, iisdem tu Caesar es factus: falsus enim Caesar es."

Petulans profecto responsum plenumque contumeliae, sed quo simul suam fatetur culpam. Atque id eum *non* fecisse e cetera narratione apparet. Tamquam enim hominem, quem ut culpae convinceret non sibi contigerit, clam eum occidendum Tiberius curat. Quapropter respondisse reum *interrogando* censeo: „Quomodo tu Caesar?" Tunc enim hoc dicit: „ego non sum *factus* sed natus Agrippa; tu potius dic qui factus sis Caesar; hoc enim nomen omni scelerum genere es adeptus." Si *antea* fassus iam esset, ineptum foret eum rogare: *quomodo factus es Agrippa?*, eiusmodi interrogatione eum fateri coactum quis credat?

Quoniam semel in accusationibus criminibusque versor, addam his ex eodem genere locum graviter corruptum, necdum, ut mihi videtur, revera a criticis correctum, credo quia ipsius rei rationem, de qua agitur, non bene perspectum habuerunt. Legitur Ann. IV, 28:

Isdem consulibus miseriarum ac saevitiae exemplum atrox, reus pater, accusator filius (nomen utrique Vibius Serenus) in

Digitized by Google

senatum inducti sunt. Ab exilio retractus illuvieque ac squalore obsitus pater peroranti filio: praeparatus adulescens multis munditiis, alacri vultu, structas principi insidias, missos in Galliam concitores belli index idem et testis dicebat, adnectebatque Caecilium Cornutum praetorium ministravisse pecuniam: qui taedio curarum, et quia periculum pro exitio habebatur, mortem in se festinavit. At contra reus nihil infracto animo obversus in filium quatere vincla .... Adseverabatque innocentem Cornutum et falsa exterritum; idque facile intellectu, si proderentur alii: non enim se caedem principis et res novas uno socio cogitasse.

Pro *pater peroranti filio: praeparatus adulescens e. q. s.* Madvigius coniecit *pater oranti filio comparatur: adulescens e. q. s.* Ingeniosissime, sed nihil sic proficimus; non enim, ut opinor, vehementer legentium animi percelluntur cum inter se opponuntur pater squalore obsitus et filius .... *orans.* Neque tum demum introducitur reus, cum accusator iam orationem habere coepit. Multo tamen Madvigii inventum melius est quam ceterorum istud *praeparatus*, quod iungendum sit cum *munditiis* ita ut .... aptum sensum nullum praebeat. Haec ergo mittamus, quoniam sic quoque universa verborum sententia patet. Paulo post pro *falsa* legere *falso* vel *per falsa* plane est inutile et fortasse perversum. At quae sequuntur maiorem praebent difficultatem. Hoc certum Nevii *ni proderentur* pro *si proderentur* speciosius esse quam verius, neque facile cum praecedentibus iungi posse: quid enim illud est: *facile hoc est ad intelligendum ni produntur alii.* Neque tamen *si* remanere potest, nisi volumus Serenum non *εἰρωνικῶς* sed *αἰνιγματώδως* loqui. Quid vero si totum illud *si* una litura delemus? Tum enim Serenus *provocabit* filium, sic fere: „quid verbis opus est? rebus et factis agamus: prode alios conscios! An hoc iudicibus te persuasurum putas in tam ancipiti arduoque negotio me unum tantum habuisse conscium? At prodere alios non poteris." Nunc quoque *intelligendi* verbum eam habet vim quam supra monui ei inesse. (Belg. *de proef op de som nemen* et novicio omnium populorum verbo *constateeren*).

At quae de lege Papia Poppaea criminibusque ex ea natis (A. III, 25) narrat Tacitus, eiusmodi sunt, ut tota res quomodo revera se habuerit nostro exputandum ingenio relinquatur, idque

Digitized by Google

non librarii culpa sed quia ipse historicus vagum tantummodo accepit rumorem, quem ita exornavit ut res quam atrocissima evaderet.

Relatum deinde de moderanda Papia Poppaea, quam senior Augustus post Iulias rogationes incitandis [1]) caelibum poenis et augendo aerario sanxerat. Nec ideo coniugia et educationes liberorum frequentabantur, praevalida orbitate: ceterum multitudo periclitantium gliscebat, cum omnis domus delatorum interpretationibus subverteretur, utque antehac flagitiis ita tunc legibus laborabatur.

Et post longam digressionem c. 28:

Acriora ex eo vincula, inditi custodes et lege Papia Poppaea praemiis inducti, ut si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret. Sed altius penetrabant, urbemque et Italiam, et quod usquam civium, corripuerant, multorumque excisi status. Et terror omnibus intentabatur, ni Tiberius statuendo remedio quinque consularium, quinque e praetoriis, totidem e cetero senatu sorte duxisset, aput quos exsoluti plerique legis nexus modicum in praesens levamentum fuere.

Ain vero? Ex haccine lege multae *calumniae* (i. e. insontium accusationes) nascebantur, eaeque eiusmodi ut omnis domus subverteretur? Et tamenne non fiebant frequentiora iusta connubia et educationes liberorum? Magis incredibilis res fit si cum Furneaux *praevalida orbitate* sic accipimus: „quia orbitas tantum afferebat opum potentiaeque ut contra illam nil leges valerent." Ergone qui revera *sontes* erant et quorum culpa erat manifesta (coelibes orbique) impune ferebant, innocentes vero (patres et mariti) lege laborabant et pro orbis coelibibusque ad iudicium trahebantur, et quamvis uxores suas, feminas honestissimas, et liberos monstrarent, tamen eorum subvertebatur domus? Pessimum certe est *delatorum* genus; si tamen solos innocentes essent aggressi, sontes vero semper missos fecissent, mox, ut opinor, de iis actum fuisset etiam Nerone vel Domitiano imperante. Revera Taciti narrationi hanc subesse *rem* puto, quam ille aut nunquam perspexit aut palam proloqui veretur: in lege Papia Poppaea praesidii nil erat, ad iustas nuptias se compelli Romani

1) Corruptum esse opinor *incitandis* proque eo *intendendis* legendum (i. e. *augendis*). Cf. Ann. IV, 2 *vim praefecturae modicam antea intendit.* IV, 26 *gloriam intendit.* XIII, 20 *luxus intendere.*

Digitized by Google

nolebant, praevalebat orbitas (i. e. tam grata erat plerisque ut prae illa nihil aliud valeret. Quos ad suam interpretationem vocabulorum *praevalida orbitate* defendendam Furneaux affert locos, illis labefactatur magis quam sustentatur). Ergo non reipublicae lex ea proderat sed delatoribus; his enim nunc copia erat et facultas quaestus faciendi; ingens enim aderat multitudo virorum quos accusare possent idque vere et iuvante lege: *erant* enim noxii illi rei. Tandem aliquando tantus fiebat in urbe et adeo toto imperio metus ut ipse intelligeret Tiberius sic procedere rem non posse. Ergo non quidem rescindebatur lex Papia Poppaea, sed *plerique nexus legis solvebantur*, quorum verborum hunc esse sensum opinor: multae virorum mulierumque coniunctiones, quae non quidem legitimae erant ex lege Papia Poppaea sed, ut hoc utar, temporis intervallo iam satis firmamenti acceperant, nunc, legis illius severitate liberatae, pro legitimis habebantur. Revera erat illud *levamentum in praesens*.

Cum iudiciis delationibusque apte coniunguntur somnia vaticiniaque: in utroque enim genere regnat ἡλυγή quaedam. Videamus ergo quae H. IV cc. 81—84 narrentur de somnio Ptolemaei novoque deo ab Aegyptiis e Ponto petito. Rem recte dilucideque tradidit Tacitus sed, nisi me fallunt omnia, turbas dedit praepostera scioli industria. Sic narratio incipit:

E plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus genua eius (sc. Vespasiani) advolvitur, remedium caecitatis exposcens, monitu Serapidis dei, quem dedita superstitione gens ante alios colit.

Hunc deum deinde cognoscimus a Ptolemaeo Sinope petitum, iussu iuvenis, qui ei in somnio visus erat. Quis ille iuvenis esset ignorabat Ptolemaeus; quis deus esset, qui illius iuvenis sumpserat figuram, ad illud usque tempus ignorabant Alexandrini, ignorabat Timotheus Atheniensis, quem rei cognoscendae causa arcessiverat dimiseratque Ptolemaeus. Qui ergo *Serapis* esse potest, unus e vetustis Aegypti deis? Quod se non ignorare disertis verbis testatur Tacitus dicens templum extrui loco, ubi fuerat sacellum *Serapidi* atque Isidi *antiquitus* sacratum (c. 84). Denique si deus, qui in somno Ptolemaeo stetit ante oculos, Serapis *est*, qui fit ut (c. 84 extr.) alii eum Aesculapium esse dicant, alii Osiridem, alii Iovem, alii Ditem patrem (haud mirum: Ditem enim patrem et *esse* et *fuisse* eum apud Sino-

Digitized by Google

penses legimus c. 83 m.: „Timotheus quaesitis, qui in Pontum meassent, cognoscit urbem illic Sinopen nec procul templum vetere inter accolas fama Iovis Ditis." Atque ex hoc templo deus vel sponte profectus vel abductus dicitur c. 84 m.), sed *nemo* Serapidem? At in verbis c. 81 *monitu Serapidis dei* dele *Serapidis* nomen, omnia erunt planissima.

Addam quaedam de loco diversi generis, in quo nulla est culpa scriptoris, nullum librarii vitium, qui tamen est eiusmodi ut obiter legentes facile in errorem possint induci. Simul mihi praebet facultatem ad Woelfflinium redeundi, a cuius praeclaro invento tota haec est profecta disputatio. Est H. IV, 79.

Agrippinenses auxilium petebant a Cereale; interim iam commiserant id quod effecerat ut neque denuo cum Civile facere possent et illius Romanorum auxilii quam maxime indigerent: Germanos enim *dispersos in domibus* trucidaverant. Hoc est quod nostratium proverbio dicitur: *pone tergum naves suas comburere.* Cavere nunc sibi debebant priusquam a clade accepta hostes (Germani) „reparatis viribus ad spem vel ad ultionem accingerentur." Namque iam Coloniam *intenderat* (i. e. consilium ceperat eo eundi) Civilis cum cohorte integra bellique cupida, quae Tolbiaci agebat. Sed tristis nuntius eum ab hoc abduxit proposito: deletam cohortem *dolo Agrippinensium*, qui „largis epulis vinoque sopitos Germanos, clausis foribus, igne iniecto cremavere." Haud dubie de duplici Germanorum caede sermo hic est, nam primo *diversi trucidati* Germani dicuntur, dein cohortem crematam foribus clausis legimus, ubi ergo de uno tantummodo sermo est aedificio. Atqui hostile facinus *a Coloniae incolis* adversus Germanos commissum potius eo advocaturum erat Civilem quam inde aversurum. Cohors illa *cremata* eadem est quacum Coloniam tetenderat Civilis; crematur ea Tolbiaci, sed *dolo Agrippinensium* illud factum recte dicitur, quoniam *in finibus Agrippinensium* situm est Tolbiacum et Tolbiacenses ipsi sunt Agrippinenses. Hunc quoque locum aliquis proponat literarum alicui studioso, quamvis provecto, sed qui in Tacito hospes etiam est; mirari mox desinet Plutarcho, cum de militibus *urbem Palatiumque* petentibus legeret, in mentem non venisse de praetorianis agi.

Digitized by Google

AD THUCYDIDEM.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Thucydidis Historiae ad optimos codices denuo ab ipso collatos recensuit Dr. Carolus Hude. Tomus alter, Libri V—VIII.

Acceptum nuper ab auctore de Thucydide bene merito alterum volumen diligenter perlegens notavi nonnulla iis praesertim qui hac editione utuntur fortasse non prorsus inutilia. Ut feci cum de priore volumine agerem, plerumque silens de locis multis ab Hudio rectius constitutis, eos tractabo, ubi mihi quidem non satisfecit, novas hic illic propositurus coniecturas.

AD LIBRUM QUINTUM.

7 § 8 καὶ ἐπέξοδον μὲν καὶ ἀντίταξιν οὐκ ἐποιήσατο (Brasidas) πρὸς τοὺς Ἀθηναίους, δεδιὼς τὴν αὐτοῦ παρασκευὴν καὶ νομίζων ὑποδεεστέρους εἶναι, κτἑ. Male sic Hude cum plerisque libris edidit pro αὐτοῦ, quod notatum ab ipso ex f_2 [G] omnino necessarium esse et clamat contextus et vulgo receptum est.

10, 2 τῷ δὲ Κλέωνι, Φανεροῦ γενομένου αὐτοῦ (Brasidae) ἀπὸ τοῦ Κερδυλίου καταβάντος καὶ ἐν τῇ πόλει, ἐπιφανεῖ οὔσῃ ἔξωθεν, περὶ τὸ ἱερὸν τῆς Ἀθηναίας θυομένου καὶ ταῦτα πράσσοντος, ἀγγέλλεται (προυκεχωρήκει γὰρ τότε κατὰ τὴν θέαν) ὅτι ἥ τε στρατιὰ ἅπασα Φανερὰ τῶν πολεμίων ἐν τῇ πόλει καὶ ὑπὸ τὰς πύλας ἵππων τε πόδες πολλοὶ καὶ ἀνθρώπων ὡς ἐξιόντων ὑποφαί-

Digitized by Google

νονται. Classen explicat „in eigentlichem Sinne *unter dem Thor*, in dem Zwischenraum zwischen der Pforte und der Schwelle werden sie, so weit es auf diese Art möglich war (*ὑπο-*), wahrgenommen." At nisi aut *Λυγκέως ὀξυδερκέστεροι* fuerint speculatores, aut porta Amphipolitana pessime aedificata, equorum hominumque pedes extrinsecus omnino dispici non poterant. Qua re intellecta, olim Naber acute suspicatus est Thucydidem scripsisse *σποδὸς πολλὴ — ὑποφαίνεται*, quae probabilis me iudice coniectura si non recipi, at commemorari saltem ab Hudio debuerat.

15, 1 *ἦσαν γὰρ οἱ Σπαρτιᾶται αὐτῶν πρῶτοί τε καὶ ὁμοίως σφίσι ξυγγενεῖς*. Locus vix certa ratione sanabilis. Aperte nihil proficitur editoris coniectura *οἱ πλείους* pro *ὁμοίως*. Quidni potius commemoravit Classenii suspicionem, quae nixa Plut. Nic. 10 (*οἱ γὰρ ἐκ Πύλου κομισθέντες ἦσαν ἐξ οἴκων τε πρώτων τῆς Σπάρτης καὶ φίλους καὶ ξυγγενεῖς τοὺς δυνατωτάτους ἔχοντες*) intellegi saltem potest: *πρῶτοί τε καὶ οἴκοις ἐπιφανέσι ξυγγενεῖς*? Idem praeterea coniecit *ἦσαν γὰρ οἳ κτέ.*, *erant enim nonnulli*.

20, 2 *σκοπείτω δέ τις κατὰ τοὺς χρόνους καὶ μὴ τῶν ἐκασταχοῦ ἢ ἀρχόντων ἢ ἀπὸ τιμῆς τινὸς τὴν ἀπαρίθμησιν τῶν ὀνομάτων ἐς τὰ προγεγενημένα σημαινόντων πιστεύσας μᾶλλον. οὐ γὰρ ἀκριβές ἐστιν· οἷς καὶ ἀρχομένοις καὶ μεσοῦσι καὶ ὅπως ἔτυχέ τῳ ἐπεγένετό τι. κατὰ θέρη δὲ καὶ χειμῶνας ἀριθμῶν, ὥσπερ γέγραπται, εὑρήσει, ἐξ ἡμισείας ἑκατέραν τοῦ ἐνιαυτοῦ τὴν δύναμιν ἔχοντας, δέκα μὲν θέρη, ἴσους δὲ χειμῶνας τῷ πρώτῳ πολέμῳ τῷδε γεγενημένους*.

Sic scribitur in codicibus omnibus locus impeditissimus et editorum consensu, quod attinet ad verba priora *σκοπείτω — μᾶλλον*, corruptus.

Stahl praeeunte Arnoldio verba sic transposuit: — *καὶ μὴ τῶν ἐκασταχοῦ ἢ ἀρχόντων ἢ ἀπὸ τιμῆς τινος ἐς τὰ προγεγενημένα σημαινόντων τὴν ἀπαρίθμησιν τῶν ὀνομάτων πιστεύσας μᾶλλον*, quem secutus Hude pro *πιστεύσας* de suo reposuit *ποιήσας*, fretus scholio: *καὶ μὴ ἐξαριθμείσθω μήτε τοὺς ἄρχοντας μήτε τοὺς ἀπὸ ἄλλης τινὸς τιμῆς ἐπωνύμους γεγενημένους*. At enim Graecum

Digitized by Google

in ea re et Thucydideum foret ποιησάμενος, quia in periphrasi verbo medio opus esse constat, nam ἀπαρίθμησιν ποιεῖσθαι dicitur pro ἀπαριθμεῖν, ut passim apud nostrum ἅμιλλαν, ἀποχώρησιν, ἀρπαγήν, διάγνωσιν, ἐξέτασιν, δίωξιν, ἔξοδον, ἐπεκδρομήν etc. ποιεῖσθαι pro ἀμιλλᾶσθαι, ἀποχωρεῖν, ἁρπάζειν, διαγιγνώσκειν etc. Parum tamen commode, fateor, vulgo interpretes mente repetentes praepositionem κατά intellegunt σκοπείτω δέ τις κατὰ τοὺς χρόνους καὶ μὴ κατὰ τὴν ἀπαρίθμησιν τῶν ὀνομάτων — πιστεύσας (scil. ταύτῃ) μᾶλλον. Quare videndum, an aut ποιησάμενος sive duce scholiasta ποιείσθω corrigendum sit, aut potius τῇ ἀπαριθμήσει τῶν ὀνομάτων πιστεύσας μᾶλλον. Ceterum ne sic quidem locum plane intellego, nam neque praepositionem ἐς (quam Classen delevit) in formula ἐς τὰ προγεγενημένα σημαίνειν (quod si sanum esset, expectasses additum τε καὶ τὰ ἐπιγεγενημένα) et desidero maioris temporis spatii significationem oppositi minori, quod commemoratur in sequentibus. Hinc venit in mentem ἐς ⟨ἔτος⟩ τά που γεγενημένα σημαινόντων.

Totum autem locum, Classenii secutus interpunctionem, sic corrigendum esse suspicor:

σκοπείτω δέ τις κατὰ τοὺς χρόνους καὶ μὴ τῇ ἀπαριθμήσει τῶν ὀνομάτων τῶν ἑκασταχοῦ ἢ ἀρχόντων ἢ ἀπὸ τιμῆς τινος ἐς ⟨ἔτος⟩ τά που γεγενημένα σημαινόντων πιστεύσας μᾶλλον· οὐ γὰρ ἀκριβές ἐστιν· οἷς καὶ ἀρχομένοις καὶ μεσοῦσι καὶ ὅπως ἔτυχέ τῳ ἐπεγένετό τι. κατὰ θέρη δὲ καὶ χειμῶνας ἀριθμῶν, ὥσπερ γέγραπται, εὑρήσει, ἐξ ἡμισείας ἑκατέρου τοῦ ἐνιαυτοῦ τὴν δύναμιν ἔχοντος, δέκα μὲν θέρη, ἴσους δὲ χειμῶνας τῷ πρώτῳ πολέμῳ τῷδε γεγενημένους. Vocula που, *alicubi*, apte respondet praegresso ἑκασταχοῦ.

36, 1 παραινοῦντες ὅτι μάλιστα ταὐτά τε γιγνώσκειν καὶ πειρᾶσθαι Βοιωτούς, Ἀργείων γενομένους πρῶτον αὐτοὺς ξυμμάχους, αὖθις μετὰ Βοιωτῶν Ἀργείους Λακεδαιμονίοις ποιῆσαι ξυμμάχους κτέ. Frustra locum sic scriptum tuetur Classen, nec difficultatem removet, imo auget, Hudii coniectura verisimilis admodum, πείθειν excidisse post πειρᾶσθαι. Mihi aut Ulrichsii correctio μετὰ Κορινθίων recipienda videtur aut verba μετὰ Βοιωτῶν esse delenda.

Digitized by Google

59, 3 ἵπποι δὲ αὐτοῖς οὐ παρῆσαν· οὐ γάρ πω οἱ Ἀθηναῖοι, ⟨οἱ⟩ μόνοι τῶν ξυμμάχων ⟨εἶχον⟩, ἦκον. Probabilis Hudii coniectura.

64, 3 ἐκεῖθεν δὲ τὸ ἔκτον μέρος σφῶν αὐτῶν ἀποπέμψαντες ἐπ' οἴκου, ἐν ᾧ τὸ πρεσβύτερόν τε καὶ τὸ νεώτερον ἦν, ὥστε τὰ οἴκοι φρουρεῖν, τῷ λοιπῷ στρατεύματι ἀφικνοῦνται ἐς Τεγέαν. Quia omnis exercitus e *senioribus* et *iunioribus* constat, videndum an non huius loci sit τὸ πρεσβύτατόν τε καὶ τὸ νεώτατον, i. e. *milites maximae et minimae aetatis.*

71, 1 τὰ στρατόπεδα ποιεῖ μὲν καὶ ἅπαντα τοῦτο. Annotat Hude „τοιοῦτο conicio." Cur quaeso? Ceterum fortasse recte deinde scripsit: ἐπὶ τὰ δεξιὰ κέρα τὰ αὐτῶν — ἐξωθεῖται pro vulgato κέρατα.

77, 6 pro aeolica forma ἀλεξέμεναι iam Ahrens reposuit doricam ἀλέξην, quam certam emendationem ne commemoravit quidem editor.

101. Nullum esse verbum ὄφλειν pro ὀφλισκάνειν etsi dudum constat, tamen editor sprevit certam Kruegeri emendationem ὀφλεῖν, quam ne mentione quidem dignam iudicasse videtur.

Ad librum sextum.

7, 1 τῆς τε γῆς ἔτεμον οὐ πολλὴν καὶ σῖτον ἀνεκομίσαντό τινα ζεύγη κομίσαντες. Hude reposuit de suo ἀπεκομίσαντό, sed nullam video mutandi necessitatem. Cf. Xen. An. IV 7, 1 χωρία, ἐν οἷς τὰ ἐπιτήδεια πάντα εἶχον ἀνακεκομισμένοι.

8, 3 μετὰ δὲ τοῦτο ἡμέρᾳ πέμπτῃ ἐκκλησία αὖθις ἐγίγνετο, καθότι χρὴ τὴν παρασκευὴν ταῖς ναυσὶ τάχιστα γίγνεσθαι καὶ (scil. καθότι χρὴ) τοῖς στρατηγοῖς, εἴ του προσδέοιντο, ψηφισθῆναι ἐς τὸν ἔκπλουν. Non video quid lucremur Hudiana coniectura καὶ ⟨τοῦ⟩ τοῖς στρατηγοῖς — ψηφισθῆναι κτἑ.

Digitized by Google

18, 1 aperte mendosa sunt verba: *Ὥστε τί ἂν λέγοντες εἰκὸς ἢ αὐτοὶ ἀποκνοῦμεν ἢ πρὸς τοὺς ἐκεῖ ξυμμάχους σκηπτόμενοι μὴ βοηθοῦμεν*; in quibus praeter observatam iam a Classenio incongruitatem offendit pronomen *αὐτοὶ* omni vi destitutum. Corrigatur *ἡμῖν αὐτοῖς*, et aptissime sententia decurret.

18, 6 *καὶ τὴν πόλιν, ἐὰν μὲν ἡσυχάζῃ, τρίψεσθαί τε αὐτὴν περὶ αὑτὴν ὥσπερ καὶ ἄλλο τι, καὶ πάντων τὴν ἐπιστήμην ἐγγηράσεσθαι, ἀγωνιζομένην δὲ ἀεὶ προσλήψεσθαί τε τὴν ἐμπειρίαν καὶ τὸ ἀμύνεσθαι οὐ λόγῳ ἀλλ' ἔργῳ μᾶλλον ξύνηθες ἕξειν.* Omnis evanescet loci impeditissimi difficultas, si mecum deleta vocula *τε* post *τρίψεσθαι* reposueris *τρίψεσθαι αὐτὴν περὶ αὐτὴν ὥσπερ καὶ ἄλλο τι, ⟨ὥστε⟩ καὶ πάντων τὴν ἐπιστήμην ἐγγηράσεσθαι, ἀγωνιζομένην δὲ κτἑ.* Dudum abieci infelicem coniecturam *πηρώσειν*.

51, 1 *οἱ στρατιῶται πυλίδα τινὰ ἐνῳκοδομημένην* (scil. *τῷ τείχει*) *κακῶς ἔλαθον διελόντες.* Optime ita scribitur et aliquanto melius quam *ἀνῳκοδομημένην*, quod coniecit Hude.

60, 4 *κἂν τούτῳ οἱ μὲν παθόντες ἄδηλον ἦν εἰ ἀδίκως ἐτετιμώρηντο, ἡ μέντοι πόλις ἐν τῷ παρόντι περιφανῶς ὠφέλητο.* Iure expectatur me iudice *εἰ δικαίως ἐτετιμώρηντο*, aut quod fortasse vero est similius: *εἰ ⟨δικαίως ἢ⟩ ἀδίκως ἐτετιμώρηντο.* Agitur de iis qui significati ab indice ut hermocopidae morte multati fuerant, quos iure an iniuria caesi essent Thucydides ambigere se dicit.

62, 1 *δύο μέρη ποιήσαντες τοῦ στρατεύματος καὶ λαχὼν ⟨ἓν⟩ ἑκάτερος κτἑ.* Certissima haec Classenii emendatio in textum fuerat recipienda. Idem valet de necessaria Rauchensteinii correctione in Niciae concione 68, 3 *παραστήτω δέ τινι καὶ τόδε, πολύ τε ἀπὸ τῆς ἡμετέρας αὐτῶν εἶναι καὶ πρὸς γῇ οὐδεμίᾳ Φιλίᾳ, ἥντινα μὴ αὐτοὶ μαχόμενοι ⟨οὐ⟩ κτήσεσθε.*

91, 7 *καὶ τὰς τοῦ Λαυρείου τῶν ἀργυρείων μετάλλων προσόδους καὶ ὅσα ἀπὸ γῆς καὶ δικαστηρίων(?) νῦν ὠφελοῦνται εὐθὺς ἀποστερήσονται* (Athenienses), *μάλιστα δὲ τῆς ἀπὸ τῶν ξυμμάχων*

Digitized by Google

προσόδου ὅσσον διαφορουμένης. Duo ultima vocabula in editione mea expunxi ut insiticia, Hude vero recepit suam coniecturam ὅσσον ἂν φορουμένης, in qua satis placet particula ἄν, sed φορεῖν (i. e. *gestare*) pro φέρειν inauditum est. Si verba genuina sunt, scripserim potius ὅσσον δὴ ἂν φερομένης, unde perfacile vulgata lectio nasci potuit.

Ad librum septimum.

4, 7 καὶ πέμπει (Nicias) ἐς φυλακὴν αὐτῶν (navium Corinthiarum) εἴκοσι ναῦς, αἷς εἴρητο περί τε Λοκροὺς καὶ Ῥήγιον καὶ τὴν προσβολὴν τῆς Σικελίας ναυλοχεῖν αὐτάς. Non satis apud me constat, Thucydidem non scripsisse potius κατὰ τὴν προσβολὴν τῆς Σικελίας.

7, 2 καὶ ὁ Γύλιππος ἐς τὴν ἄλλην Σικελίαν ἐπὶ στρατιὰν τε ᾤχετο καὶ ναυτικὴν καὶ πεζικὴν ξυλλέξων. Iniuria editor sprevit hic et 16 unice veram codicum BH lectionem πεζήν, ne commemorata quidem probabili Cobeti coniectura ξυλλέξων (al. συλλέξων, ξυλλέγων) esse glossatoris. De forma attica et genuina πεζός cf. in hoc ipso libro 12, 1 στρατιὰν πεζήν, 15, 1 extr. στρατιὰν — καὶ πεζὴν καὶ ναυτικήν, 22, 1 πᾶσαν τὴν στρατιὰν τὴν πεζήν, et ita passim. Semel tantum, quod sciam, codices conspirant in perversa lectione, scil. VI 33, 2 στρατιᾷ — καὶ ναυτικῇ καὶ πεζικῇ.

30, 2 μέρος δέ τι (Thracum) καὶ ἐν τῇ πόλει αὐτῇ (Mycalesso) δι' ἁρπαγὴν ἐγκαταληφθὲν ἀπώλετο. Recte Classen „da si sich des Plünderns wegen, beim Plündern hatten überraschen lassen." Quid vero quaeso significare potest δι' ἁρπαγῆς, quod proponit Hude?

31, 5 τῷ μὲν οὖν Κόνωνι δέκα ναῦς ὁ Δημοσθένης καὶ ὁ Εὐρυμέδων τὰς ἄριστα σφίσι πλεούσας ἀφ' ὧν αὐτὸν εἶχον ξυμπέμπουσι πρὸς τὰς ἐν τῇ Ναυπάκτῳ. Sentio quidem verba ἀφ' — εἶχον, quae Hude ut glossema delevit, propter additum pro-

Digitized by Google

nomen *σφίσι* abesse posse, nec tamen scholii speciem prae se ferunt et potius vere Thucydidea esse crediderim.

38, 2 *ἰδὼν ἀντίπαλα τῆς ναυμαχίας γενόμενα*. Prorsus necessaria est librorum BH lectio *τὰ τῆς ναυμαχίας*; quam permiror editorem non cum reliquis fere recepisse. Vel coniectura, nisi codices obtulissent, restituenda fuerat.

47, 3 *τῷ οὖν Δημοσθένει οὐκ ἐδόκει ἔτι χρῆναι μένειν, ἀλλ' ἅπερ καὶ διανοηθεὶς ἐς τὰς Ἐπιπολὰς διεκινδύνευσεν, ἐπειδὴ ἔσφαλτο, ἀπιέναι ἐψηφίζετο καὶ μὴ διατρίβειν, ἕως ἔτι τὸ πέλαγος οἷόν τε περαιοῦσθαι καὶ τοῦ στρατεύματος ταῖς γοῦν ἐπελθούσαις ναυσὶ κρατεῖν*. De Reiskii et Madvigii coniecturis *περαιώματος* et *θεραπεύματος* non muto sententiam adversariam quam ante hos XXI annos tuli in editione mea. Non magis placet quod deinde Naber proposuit *τοῦ στόματος*, non addito *τοῦ λιμένος* haud intellegibile lectori, qui nondum legit capita 56 et 59 huius libri. Nisi forte *τοῦ στρατεύματος* est lectoris additamentum, quod hodieque ut olim suspicor, cum Classenio habendum videtur pro genetivo partitivo, et verbum *κρατεῖν* absolute esse positum.

66, 3 *ἄνδρες γὰρ ἐπειδὰν ᾧ ἀξιοῦσι προύχειν κολουσθῶσι, τό γ' ὑπόλοιπον αὐτῶν τῆς δόξης ἀσθενέστερον αὐτὸ ἑαυτοῦ ἐστιν ἢ εἰ μηδ' ᾠήθησαν τὸ πρῶτον καὶ τῷ παρ' ἐλπίδα τοῦ αὐχήματος σφαλλόμενοι καὶ παρὰ ἰσχὺν τῆς δυνάμεως ἐνδιδόασιν*. Acu rem tetigisse videtur Gertz apud Hudium corrigens *τῷ — σφαλλομένῳ κτἑ.*

67, 2 *τά τε τῆς ἀντιμιμήσεως αὐτῶν τῆς παρασκευῆς ἡμῶν τῷ μὲν ἡμετέρῳ τρόπῳ ξυνήθη τέ ἐστι καὶ οὐκ ἀνάρμοστοι πρὸς <τέχνην> ἑκάστην αὐτῶν ἐσόμεθα*. Notabilis sane Hudii coniectura.

70, 4 *ξυμπεσουσῶν δὲ ἐν ὀλίγῳ πολλῶν νεῶν (πλεῖσται γὰρ δὴ αὗται ἐν ἐλαχίστῳ ἐναυμάχησαν· βραχὺ γὰρ ἀπέλιπον ξυναμφότεραι διακόσιαι γενέσθαι), αἱ μὲν ἐμβολαὶ διὰ τὸ μὴ εἶναι τὰς ἀνακρούσεις καὶ διέκπλους ὀλίγαι ἐγίγνοντο, αἱ δὲ προσβολαί, ὡς τύχοι ναῦς νηὶ προσπεσοῦσα ἢ διὰ τὸ φεύγειν ἢ ἄλλῃ ἐπιπλέουσα, πυκνότεραι ἦσαν κτἑ.*

Digitized by Google

Prima quidem facie compositio verborum ξυμπεσουσῶν — γενέσθαι habere videtur quod offendat. Quaesiveris enim cur tot verbis usus sit scriptor, ubi eadem sententia, in brevius contracta longa parenthesi, exprimi poterat scribendo: ξυμπεσουσῶν δὲ τούτων ἐν ἐλαχίστῳ πλείστων νεῶν (βραχὺ γὰρ ἀπέλιπον ξυναμφότεραι διακόσιαι γενέσθαι). At enim in tradita lectione fortasse melius apparet relativos esse superlativos πλεῖστος et ἐλάχιστος, et Thucydidem distincte significare voluisse, *numquam antehac in breviore spatio plures naves pugnam commisisse.* Deinde vero nescio an rectius deleto articulo scribendum sit διὰ τὸ μὴ εἶναι [τὰς] ἀνακρούσεις καὶ διέκπλους. — Recte autem Classen adnotat „αἱ ἐμβολαί, die absichtlichen kunstgemässen Angriffe, αἱ προσβολαί, das zufällige zusammenstossen der Schiffe." Quod vocabulorum discrimen tenentes mox § 6 haeremus in verbis: ξυνετύγχανέ τε πολλαχοῦ διὰ τὴν στενοχωρίαν τὰ μὲν ἄλλα ἐμβεβληκέναι, τὰ δὲ αὐτοὺς ἐμβεβλῆσθαι, ubi, quia manifeste αἱ προσβολαί intellegendae sunt, parum diligenter historicus, si ita scripsit, in tanta vicinia hoc verbo usus est pro προσβεβληκέναι et προσβεβλῆσθαι.

73, 1. Ἑρμοκράτης — ἐσηγεῖται ἐλθὼν τοῖς ἐν τέλει οὖσιν (Syracusanis) ὡς οὐ χρεὼν ἀποχωρῆσαι τῆς νυκτὸς αὐτοὺς (Athenienses) περιιδεῖν, λέγων ἃ καὶ αὐτῷ ἐδόκει, ἀλλὰ ἐξελθόντας ἤδη πάντας Συρακοσίους καὶ τοὺς ξυμμάχους τάς τε ὁδοὺς ἀποικοδομῆσαι καὶ τὰ στενόπορα τῶν χωρίων προφθάσαντας φυλάσσειν. Aut omnia me fallunt, aut Thucydides non potuit scribere ἃ καὶ αὐτῷ ἐδόκει. Nulla enim causa potest excogitari, cur aliquis suspicaretur fortasse Hermocratem aliud cogitasse aliud dixisse, itaque inepte supervacanea sunt ista verba. Sed procul dubio sub pronomine αὐτῷ aliud latet, fortasse Γυλίππῳ, quem non aliter sensisse cum per se probabile est, tum confirmatur iis, quae legimus mox cap. 74, 2 Συρακόσιοι δὲ καὶ Γύλιππος τῷ μὲν πεζῷ προεξελθόντες κτέ. Quidni lenius coniciam ἃ καὶ αὐτοῖς (sc. τοῖς ἐν τέλει) ἐδόκει in editione mea ad h. l. notavi.

75, 2 δεινὸν οὖν ἦν οὐ καθ' ἓν μόνον τῶν πραγμάτων, ὅτι τάς τε ναῦς ἀπολωλεκότες πάσας ἀπεχώρουν καὶ ἀντὶ μεγάλης ἐλπίδος καὶ αὐτοὶ καὶ ἡ πόλις κινδυνεύοντες, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ

Digitized by Google

ἀπολείψει τοῦ στρατοπέδου ξυνέβαινε τῇ τε ὄψει ἑκάστῳ ἀλγεινὰ καὶ τῇ γνώμῃ αἰσθέσθαι. Aperte neque ferri potest artificiosa huius loci interpretatio, quae ne ipsi quidem auctori, Classenium dico, satisfecit, neque huius coniectura τῶν πεπραγμένων. Nisi fallor, lacuna statuenda est ante vocabulum τῶν πραγμάτων. Scribentes enim v. c. δεινὸν οὖν ἦν οὐ καθ' ἓν μόνον ⟨διεφθαρμένων⟩ τῶν πραγμάτων, ὅτι κτἑ., sententiam nanciscimur facillimam, quae nullo eget interprete.

75, 4 οὐκ ἄνευ ὀλίγων ἐπιθειασμῶν. Pro corrupto ὀλίγων, cuius incertior medela (hodieque placet quod olim proposui οἰκτρῶν) editor proposuit ὠμῶν, quod me iudice est ineptissimum.

Ad librum octavum.

2, 1 — οἱ δ' αὖ τῶν Λακεδαιμονίων ξύμμαχοι ξυμπροθυμηθέντες ἐπὶ πλέον ἢ πρὶν ἀπαλλάξεσθαι διὰ τάχους πολλῆς ταλαιπωρίας. μάλιστα δὲ οἱ τῶν Ἀθηναίων ὑπήκοοι ἑτοῖμοι ἦσαν καὶ παρὰ δύναμιν αὐτῶν ἀφίστασθαι κτἑ. Suspicione non plane vacat additum ὑπήκοοι, quo omisso e praegressis audiendum ξύμμαχοι, quo vocabulo subditos suos blando nomine denotare solebant Athenienses. Cf. tamen VII 57, 4 bis, VIII 64, 5. Cum loco nostro cf. mox cap. 4 extr. μάλιστα δὲ τῶν ξυμμάχων διασκοποῦντες ὅπως μὴ σφῶν ἀποστήσονται.

3, 1 εὐθὺς οὖν Ἄγις μὲν ὁ βασιλεὺς αὐτῶν ἐν τῷ χειμῶνι τούτῳ ὁρμηθεὶς στράτῳ τινὶ ἐκ Δεκελείας τά τε τῶν ξυμμάχων ἠργυρολόγησεν ἐς τὸ ναυτικόν, καὶ τραπόμενος ἐπὶ τοῦ Μηλιῶς κόλπου κτἑ. Recte, ut videtur, Classen de parvis Boeotorum oppidis et Locris Opuntiis haec accipit. Num forte Thucydides scripsit τινά τε τῶν ξυμμάχων?

7 τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθὺς ἐπειγομένων τῶν Χίων ἀποστεῖλαι τὰς ναῦς κτἑ. Adnotat Classen: ἀποστεῖλαι, „die Aussendung zu bewirken", die sie von dem Lacedaemonier zu erreichen bemüht waren. Es ist daher nicht mit dem Schol. ἐπείγεσθαι transitive zu verstehn (ἐπειγόντων). At scire pervelim,

Digitized by Google

ubi tandem verbo ἀποστέλλειν sit ista vis. Quare scholiastae adstipulandum videtur, nec verbi medii usus, quia ipsorum res agebatur, mirabilis est. Notissima est ex Odyssea formula ἐπελγεσθαι γάμον, libr. I 97 et XIX 142.

Ibidem ἦσαν δὲ αἱ ξύμπασαι τῶν ξυμμαχικῶν νηῶς αὐτόθι μιᾶς δέουσαι τεσσαράκοντα. Ita sine sensu e plerisque codicibus edere maluit Hude quam admittere egregiam Vaticani lectionem ξυμμαχίδων receptam ab aliis.

8, 2 ὁ δὲ Ἄγις ἐπειδὴ ἐώρα τοὺς Λακεδαιμονίους ἐς τὴν Χίον πρῶτον ὡρμημένους, οὐδ' αὐτὸς ἄλλο τι ἐγίγνωσκεν, ἀλλὰ ξυνελθόντες ἐς Κόρινθον οἱ ξύμμαχοι ἐβουλεύοντο, καὶ ἔδοξε πρῶτον ἐς Χῖον αὐτοὺς πλεῖν ἄρχοντα ἔχοντας Χαλκιδέα, —, ἔπειτα ἐς Λέσβον καὶ Ἀλκαμένη ἄρχοντα, —, τὸ τελευταῖον δὲ ἐς τὸν Ἑλλήσποντον ἀφικέσθαι —, διαφέρειν δὲ τὸν ἰσθμὸν τὰς ἡμισείας τῶν νεῶν πρῶτον, καὶ εὐθὺς ταύτας ἀποπλεῖν, ὅπως μὴ οἱ Ἀθηναῖοι πρὸς τὰς ἀφορμωμένας μᾶλλον τὸν νοῦν ἔχωσιν ἢ τὰς ὕστερον διαφερομένας. Classenii huius loci interpretatio, quam vide apud ipsum, obscura est admodum, neque ea res ipsum latebat, ut apparet ex eius adnotatione critica, ubi dicit se cogitasse de delenda negatione μή, scribens „es sollte nämlich grade die Absicht der Peloponnesier sein, die Aufmerksamkeit auf die erste Schiffabtheilung zu lenken, damit sie in Verfolgung derselben, die wegen ihrer Schwäche nicht zu fürchten wäre, die folgende ungestört liessen." Sana mihi videtur et probabilis admodum talis sententia, quam impense miror virum doctissimum interpretationi suae in notis infra textum, quae nulla est, posthabuisse. Ceterum quia negationem nemo facile lector aut librarius de suo additurus erat, multo probabilius arbitror Thucydidem scripsisse ὅπως δὴ οἱ Ἀθηναῖοι κτέ.

13 καὶ περὶ τὴν Λευκασίαν ἀπολῃφθεῖσαι (scil. Gylippi naves) καὶ κοπεῖσαι ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν ἑπτὰ καὶ εἴκοσι νεῶν κτέ. Valde abblanditur mihi Naberi coniectura ἀνακοπεῖσαι, licet verbum ἀνακόπτειν alibi apud Thucydidem non occurrat.

22, 1 μετὰ δὲ ταῦτα τοῦ αὐτοῦ θέρους οἱ Χῖοι, ὥσπερ ἤρξαντο,

Digitized by Google

οὐδὲν ἀπολείποντες προθυμίας, ἄνευ τε Πελοποννησίων (itaque suo marte) πλήθει παρόντες ἀποστῆσαι τὰς πόλεις βουλόμενοι καὶ (olim reposui pro καὶ βουλόμενοι) ἅμα ὡς πλείστους σφίσι ξυγκινδυνεύειν, στρατεύονται αὐτοί τε τρισὶ καὶ δέκα (correxi pro τρισκαίδεκα) ναυσὶν ἐπὶ τὴν Λέσβον, ὥσπερ εἴρητο ὑπὸ τῶν Λακεδαιμονίων δεύτερον ἐπ' αὐτὴν ἰέναι καὶ ἐκεῖθεν ἐπὶ τὸν Ἑλλήσποντον, καὶ ὁ πεζὸς ἅμα Πελοποννησίων τε τῶν παρόντων καὶ τῶν αὐτόθεν ξυμμάχων παρήει (i. e. ἔμελλε παριέναι) ἐπὶ † Κλαζομενῶν † τε καὶ Κύμης· κτἑ. Pro verbis sanissimis ἄνευ — πλήθει παρόντες (cf. Classen) temere ex mea quidem sententia et invito Thucydide editor in textum recepit infelicem suam coniecturam ἅμα — πλήθει πειρῶντες. Contra neglexit monere de evidenti nominis Κλαζομενῶν corruptela, pro quo cum Classenio expectatur Φωκαίας. Cf. cap. 31 § 3.

22, 5 ἀπεκομίσθη δὲ πάλιν κατὰ πόλεις καὶ ὁ ἀπὸ τῶν νεῶν πεζός. Si verba ἀπὸ τῶν νεῶν, quae Poppo expungebat, aliquid genuini continent, satis placet Gertzii et editoris coniectura ἀπὸ τῶν Ἰωνων. An ἀπὸ Ἰώνων?

24, 6 εἰργομένοις δ' οὖν αὐτοῖς (Chiis) τῆς θαλάσσης καὶ κατὰ γῆν πορθουμένοις ἐνεχείρησάν τινες πρὸς Ἀθηναίους ἀγαγεῖν τὴν πόλιν. Malim ἀναγαγεῖν, *reducere*, nam ab illis defecerat.

34. καὶ χειμών τε μέγας ἐπιγίγνεται καὶ αἱ μὲν τῶν Χίων (νῆες sc.) μόλις καταφεύγουσιν ἐς τὸν λιμένα, αἱ δὲ τῶν Ἀθηναίων αἱ μὲν μάλιστα ὁρμήσασαι τρεῖς διαφθείρονται καὶ ἐκπίπτουσι πρὸς τὴν πόλιν τῶν Χίων κτἑ. Num forte διαφθείρονται [καὶ] ἐκπίπτουσ‹α›ι πρὸς τὴν πόλιν τῶν Χίων?

35, 2 καὶ αὐτοὺς οἱ ἐν τῇ Μιλήτῳ (i. e. Theramenes et fortasse Alcibiades), ὡς ἤσθοντο, ἐκέλευον ταῖς μὲν ἡμισείαις τῶν νεῶν Κνίδον φυλάσσειν, ταῖς δὲ περὶ Τριόπιον οὔσαις τὰς ἀπ' Αἰγύπτου ὁλκάδας προσβαλούσας (fut.) ξυλλαμβάνειν. Expectabam ταῖς δὲ ‹ἡμισείαις› vel ταῖς δὲ ‹λοιπαῖς› περὶ Τριόπιον οὔσαις κτἑ.

41, 2 καὶ ἐς Κῶν τὴν Μεροπίδα ἐν τῷ παράπλῳ ἀποβὰς τήν τε πόλιν ἀτείχιστον οὖσαν καὶ ὑπὸ σεισμοῦ, ὃς αὐτοῖς ἔτυχε μέ-

Digitized by Google

γιστός γε δὴ ὧν μεμνήμεθα γενόμενος, ξυμπεπτωκυῖαν ἐκπορθεῖ, τῶν ἀνθρώπων ἐς τὰ ὄρη πεφευγότων, καὶ τὴν χώραν καταδρομαῖς λείαν ἐποιεῖτο, πλὴν τῶν ἐλευθέρων· τούτους δὲ ἠφίει (Stahl pro ἀφίει).

In his quoque hiare mihi videtur oratio. Suspicor: καὶ τὴν χώραν καταδρομαῖς λείαν ἐποιεῖτο, ⟨ἀνδραποδίζων⟩ πλὴν τῶν ἐλευθέρων κτἑ.

61, 3 καὶ καρτερᾶς γενομένης ναυμαχίας οὐκ ἔλασσον ἔχοντες ἐν τῷ ἔργῳ οἱ Χῖοι καὶ οἱ ξύμμαχοι — ἀνεχώρησαν ἐς τὴν πόλιν. Miror me excepto nullum editorem recipere ausum esse libri Vaticani lectionem quae sola rationem habet σχόντες, correctis reliquis locis Thucydideis, qui eodem vitio laborant, ne Classen quidem, qui melius quam Hude intellexit eius codicis in posterioribus libris operis Thucydidei praestantiam. Quid quaeso miri habet perpetua in mscr. formarum ЄΧЄΙΝ et ϹΧЄΙΝ, ЄΧΩΝ et ϹΧΩΝ similiumque confusio?

64, 1 καὶ εἴρητο αὐτοῖς τῶν ὑπηκόων πόλεων αἷς ἂν ἴσχωσιν ὀλιγαρχίαν καθιστάναι. Soloeca mihi videtur haec cod. C scriptura, quam Hude praetulit lectioni optimae Vaticani προσ(σ)χῶσιν merito receptae a Classenio aliisque, quamque confirmant reliquae varietates omnes leviter depravatae. Necessariam esse praepositionem cum per se liquet tum docent loci IV 30, 2. II, 91. VII 35, 2. — Ex eodem codice C perperam recepit κατελύετο in cap. 63 § 3 ὑπὸ γὰρ τοῦτον τὸν χρόνον καὶ ἔτι πρότερον ἡ ἐν ταῖς Ἀθήναις κατελέλυτο, quam reliquorum librorum lectionem verissimam esse sequens narratio abunde demonstrat. Sed prorsus mihi Hude probavit quod ex contempto sibi Vaticano (cum scholio) et Dion. Hal. ep. 2 ad Amm. p. 800, 2 recepit εὐνομίας mox 64, 5 σωφροσύνην γὰρ λαβοῦσαι αἱ πόλεις καὶ ἄδειαν τῶν πρασσομένων ἐχώρησαν ἐπὶ τὴν ἄντικρυς ἐλευθερίαν, τῆς ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων ὑπούλου εὐνομίας (τὴν — ὕπουλον εὐνομίαν C) οὐ προτιμήσαντες pro vulgata scriptura τὴν — ὕπουλον αὐτονομίαν, quod mendum originem debere suspicor praegresso ἐλευθερίαν, et fortasse infelici coniecturae debetur. Nihil curantes falsam istam ab Atheniensibus sibi oblatam eunomiam Thasus aliaeque civitates, nanctae maiorem agendi libertatem quam sub populari imperio habuerant, ab Athenis defecerunt.

Digitized by Google

70, 1 πλὴν τοὺς Φεύγοντας οὐ κατῆγον τοῦ Ἀλκιβιάδου δὴ ἕνεκα. Probabilis Hudii correctio pro δέ.

82, 1 τήν τε παραυτίκα ἐλπίδα ἕκαστος τῆς τε σωτηρίας καὶ τῆς τῶν τετρακοσίων τιμωρίας οὐδενὸς ἂν ἠλλάξαντο, καὶ ἑτοῖμοι ἤδη ἦσαν [κατὰ (διὰ BCG?) τὸ αὐτίκα] τούς τε (τότε C) παρόντας πολεμίους ἐκ τῶν λεχθέντων (ab Alcibiade) καταΦρονεῖν καὶ πλεῖν (B, ceteri πλεῖν τε) ἐπὶ τὸν Πειραιᾶ. Mihi non displicet Classenii haec loci constitutio, deletis verbis κ.τ.α. ut glossemate, et saltem magis probatur quam Hudiana: καὶ ἑτοῖμοι ἦσαν διὰ τὸ ⟨τοὺς⟩ αὐτίκα τότε παρόντας πολεμίους καταΦρονεῖν πλεῖν ἐπὶ τὸν Πειραιᾶ, in qua verba αὐτίκα τότε haud satis intellego. Melius certe Gertz apud Hudium: καὶ ἑτοῖμοι ἤδη ἦσαν αὐτίκα διὰ τὸ ⟨τοὺς⟩ παρόντας πολεμίους κτέ. Sed ita nescio an potius scribendum sit καὶ ἑτοῖμοι δὴ ἦσαν αὐτίκα, quia post ἤδη abundat αὐτίκα.

97, 2 καὶ οὐκ ἥκιστα δὴ τὸν πρῶτον χρόνον ἐπί γε ἐμοῦ Ἀθηναῖοι Φαίνονται εὖ πολιτεύσαντες κτέ. Deest his verbis necessaria notio *tunc*, quare correxerim καὶ οὐχ ἥκιστα δὴ ⟨τότε⟩ τὸν πρῶτον χρόνον ἐπί γ' ἐμοῦ Ἀθηναῖοι Φαίνονται εὖ πολιτεύσαντες.

102, 1 καὶ τῆς αὐτῆς ταύτης νυκτὸς ὡς εἶχον τάχους (Athenienses) ὑπομείξαντες τῇ Χερσονήσῳ, παρέπλεον ἐπ' Ἐλαιοῦντος, βουλόμενοι ἐκπλεῦσαι ἐς τὴν εὐρυχωρίαν [τὰς τῶν πολεμίων ναῦς]. καὶ τὰς μὲν ἐν Ἀβύδῳ ἑκκαίδεκα ναῦς ἔλαθον, προειρημένης Φυλακῆς † τῷ Φιλίῳ ἐπίπλῳ (neque Gerzii coniectura ἐν τῷ Φ. ἐ. neque Hudiana τοῦ Φιλίου ἐπίπλου locum expediunt) ὅπως αὐτῶν ἀνακῶς ἔξουσιν, ἢν ἐκπλέωσιν· τὰς δὲ μετὰ τοῦ Πινδάρου ἅμα τῇ ἕῳ κατιδόντος τὴν δίωξιν εὐθὺς ποιουμένου οὐ Φθάνουσι πᾶσαι, ἀλλ' αἱ μὲν πλείους — διέΦυγον κτέ. Felicissima coniectura Gertz sic scripsit pro κατιδόντες. Mindarus *simulac vidit* Atheniensium naves persecutus est. Sanissimum igitur est δίωξιν, pro quo Herbst δίωσιν, Naber ἄνοιξιν proposuerant.

Digitized by Google

DE HEGIONE IN TERENTII ADELPHIS.

SCRIPSIT

G. E. W. VAN HILLE.

Varie viri docti disputaverunt cum de ceteris personis dramatis Terentiani, quod inscribitur „Adelphi", tum de Hegione. Quaesiverunt, cur Terentius a Menandro discessisset in fingendo cognationis vinculo, quo Hegio cum paupere familia Simuli erat iunctus et uter, Menander an Terentius, rem melius tractasset.

Donato enim auctore Hegio, cui mulieres inopes curae sunt, apud Menandrum avunculus Pamphilae virginis est, ideoque Sostratae, matris huius, frater; apud Terentium autem Hegio cognatus mortui Simuli, Sostratae mariti, esse fingitur. Iure animadvertit Sipkema [1]) discrepantiam haud parvam esse inter querelas, quas in Terentiana fabula legimus, de miserrima solitudine, in qua versatur Sostrata, et rerum verum statum, quoniam Hegio „patroni et patris" instar cognatas suas colit et defendit. Hanc discrepantiam, quamquam lepide explicat Sipkema, tamen in Graeca fabula ne extitisse quidem puto. — Quid enim?

Sostrata marito mortuo vidua relicta est cum una filia, masculis liberis orba. Itaque iure attico Pamphila ἐπίκληρος — eheu sine hereditate — proximo agnato (si sic verti licet id, quod est ἀγχιστεύς) ducenda est. Ἀγχιστέα illum minime cupidum esse uxoris indotatae ducendae apparet ex ipsa fabula, ubi ne intrat quidem in scaenam. Quid faciendum?

„An sedere oportuit
Domi virginem tam grandem, dum cognatus hinc
Illinc veniret expectantem?" (Ad. 672—674)

1) Cf. Sipkema, Quaestiones Terentianae, p. 33—40.

Digitized by Google

Sine dubio. Nil, hercle, supererat. Relicta igitur erat ab omnibus. Quid faciat Hegio, sororis suae κύριος, — nam parentes Sostratae sine dubio iam mortui sunt, — vocetne agnatum impium in ius, quem cogat miseram orbam ducere invitum? Officium proprie archontis eponymi et praeterea ingratum, cum metuendum sit ne agnatus, etiamsi inveniri possit, ἀγχιστείαν suam infitias eat, quod non difficile fuisse videtur in Atheniensium republica.

Itaque, aureae regulae „in dubiis abstine" memor, nil facit.

Forte autem fortuna Aeschinus adulescens genere divite et nobili puellam vitiavit et ducturum se profitetur.

Bonus Hegio amore illo quamvis illicito gaudet, sperans fore ut Demea et Micio, viri in urbe spectatissimi, hic propter liberalitatem ingenii, ille propter vitae integritatem et modestiam, re comperta, Aeschinum puellam ducere cogant. Haec est causa, ni fallor, cur usque ad diem, quo rapitur psaltria, tranquillus rerum eventum expectet.

Neque frustra fuit, ut fabula, quam enarrare supersedeo, docet.

Fabula, qua Micio (IV 5) Aeschinum ludit ficto matrimonio Pamphilae cum homine, qui patri eius „genere sit proximus" cuique „leges cogant nubere hanc", spectatur epiclerorum condicio et ius proximi agnati in epiclerum vel etiam nuptam; quod Aeschino nostro non erat timendum in uxore indotata. Totum institutum quamvis abhorrens a moribus Romanorum Terentius in fabulam suam e iure attico transtulit. Luce autem clarius est Hegionem in fabula Menandrea Simuli cognatum proximum non fuisse, nam sic eius fuisset Simuli filiam ducere; quae res totum fabulae argumentum evertisset.

Apud Terentium vero Hegio est cognatus Pamphilae (351), „Simulo summus" (352), solus patronus Sostratae (456), cognatus Simuli (494), una cum eo educatus (495), mulieribus cognatus proximus (947); praeterea moribundus Simulus ei uxorem et filiam commendavit (457). Ex his, ni fallor, efficere possumus Hegionem proximum esse agnatum Pamphilae; oritur igitur quaestio, cur Terentius ab exemplari Graeco discesserit.

Nescio; — sed fieri potuit, ut Terentius partes in Graeca fabula ab Hegione actas infra dignitatem avunculi esse censeret. Nec sine causa; nam mater lenae partes agens — alio enim

Digitized by Google

nomine eius operam aut indulgentiam significare non possum, quoniam de vi illata (308 coll. 470) nil credo — poëtae minus offensioni fuisse videtur quam avunculus lenonis. Quid mirum? Scimus antiquos feminas non magni aestumasse.

Dein Micio fortasse in narratione de ficto Milesio voluit, Aeschinum credere fore ut Pamphilam duceret Hegio. Neque vereor ne quis mihi obiciat Hegionem Aeschino ignotum non fuisse; nam haud rara in fabulis est eiusmodi neglegentia. Nonne Micio fingit Aeschinum vicinas suas non nosse? Hercle, si haud absurdum esse putatur adulescentem vicinam puellam festivam non nosse, quid mirum eum ad senem horridum nunquam attendisse?

Utut hoc est, Terentius, instituta ad epiclerorum condicionem pertinentia in fabula sua intacta servans et nihilominus Hegionem proximum cognatum Simuli faciens, corrupit exemplar Graecum.

AD EUR. HIPP. 43—46.

Multorum apud veteres scriptores tum latinos tum graecos locorum perverse iniecta interpunctione detortum atque obscuratum esse sensum non huius temporis neque omnino necesse est ut admoneam. Unum tantum ex ingenti numero hic repurgare conabor. Est is locus Eur. *Hipp.* 43—46, ubi in omnibus quáecumque mihi quidem innotuerunt editionibus post *γέρας* vocabulum virgula intrusa est, quae si sublata erit, statim et verus verborum atque sententiarum contextus emerget et correctione levissima illa quidem versum 46 sanandum esse comparebit. Totum de quo agitur locum hunc in modum scribendum esse censeo:

καὶ τὸν μὲν ἡμῖν πολέμιον νεανίαν
κτενεῖ πατὴρ ἀραῖσιν ἃς ὁ πόντιος
ἄναξ Ποσειδῶν ὤπασεν Θησεῖ γέρας
μηδὲν ματαίους ἐς τρὶς εὔξασθαι θεῶι,

sensus autem est: *et infensum illum nobis iuvenem interficiet pater precibus quibus marinus ille rex Neptunus honoris causa Theseo concessit ut minime irritis ter adiret deum.* Vix admonendos esse lectores arbitror vocabulum quod est *θεῶι* eodem modo pro *αὐτῶι* positum esse atque supra illud *Θησεῖ*. Ex mente loquentis vel, ut recentiorum philosophorum dicendi ratione utar, obiective non subiective utrumque dictum.

Novi Eboraci. MORTIMER LAMSON EARLE.

Digitized by Google

OBSERVATIONES CRITICAE

AD

DIONYSII HALICARNASSENSIS

ANTIQUITATES ROMANAS.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

(*Continuantur e Vol. XXIX pag.* 340).

IV 24 p. 698: ἐπίσαμαί τινας ἅπασι τοῖς δούλοις συγκεχωρηκότας εἶναι ἐλευθέροις μετὰ τὰς ἑαυτῶν τελευτάς, ἵνα χρηστοὶ καλῶνται νεκροί. Ultimum vocabulum expungendum est; Plutarchus dicet Moral. p. 292 B qui aliquando apud Spartanos χρηστοί dicti sint; potuit hoc Dionysius ex Aristotele petere. Et quoties in inscriptionibus sepulcralibus legitur χρηστὲ χαῖρε!

IV 26 p. 705. Servius Tullius ferias in Aventino instituit, quibus εἴ τι γένοιτο πρόσκρουσμα αὐταῖς πρὸς ἀλλήλας (Romae et Latinorum urbibus), ἐκ τῶν ἱερῶν τοῦτο διαλύσονται, ταῖς ἄλλαις πόλεσιν ἐπιτρέψασαι τὰ ἐγκλήματα διαγνῶναι. Quid est hoc ἐκ τῶν ἱερῶν? Haerent interpretes: Schallerus ἐκ τῶν κοινῶν verum esse suspicatur, Iacobius ἐκ τῶν ἴσων vel simile quid. Multo rectius corrigetur: κατὰ τῶν ἱερῶν, eo sensu quo legitur in Demophanti lege apud Andocidem de Myster. § 98: ταῦτα δὲ ὀμοσάντων Ἀθηναῖοι πάντες καθ' ἱερῶν τελείων τὸν νόμιμον ὅρκον. Itidem Arist. Ran. 101, Thucyd. V 47, Demosth. p. 1365. 17. Quin et apud Dionysium ipsum IV 58 p. 782, VI 84 p. 1234, VI 95 p. 1262, alibi. Vide etiam Leeuwenium ad Arist. Eqq. 660.

Digitized by Google

IV 27 p. 708: *ἠνάγκασε τοὺς οὐκ ἀξιοῦντας ἄρχεσθαι τὸν χαλινὸν ἑκόντας λαβεῖν.* Speciem habet quod Hertlinius correxit *ἄκοντας*, et miror quod Iacobius coniecturam non in textum intulit. Etiam Cobeto p. 87 illud *ἑκόντας* displicebat. Latine certe non cogimus nisi invitos ac proinde *ἄκοντας* possit videri abundare, sed apud Dionysium certe saepe *ἀναγκάζειν* non plane convenit cum cogendi verbo. Conferat mihi quis v. c. VIII 73 p. 1685: *Κασσίῳ δόξαντι ἠναγκακέναι τὴν βουλὴν ἄκουσαν ἐπικυρῶσαι*, IX. 22 p. 1802: *ἠνάγκαζε ... ἐπάναγκες τρέφειν.*

IV 30 p. 718: *οὕτως ὀλίγον ἐστὶν ἐν ταῖς ἱστορίαις αὐτοῦ* (Fabii Pictoris) *τὸ περὶ τὴν ἐξετασιν τῆς ἀληθείας ταλαίπωρον.* Haec lectio est Codicis Urbinatis; Chisianus autem habet *ἀταλαίπωρον*, nec solus Chisianus, nam Sylburgius cui hic codex incognitus fuit, itidem *ἀταλαίπωρον* edidit. Hic conferamus Cobetum p. 84: „Alias res", inquit, „agebant qui *ἀταλαίπωρον* defendebant ex Thucydide I 20: *οὕτως ἀταλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας*, iure a Kiesslingio notati. Eodem modo Aristophanes dixit: *οὕτως ἀταλαιπώρως ἡ ποίησις διάκειται.* Expressit Dionysius dictum Thucydidis ita ut pro *ἀταλαίπωρος* substitueret *ὀλίγον τὸ ταλαίπωρον*". Audio, et concederem ni esset lectio *ἀταλαίπωρον*· hanc librarii unde cognoverunt? Si dices, unum alterumve Thucydidis fuisse memorem et intulisse in textum quod per coniecturam reperisset, pergam rogare quomodo tam doctus librarius scribere potuerit *ὀλίγον τὸ ἀταλαίπωρον* quod absurdum est, nec praeterea correxerit *πολὺ τὸ ἀταλαίπωρον.* Fieri potest ut pro *ἀταλαίπωρον* correxerit aliquis *ταλαίπωρον*, ne Dionysius nihil diceret; sed contrarium vix ac ne vix quidem credibile. Unum exitum video et scribam: *οὕτω συχνόν ἐστιν ἐν ταῖς ἱστορίαις αὐτοῦ τὸ περὶ τὴν ἐξέτασιν τῆς ἀληθείας ἀταλαίπωρον.* Nec nimis violenta mutatio videbitur, dummodo cogites usum literarum uncialium.

IV 33 p. 725: *ἐν ἐμοὶ κατελείπεσθε μόνῳ Φύλακι.* Nonne rectius erit *ἐπ' ἐμοί*? Crebrae sunt harum praepositionum confusiones; veluti V 13 p. 875: *σῖτον τὸν μὲν ἐπὶ ταῖς καλάμαις, τὸν δ' ἤδη ἐπὶ τοῖς ἄλωσι κείμενον*, non possum non suspicari praestare *ἐν ταῖς καλάμαις.*

Digitized by Google

IV 35 p. 730: τὸ γὰρ πεῖσον αὐτοὺς εἶναι χρηστοὺς οὐ πεφύκασι φέρειν οἱ λόγοι. Quum anno 1864 Cobetus in Academia Lugduno-Batava Rectoris Magnifici munus deponeret, habuit orationem *de Monumentis Literarum Veterum suo pretio aestimandis*. Haec oratio in paucorum manus pervenit; ego saepe legi itemque attentus auditor interfui. Multa tunc breviter disputavit quae olim copiosius exposuerat; sed unica est observatio, quam alibi frustra quaesiveris. Postquam Dionysii ineptias non sine quadam acrimonia exagitavit, ita pergit: „Depone mihi rhetorem Halicarnassensem e manibus et Flavium Iosephum inspice, qui se ad Dionysii exemplum ita composuit ut exemplum vitiis superaverit". Scripsi equidem ante sex annos in *Vita Cobeti* p. 301, me de ea re quam plurimum dubitare neque perspicere quibus in rebus Iosephus Dionysium imitatus sit. Hoc hodie retracto saepeque dum utrumque scriptorem inter se animo componebam, alter alterius tanquam expressa imago visus est. Leve indicium nec contemnendum nunc adscribam. *Mnem.* 1885 p. 283 et 379 usus sum quadam observatione Holwerdae in *Emendationibus Flavianis* p. 101 et 128, quae ita audit: „Tota", inquit, „de Caligulae morte narratio, quae maxima libri XIX parte continetur, orationis genere perplexo et tortuoso conscripta est. Quod idem in libri XV parte postrema, tum in libris XVI, XVII et XVIII animadvertere licet. Quantum isti a prioribus libris differant, dici vix potest. Liber XX orationem habet facilem ac perspicuam, sed rursus tum ab his tum ab illis magnopere diversus est." Quod Iosephus alibi aut raro aut numquam habet, in ea calamistrata Antiquitatum parte solus propemodum inter omnes scriptores quotquot cognovimus, participia futura usurpat vi substantivorum abstractorum: veluti XVII § 172: μηδ' ἥντινα ἀμφὶ τοῦ σωθησομένου ἐλπίδα ἔχων, XVIII § 147: ἀπορίᾳ τοῦ ἐκτίσοντος τὰ χρέα, et alibi persaepe. Primus de hoc usu Holwerda dixerat, tum ego quaedam addidi, denique Guilelmus Schmidt in commentatione *de Flavii Iosephi Elocutione* p. 363 diligentissime de hoc participiorum usu omnia in unum collegit. Sed ecce dies diem docet et eo loco quem supra attuli, Dionysio apertissime τὸ πεῖσον idem est quod τὸ πείθειν. Incidi praeterea in IV 84 p. 838: θυμοὶ συνεξέπιπτον φόβοις, οἱ μὲν ἐπὶ τῷ κακῶς δρᾶσαι τὰ μισούμενα τῆς ἀσφαλείας

Digitized by Google

ὑπερορᾶν ἐπαίροντες, οἱ δὲ κατὰ λογισμὸν τοῦ μὴ ῥᾳδίαν εἶναι τὴν καθαίρεσιν τῆς τυραννίδος ὄκνον ταῖς ἐπιβολαῖς ἐπιφέροντες. Hic δρᾶσαι lectio est Codicis Urbinatis; reliqui omnes δράσαντι habent, pro quo Reiskius scripsit δράσοντι, quem non intelligo quomodo ita coniicere potuerit, nisi eo tempore recens esset a Iosephi lectione.

IV 38 p. 736: ἐλθὼν δ' εἰς τὴν ἀγοράν. Dicitur προϊέναι εἰς τὴν ἀγοράν, sicuti recte legitnr VII 27 p. 1373, XI 61 p. 2304 et XII p. 175. 27 Ksl., unde rescripserim προελθών. Contra παριέναι ἐπὶ τὸ βῆμα, cf. Cobet. p. 77 et 93; hinc VI 40 p. 1129 ἐλθὼν ἐπὶ τὸ βῆμα, non corrigam cum Kiesslingio προελθών, sed παρελθών necessarium duco. Activa verba sunt παράγειν et προάγειν, de quibus verbis aliquando explicatius dicendum erit.

IV 38 p. 738. Servius Tullius de curiae gradibus deiectus ἀπῄει ςένων κρατούντων καὶ παραπεμπόντων αὐτὸν ὀλίγων. Participium κρατούντων displicuit Buchelero qui commendavit κρατυνόντων. Si vitiosa lectio est, malim sane: καταγόντων. Sed quam est mire dictum quod continuo sequitur: κακῶς ὅλον ἑαυτὸν ἐκ τοῦ πτώματος ἔχων.

IV 51 p. 767: τοὺς πολεμίους οὐ πολλοὺς ὁρῶντες. Supplendum: ὄντας.

IV 54 p. 774. Sextus Tarquinius certos quosdam homines mittit clam Φράσοντας τοῖς Γαβίοις ὅτι πολεμεῖν τῷ πατρὶ διέγνωκεν ὡς αὐτοὺς ἀφικόμενος εἰ λάβοι πίςεις. Praestabit, uti arbitror, ὡς αὐτὸς ἀφιξόμενος. Et de futuro quidem parum dubito quin necessarium sit et contuli V 59 p. 987: ὡς ἀφιξομένης ἐπικουρίας ἐν τάχει itemque placet nominativus αὐτός, sed duo loci me quodammodo retinent: IV 55 p. 775: πολλῶν ὡς αὐτοὺς ἀφικομένων et V 7 p. 857: ἀφικομένων ὡς αὐτούς.

IV 56 p. 776: ἔτυχον δὲ μήκωνες ἐν τῷ κήπῳ πεφυκυῖαι πλήρεις ἤδη τοῦ καρποῦ καὶ συγκομιδῆς ὥραν ἔχουσαι. Etiam pueris notum est quid et quomodo Tarquinius responderit ho-

Digitized by Google

mini quem filius Gabiis miserat ipseque Dionysius animadvertit regem imitatum fuisse exemplum quod Thrasybulus Milesius dedisset secundum Herodotum V 92. Sed Thrasybulus διεξήιε τὸ λήιον καὶ ἐκόλουε αἰεὶ ὅκως τινὰ ἴδοι τῶν ἀσταχύων ὑπερέχοντα. Hic equidem quaesivi multosque lectores quaesivisse suspicor, potuerintne Romani probabiliter papavera substituere. Ipse quoque Livius: summa papaverum colla dicitur baculo decussisse. Intelligo sane maluisse veteres papaver appellare, quum *caput* dicatur habere, veluti noto loco in nono Aeneidis et vide praeterea Iliad. Ξ 499: ὁ δὲ Φὴ κώδειαν ἀνασχών· sed nulla in fabula verisimilitudo, nisi in hortis satum fuerit. Serebantne? Ita est: serebant. Plinius H. N. XIX 8. 53 tradit candidi papaveris semina tosta in secunda mensa cum melle apud antiquos inferri solita: huic potioni secundum Festum nomen erat *coceto*. Hinc etiam papaver *sativum* dicitur.

IV 57 p. 778. Voluit Sextus Tarquinius Antistii Patronis domum perscrutari πέμψας ἑτέρους. Ex Urbinate apud Kiesslingium enotatur varia lectio ἑταίρους eamque recipiendam duco, cum sodales illi inde a pag. 775 haud semel memorentur.

IV 70 p. 808. Nimium est quod de Bruto legimus: δόξας ἁπάντων ἀνθρώπων εἶναι Φρονιμώτατος. Satis est: ἁπάντων τῶν ἄλλων et vides unde corruptela repetenda sit.

IV 71 p. 812. Minime rarum est verbum ἐπιλογίζεσθαι· veluti hic legitur τὰ μὲν ἄλλα ὀρθῶς ἐπιλελογίσθαι μοι δοκεῖς, quae verba itidem leguntur III 15 p. 446. Similiter usurpatum inveni IV 7 p. 653 ἕκαστα ἐπιλογιζομένοις· VII 13 p. 1341: πολλὰ τὰ συμΦέροντα ἐπιλογιζομένοις· VII 19 p. 1356: τὰ τ' ἄλλα ἐπιλογιζομένοις· XIX p. 238. 3 Ksl.: τούτων ἕκαστον ἐπιλογιζόμενον. Ab hoc verbo ita differt ὑπολογίζεσθαι ut de re aliqua turpi vel odiosa vel periculi plena poni soleat: VIII 6 p 1517: οὐθὲν οὔτε μνησικακήσαντες οὔτε ὑπολογισάμενοι ὧν ἐπάθετε· IX 9 p. 1760: οὔτε τὴν αἰσχύνην ὑπολογισάμενοι· X 37 p. 2089: οὐδένα κίνδυνον δεδιὼς οὔτε ὑπολογιζόμενος· X 48 p. 2120: κίνδυνον οὐδένα ὑπολογιζόμενοι. Sed XIII p. 129. 29 Ksl. Camillus non suas sed patriae τὰς συμΦορὰς ἐπιλογίζεται.

Digitized by Google

IV 77 p. 822. Verba sunt Bruti in concione populi: Mirabimini, ait, me de rep. dicere ᾧ κηδεμόνων οὐχ ὑγιαίνοντι δεῖ. Insere: (ὡς) οὐχ ὑγιαίνοντι.

IV 81 p. 831. Coegit Tarquinius de plebe homines ταλαιπωρεῖν ἐν ταρτάροις καὶ βαράθροις δαπανωμένους. Insolito more hoc dictum est: expectaveram: ἐν βορβόροις καὶ βαράθροις. Saepe confundi solent βάρβαρος, βόρβορος, μάρμαρος, μέρμερος. Veluti apud Aristophanem in Vespis 259:

ἀλλ' οὗτοσί μοι βόρβορος φαίνεται πατοῦντι,

Hamakerus acute coniecit μάρμαρος. Apud Platonem Rep. VII p. 533 D: ἐν βορβόρῳ βαρβαρικῷ τινι τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα κατορωρυγμένον, expungam id quod est βαρβαρικῷ. Magna est ubique talium copia.

V 3 p. 849. Tarquinius ad Etruscos ἐπὶ τοὺς ἐφ' ἑαυτῷ ποτε γενομένους ἠναγκάσθη καταφυγεῖν. Ita Iacobius edidit Chisianum et Urbinatem secutus, sed palam est praestare vulgatam lectionem ὑφ' ἑαυτῷ.

V 8 p. 859: ἔργα Βρούτου μεγάλα καὶ θαυμαστὰ λέγειν ἔχων .... δέδοικα μὴ σκληρὰ καὶ ἄπιστα τοῖς Ἕλλησι δόξω λέγειν. Saepe apud Dionysium incertus haereo utrum θαυμαστὸν scribam, an θαυμάσιον, sed hic sane malim: μεγάλα καὶ θαυμάσια. Etenim seq. pag. invenio: θαυμαστὸν μὲν καὶ τοῦτο ... πολλῷ δ' ἔτι τοῦτο θαυμασιώτερον, ubi comparativus demonstrat θαυμάσιον iterum reponendum esse. Idem usu venit XI 16 p. 2194 et XIV p. 201. 13 Ksl. Si bene scriptorem novi, Bruti factum miratur magis quam admiratur. Hinc etiam, uti coniicio, p. 862 τὰ παράδοξα καὶ θαυμάσια τοῦ ἀνδρὸς appellavit, non θαυμαστά.

V 6 p. 854. Curiae regibus exactis bona reddenda esse censuerunt: ἀναλαβοῦσαι ψῆφον αἱ φρᾶτραι τριάκοντα οὖσαι τὸν ἀριθμὸν οὕτω μικρὰν ἐποιήσαντο τὴν ἐπὶ θάτερα ῥοπήν, ὥστε μιᾷ ψήφῳ πλείους γενέσθαι τῶν κατέχειν τὰ χρήματα βουλομένων τὰς ἀποδιδόναι κελευούσας. Hic Cobetus, quod rarissime facit,

Digitized by Google

cavillari mihi videtur: „Non est magnus", inquit, „numerandi artifex Dionysius, qui non cogitaverit in numero XXX curiarum fieri non potuisse ut altera pars *uno* suffragio vinceret." Hoc quidem ignorare tam mihi stultum videtur, ut omnia prius tentanda esse censeam quam talem loci explicationem probem et amplectar. Hoc Dionysius dixisse videtur: *una* curia in causa fuit, ut plures essent quae Tarquinio bona sua reddere vellent: si *una* curia mutasset sententiam, suffragia utrimque paria fuissent et neutra pars vicisset. Primum fere necessario incidas in eam loci significationem, de qua sola Cobetus cogitavit; sed altera quoque satis se poterit tueri. Norunt pueri quo sensu dativus cum comparativis iungatur; sed μιᾷ ψήφῳ nunc quidem, uti arbitror, merus dativus instrumentalis est. Est autem etiam alter locus ad quem Cobetus provocavit ut Dionysii imperitiam argueret. Legimus de Coriolano VII 64 p. 1466: μιᾶς γὰρ εἴκοσι τότε Φυλῶν οὐσῶν, αἷς ἡ ψῆφος ἀνεδόθη, τὰς ἀπολυούσας Φυλὰς ἔσχεν ὁ Μάρκιος ἐννέα· ὥς' εἰ δύο προσῆλθον αὐτῷ Φυλαί, διὰ τὴν ἰσοψηφίαν ἀπελέλυτ' ἂν, ὥσπερ ὁ νόμος ἠξίου. Hic quoque Cobetum audiamus: „Vides non esse Dionysium ἀριθμεῖν δεινόν, qui serio credidit, quum XXI tribus in suffragium mitterentur, suffragia paria esse potuisse. In alio fortasse putes in numero esse erratum. Sed Dionysius *non semel* sic peccavit, et de numero tribuum constabat." Iam statim unum telum Cobeto extorsimus, nam si priorem locum recte interpretati sumus, sequitur semel tantum Dionysium tam pueriliter erravisse. Sed potuitne ignorare *imparem* fuisse tribuum numerum, quum essent una et viginti?" Caditne hoc in eum qui alibi narrat se saepe comitiis p. r. interfuisse? Cras credam. Si duae tribus accessissent novem illis quae Coriolanum absolverant, decem tribus eum condemnavissent, sed sibi habuisset undecim et absolutus fuisset: hoc planum est et facile intellectu. Remanet autem molestum illud διὰ τὴν ἰσοψηφίαν. Quam proclive est suspicari locum intus alere vitium! Non urgeo ἰσοψηφίαν praeterea semel tantum legi apud Plutarchum, sed significatione diversa, nam, fateor, Dionysius servavit analogiam quum de pari utrimque suffragiorum numero usurparet. Hic a me postulari non debet, ut coniectando melius quid ipse afferam; sed si quis hoc aget, nullo negotio poterit aliquid reperire quod

Digitized by Google

sic satis placeat, nempe: *διὰ τὴν παρισοψηφίαν*. Ceterum cf. Aesch. c. Ctes. p. 89. 35.

V 15 p. 880. Aruns Tarquinius Brutum *προὐκαλεῖτο μόνον αὐτῷ συνοισόμενον*. Scripsissem equidem: *μόνον μόνῳ*. Cf. XI 14 p. 2189, alibi.

V 16 p. 882: *Φωνή τις ἠκούσθη ταῖς δυνάμεσιν ἀμφοτέραις γεγονυῖα*. Hic haerent interpretes et Schnellius ad incitas, credo, redactus, commendavit: *Φωνή τις γέγονεν*, nec certe potuit dicere unde corruptela esset orta. Potuerat eum tamen in viam reducere Reiskius, qui docte erravit quum rescribebat barbaram formam *γεγωνοῦσα*, sed quantillum est verum reperire *γεγωνυῖα*. Hoc habet Reiskius: de grammatica numquam admodum sollicitus fuit, sed praecellebat in eo sensus eius quod decet. Ceterum invenio apud Dionysium in vicinia, V 24 p. 899: *Φωνὴ γεγωνοτέρα*, VIII 56 p. 1640: *ἐφθέγξατο Φωνὴν εὐσύνετόν τε καὶ γεγωνόν*, XIII p. 190. 27 Ksl.: *Φωνῇ γεγωνῷ ἐφθέγξατο*. Praeterea Leeuwenius me admonet etiam I 39 p. 100 pro *ἐγεγόνει* esse legendum *ἐγεγώνει*.

V 17 p. 884: *τὸν νόμον κείμενον ὑπὸ τῶν βασιλέων παρέλαβεν*. Imo: *ἐπὶ τῶν βασιλέων*.

V 17 p. 885. Tragici poetae apud Athenienses a vetustissimis temporibus repetebant usum orationum funebrium, quippe *κολακεύοντες τὴν πόλιν ἐπὶ τοῖς ὑπὸ Θησέως θαπτομένοις καὶ τοῦτ' ἐμύθευσαν*. Aliquid excidit; supplendum *ἐπὶ τοῖς — θαπτομένοις ἔπτά*. Neglexerunt librarii notam numeralem.

V 19 p. 889: *τὴν οἰκίαν ἐν ἐπιφθόνῳ τόπῳ κατεσκευάσατο*, leve est corrigere: *κατεσκεύασο*.

V 20 p. 891: *ἀποδείκνυται Οὐαλέριος τὸ δεύτερον ὕπατος καὶ σὺν αὐτῷ Λουκρήτιος*. Hic deesse non debet praenomen (*Τίτος*) *Λουκρήτιος*. Ceterum non exputo cur Iacobius alibi plerumque Titi nomen *προπερισπᾷ*. O Tite tute Tati. O Tite si quid ego.

Digitized by Google

V 21 p. 893: ἀφορμὰς ὑπέλαβεν ἔχειν καλὰς καταλῦσαι τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν παλαίτερον ἔτι τοῦτο βουλόμενος. Malim: βουλευόμενος, quemadmodum est V 41 p. 939 et alibi persaepe.

V 24 p. 899: περὶ παντὸς ποιουμένων σωθῆναι τοιοῦτον ἄνδρα τῇ πατρίδι καὶ τοῖς γειναμένοις. De Coclite hic sermo est, qui erat quidem de iuniorum numero et tamen nimis inepte parentum fit mentio. Patriam Dionysius amat nominare πόλιν vel πατρίδα τὴν γειναμένην, veluti V 29 p. 910, VI 9 p. 1057, VI 41 p. 1133, VI 71 p. 1202, cet. Hinc rescribam: τῇ πατρίδι τῇ γειναμένῃ.

V. 29 p. 910: οὐκ ἀγνοῶν ὅτι καὶ κατορθώσαντι καὶ διαμαρτόντι τῆς ἐλπίδος ἀποθανεῖν ὑπάρχει μοι. Necessarium est: ὑπάρξει.

V 30 p. 912: ἕκαστος εὐήθεις ἀσφαλείας λέγων ἐδόκει τῶν δεόντων φρονεῖν οὐδέν. Kiesslingius coniecit συνήθεις, quo non multum proficitur; suppleverim: εὐήθεις ἀσφαλείας (δδ ούς).

V 32 p. 917: ἐκπεσόντες ἐλπίδων ἃς εἶχον ἐπὶ τῷ βασιλεῖ. Dicitur hoc magis ἐν τῷ βασιλεῖ, cf. v. c. V 72 p. 1020.

V 33 p. 918: ἕως ἂν ἀπολούσωνταί τε καὶ τὰς ἐσθῆτας ἀπολάβωσιν. Praepositio male iterata est; restitue simplex verbum λούσωνται. Obiter cognosce quam sit Dionysius aniliter loquax addendo: ἵνα μὴ γυμνὰς ὁρῶσιν αὐτάς.

V 33 p. 919: συνεχώρησεν αὐτῷ πορευθέντι τὰς παρθένους ἀγαγεῖν. Hic si simpliciter dixero rescribendum esse πορευθέντα, paucos fortasse lectores habebo qui assentiantur. Itaque rem minime obscuram explicatius tractabo, quomodo post dativos sequi soleant accusativi cum infinitivis. Dixi de eo usu ad Xenophontis Anabasin *Mnem.* 1893 p. 1. Primum laudatis aliquot poetarum locis, ubi metrum accusativum certissima ratione tuetur, ex Anabasi descripsi: IV 1. 12: συνελθοῦσι τοῖς στρατηγοῖς — ἔδοξε τῶν ὑποζυγίων τἀναγκαῖα ἔχοντας πορεύεσθαι κατα-

Digitized by Google

λιπόντας τἄλλα, V 6. 1: ἐδόκει αὐτοῖς — παρακαλέσαντας τοὺς Σινωπέας πορεύεσθαι, III 1. 5: συμβουλεύει τῷ Ξενοφῶντι ἐλθόντα εἰς Δελφοὺς ἀνακοινῶσαι τῷ θεῷ· hinc I 2. 1: παραγγέλλει τῷ τε Κλεάρχῳ λαβόντι ἥκειν ὅσον ἦν αὐτῷ στράτευμα καὶ τῷ Ἀρισίππῳ συναλλαγέντι πρὸς τοὺς οἴκοι ἀποπέμψαι πρὸς ἑαυτὸν ὃ εἶχε στράτευμα reposui λαβόντα et συναλλαγέντα, quemadmodum brevi post recte sequitur: Ξενίᾳ ἥκειν παραγγέλλει λαβόντα τοὺς ἄλλους. Discrimen apparet: si retinueris dativum λαβόντι, hoc Xenophon dixisse videbitur: ἐπειδὴ Κλέαρχος ἔλαβεν ὅσον ἦν αὐτῷ στράτευμα, ὁ Κῦρος παραγγέλλει αὐτῷ ἥκειν· verum non haec est loci sententia, sed: παραγγέλλει τῷ Κλεάρχῳ λαβεῖν ὅσον ἦν αὐτῷ στράτευμα καὶ ἥκειν. Tam est hoc apertum ut magis non possit; itaque dativus se recte habet Anab. III. 1. 34: ἡμῖν δρῶσι τὰ παρόντα ἔδοξε συνελθεῖν· non enim significat: ἡμῖν ἔδοξε ὁρᾶν τὰ παρόντα καὶ συνελθεῖν, sed: ἐπειδὴ ἑωρῶμεν τὰ παρόντα, ἔδοξε συνελθεῖν. Post alios Cobetus breviter eandem quaestionem attigit *Mnem.* 1857 p. 368. Iam ad hanc lucem unusquisque sentit quam sit apud Dionysium absurdus ille dativus πορευθέντι, nec sane quidquam concessit Porsena Valerio πορευθέντι h. e. *absenti*, sed *praesenti*. Sed erunt fortasse qui dubitent an Dionysius eandem rationem secutus sit, quam apud Athenienses perpetuam esse comperimus: horum igitur in gratiam pauca quaedam exempla dabo. Itaque accusativus se recte habet I 55 p. 141: Σίβυλλα αὐτοῖς ἔφρασε .... ἡγεμόνα ποιησαμένους .... δείμασθαι πόλιν. I 56 p. 142: εἶναι γὰρ αὐτῷ πεπρωμένον ἐκ ταύτης ὁρμώμενον .... τῆς οἰκήσεως πολλὴν κἀγαθὴν ἐπικτήσασθαι γῆν. II 47 p. 334: ἔδοξε τοῖς βασιλεῦσι .... διπλάσιον ποιῆσαι τὸν τῶν πατρικίων ἀριθμὸν προσκαταλέξαντας, κτέ. V 11 p. 870: Κολλατίνῳ παραινῶν .... ἐκόντα καταθέσθαι .... μεταθέσθαι τε τὴν οἴκησιν .... πάντα τὰ ἑαυτοῦ λαβόντα. VIII 37 p. 1521: συνεβούλευε κρεῖττόν τι βουλευσαμένους ἥκειν. In genetivo res est etiam si fieri potest apertior, veluti II 58 p. 148: ἱκέται ὑμῶν γινόμεθα μὴ πρὸς ὀργὴν τὰ πράγματα λαμβάνειν ἐνθυμηθέντας. V 50 p. 963: δεηθέντος αὐτῶν τοὺς ἐνόχους ... ἐξευρούσας ἐκδοῦναι vel VIII 39 p. 1595: δεώμεθα ... οἰκτείρασαν ... προελθεῖν, ubi nemo sane coniiciet ἐνθυμηθέντων, ἐξευρουσῶν vel οἰκτειράσης. Nunc mihi credi poterit

Digitized by Google

aliis paucis locis dativum cum vitio ambulare: II 35 p. 331: *ταύταις ἐξουσίαν εἶναι καταλιπούσαις τὰ τέκνα πρεσβεύειν.* IV 51 p. 767: *δόξαν τοῖς ἡγεμόσι μάχην τίθεσθαι μεταπεμψαμένοις τὸ ἐν Φιδήνῃ στράτευμα.* V 60 p. 988: *τοῖς αἰτοῦσι τὰς ἀνοχὰς ἐκέλευσε τὰ ὅπλα ἀποθεμένοις καὶ τὰς πύλας ἀνοίξασι τότε διαλέγεσθαι πρὸς αὐτόν.* V 62 p. 995: *συνεβούλευον αὐτοῖς ἀποδοῦσι τὴν χώραν τότε ἀπαιτεῖν τὰ δίκαια.* IX 5 p. 1750: *ἐδόκει τ' αὐτοῖς ὀχυρωσαμένοις τὰ στρατόπεδα τρίβειν τὸν πόλεμον.* Denique IX 18 p. 1792: *ὑποτίθεταί τις αὐτοῖς ἔγκλημα ποιησαμένοις .... ἀξιοῦν αὐτοὺς ἐκλιπεῖν τὸ χωρίον.* Sed dativus alibi se recte habet, v. c. IV 72 p. 813: *ἐδόκει τοῖς μὲν βασιλικὴν κατασήσασθαι πολιτείαν ἐξαριθμουμένοις ὅσα τὴν πόλιν ἐποίησαν ἀγαθά.* Nec quidquam offensionis dativus habet I 65 p. 164, III 42 p. 530, IV 33 p. 722, VI 15 p. 1074, VIII 9 p. 1523 cet. Illud quoque. Legitur apud Polybium XI. 15. 5: *Πολυβίῳ δὲ ἐπέταξε ... τοὺς περιλειπομένους ... συναθροίσαντι ... ἐφεδρεύειν.* Hic noli dubitare an Polybius revera scripserit quod ratio suadet: *συναθροίσαντα*, nam accusativus revera invenitur in fragmento papyraceo, de quo vide *Archiv für Papyrusforschung* I 388: *Ein Polybiustext auf Papyrus.* Magnam gratiam Wilckenio habeo, qui doctam suam commentationem mihi comiter obtulit.

V 39 p. 932: *ἀποκτείνει πολλοὺς μαχόμενος.* Iacobius perperam recepit lectionem codicis Urbinatis *μαχομένους*, cf. V 76 p. 1032 et de VI 42 p. 1132 Cobet. p. 120 et Hyper. p. 46.

V 44 p. 946: *ὑποτεμόμενοι τὰς εἰς τὴν πόλιν φερούσας ὁδοὺς εἰς ὀρεινήν τινα κατακλείουσι βάχιν.* Praestat praesens *ὑποτεμνόμενοι.*

V 44 p. 946: *πονήρας ἔχοντες τὰς ψυχάς.* Sic interdum aliud agentes quidvis pro quovis scribimus, sed nota locutio est: *πονήρας ἔχοντες τὰς ἐλπίδας.* Cf. v. c. VI 58 p. 1171.

V 48 p. 958. Prorsus singulare est quod duobus locis invenitur: P. Valerium Publicolam *αἱ γυναῖκες ἅπασαι συνειπάμεναι ... τὸν ἐνιαύσιον ἐπένθησαν χρόνον.* Alter locus legitur in

Digitized by Google

vicinia V 51 p. 965: *δούλων συχνῶν συνειπαμένων τὰς ἄκρας καταλαβέσθαι.* Est hic usus consideratione dignus.

V 51 p. 965: *αἱ πύλαι θ' ὑπὸ τῶν ὑπάτων εὐθὺς ἐκλείοντο καὶ πάντα τὰ ἐρύματα τῆς πόλεως ὑπὸ τῶν ἱππέων κατείληπτο.* Hic sane dubitare non possumus quin sincera lectio sit *κατείληπτο*· debebit autem illud plusquamperfectum significare loca idonea praesidiis firmata fuisse statim nuncio accepto, nulla prorsus mora interposita: *ἅμ' ἔπος ἅμα ἔργον*· dictum factum. Verum hoc si probabitur, eadem de causa itidem necessarium iudico: *ἐκέκλειντο.*

V 56 p. 979. Consul iubetur ab Fidenarum obsidione Romam properare *καὶ πλησίον τοῦ τείχους ἐν ὀρεινῷ τόπῳ θέσθαι τὰ ὅπλα.* At ab ea certe parte urbis planities est, non montana regio. Cogitavi de: *ἐν ἐρυμνῷ τόπῳ.* Mons Sacer non est *πλησίον τοῦ τείχους.*

V 61 p. 993: *οὐδὲν αὐτοῖς ἔφασαν δεήσειν πολέμου.* Inutile orationi fulcrum additum est illud *ἔφασαν*, quod expunctum oportuit. Similiter abundat *ἔλεγον* VI 18 p. 1079, *λέγων* VI 19 p. 1082 et *ἀπέφαινον* VI 47 p. 1147.

V 68 p. 1009: *τῇ γαστρὶ καὶ ταῖς αἰσχίσταις ἐζηκότας ἡδοναῖς.* Haec lectio tum aliis fortasse displicuit, tum Kaysero, qui coniecit *ἐφεικότας*, sed frustra fuit. Scilicet eaedem locutiones apud Dionysium identidem recurrunt et nullus alius scriptor foret ad emendandum facilior, si quis eum prius memoriter edidicisset; sed in Homero hoc praestamus vel propemodum praestamus; me quidem Dionysius per paucos tantummodo menses detinere potuit et vix quisquam, uti arbitror, a se impetrare poterit ut in ea lutea loquacitate consenescat. Nunc autem memoriola mihi locum suppeditavit, quo usus illud *ἐζηκότας* tueri possem. Nimirum legitur III 17 p. 452, verba sunt Horatii patris ad filios tergeminos: *ἀλλ' εὐσεβὲς μὲν πρᾶγμα ποιεῖτε, ὦ παῖδες, τῷ πατρὶ ζῶντες.* Habet hoc a Demosthene p. 80. 27: *Φιλίππῳ ζῶντες καὶ οὐ τῇ αὐτῶν πατρίδι.*

Digitized by Google

V 70 p. 1014: *τὰ δ' ἀναγκάσαντα αὐτὴν ἐπὶ τὸ καταλῦσαι τὸν τυραννικὸν πολέμου αὐθαίρετον ὑπομεῖναι τυραννίδα.* Ne quis de ea locutione dubitet: etenim redit VI 17 p. 1078.

VI 1 p. 1037: *ἡ τῆς ἀναπράξεως τῶν δανείων κώλυσις, ἣν ἐψηφίσατο ἡ βουλή.* Lege: *ἐψήφισο.*

VI 4 p. 1044. Timent hostes *μὴ τὰ οἰκεῖα οὐ πολλὰ ὄντα δαπανᾶν ἀναγκάζωνται βραδύνοντες.* Latet nisi fallor: *τἀπιτήδεια.*

VI 7 p. 1051. Sequitur sententia paulo longior et necessario plura describenda erunt: *εἰ γὰρ ὑποχείριοι γενήσεσθε τοῖς ἐχθροῖς,* verba sunt A. Postumii dictatoris ad milites, *οὐχὶ τοῖς μὲν ὑμῶν ὑπάρξει μηδενὸς πειραθῆναι δεινοῦ, τοῖς δὲ τὰ ἔσχατα παθεῖν, ἀλλὰ τὸ μὲν ἀξίωμα ... ἅπασιν ὁμοίως ἀπολωλεκέναι καὶ μήτε γυναικῶν μήτε παίδων ... ἀπολαύσειν ἀγαθῶν, τοῖς δ' ἡγουμένοις ... τὸν οἴκτιστον μόρον ἀποθανεῖν.* Rectissime Reudlerus vidit opus esse aoristo *ἀπολαῦσαι·* arguitur hoc vel altero aoristo *ἀποθανεῖν,* sed verba multo aptius decurrent, si praeterea *ἀπολωλέναι* restitueris.

VI 7 p. 1052. De regibus exactis sermo fit: *τῆς πόλεως αὐτοὺς ἀπεσπάσατε καὶ τὰς οὐσίας ἀφείλεσθε.* Haec est omnium librorum lectio quam Sylburgius improbavit scripsitque *ἀπηλάσατε,* Iacobius autem *ἀπεσήσατε.* Mihi plurimum placet: *ἀπεκλείσατε.*

VI 8 p. 1053: *τὸ τῶν ἀντιπολεμίων πλῆθος.* Iacobius sequi debuerat Dindorfium qui ad HSt. bene ostendit verum esse: *τὸ τῶν ἀντιπολέμων πλῆθος.*

VI 8 p. 1054: *πόσους κατωρθώκατε πολέμους μετ' ἐλάττονος ἢ ὅσης νῦν ἔχετε δυνάμεως μείζοσιν ἢ τοσαύταις παρασκευαῖς πολεμίων ἀντιταχθέντες;* Suppleverim: *ἢ (δὶς) τοσαύταις.*

VI 12 p. 1065: *εἰσελαύνει τὸν ἵππον ἀφειμένων τῶν χαλινῶν.* Cobetus *Observ.* p. 17 eiiciendum censet illud *τὸν ἵππον* et con-

Digitized by Google

cedo post verbum ἐλαύνειν hoc nomen haud raro interpolatum esse; nunc tamen longe malo corrigere: τῶν ἵππων, h. e. *frenis detractis*, sicuti Livius saepe loquitur, veluti VIII 30. Quid hoc sit *frenos detrahere*, Niebuhrius dicet *Hist. Rom.* III p. 223 n. 340.

VI 12 p. 1078: ὑπακούσαντες. Immortales dii dicuntur ἐπακούειν et novimus quid differat ὑπακούειν. Lege: ἐπακούσαντες.

VI 19 p. 1080: λόγος ἀπεδόθη τοῖς εἰωθόσιν ἀποφαίνεσθαι γνώμας. Nonne melius est: ἀνεδόθη.

VI 19 p. 1081. Dum haec scribo — idus sunt Septembres et annus 1900 — personant aures nunciis cladium in Africa numquam intermissarum et menti obversatur misera colonorum qui pro libertate conciderunt conditio. In haec tempora Dionysium scripsisse dixeris: post pugnam apud lacum Regillum devictis Latinis Larcius qui primus Romae dictator fuit, commonefacit Romanos μὴ κοινὸν μῖσος ἐπισπάσωνται παρὰ πάντων ὅσων ἀξιοῦσιν ἄρχειν, ἐὰν πικρὰς καὶ ἀπαραιτήτους παρὰ τῶν ἁμαρτόντων ἀναπράττωνται δίκας, ὡς ἐκβεβηκότες ἐκ τῶν συνήθων ἐπιτηδευμάτων, ἀφ' ὧν εἰς ἐπιφάνειαν προῆλθον ἐπιλαθόμενοι, καὶ πεποιηκότες τυραννίδα τὴν ἀρχήν, ἀλλ' οὐχ ἡγεμονίαν ὡς πρότερον ἦν καὶ προσασίαν· τά τε ἁμαρτήματα μέτρια καὶ οὐ νεμεσητὰ εἶναι λέγων, εἴ τινες ἐλευθερίας περιεχόμεναι πόλεις καὶ ἄρχειν ποτὲ μαθοῦσαι τῆς παλαιᾶς ἀξιώσεως οὐ μεθίενται· εἰ δ' ἀνιάτως οἱ τῶν κρατίστων ὀρεχθέντες, ἐὰν διαμάρτωσι τῆς ἐλπίδος, ζημιώσονται, οὐδὲν ἔσεσθαι τὸ κωλῦσον ἅπαντας ἀνθρώπους ὑπ' ἀλλήλων ἀπολωλέναι· πᾶσι γὰρ εἶναι τὸν τῆς ἐλευθερίας πόθον ἔμφυτον, πολλῷ τε κρείττονα καὶ βεβαιοτέραν ἀποφαίνων ἀρχήν, ἥτις εὐεργεσίαις ἀλλὰ μὴ τιμωρίαις κρατεῖν βούλεται τῶν ὑπηκόων. „Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri; inde tibi tuaeque reip. quod imitere capias; inde foedum inceptu, foedum exitu quod vites." Eximia haec est historiae laus; sed eorum qui populos imperio regunt, quotusquisque Gladstonis instar umquam aurem praebuit!

Digitized by Google

VI 19 p. 1083: κεφάλαιον δ' αὐτοῦ τῆς γνώμης ἦν ἀνανεώσεσθαι τὰς σπονδάς. Haec est lectio Urbinatis quam Iacobius in textum recepit, nec sensit quam sit futurum in tali re absurdum. Ne hoc quidem curavit in Chisiano revera inveniri aoristum ἀνανεώσασθαι.

VI 20 p. 1086. Itidem improbanda est ratio quam Iacobius secutus est, dum iungit cum verbo ἠξίου infinitivos χρήσεσθαι, ἀνελεῖν, προσθεῖναι, ποιήσεσθαι, ἀποκτεῖναι, ποιήσεσθαι· nam longam periodum describere inutile est et plerique facile sentient post verbum ἠξίου intolerabile esse futurum pro aoristo. Scilicet lectiones olim vulgatae fuerunt χρήσασθαι et ποιήσασθαι, quas etiam Kiesslingius retinuit, sed in honorem Codicis Urbinatis Iacobius primus futurum reposuit. Cur tamen edidit VI 23 p. 1092 et recte quidem edidit τιμωρήσασθαι προαιρούμενοι, cum pergat errare librarius Urbinas et τιμωρήσεσθαι exhibeat? Hic numquam inconstantiae crimen effugiet. Mox seq. pag., VI 23 p. 1093, redit ad suum dilectum futurum: ἠξίου ἰάσεσθαι, eundum coecum ducem secutus. Etiam turpius est VI 28 p. 1104, ubi in verbis ἀναγκασθησομένας ὑπομενεῖν, futurum, quantum intelligo, merae debetur eique stultae coniecturae. Alia eiusdemmodi colligent quibus otium est.

VI. 22 p. 1091: ὅμοιον πολέμῳ βαρεῖ καλὸν ὑπεκδῦναι τοὺς πολιτικοὺς χειμῶνας ἔγνω, scil. Postumius dictator. Hic vide apud editorem quam multa ac varia interpretes moliti sint ut corrupta verba expedirent. Tandem Iacobius, ne semper eius vineta caedam, recte vidit in mendo cubare id quod est καλόν· hoc si intellexeris, emendatio non magno tibi constabit, nam omnino verum est χαλεπόν.

VI 23 p. 1093: ἔνθεν ἀρξάμενοι διεξήκεσαν. Multae sunt acutae Bucheleri coniecturae, quas Iacobius in margine adscripsit, sed quod corrigere voluit ἐνθένδε, nunc certe ei non obsequar. Cogitavit enim Dionysius Homericum ἔνθεν ἐλών, Odyss. θ 500.

VI 24 p. 1094: ἐὰν δέ τι παρακινεῖν ἢ νεωτερίζειν προενε-

Digitized by Google

χθέντες ἐπιβάλωνται. Scribam equidem: παραχθέντες. Ex decem Antiquitatum libris haec sexti libri pars nescio quomodo longe corruptissima circumfertur; veluti in his ipsis verbis Chisianus cum aliis codicibus recte habet νεωτερίζειν, ab altera parte Urbinas cum asseclis suis perperam μετεωρίζειν.

VI 25 p. 1095. Commendat consul τὸ τῆς βουλῆς κράτος ᾧ δεδιττόμεθα αὐτούς. Requiro: δεδιξόμεθα. Solum futurum hic aptum est.

VI 25 p. 1097: ἐξήπτοντο πάλιν οἱ Οὐολοῦσκοι τοῦ πολέμου. Hoc mire dictum; exspectabam: ἐξῆπτον τὸν πόλεμον. Sed, fateor, ceterum non memini me eam constructionem apud Dionysium legere.

VI 26 p. 1099: ἐστρατευμένας τὰς ἐν ἡλικίᾳ στρατείας. Cur Iacobius non recepit, quod in Urbinate additum est, πάσας?

VI 26 p. 1099: ἀρισεῖα πολλάκις εἰληφὼς ἐκ τῶν πολέμων. Nonne hoc dicitur: ἐκ τῶν πολεμίων?

VI 29 p. 1107: ἐφῆκεν ἐπ' αὐτοὺς τὸ στράτευμα. Recipe Urbinatis lectionem ἀφῆκεν. Conferri hic poterit Cobetus *Miscell. Crit.* p. 142.

VI 30 p. 1109. App. Claudius in foro quod fidem violarant, tercentos Volscorum obsides, ἄνδρας τριακοσίους, obtruncari iussit. Hinc etiam existimari potest quam perite scilicet VI 25 p. 1097: τριακοσίους εἰς ὁμηρείαν ἐκ τῶν ἐπιφανεστάτων οἴκων ἐπιλεξάμενος ᾤχετο, Iacobius interpolaverit: τριακοσίους (υἱούς). Kiesslingius iam recte ἄνδρας inseruerat. Quis serio credet filiosfamilias Graece sic simpliciter υἱούς dici posse?

VI 30 p. 1110: τὸν εἰωθότα δίδοσθαι θρίαμβον ἀπὸ τῆς βουλῆς. Lege: ὑπὸ τῆς βουλῆς.

VI 38 p. 1126: εἴτε μου τὸ ἐλεύθερον τῆς ψυχῆς ὑμῶν ἕκαστος βούλεται ἀποκαλεῖν εὐγενὲς εἴτε αὔθαδες. Quid hic est εὐγενές?

Digitized by Google

Parum refert scire alibi coniungi αὐσηρὸν et αὔθαδες, sicuti VI 24 p. 1093 et VII 27 p. 1102; nunc autem literarum ductus magis commendant: εἴτε ἀτενὲς εἴτε αὔθαδες, sicuti legitur V 72 p. 1020: ὁ δ' ἦν ἀτενὴς καὶ πολλὰ ἐν μέρει δεόμενός τε καὶ ἀντιβολῶν ἕκαστον διετέλει.

VI 39 p. 1127: συγχωρῶ αὐτῷ νομίζειν ὅπως βούλεται. Scripserim: ὀνομάζειν.

VI 39 p. 1128: ἐκεῖνον μὲν ἀπήλασαν. Tuetur hanc locutionem Cobetus p. 119, laudato Demosth. de Coron. p. 271, 27; malim tamen equidem: ἀπεδοκίμασαν.

VI 44 p. 1139: ἐψεύσασθε ὑμεῖς. Supple: ὑμεῖς (ἐμέ).

VI 48 p. 1149. In ea narrationis parte, circa quam nunc versamur, sicuti supra dixi, multa graviter corrupta sunt et saepe praestat abstinere manus ne sanando vulnera insanabilia fiant; vidi certe apud Iacobium sat crebras coniecturas quas silentio praeterire melius fuerit. Scopuli sunt multorum naufragiis infames, quos tacitus praeternavigabo. In capite certe quod supra indicavi, unum tantum errorem Iacobii notabo. Omissis minus necessariis, edidit: ἐπὶ τοὺς ὀθνείους πολέμους οὐκ εἰς μακρὰν ἐλευσομένους, secutus codices quos saepe diximus, quum vulgata lectio sit: πολεμίους. Sed totus locus mire impeditus est.

VI 50 p. 1155. In oratione Menenii Agrippae in Senatu sine sensu scribitur: Καμπανίας δὲ καὶ Τυρρηνίας ὅσα ἐνδοιασῶς ἡμῶν ἀφειμένα διατελεῖ, τὰ μὲν ἐκ τοῦ φανεροῦ ἀφίσαται, τὰ δ' ἀφανῶς παρασκευάζεται. Imitatur Dionysius Herodotum et Thucydidem, qui hoc adverbium haud semel usurparunt, sed negatio abesse non debet: quid enim mirum est, dum consideret plebs in Monte Sacro, in fide vacillavisse eos, in quos Romani nondum certum exercerent imperium. Prorsus requiro: ὅσα ἀνενδοιασῶς ἡμῖν ἀφειμένα. Non praestare dixerim quod Kiesslingius correxit: ὅσα ἐνδοιασῶς ἡμῖν διακείμενα.

Digitized by Google

VI 51 p. 1157. Describit Menenius miserum in urbe rerum statum et in ea descriptione haec quoque ponit: „ἅπαντα δ', inquit, ὑπερβάλλει τὰ δεινὰ γύναια τῶν ἀποσατῶν καὶ παιδία νήπια καὶ γηραιοὶ γονεῖς ἐν ἐσθῆσιν ἐλεεινοῖς καὶ σχήμασι πενθίμοις περιφθειρόμενοι. Qui haec primum leget εὐδούσῃ φρενί, primum iunget τὰ δεινὰ γύναια· deinde quoniam hoc absurdum est, mox intelliget ἅπαντα dici τὰ δεινά. Recte hoc quidem, sed sicuti παιδία dicuntur νήπια et γονεῖς γηραιοί sunt, etiam ἐσθῆτες et σχήματα epithetis ornantur, nonne itidem necesse est mulierculas non sic simpliciter γύναια dici, sed *miseras* mulierculas? Levis est correctio: ἅπαντα δ' ὑπερβάλλει τὰ δειλὰ γύναια, vel fortasse τὰ δείλαια γύναια, cf. VI 79 p. 1222.

VI 59 p. 1175: καὶ οὐ λέγω ταῦτα κατηγορῶν ... ἀλλὰ τὰς κατ' ἐμαυτοῦ διαβολὰς ἀπολύομαι. Iacobius hic sequi debuerat Kiesslingium verissime corrigentem: ἀπολυόμενος.

VI 60 p. 1176: διὰ τῶν κακίστων πολιτῶν, οὓς θεραπεύων οὗτος διατετέλεκε. Requiro: θεραπεύων οὗτοσί, quemadmodum in iis quae continuo sequuntur Cobetus correxit: ὑπὸ τοῦ σεμνοῦ καὶ φιλοπόλιδος τουτουί. Eliminandum autem proprium Servilii nomen VI 77 p. 1215: ὁ βέλτιστος οὑτοσὶ Σερουίλιος.

VI 61 p. 1180: πῶς δοκεῖτε αὔθαδες ἔσαι καὶ ὑπερήφανον; Hic locus addetur Blaydesii copiis ad Arist. Acharn. 12.

VI 62 p. 1180: σοβαρῶς ἐπιθήσεται. Notabilis est scriptura Codicis Urbinatis σοβαρός, cf. XI 22 p. 2209: σοβαροὶ καὶ θρασεῖς περιῄεσαν. Sic saepe ἀσμένως scribitur ubi ἄσμενος praestat et sunt complura alia eiusdemmodi, de quibus quaedam adnotarunt Garrerus p. 27 et Reudlerus p. 6.

VI 64 p. 1187. Verba sunt Appii Claudii: οἱ μὲν πολυοχλοῦσαι δυνάμεις ὅταν λάβωσιν ἡγεμόνας οὐκ εἰδότας ἄρχειν, ἀσχημονοῦσι καὶ περὶ αὐταῖς σφάλλονται τὰ πλεῖστα, καὶ τοσούτῳ μᾶλλον κακοπαθοῦσιν ὅσῳπερ ἂν μείζονα ἔχωσι πόρον. Quod unusquisque videt, ultimum vocabulum ferri nequit, quapropter Hertlinius ὄγκον coniecit, Smitius ὄχλον, Iacobius autem edidit πόνον.

Digitized by Google

Nihil horum mihi magno opere arridet. Hoc dicit, nisi fallor, magnos exercitus sine peritis ducibus eo certius concidere, quo *maiore impete* ferantur. Verum hoc esse saepe confirmavit historia. Quomodo idem Graece dici poterit? Opinor: ὅσῳπερ ἂν μείζονα ἔχωσι ῥόθον.

VI 69 p. 1196. Signum Minervae διεφύλαττον ἄλλοι παρ' ἄλλων μεταλαμβάνοντες οἱ τοῦ γένους ὄντες τοῦ Ναυτίων. Lege: ἄλλος παρ' ἄλλου.

VI 70 p. 1199. Inter eos qui ex urbe secesserant erat quidam L. Iunius, qui sibi Bruti cognomen adsciverat; τοῖς δ' ἄρα πολλοῖς γέλως ἐπὶ τῇ κενοσπουδίᾳ τοῦ ἀνθρώπου εἰσήρχετο καὶ ὅτε βουληθεῖεν ἐπισκώπτειν αὐτὸν Βροῦτον ἐκάλουν. Idem homo VI 72 p. 1203 appellatur Λεύκιος Ἰούνιος ὁ βουλόμενος ἐπικαλεῖσθαι Βροῦτος. Sed non admodum ioculare est Brutum appellare Brutum. Homini autem, uti credo, Brutuli cognomen indiderant: hinc scribendum: Βροῦτλον ἐκάλουν, nam haec est Graeca nominis forma, sicuti dicitur Κάτλος, Πρόκλος, sim.

VI 77 p. 1216: ἡμεῖς ὡς οὐκ ἂν ὑπὸ δικτάτορος ... φενακισθησόμενοι συνηράμεθα ὑμῖν καὶ τοῦδε τοῦ πολέμου. Hic non magis feram particulam ἂν cum participio futuri quam IX 15 p. 1780. Verum monstrabit IX 70 p. 1949: ὡς δὴ τῶν ὑπάτων ἀναγκασθησομένων.

VI 77 p. 1217: ἵνα παρέλθητε τὰς ὑποσχέσεις ὥσπερ ἐξ ἀρχῆς διέγνωτε. Adnotavit Cobetus p. 120: „*Promissa eludere* nullo modo dici potest τὰς ὑποσχέσεις παριέναι, sed quid lateat in ΠΑΡΕΛΘΗΤΕ frustra quaesivi." Mihi quidem satis placet: παρέλησθε.

VI 81 p. 1225: οὐδεὶς ἦν ϛερρὸς οὕτω τὴν διάνοιαν, ὃς οὐκ ἐξεχεῖτο τοῖς δάκρυσι. De ea constructione omnes dubitaverunt et Cobetus post Reiskium commendavit: εἰς δάκρυα. Facilius, uti arbitror, erit scribere: ἐξετήκετο.

VI 81 p. 1225: παρῆλθεν ἀπολογησόμενος ταῦτα. Iam

Digitized by Google

Sylburgius inseruit praepositionem πρός, sed elegantius corrigetur ἀπολυσόμενος. Cf. Cobet. Var. Lect. p. 368.

VI 86 p. 1238: οὐκ ἂν ἐντὸς ὀλίγων ἡμερῶν τῷ κακίῳ τῶν μόρων ἀναλωθείη, λιμῷ. Praestabit legere: τῷ οἰκτίῳ: omnes Homeri recordantur Odyss. M 342: λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν. Praeterea non nimis difficile erit intelligere insiticium esse id quod est λιμῷ, imprimis si contuleris VII 44 p. 1408 ὅσοι δ' ἂν ὑπομείνωσι τῷ κακοδαιμονεςάτῳ διαφθαρῆσεσθαι τῶν μόρων. Contra Kiesslingius priore loco usus est ut in alterum locum λιμῷ inferciret. Mira sunt hominum iudicia. Cf. *Mnem.* 1886 p. 137. Similiter Halbertsma aliquando correxit Lys. c. Andocid. § 1.

VI 86 p. 1240: ἀντιβολεῖ καὶ τὰς ψυχὰς ὑμῖν ἅμα ταῖς πύλαις ἀναπετάσασα ὑποδέχεται. Sine exemplo hoc dictum est et scire pervelim undenam Kiesslingius et Iacobius eam lectionem arripuerint, cum Sylburgii lectio sit: τὰς χεῖρας.

(*Continuabuntur*).

AD PLUTARCHUM.

Lyc. 11 (Sint.). Nobilium vehementer Lycurgo iratorum unus, Lycander, eum adoritur et oculum baculo vulnerat. Quem indignabundus populus prehensum in servitutem tradit Lycurgo. At ille domum eum abduxit et omni missa contumelia maledictoque, sibi eum ministrare iussit, consuetis servis remotis: ὁ δὲ οὐκ ὢν ἀγεννὴς ἐποίει τὸ προσταττόμενον σιωπῇ, καὶ παραμένων ἅμα τῷ Λυκούργῳ καὶ συνδιαιτώμενος ἐν τῷ κατανοεῖν τὴν πραότητα καὶ τὸ ἀπαθὲς αὐτοῦ τῆς ψυχῆς ...., αὐτός τε δεινῶς διετέθη περὶ τὸν ἄνδρα κτέ.

Graecum non est, ut opinor παραμένειν ἅμα τινί, neque quid sibi velit ἐν τῷ κατανοεῖν facile dicas. Sed lege: καὶ παραμένων τῷ Λυκούργῳ καὶ συνδιαιτώμενος ἅμα τῷ κατανοεῖν κτέ., aptissimam hanc habebis sententiam: simul virtutes antea sibi ignotas, sed Lycurgi proprias, cognoscebat et maximo viri capiebatur amore, quem tam parum vindictae cupidum experiretur.

J. J. H.

Digitized by Google

HOMERICA.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Homeri Iliadis carmina cum apparatu critico ediderunt J. van Leeuwen J.f. et M. B. Mendes da Costa, editio altera passim aucta et emendata. Lugd. Bat. ap. A. W. Sythoff, MDCCCXCV.

A 124. οὐδέ τί που ἴδμεν ξυνήια κείμενα πολλά,
ἀλλὰ τὰ μὲν πολίων ἐξεπράθομεν, τὰ δέδασται,
λαοὺς δ' οὔ τι χέροικε παλίλλογα ταῦτ' ἐπαγείρειν.

Versum 125 corruptum putant editores Leidenses, quod τὰ — τὰ non sit homericum pro ἃ — τά et quod πέρθειν sive ἐκπέρθειν de *urbe* non de *praeda* dicatur. Cogitari sane possit de rescribendo ἐξηρπάσαμεν, sed non video quidni poetae eodem iure hunc verbi ἐκπέρθειν usum concedamus quo verbi ἰσοδυνάμου ἐκπορθεῖν concedimus Thucydidi IV 57 aeque singulariter scribenti τὴν πόλιν κατέκαυσαν καὶ τὰ ἐνόντα ἐξεπόρθησαν. Melius haesisse videntur in τὰ — τά. Fortasse primitus fuit:

ἀλλ' ἃ μὲν ⟨ἐκ⟩ πολίων ἐξεπράθομεν, τὰ δέδασται.

A 211. ἀλλ' ἤ τοι κέπεσιν μὲν ὀνείδισον, ὡς ἔσεταί περ.

Verba obscurissima ὡς ἔσεταί περ nemo mihi expedivit et multum dubito num integra ad posteros pervenerint. Fortasse conicere licet

ὅσσα σε τέρπῃ,

quot te delectent, aut si mavis, *te satient.* Utramque enim verbi huius in homericis vim esse constat. Simillima autem, litteris paene constans eisdem, utraque lectio [1]).

1) Modo versus sit genuinus, quod cur dubitet expositurus est in ipsa Mnemosyne vir amicissimus J. C. Vollgraff.

Digitized by Google

A 356. *ἐλὼν γὰρ ἔχει γέρας, αὐτὸς ἀποφράς.*
Sic incidi solet, sed ex mea quidem sententia pronomen *αὐτός* vel artius cohaeret cum *ἔχει* quam cum *ἀποφράς*, nec *ἔχει ἀποφράς* graece separandum videtur. Quare hic et in versibus parallelis virgulam deleverim.

B 90. *αἶ μέν τ' ἔνθα πάλις πεποτήαται, αἶ δέ τε ἔνθα.*
Molestum hiatum Leidenses procurandum censent coniectura *αἱ δ' ἄρα τ' ἔνθα*. At, si recte memini, Homerus particulas *δέ τε* semper copulat (loco K 466 cum Bentleio scripserim *δέελον δέ τε σῆμ' ἐπέθηκε*), itaque malim *αἶ δέ τ' ἄρ' ἔνθα*. Passim autem *τ' ἄρ'* occurrere nemo monendus.

B 333. Posteaquam Ulixes, verberato Thersite, longa oratione Graecos ad strenue bellandum incitavit, hi

ἐτίταχον — ἀμφὶ δὲ νῆες
σμερδαλέον κονάβησαν ἀυσάντων ὑπ' Ἀχαιῶν —
μῦθον ἐπαινέσσαντες Ὀδυσσῆος θείοιο.

Crederes ergo Ulixem omnibus persuasisse et iure mireris statim subsequi vehementem Nestoris concionem, unde contrarium apparere videtur:

ὦ πόποι, ἦ δὴ παισὶ γεγοικότες ἀγοράεσθε
νηπιάχοισ', οἷς οὔ τι μέλει πολεμήια ἔργα.
πῇ δὴ συνθεσίαι τε καὶ ὅρκια βήσεται ἡμιν
σπουδαί τ' ἄκρητοι καὶ δεξιαί, ἧσ' ἐπέπιθμεν;

et quae secuntur usque ad vs. 368.

Hinc mihi nata est suspicio primitus inter utramque concionem aliam nescio cuius orationem interpositam fuisse, qua causa eorum qui reditum in patriam suaderent defensa fuerit.

B 357. *εἰ δέ τις ἐκπάγλως ἐθέλει τοῖκόνδε νέεσθαι,*
ἁπτέσθω τῆς νηὸς ἐυσσέλμοιο μελαίνης,
ὄφρα πρόσθ' ἄλλων θάνατον καὶ πότμον ἐπίσπῃ.

Dubitant editores utrum *coram ceteris* an *prius quam ceteri* explicandum sit, monentes alias *πρόσθε* cum genetivo de tempore non usurpari. Attamen consideranti priorem interpretationem vix idoneum, posteriorem aptissimum sensum praebere, haec unice probanda mihi videtur. Cf. Δ 348 *ὑμείων προπάροιθε*.

Digitized by Google

B 388.

ἱδρώσει μέν τευ τελαμὼν ἀμφὶ στήθεσσι
ἀσπίδος ἀμφιβρότης, περὶ δ' ἔγχεϊ χεῖρα καμεῖται·
ἱδρώσει δέ τε ἵππος ἐύξοον ἅρμα τιταίνων.

Propter ineptum verbi ἱδροῦν usum in primo versu, pronominis formam recentiorem, impeditam compositionem haud temere Leidenses hic veterem corruptelam odorati sunt.

Procul dubio causa erroris fuit simile vs. tertii initium, ubi optime se habet ἱδρώσει. Haud inepte locus sic scriberetur:

(ϝ)ιδρὼς μὲν δεύσει τελαμῶν' ἀμφὶ στήθεσσι
ἀσπίδος ἀμφιβρότης, περὶ δ' ἔγχεϊ χείρ κε κάμῃσι·
(ϝ)ιδρώσει δέ τε ἵππος ἐΰξοον ἅρμα τιταίνων.

quo pacto simul remota foret forma novicia καμεῖται. In coniunctivi (cum voc. κεν) pro futuro usu nemo haerebit.

B 615. οἳ δ' ἄρα Βουπράσιόν τε καὶ Ἦλιδα δῖαν ἔναιον.

Animadversione dignum videtur nomen Ἦλις, licet ipsos Eleos Ϝᾶλις dixisse constet, apud Homerum nusquam habere digamma.

Γ 105. ἄξετε δὲ Πριάμοιο βίην, ὄφρ' ὅρκια τάμνῃ
αὐτός, ἐπεί τοι παῖδες ὑπερφίαλοι καὶ ἄπιστοι·
μή τις ὑπερβασίῃ Διὸς ὅρκια δηλήσηται.
[αἰεὶ δ' ὀπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται.
οἷς δ' ὁ γέρων μετέῃσιν, ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω
λεύσσει, ὅπως ὄχ' ἄριστα μετ' ἀμφοτέροισι γένηται].

Aristarchus tres ultimos versus proscripserat, sed critici Leidenses solos duos ultimos expunxerunt, dicentes vs. 108 satis defendi loco simillimo Z 352 (ubi de Paride dicitur τούτῳ δ' οὔτ' ἄρα νῦν φρένες ἔμπεδοι οὔτ' ἄρ' ὀπίσσω ἔσσονται), quod quid sibi velit non assequor. Equidem hunc quoque versum merito a critico Alexandrino damnatum esse arbitror, non sane quod per se non optime dictus sit, sed quod non sit huius loci. Aperte enim interpolator non reputavit vs. 106 continere non adulescentium in genus vituperationem, sed Priami tantum filiorum, quibus propter Paridis et aliorum (cf. Ω 260 sq.) levitatem Menelaus, cuius haec verba sunt, diffidebat. Non vs. 108 tuetur locus Z 352, sed vs. 106.

Digitized by Google

E 5. ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅς τε μάλιστα
λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος Ὠκεανοῖο.

Coniunctivus, cuius nulla hic ratio est, docet corrigendum esse:

λαμπρὸν παμφαίνει λελο(ϝ)ημένος Ὠκεανοῖο.

E 743. De Minerva dicitur:

κρατὶ δ' ἐπ' ἀμφίφαλον κυνέην θέτο τετραφάληρον
χρυσείην, ἑκατὸν πολίων πρυλέεσσ' ἀραρυῖαν.

Recte Leidenses „Poeta dicere videtur in galea pugnas esse repraesentatas; verbis tamen parum aptis usus est, nam voces *centum urbium militibus* claram imaginem non praebent. Absurda vero foret versio *galeam tantam ut centum urbium milites posset capere*. Itaque corruptum esse locum verisimile est." Planissime assentior, sed facili coniectura damnum sarcire posse mihi videor, scribendo:

ἑκατὸν κύκλῳ πρυλέεσσ' ἀραρυῖαν

coll. Od. θ 278 et Zenodotea lectione κύκλῳ Δ 212 et P 392.

Z 321. τὸν δ' (Paridem Hector) ἠΰρ' ἐν θαλάμῳ περικαλλέα (περὶ κάλ' ἐϝὰ?) τεύχε' ἕποντα
ἀσπίδα καὶ θώρηκα, καὶ ἀγκύλα τόξ' ἀφάοντα.

Hinc satis Hectori apparere potuisse crederes Paridem iam decrevisse denuo belli fortunam experiri, itaque valde miramur quae mox vss. 325 sqq. legimus

τὸν δ' Ἕκτωρ νείκεσσε ϝιδὼν αἰσχροῖσι ϝέπεσσι·
„δαιμόνι', οὐ μὲν καλὰ χόλον τόνδ' ἔνθεο θυμῷ!
λαοὶ μὲν φθινύθουσι περὶ πτόλιν αἰπύ τε τεῖχος
μαρνάμενοι· σέο δ' εἵνεκ' ἀυτή τε πτόλεμός τε
ϝαστὺ τόδ' ἀμφιδέδηε· σὺ δ' ἂν μαχέσαιο καὶ ἄλλῳ,
ὅν τινά που μεθιέντα ϝίδοις στυγεροῦ πολέμοιο.
ἀλλ' ἄνα, μὴ τάχα ϝάστυ πυρὸς δηίοιο θέρηται.

Quibus ille respondet vs. 335:

οὔ τοι ἐγὼ Τρώων τόσσον χόλῳ οὐδὲ νεμέσσι
ἥμην ἐν θαλάμῳ, ἔθελον δ' ἄχεϊ προτραπέσθαι.
νῦν δέ με παρειποῦσ' ἄλοχος μαλακοῖσι ϝέπεσσι
ὥρμησ' εἰς πόλεμον.

Nemo non videt, oppositis frontibus haec pugnare cum iis quae in praegressis narrantur. Paris pugna singulari victus a Menelao

Digitized by Google

et Veneris sospitatus praesidio Γ 480 sqq. non hercle *μαλακοῖσι* sed *ἀταρτηροῖσι* et *ὀνειδείοισι ἔπεσσι* cum acerba ironia ab Helena incitatur ut Menelaum denuo provocet, ita tamen ut potius eam rem dissuadere videatur; dicit enim

ἀλλ' ἴθι νῦν προκάλεσσαι Ἄρηι φίλον Μενέλαον
ἐξαῦτις μαχέσασθαι ἐναντίον. ἀλλά σ' ἔγω γε
παύεσθαι κέλομαι μηδὲ ξανθῷ Μενελάῳ
ἀντίβιον πόλεμον πολεμιζέμεν' ἠδὲ μάχεσθαι.

His quidem opponi possit primo ex armorum politura nondum effici potuisse Paridis in pugnam redeundi consilium, si quidem fieri poterat ut poliret repositurus in armarium; deinde eum noluisse uxoris suae discordiam fratri patefacere, ideoque eius convicia blanda verba vocare. Sed quod dudum animadversum est, hodie intellegi omnino nequit, quam Troianis irascendi causam Paris habuerit. Facile intellegeremus, si poeta in superioribus alicubi dixisset Troianos eius cladem tribuisse ignaviae ideoque eum probrosis verbis factisve lacerasse. Nihil igitur certius esse potest quam in antiquiore Iliade res plane diverso modo narratas fuisse. Paene succenseas iis, qui, ut nuper Ridgeway in opere *Early Age of Greece* vol. I, de rebus priscis ita disputant ac si Homeri carmina uno eodemque tempore in lucem prodierint omnia, haec et similia ex ipsis prolata argumenta quantumvis manifesta vilipendentes. Licet permultae quaestiones de horum carminum compositione vix umquam dirimi possint, caecutiat necesse est qui hodieque ab uno poeta Iliadem compositam esse sibi persuadeat.

Hunc locum non relinquam priusquam vs. 335

οὗτοι ἐγὼ Τρώων τόσσον χόλῳ οὐδὲ νεμέσσι
ἧμην ἐν θαλάμῳ,

ubi recte editores non ferunt *νεμέσσι* dictum pro *νεμέσει*, temptavero coniectura *νεμεσσῶν*.

Z 386. *ἀλλ' ἐπὶ πύργον ἔβη μέγαν Ἰλίου.*

Naber, ne *Ἰλίου* digamma careret, coniecit *τεῖχος μέγα*, Leidenses, quibus non iniuria displicet urbis nomen additum, *μέγα νηπίη*. At nulla, ut mihi quidem videtur, causa erat, cur Andromache de mariti sorte sollicita, hic ita diceretur. Mihi, collata notissima formula homerica *βῆ δ' ἴμεναι*, in mentem venit

Digitized by Google

ἀλλ' ἐπὶ πύργον ἔβη μέγαν ἦ γ' ἴμεν', οὕνεκ' ἄκουσε
τείρεσθαι Τρῶας, μέγα δὲ κράτος ἔμμεν' Ἀχαιῶν.

Z 402. τόν ῥ' Ἕκτωρ καλέεσκε Σκαμάνδριον.
Animadversione dignum est Platonem in Cratylo p. 392D hanc filii appellationem non Hectori, sed Andromachae tribuere. Utrum memoriae errore, an quod in suo exemplari legerat αὐτή?

I 380—384. De his versibus velim editores nunc pensitent quae nuperrime scripsit H. R. Hall, The oldest civilisation of Greece, p. 268 cum nota 3.

K 154 αὐτὰρ ὅ γ' ἥρως
ηὗδ', ὑπὸ δ' ἔστρωτο ῥινὸν βοὸς ἀγραύλοιο,
αὐτὰρ ὑπὸ κράτεσφι τάπης τετάνυστο Φαεινός.
Neutrum τὸ ῥινόν (cf. locus controversus Od. ε 281) suspectum est admodum, itaque aut ῥινόν h. l. accusativus est pendens a verbo medio ὑπέστρωτο, aut ὑπέστρωτο est passivum et reponendum ῥινὸς, quod ob vs. sequentem praetulerim.

K 204. ὦ φίλοι, οὔ κεν δή τις ἀνὴρ πεπίθοιτ' ἐῢ ἐῷ αὐτοῦ
θυμῷ τολμήεντι μετὰ Τρῶας μεγαθύμους
ἐλθέμεν', εἴ τινά που δηίων ἕλοι ἐσχατάοντα,
ἤ τινά που καὶ φῆμιν ἐνὶ Τρώεσσι πύθοιτο,
ἅσσα τε μητιάουσι μετὰ σφίσιν, ἦ μεμάασι
αὖθι μένειν παρὰ νηυσὶν ἀπόπροθεν, ἦὲ πόλινδε
ἂψ ἀναχωρήσουσιν, ἐπεὶ δαμάσαντό γ' Ἀχαιούς.
Quia sententia manifeste postulat interpretationem „quando *domuerint* Graecos", non „quando *domuerant*", sine controversia pro soloeco indicativo restituendus est coniunctivus:
ἐπεὶ δαμάσωνται Ἀχαιούς.

Λ 410.
ὣς ὃ (Ulixes) ταῦθ' ὥρμαινε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν,
τόφρα δ' ἐπὶ Τρώων στίχες ἤλυθον ἀσπιστάων,
τέλσαν δ' ἐν μέσσοισι μετὰ σφίσι πῆμα τιθέντες.

Digitized by Google

Pro praepositione μετὰ pessime abundanti procul dubio corrigendum μέγα.

τέλσαν δ' ἐν μέσσοισι, μέγα σφίσι πῆμα τιθέντες,

quod quam vere dictum sit, mox produnt vs. 420 sqq.

De μέγα πῆμα cf. I 229. P 50. 99. Z 282. X 288. β 163. φ 305.

Λ 647. Patroclus missus ab Achille Nestori sedem capere iubenti respondet:

οὐχ ἕδος ἐστί, γεραιὲ διοτρεφές, οὐδέ με πείσεις.
αἰδοῖος νεμεσητὸς ὅ με προέηκε πυθέσθαι
ὄντινα τοῦτον ἄγεις βεβλημένον κτέ.

Manifeste nulla adiectivi verbalis νεμεσητός interpretatio ab eruditis proposita (*reverendus, formidatus, stomachosus*) vera esse potest, quoniam verbum frequens Homericum νεμεσ(σ)ᾶν sive νεμεσᾶσθαι nihil aliud quam *indignari, vitio vertere* significat et reliquis locis omnibus νεμεσσητόν, ut consentaneum est, *reprehendendum, indignum* denotat. Vid. Γ 410 (Ξ 336. χ 489), I 523. χ 59. T 182. Ergo quin versus mendosus sit neutiquam dubito. Facile intellegeretur

αἰνῶς κεν νεμεσαῖτο sive νεμεσαίη,

sed fortasse eodem sensu lenius reponere licet:

αἰδοίῳ νεμεσητὸν ὅ με προέηκε πυθέσθαι κτέ.

viro venerando, qui me misit —, *causa* (sit) *vituperandi.*

M 145.

ἐκ δὲ τὼ ἁΐξαντε πυλάων πρόσθ' ἐμαχέσθην,
ἀγροτέροισι σύεσσι ἐοικότες, τώ τ' ἐν ὄρεσσι
ἀνδρῶν ἠδὲ κυνῶν δέχαται κολοσυρτὸν ἰόντα
δοχμώ τ' ἀίσσοντε περὶ σφίσι ῥάγνυντον ὕλην
πρυμνὴν ἐκτάμνοντε, ὑπαὶ δέ τε κόμπος ὀδόντων
γίγνεται κτέ.

Magnopere me offendit in pulcherrima comparatione verbum ἐκτάμνειν, ut iam Leidenses observarunt, „vix aptum (ineptissimum dicere ausim) ad depingendos apros impetu suo virgulta confringentes et sternentes."

Quid reponendum sit, ostendere mihi videtur notus Herodoti locus VI 37 (cf. 86 et IV 120), scil. ἐκτρίβοντε, etsi alibi

Digitized by Google

apud Homerum hoc quidem compositum non exstat, sed et verbo simplici utitur Τ 496 et Ψ 736, et compositis ἀποτρίβειν, διατρίβειν et adiectivo ἄτριπτος, ita ut ex hac quoque parte coniectura loci sententiae aptissima satis munita videatur. Cf. de apro Erymanthio I 541 πολλὰ δ' ὅ γε προθέλυμνα χαμαὶ βαλε δένδρεα μακρά, item Λ 155 ὡς δ' ὅτε πῦρ ἀΐδηλον ἐν ἀξύλῳ ἐμπέσῃ ὕλῃ, | πάντῃ δ' εἰλυφάων ἄνεμος φέρει, οἵ δέ τε θάμνοι | πρόρριζοι πίπτουσιν ἐπειγόμενοι πυρὸς ὁρμῇ et Ξ 415 ὡς δ' ὅθ' ὑπὸ πληγῆς πατρὸς Διὸς ἐξερίπῃ δρῦς | πρόρριζος. Haec enim ipsa est vis verbi ἐκτρίβειν, *exstirpare*, *radicitus evellere*.

N 134.

ἔγχεα δ' ἐπτύσσοντο θρασειάων ἀπὸ (ὑπὸ?) χειρῶν
σειόμενα.

Quod expectamus ἐγνάμπτοντο propter mutationis violentiam proponere vix ausim. Si sana est tradita lectio, admittenda mirifica sane dictionis exaggeratio.

Ξ 286.

ἔνθ' Ὕπνος μὲν ἔμεινε πάρος Διὸς ὄσσε γιδέσθαι,
εἰς ἐλάτην ἀναβὰς περιμήκετον κτέ.

Verba παρὸς — γιδέσθαι non e praegressis, sed e sequentibus suspensa videntur, itaque nescio an potius virgula incidendum sit post ἔμεινε.

O 490.

ῥεῖα δ' ἀρίγνωτος Διὸς ἀνδράσι γίγνεται ἀλκή,
ἠμὲν ὀτέοισιν κῦδος ὑπέρτερον ἐγγυαλίξῃ,
ἠδ' ὅτινας μινύθῃ τε καὶ οὐκ ἐθέλῃσιν ἀμύνειν.

Propter versum sequentem malim ἐγγυαλίζῃ. Pro ὀτέοισιν sive ὅτοισιν recte ὅσοισιν vel ὅτε σφιν coniecisse videntur editores.

O 561.

ὦ φίλοι, ἀνέρες ἐστὲ καὶ αἰδόα θέσθ' ἐνὶ θυμῷ.
[ἀλλήλους τ' αἰδεῖσθε κατὰ κρατερὰς ὑσμίνας]
αἰδομένων ἀνδρῶν πλέονες σάοι ἠὲ πέφανται.

Versum turpiter hic abundantem cum parte librorum delere

Digitized by Google

nullus dubito, procul dubio interpolatum e loco simili, ubi optime additur, E 529 sqq.

ὦ φίλοι, ἀνέρες ἔστε καὶ ἄλκιμον ἦτορ ἔλεσθε
ἀλλήλους τ' αἴδεσθε (αἰδεῖσθε libri) κατὰ κρατερὰς ὑσμίνας.
αἰδομένων ἀνδρῶν πλέονες σάοι ἠὲ πέφανται.

Qui tueri versum illic velit, ei hinc verbo ἄλκιμον ἦτορ ἔλεσθε assumenda sint, quod nemo sanus, ut arbitror, praetulerit.

P 53. οἷον δὲ τρέφει ἔρνος ἀνὴρ ἐριθηλὲς ἐλαίης
χώρῳ ἐν οἰοπώλῳ, ὅθ' ἅλις ἀναβέβρυχεν ὕδωρ
καλὸν τηλεθάον.

Coniecturis propositis (vid. editorum nota), quarum nulla mihi satisfacit, accedat haec mea:

ὃ τάλις ἀναβέβλυχεν ὕδωρ,

ut Dioscorides in Anth. Pal. VII 31, 5 dicit:

αὐτόματαί τε κρῆναι ἀναβλύζοιεν ἄκρητον

et incertus poeta ibidem IX 374, 1 sq.

ἀέναον καθαρήν με παρερχομένοισιν ὁδίταις
πηγὴν ἀμβλύζει γειτονέουσα νάπη.

Coniecturam firmare videtur locus Homericus I 490 sq.

πολλάκι μοι κατέδευσας ἐπὶ στήθεσφι χιτῶνα
οἴνου ἀποβλύζων ἐν νηπιίῃ ἀλεγεινῇ.

P 394. ὣς οἵ γ' ἔνθα καὶ ἔνθα νέκυν ὀλίγῃ ἐνὶ χώρῃ
εἵλκεον ἀμφότεροι[· μάλα δὲ σφίσιν ἔλπετο θυμός,
Τρωσὶν μὲν ἐρύειν προτὶ Ἴλιον, αὐτὰρ Ἀχαιοῖς
νῆας ἔπι γλαφυράς]· περὶ δ' αὐτοῦ μῶλος ὀρώρει.

Fortasse forma novicia Ἀχαιοῖς pro Ἀχαιοῖσι, quae corrigi prorsus nequit, indicio est verba satis languida et otiosa, quae uncinis saepienda curavi, a seriore poeta esse interpolata.

P 744. ἐν δέ τε θυμὸς
τείρεθ' ὁμοῦ καμάτῳ τε καὶ ἱδροῖ σπευδόντεσσι.

Ut locus sit formae probae Homericae ἱδρόι, Leidenses proponunt ἑλκόντεσσι, ego praetulerim ἑσσυμένοισι, e cuius lectionis glossemate vulgata potuit nasci.

T 201. ὁππότε τις μετὰ παυσωλὴ πολέμοιο γίνηται.

Digitized by Google

Pro altera lectione μεταπαυσωλὴ strenue pugnat verbum μεταπαύεσθαι P 373.

T 23. οἳ δὲ δὴ ἄλλοι
ἔρχεσθ', ὄφρα χ' ἵκησθε μετὰ Τρῶας καὶ Ἀχαιούς,
ἀμφοτέροισι δ' ἀρήγεθ', ὅπῃ νόος ἐστὶ ϝεκάστου.
εἰ γὰρ Ἀχιλλεὺς οἷος ἐπὶ Τρώεσσι μάχηται,
οὐδὲ μίνυνθ' ἕξουσι ποδώκεα Πηλεΐωνα.

Aperte sententia haec esse debet: Nam si Achilles adversus solos (i. e. non adiutos ab aliis) Troianos pugnabit, hi ne punctum quidem temporis eius impetum sustinebunt. Ergo corrigendum:

εἰ γὰρ Ἀχιλλεὺς οἵοισι Τρώεσσι μάχηται, κτέ.

Cf. vss. 41—53.

T 246.

ἔστι γὰρ ἀμφοτέροισιν ὀνείδεα μυθήσασθαι·
πολλὰ μάλ'· οὐδέ κε νηῦς ἑκατόνζυγος ἄχθος ἄροιτο.

Non tantum cum editoribus haereo in mirifico hoc usu verbi ἄρνυσθαι, sed etiam in ἄχθος nude adhibito pro τοσοῦτο (sc. τῶν ὀνειδέων) ἄχθος.

Coll. Od. γ 312 κτήματα — ὅσα νῆες ἄχθος ἄειραν expectamus:

πόλλ', (ὅσσ') οὐδέ κε νηῦς ἑκατόνζυγος ἄχθος ἀείροι.

Φ 173. Hectoris verba sunt:

Δηΐφοβ', ἦ μέν μοι τὸ πάρος πολὺ φίλτατος ἦσθα
γνωτῶν, οὓς Ϝεκάβη ἠδὲ Πρίαμος τέκε παῖδας·
νῦν δ' ἔτι καὶ μᾶλλον νοέω φρεσὶ τιμήσασθαι,
ὃς τλῇς εἵνεκ' ἐμεῖο, ἐπεὶ ἴδες ὀφθαλμοῖσι,
τείχεος ἐξελθεῖν, ἄλλοι δ' ἔντοσθε μένουσιν.

Dubium non est quin aoristus τιμήσασθαι, quem codices servarunt, sit genuina lectio, quia νοεῖν hic significat in *animo habere*, quapropter non assequor cur editores Leidenses futurum τιμήσεσθαι ex Eustathio recipere maluerint, cum praesertim ipsi afferant Ω 561:

νοέω δὲ καὶ αὐτὸς
Ἕκτορά τοι λῦσαι,

cuius loci prorsus eadem ratio est.

Digitized by Google

Ceterum quia durior est obiecti omissio et ubique in Iliade usurpatur verbum activum τιμᾶν (medium habet Odyssea τ 280, υ 129, ψ 339) hic expectaveram potius

νοέω Φρεσὶ τιμῆσαί σε.

Ψ 874.

ὕψι δ' ὑπὸ νεφέων ἔριδε τρήρωνα πέλειαν·
τῇ ῥ' ὅ γε δινεύουσαν ὑπὸ πτέρυγος βάλε μέσσην,
ἄντικρυς δὲ διῆλθε βέλος· τὸ μὲν ἄψ ἐνὶ γαίῃ
πρόσθεν Μηριόναο ποδὸς· αὐτὰρ ἡ ὄρνις
ἱστῷ ἐφεζομένη νηὸς κυανοπρῴροιο
αὐχέν' ἀπεκρέμασεν, σὺν δὲ πτερὰ πύκν' ἐλίασθεν,
ὠκὺς δ' ἐκ μελέων θυμὸς πτάτο, κτέ.

„Mirum avem transfixam ultra provolare potuisse" haud iniuria cum Nauckio animadvertunt editores.

Sola difficultas est in voce μέσσην, nam graviter quidem vulneratam fuisse produnt sequentia, sed *media* transfixa statim in terram decidisset.

Non igitur haererem, si poeta dedisset

τῇ ῥ' ὅ γε δινεύουσαν ὑπὸ πτέρυγος βάλ' ὀιστῷ.

Versum enim 878, quem pro spurio habebat Nauck, propter verbum ἀπεκρέμασεν abesse non posse Leidensibus assentior.

Ω 261. Priamus de filiis suis:

τὰ δ' ἐλέγχεα πάντα λέλειπται,
ψευσταί τ' ὀρχησταί τε χοροιτυπίῃσιν ἄριστοι,
ϝαρνῶν ἠδ' ἐρίφων ἐπιδήμιοι ἁρπακτῆρες.

Pro lectione ψευσταί hoc quidem loco posita expectatur notio similis vocabulorum vicinorum, velut παισταί. De verbo παίζειν *saltandi* sensu adhibito cf. ζ 106, θ 251, ψ 147; *ludendi pila* ζ 100, η 291.

Ω 778. Priamus:

„ἄξετε νῦν, Τρῶες, ξύλα ϝάστυδε, μηδέ τι θυμῷ
δρείσητ' Ἀργείων πυκινὸν λόχον· ἦ γὰρ Ἀχιλλεὺς
πέμπων μ' ὧδ' ἐπέτελλε μελαινάων ἀπὸ νηῶν
μὴ πρὶν πημανέειν πρὶν δωδεκάτη μόλῃ ἠώς."

Adnotant editores: ἐπέτελλε] *promittebat?* Verbum suspectum h. l., alias enim *mandare* significat.

Digitized by Google

Promittere significare non posse certissimum est, sed etiam hic *mandare* significabit, si mecum lenissime versum sequentem sic refinxeris:

μὴ πρὶν πημαίνειν πρὶν δωδεκάτη μόλῃ ἠώς.

Scilicet Achilles, cum Priamum cum filii cadavere domum remitteret, *suis* mandaverat ut usque ad duodecimam auroram ab omni hostilitate abstinerent.

His adnotatiunculis, quibus continuavi scripta in Mnemosynes vol. XXV p. 8—17 et 417—426, cum ipsis carminibus Homericis prodesse studui tum eorum tertiae quae procul dubio aliquando in lucem prodibit editioni Leidensi. Iuvat autem lectoribus in memoriam revocare aurea editorum verba, quibus huiusce recensionis Praefationem terminarunt. „Nihil — utilius „est ad sensum pulchri acuendum, nihil magis conducibile ad „iuniorum praesertim effingenda ingenia facultatemque criticam „confirmandam, quam tale studium carminum Homericorum, „quo singula verba singulaque enunciata sedulo pensitentur et „ad leges exigantur, quae non pro recentioris cuiuspiam philo„logi arbitrio scriptae sunt sed multorum diligentia ex ipsis „carminibus epicis erutae."

τῶν δ' οὐκ ἐπιλήσομαι, ὄφρα κ' ἐγώ γε
ζωοῖσιν μετέω καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ

et in Homero pro virili parte sive temptando sive, ubi dabitur, emendando pergam.

AD PLUTARCHUM.

Lyc. 21 (Sint.). Spartanorum virtutes his versibus laudavit Terpander:

ἔνθ' αἰχμά τε νέων θάλλει καὶ μοῦσα λίγεια
καὶ δίκα εὐρυάγυια.

Urbs εὐρυάγυια quid sit novimus; *iustitiae* vero viam qui *latam* appellat quid dicat nescit. Scripsit Terpander: δίκα εὐθυάγυια. Recta ambulat via iustitia. J. J. H.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex Vol. XXVIII pag.* 451).

LXXXVI.

AD NOXALES ACTIONES.

Potest is, in quem servus alienus deliquerit, aut praesentem servum in ius ducere [1]), secum scilicet ducturus, si nemo eum in iure defendat [2]) aut praesentem dominum convenire, ut is vel servum defendat vel exhibeat eum [3]), caveat saltem, *cum primum potuerit se exhibiturum* [4]), exhibitum vel *praesentem ..... noxae d(e)t* [5]), etenim *quotiens dominus ex noxali causa convenitur*, et servus praesens est [6]), *si nolit suscipere iudicium, in ea causa res est, ut debeat noxae dedere eum cuius nomine iudicium non suscipitur* [7]). Enimvero reclamat Eisele [8]) nec ultra dominum teneri vult, quam ut servum praesentem duci patiatur, quod fieri videmus l. 28 (i. f.) D. 9. 4 vv. *quum ab eo* [9]) *non defen-*

1) Servus (l. 3 pr. D. 2. 7) et iudicatus non proprie in ius vocantur. De iudicato antea dictum est (cap. LXXX).

2) L. 2 § 1 D. 2. 9; l. 6 D. 6. 2; l. 26 § 6, l. 31, l. 32, l. 39 § 3 D. 9. 4.

3) L. 21 § 4, l. 22 § 3 D. 9. 4.

4) L. 2 § 1 D. 2. 9, de cuius fragmenti emendatione disputavimus cap. harum observ. XLV. Cf. praeterea Lenel, *Ztschr. der Sav.-St.* XX (1899) p. 7.

5) L. 22 § 3 D. 9. 4.

6) Absentem dominus exhibere debet, si defendere non vult.

7) L. 21 pr. D. 9. 4.

8) *Ztschr. der Sav.-St.* XIII p. 124.

9) Id est: ab eo, *adversus* quem (*noxalis actio*) *competit*.

Digitized by Google

deretur [1]), proinde docet èt ea, quae proxime exscribebam, interpolata esse [2]), èt l. 29 D. 9. 4 (*sed huic necesse est ius suum ad actorem transferre perinde ac si damnatus esset*) èt l. 32 D. 9. 4 (*et si praesens est dominus* tradere (Lenel: *mancipare*) *eum et de dolo malo promittere debet*), nec animadvertit in causa manere l. 22 § 3 D. 9. 4: *dominus qui servum in sua potestate esse confitetur aut exhibere eum debet aut absentem defendere, quod nisi faciat,* punitur [3]) *atque si praesentem noxae non dederit.* Ergo propius est ut existimem, quemadmodum existimat Girard [4]), tunc non cogi dominum vel procuratorem domini [5]) servum mancipare, quum actor ducere contentus sit. Absentis [6]) nomine noxale iudicium suscipere non sufficit, nisi ante dominus confiteatur *servum in sua potestate esse* [7]), id est a se possideri [8]), valet enim de noxalibus actionibus, quod legimus [9]) circa de peculio actionem: *n(on) magis dominium servorum esse spectandum, quam facultatem habendi eos*, quamobrem fit ut noxali iudicio non teneatur dominus, cuius servus *(non) apud (eum) sit* [10]), sed vel apud alium possessorem [11]) vel *in fuga* [12]), ex diverso

---

1) Non laudamus l. 26 § 6 D. 9. 4, quia mox ibi cancellabimus *vel etiam praesente.*

2) Ab *in ea causa res est* quae sequuntur.

3) Scripserit necesse est Paulus: *ducitur.* Cf. l. 13 § 2 D. 47. 10.

4) *Manuel* (1901) p. 675*.

5) De procuratore est l. 36 D. 3. 3. Huic imponitur cautio *ratam rem dominum habiturum*, ne postea dominus restitui sibi postulet defensionem. Consequens est ipsi domino defensionem non restitui eius quem duci passus sit, proinde l. 26 § 6 D. 9. 4 cancellanda esse *vel etiam praesente.*

6) Lenel, *Ztschr. der Sav.-St.* XX p. 8: „*war der Sclave* in iure *gegenwärtig, so hat die Frage an den Gegner* 'an servum in potestate habeat' *keinen Sinn.*"

7) L. 22 § 3 D. 9. 4 (cf. l. 5, l. 16 pr., l. 17 D. 11. 1). Negaverat Lenel in edicto (p. 127, p. XIII) talem esse interrogationem, quod ultro cancellat in: *Ztschr. der Sav.-St.* XX p. 7. Ergo pro cancellatis etiam habenda sunt, quae scripserat in edicto p. 126: „*übernahm der Gegner die Defension, so konnte es dem Kläger sehr gleichgiltig sein ob jener besass oder nicht,*" quum ideo introducta sit interrogatio, ne iudicio suscepto neget possidere se. Absolveretur enim (l. 23 D. 9. 4, cf. l. 9 pr., l. 17, l. 18 D. 44. 2; l. 8 pr. D. 46. 8).

8) L. 23 D. 9. 4.

9) L. 1 § 6 D 15. 1. Non tamen est de peculio actionis nomine interrogatio *an in potestate habeat* (l. 9 § 8 D. 11. 1).

10) L. 7 pr., l. 29 D. 9. 4. Putat quidem Karlowa (*Rechtsgesch.* II 1 p. 1175) in hac altera (l. 29) proprietatis causam potius spectari.

11) L. 11 D. 9. 4.

12) L. 21 § 3 D. 9. 4 (*vel peregre*); l. 17 § 3 D. 47. 2; Paul. II 31 § 37.

Digitized by Google

teneatur non dominus, si possideat [1]), non tantum ceteris sed etiam ipsi domino [2]). Possessor autem habetur, quod ad actionem noxalem attinet, qui vel bona vel mala fide [3]), *opinione domini* tamen possidet [4]); ergo *is qui pignori accepit vel qui precario rogavit non tenetur noxali actione* [5]), multo vero minus usufructuarius [6]). In his igitur speciebus dominus tenetur, perinde ac *si servus depositus vel commodatus sit* [7]), *si facultatem repetendi e(um) dominus habeat* [8]), quod in corporaliter pignori dato ita interpretatur Paulus: *(si) habeat pecuniam .....*, *nam non debe(re) cogi vendere res suas ut solvat pecuniam et repetat servum* [9]). Ideo autem diximus: in servo corporaliter pignori dato, quia, sive conventio tantum intercessit, sive a debitore creditori possessio subrepta est, sine dubio dominus noxali actione tenebitur, *nec oberit, quod Serviana potest ei homo avocari* [10]). Similiter, in quo usufructus alienus sit, eius dominum noxalibus actionibus teneri constat [11]), sed secundum Graecam interpretationem [12]) ita: si servum possideat, quae interpretatio non tantum ipsa se commendat, sed etiam quia eius ope explicatur Pauli [13]) responsum in quo haerent Occidentales [14]): *si servi, in quo ususfructus alienus est, dominus proprietatis operas conduxerit* [15]), *verba* [16]) *ef-*

1) L. 11—l. 13, l. 28 D. 9. 4; l. 26 D. 16. 1.

2) L. 17 § 3 D. 47. 2.

3) L. 13 D. 9. 4.

4) L. 22 § 1 D. 9. 4; c. 21 § 3 C. 6. 1.

5) L. 22 § 1 D. 9. 4.

6) Usufructuarium non teneri èt directo testimonio demonstratur (l. 18 D. 9. 4) èt quia agit (l. 18 D. 9. 4; l. 14 § 3 D. 11. 3; l. 43 § 12 D. 47. 2; l. 17 § 9 D. 47. 10), quum nemo possit habere noxalem, qui ea actione propter eundem teneatur. Cf. tamen l. 3 D. 2. 9.

7) L. 22 pr. D. 9. 4.

8) L. 22 pr., § 1 D. 9. 4.

9) L. 22 § 2 D. 9. 4.

10) L. 36 D. 9. 4; l. 69 D. 46. 3. Cf. l. 14 § 1, l. 15 D. 9. 4.

11) L. 17 § 1, l. 18 D. 9. 4; l. 14 § 3 D. 11. 3; l. 4 § 8 D. 42. 1; l. 69 D. 46. 3; l. 17 § 9 D. 47. 10.

12) Sch. 18 *καὶ νεμόμενος* ad Bas. 60. 5. 17.

13) L. 19 § 1 D. 9. 4 (= Paling Paul. 370).

14) Accursius et Cuiacius. Interpretantur enim *non ideo minus* teneri dominum, quod conduxerit operas.

15) A fructuario (cf. l. 25 § 5 D. 7. 1).

16) Legis Aquiliae formae verba esse putat Girard, *Nouv. Rev. histor.* XI (1887) p. 415[1]; 432[3].

Digitized by Google

ficiunt, ut cum noxae deditione damnetur. Etenim, quia tunc habet ex contractu hominis recuperandi facultatem, quasi possideat [1]), conveniendus est. Quibusdam tamen placuit *adversus bona fide ..... possessorem nullo modo (noxalem) furti actionem extendi.* Cuius opinionis, quam damnavit Iustinianus [2]), vestigia tamen in Pandectis supersunt. Veluti scribit Celsus l. 68 (67) § 4 D. 47. 2: *quod furi ipsi furtum fecerit furtivus servus, eo nomine actionem cum domino furem habiturum* [3]) *placet*, qua re sequitur cum fure non esse iudicium noxale, quia nemo potest propter eundem èt noxalibus teneri èt noxalem actionem ipse habere [4]), ergo multo minus cum bona fide possidente [5]). Alterum vestigium est apud Ulpianum l. 21 § 1 D. 9. 4, ubi docet: *eos, quorum nomine noxali iudicio ag(a)tur, etiam absentes defendi posse placui(sse)* [6]), *sed hoc ita demum, si proprii sint servi,* id est a domino, deinde subiungit [7]): *quod ita puto accipiendum, ut, si constet vel bona fide servire, etiam a possessore absentes possint defendi.* Esset enim perquam absurdum de eo dubitare an possit defendere, cui defensionis necessitas imponeretur. Tertium est apud Ulpianum l. 27 § 3 D. 9. 2: *servi autem occidentis dominus tenetur, is vero cui bona fide servit non tenetur* [8]). *Sed an is* [9]), *qui servum in fuga habet, teneatur* [10])

1) Sch. 8 ad Bas. 60. 5. 19 (ὡς νεμόμενος). Possessionem spectari viderat Stephanus (sch. 6 eod.), sed non recte docet *etiam corporaliter* propter contractum possideri (ἐπειδὴ παρ' ἐμοί ἐστι καὶ σωματικῶς ὁ οἰκέτης ὡς μισθωσαμένῳ τὰς ὑπέρας αὐτοῦ).

2) c. 21 C. 6. 2.

3) *quando servus sub domini sui fuerit constitutus possessione* (c. 21 § 1 C. 6. 2).

4) c. 21 § 1 C. 6. 2; l. 41 D. 9. 4; l. 17 § 9 D. 47. 10.

5) L. 13 D. 9. 4.

6) Absentis personam nisi ex causa noxali defendi non posse, demonstravimus cap. XLV (p. 381). Praesentem servum, *si ..... dominus abest* (l. 2 § 1 D. 2. 9), quivis recte defendit, modo non dominus satisdet (l. 4 D. 2. 9; l. 39 § 1, § 2 D. 9. 4)

7) Interpositis quidem his: *aut si dubitetur utrum proprii sint an alieni.*

8) Contrarium docet idem Ulpianus l. 11 D. 9. 4 in actione furti.

9) Dominus.

10) Ita scilicet, ut conveniri possit, *quando servus sub domini sui fuerit constitutus possessione* (c. 21 § 1 C. 6. 2), id est quum *reversus ad dominum fuerit* (l. Burg. Rom. tit. 15). Ergo non est contraria l. 21 § 3 (cf. l. 7) D. 9. 4, quod viderat Lenel, *das* edictum (1883) p. 124[1 3], sed transivit, *Ztschr. der Sav.-St.* XX (1899) p. 5[1], in castra Girardi, *Nouv. Rev. hist.* XI (1887) p. 431[1], qui controversiam esse putat: "*le texte ne dit pas que le maître est tenu, quand il a un esclave qui a commis un meurtre* in fuga, *il dit qu'il est tenu, quand l'esclave, qui a commis un meurtre est* in fuga." Sed apparet, quo modo teneatur.

Digitized by Google

nomine eius Aquiliae actione, quaeritur. et ait Iulianus et est verissimum [1]), *cu(i) et Marcellus consentit.* Quamquam vestigium esse negat Girard [2]) magisque dicendum esse prorsus diversum esse ius noxale legis Aquiliae a ceteris noxalibus actionibus, quod ideo demonstretur, quia nec umquam Aquilia noxalis in bona fide possessorem detur, nec alia ulla in dominum, qui non possideat, veluti in eum *qui servum in fuga habe(a)t* [3]). Quum unus sit locus, ubi quaeratur, utrum Aquilia noxali bona fide possessor obligetur, perspicuum est nihil eo effici, quod testimonia sint concordia in liberando possessore. Ex altera parte quod scribit: sola Aquilia in domino rationem non haberi possessionis, manifeste errat, quia èt in Aquilia noxali [4]) habetur ratio apud Paulum l. 19 § 1 D. 9. 4 (= Paling. Paul. 370) èt ex diverso de furti actione docet Iustinianus [5]), quibus placuerit dominum, non possessorem, noxali actione conveniendum [6]), iisdem placuisse dominum conveniendum *et pro his (rebus), quas furatus est (servus), quando fugit quidem a bona fide possessore adhuc autem nondum sub domini sui manibus fuerit constitutus.* Addebant quidem hi tunc dominum conveniendum esse, *quando servus sub domini sui fuerit constitutus possessione* [7]), id est quum is *reversus ad dominum fuerit* [8]), sed nihil prohibet, eandem interpretationem Ulpiani fragmento de lege Aquilia adhibere. Ergo nihil praecipui in Aquilia noxali deprehendimus. Sed addit Girard [9]), etiamsi legis Aquiliae praecipua causa non sit, tamen eius controversiae, quam decidit Iustinianus, Ulpiani l. 27 § 3 cit. vestigium servare propterea non esse probabile,

---

1) Contrarium verissimum esse docet idem Ulpianus l. 17 § 3 D. 47. 2 (ia. c. 21 § 1 C. 6. 2) in actione furti.

2) L.l. p. 432[1].

3) L.l. p. 430—433.

4) Cf. ipse Girard, l.l. p. 415[1].

5) c. 21 § 1 (i. f.) C. 6. 2.

6) Qui possessorem quaerunt, ii propter fugitivi in fuga furta non eum, a quo fugerit, sed, ad quem ex fuga pervenerit, noxali actioni subiciunt (l. 17 § 3 D. 47. 2). Quam sententiam confirmat Iustinianus (c. 21 § 3 (i. f.) C. 6. 2), si a bona fide possessore pervenerit ad dominum.

7) c. 21 § 1 C. 6. 2,

8) L. Burg. Rom. tit. 15, quem putat quidem Salis ex libro constitutionum desumptum, sed fortasse non inspecta Iustiniani lege.

9) *Nouv. Rev. hist.* XI (1887) p. 432[1].

Digitized by Google

quia deciderit unam controversiam Iustinianus, habeat autem l. 27 cit. singularia duo [1]), et quia praeterea Ulpianum [2]) non sit verisimile sibi contradixisse. Cui respondeo: si nihil praecipui habeat noxalis Aquilia, nulla singularia de ea tradi potuisse, ex duabus porro controversiis alteram Iustinianum composuisse, alteram neglexisse [3]), quid mirum? Ulpianum [4]) autem sibi contradixisse, adeo mirari non debemus, ut mirandum potius esset, si constitisset sibi. Dicemus igitur pro conclusione: noxalibus actionibus dominum conveniri non potuisse, nisi servum in potestate haberet, de eaque re inter omnes constitisse; quaesitum esse, utrum bona fide possessor posset conveniri. In actionem autem non idem venit sive cum domino agitur sive cum possessore. Nam, si dominus convenitur, *huic necesse est ius suum ad actorem transferre* [5]), id est: *(mancipio da)re* [6]), bonae fidei possessori sufficit possessionem tradere, quia nec dominium transferre potest [7]), nec debet propterea *necessitas ei impon(i), ut litis aestimationem sufferat* [8]). Ne quis igitur dixerit in noxae deditione, sicut in emptione [9]), *factum (mancipa)ndi* [10]) spectari, invenirent enim exaequatos sese bonae fidei possessor et dominus. Fructuarius [11]) quoque cum ei permissa sit defensio, *damnatus hominem* tantum *trad(et)* [12]). Erit autem *defensio* fructuario

---

1) „*deux dérogations au droit commun.*"

2) L. 27 § 3 cit. et l. 11 D. 9. 4; et item l. 27 § 3 cit. et l. 17 § 3 D. 47. 2.

3) Fortasse ne neglexit quidem, sed putavit sufficere c. 21 § 3 C. 6. 2.

4) Vult quidem Girard, l.l. p. 431 not. 1, Iulianum huic culpae immiscere (*„précisément il me semble que l'on peut ici faire remonter la contradiction à une autorité plus ancienne et plus haute"*), ut sic deterreat ab opinione controversiae. Atqui nihil agit, quia l. 17 § 3 D. 47. 2 de alia re Iuliano denuntiatur testimonium.

5) L. 29 D. 9. 4. — Itaque statu liber cum sua causa noxae deditur (l. 15 D. 9. 4; l. 9 § 2 D. 40. 7). Sed nudae proprietatis vel rei obligatae domino imperant et Celsus (l. 4 § 8 D. 42. 1; l. 69 D. 46. 3) et Paulus (l. 17 § 1 D. 9. 4) *ut etiam usumfructum actoris facia(t)* vel rem liberet.

6) L. 32 D. 9. 4 (Paling. Callistr. fr. 67); l. 15 D. 9. 4 (Paling. Gai. fr. 130).

7) L. 27 § 1 D. 9. 4.

8) L. 28 D. 9. 4.

9) Cf. supra, cap. IV.

10) Cf. l. 4 pr. D. 22. 1 (Paling. Papin. fr. 333).

11) Huic similis est creditor pignoratitius (l. 26 § 6, l. 27 pr., l. 30 D. 9. 4).

12) L 17 § 1 (i. f.) D. 9. 4: *defensio tibi permittenda est et si damnatus hominem tradas (ab actore liberaris) et adversus me tue(be)ris.* Emendat Mommsen *tutus eris*, sed non esse in Pandectis *tueri* = *defendi* inauditum, docet Duker p. 350.

Digitized by Google

permittenda, sive eo praesente praesentem [1]) servum praesens [2]) dominus defendere non vult, *si(ve)* eo absente praesentem servum *praesens dominus defendere nolu(i)t* [3]) et ob id servus ductus est [4]); [in] *noxalibus* enim *actionibus* vel potius ductionibus *eorum qui bona fide absunt ius non corrumpitur, sed reversis defendendi ex bono et aequo potestas datur* [5]). — Supra diximus: domino confitendum esse antequam de absente noxale iudicium suscipiat, habere se servum in potestate. Est igitur de absente noxalis actio interrogatoria. Sed invenitur duplex interrogatio, quum *an in potestate habeat eum cuius nomine noxali iudicio ag(e)tur* [6]), tum *an servus suus sit* [7]). Contendunt igitur Lenel [8]), Karlowa [9]) harum interrogationum separatum esse sensum: illam priorem ad factum possidendi, posteriorem hanc ad ius proprietatis referendam esse. Quae sententia ideo refellitur, quia is, qui responderit „servum suum esse", nihilomagis tenetur ad proprietatem actoris faciendam [10]), vertitur igitur in hac interrogatione possessio, in illa vel magis, siquidem in edicto quoque quod proponitur adversus eum, qui negaverit se in sua potestate servum habere, *„in potestate" sic accipere debemus ut facultatem et potestatem exhibendi eius habeat* [11]), proinde *potestatis verbo ..... cum* ex hoc edicto [12]) *agimus* de [13]) *noxae*

1) Absentis defensio ad fructuarium non pertinet.

2) (*Si*) *dominus abest*, quivis defendere potest (l. 2 § 1 D. 2. 9).

3) L. 17 § 1, l. 26 § 6 D. 9. 4.

4) De noxae dedito cf. l. 17 § 2 D. 7. 1.

5) L. 2 § 1 (i. f.) D. 2 9; l. 26 § 6, l. 30 D. 9. 4.

6) L. 5, l. 16 pr. D. 11. 1.

7) Locos dabit Lenel, *das* edictum (1883) p. 125 not. 4 (= *Ztschr. der Sav.-St.* XX p. 6 not. 3). Add. l. 26 D. 6. 1.

8) *Ztschr. der Sav.-St.* XX (1899) p. 6—9.

9) *Rechtsgesch.* II 1 p. 1174, 1175.

10) Putat hoc Lenel, *das* edictum (1883) p. 125/6 (*„der Eigenthümer des Delinquenten ist .... zur Uebertragung des .... Eigenthums .... verbunden"*. Tacite hoc transfert ad fassum se dominum, quod quam sit anceps docebit Iulianus l. 39 § 1 D. 9. 4, itaque pergit: *„der Kläger hatte daher ein .... Interesse daran, von seinem Gegner in der Eigenthumsfrage* [wahrheitsgetreu] *berichtet zu werden"*). Perstat in ea sententia: *Ztschr. der Sav.-St.* XX p. 9, sed refellit eum Gaius l. 27 § 1 (ia. l. 28) D. 9. 4.

11) L. 21 § 3 D. 9. 4.

12) Lenel, *Ztschr. der Sav.-St.* XX p. 6.

13) Requiritur *sine*. Etenim cum eo qui *neget se servum* [vel familiam] *defendere*, i. e. in potestate habere, de noxae deditione agi non potest (l. 1 § 19 D. 48. 16).

Digitized by Google

deditione cum eo qui servum [1]) *non defendit* praesentis [2]) *corporis copiam facultatemque significamus* [3]), nec potest alius sensus fuisse verbi in ipsa interrogatione, alius in edicto, quo falsa responsio coerceretur. Ergo iam apparet, sicut contenderat Lenel in edicto [4]), utriusque interrogationis eundem esse sensum, non tamen eum, ut ille putabat, ad ius sed ad factum [5]) referendum. Consequens est nec esse de praesente servo interrogatoriam actionem [6]), èt illam „an servus suus sit" eodem ferme modo a naturali sensu esse deflexam atque in Saxonica rerum mobilium vindicatione formulam „rem meam esse aio", quam ibi recte intendit etiam non dominus [7]) modo a domino causam habeat [8]). Ad Romanos ut redeam, altero utro modo interrogatus adversarius, si confessus sit servum in potestate se habere, tenebitur iudicio noxali [9]). Quid, si negaverit? *Recusare* posthac *potest noxale iudicium* [10]), sed, nisi nunc fatetur [11]), aut iurabit *in potestate sua non esse* aut, quod falso negaverit, iudicium habebit sine noxae deditione [12]), idque edicto praecipitur [13]) eo quod hodie extat l. 21 § 2 D. 9. 4. Quid, si interrogatus tacuerit? Adhuc habebit sine noxae deditione iudicium aut iusiurandum, *quasi negaverit* [14]). Quid, si post interrogationem

1) Ad filiumfamilias definitio non pertinet (Lenel, *Ztschr. der Sav.-St.* XX p. 6 not. 2).

2) Malo: *praesentem*.

3) L. 215 D. 50. 16.

4) P. 127 (ad l. 16 D. 11. 1), p. XIII (ad l. 5 eod.).

5) Ad ius et ad factum, opinio est Girardi, *Nouv. Rev. hist.* XI (1887) p. 428 (not.).

6) Quia de iure interrogatio nulla est, de facto autem tollitur (cf. supra).

7) Bruns, *Recht des Besitzes* (1848) p. 315 (cf. p. 318/9); Laband, *Vermögensr. Klagen* (1868) p. 111; Planck, *Gerichtsverfahren* I (1879) p. 396/7.

8) Bruns, op. cit. p. 315 (post not. 1). Contradicit huic Laband, op. cit. p. 113 (cf. Planck, op. cit. I p. 709 not. 5), sed suppetias fert Heusler. Cf. sequens observatiuncula LXXXVIII. — Add. Michel, *Recueil* no. 1359 lin. 10 (intendit conductor emphyteuticarius: *ἐστὶν ἐμά*).

9) Edicto hoc expressum fuisse negat Lenel, *Ztschr. der Sav.-St.* XX p. 9 (cf. *das* edictum p. 127).

10) L. 29 D. 9. 4, quam ad interrogatum pertinere negabat Lenel, *das* edictum p. 126[2] (eadem est controversia de l. 80 D. 6. 1), fatetur Karlowa, *Rechtsgesch.* II 1 p. 1175, sed superesse docet alteram interrogationem.

11) L. 26 § 5 D. 9. 4.

12) L. 2 § 1 D. 2. 9.

13) Lenel, *Ztschr. der Sav.-St.* XX p. 9 (in edicto (p. 127) negaverat).

14) Cf. l. 11 § 4 D. 11. 1. Itidem Karlowa, *Rechtsgesch.* II 1 p. 1174 (ima), aliter nodum solvit Lenel, *Ztschr. der Sav.-St.* XX p. 9[4].

Digitized by Google

actor elegerit iusiurandum — huius enim est electio — nec ille iuraverit? Si fides est Triboniano [1]), hic *condemn(a)tur quasi contumax*, sed scripsit Ulpianus: *duc(i)tur*, nam est ea indefensi praesentis [2]) genuina poena [3]) et Ulpiano cognita [4]). Quid, si fassus sit servum in potestate se habere, attamen nec exhibeat nec defendat? Ducetur [5]). Quid, si exhibeat nec tamen noxae det? Eadem poena est [6]). Itaque graviter fallit Tribonianus sub persona Ulpiani docens [7]): qui nec defendat nec noxae det eum iudicium habiturum *omnimodo* [8]) ea lege *si in potestate habeat*. Quod iudicium neque de praesente locum habere potest neque in confessum, quia praesentia confessiove quaestionem tollit, neque in tacentem vel negantem *omnimodo* locum habet, sed ita, si actor iusiurandum remiserit. Remotis emblematis hic erit integer Ulpianus:

> *quotiens dominus ex noxali causa convenitur, si nolit suscipere iudicium, in ea causa res est, ut debeat noxae dedere eum cuius nomine iudicium non suspicitur* [9]), *aut, si id non faciat*, [iudicium suscipiet] *omnimodo* [sed non alias] condemnabitur [10]) [quam si in potestate habeat dolove malo fecerit quo minus haberet].

Interpolandi causa fuit, quod iure Iustiniano [11]) *nemo cogitur ante iudicium de suo iure aliquid respondere*, est igitur *omnimodo* iudicium constituendum, vel certe cognitio suscipienda, ut procedat interrogatio ceteraque ex interrogatione [12]). Cui iuri

---

1) L. 21 § 4 D. 9. 4.

2) Multum interesse inter praesentem et absentem indefensum observavimus cap. LXXVIII (p. 301).

3) L. Rubr. cap. 21.

4) L. 13 § 2 D. 47. 10. Habiturum putat Karlowa, *Rechtsgesch.* II 1 p. 1175 eum, qui iurare nolit, iudicium sine noxae deditione. Itaque eripit actori electionem a praetore concessam.

5) L. 21 § 4 (cf. supra), l. 22 § 3 D. 9. 4.

6) L. 22 § 3 D. 9. 4.

7) L. 21 pr. D. 9. 4.

8) Vertit Lenel (*das* edictum p. 126 not. 3): *sine noxae deditione*. Quod displicet Ottoni Karlowa, op. cit. II 1 p. 1175.

9) Si servus praesens est (l. 22 § 3 D. 9. 4). Ut hic praesentiae, ita § 4 confessionis conditio omittitur.

10) Ulpianus: *ducetur*.

11) L. 1 § 1 D. 11. 1.

12) Cf. Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* § 86[12], § 153 (p. 255/6).

Digitized by Google

accommodatus est locus Ulpiani nec satis a Triboniano eius ratio habita, quod is locus ad absentem proprie transferri non potuit [1]). Ergo iure Iustiniano debet dominus *si nolit suscipere iudicium* servum exhibere, exhibitum *noxae dedere; si id non faciat*, rursus iudicium suscipere in eam legem *si in potestate habeat* [2]), in quo iudicio interrogatus *an in potestate habeat*, si negaverit, aut iurabit aut sine noxae deditione condemnabitur, prout actor elegerit. Perlustravi, ni fallor, omnes locos, qui pertineant ad rationem defendendi in causa noxali [3]) praeter l. 3 § 7 D. 10. 4, quae vel ideo non est omittenda, quia ex interpolatione labem videtur contraxisse. Verba sunt haec: *si quis noxali iudicio experiri velit, ad exhibendum ei actio est* [4]) *necessaria: quid enim si* [dominus quidem paratus sit defendere, actor vero] *destinare non possit nisi ex praesentibus*, quia aut servum non recognoscit aut nomen non tenet [5])? *nonne aequum est ei familiam exhibere, ut noxium servum agnoscat* (etc.)? Ridiculum enim est ponere dominum defendere *paratu(m)*, quocum agi non possit, propterea quod familiam non exhibeat. Quod peccasse Tribonianum quam Ulpianum facilius mihi persuadebitur.

---

1) Quia absentem non noxae dedere sed exhibere compellimur (l. 21 § 4, l. 22 § 3 D. 9. 4).

2) Absentem. In praesentis enim persona interrogatio cessat.

3) Ad l. 1 D. 2. 9 (et R. D. 2. 9) dictum est supra (cap. XLV).

4) *Est* = esse potest.

5) Haec quoque (*quia — tenet*) mihi suspecta sunt.

AD PLUTARCHUM.

Fab. Max. 13 (Sint.). Minucius e magno periculo, quod sibi ipse contraxerat, a Fabio servatus sic milites alloquitur ... ὁμολογῶ μικρὰ μεμφόμενος τὴν τύχην περὶ μειζόνων ἐπαινεῖν (Adde ἔχειν). ἃ γὰρ οὐκ ἠσθόμην χρόνον τοσοῦτον, ἡμέρας μέρει μικρῷ πεπαίδευμαι, γνοὺς ἐμαυτὸν οὐκ ἄρχειν ἑτέρων δυνάμενον, ἀλλ' ἄρχοντος ἑτέρου δεόμενον, μὴ φιλοτιμούμενον νικᾶν ὑφ' ὧν ἡττᾶσθαι κάλλιον. Leg. φιλοτιμεῖσθαι, ut illud a πεπαίδευμαι dependeat et sic tota sententia apte cohaereat.

Paulo post pro ἡττωμένους legendum est ἡττημένους.

J. J. H.

Digitized by Google

HOMERICA.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur e Vol. XXIX pag.* 243).

XXII.

DE ARISTONICI ΠΕΡΙ ΣΗΜΕΙΩΝ PRAEFATIONE.

Homeri Ilias cum scholiis. Codex Venetus A, 454 *phototypice editus. Praefatus est D. Comparetti. — Lugduni Batavorum, A. W. Sijthoff*, 1901.

Admirabundus nuper et venerabundus oculis lustrabam imaginem phototypam codicis A Iliadis, quae strenua cura Sythoffii nostri cum ingenti bonarum litterarum emolumento publici facta est iuris. Nam cuivis iam Bibliothecae Philologicae licet modico sumtu in commodum visentium parare exemplar ipsi codici tam simile quam ovum est ovo. Mihi quoque, cui bibliopola vir honestissimus et amicissimus exemplar splendidi operis dono dedit, — *μεγάλη χάρις αὐτῷ!* — quavis hora licet illum thesaurum aut soli adire aut cum discipulis perscrutari, unde ipsam „quaestionem Homericam" uno saeculo abhinc procrevisse haud iniuria dixerit quispiam.

Multi autem multos errores quin hoc usi instrumento deprehensuri sint philologi nullus dubito; nam in tam amplo opere, quod hactenus nonnisi Venetiis consuli potuit per peregrinationum tempora nimis semper brevia, fieri non potuit quin etiam post Villoisoni Bekkeri Cobeti LaRochii Ludwichii aliorum studia

Digitized by Google

relinqueretur quod agerent alii. Nemo autem frustra nobilem codicem adibit; nam ut nihil reperiat quod aliis novum fore confidat, at multa inveniet quae sibi certe sint nova, et ex ipso fonte discens mox multo melius cognoscere et intellegere incipiet quae ex Aristarchi et Aristarcheorum scriptis ad nos pervenerunt magni naufragii rudera nimis nimisque exilia et informia.

Praemisit autem Dominicus Comparetti vir illustrissimus Praefationem paginarum XIV, quibus codicis fata succincte enarravit. Quae cum ea qua digna sunt animi intentione perlegerem, praesertim me adverterunt quae post alios observavit de mutilatis turbatisque ipsius codicis Prolegomenis. Luculenter enim demonstravit — immo ipsi codice inspecto quomodo cernere possimus nos docet — quinque foliorum, quae sola hodie supersunt, id quod nunc est ultimum (9) primo olim fuisse loco, cetera autem quatuor (1, 4, 6, 8) cum quatuor deperditis effecisse huiuscemodi quaternionem:



Numeri, quos cancellis inclusos adscripsi, indicant ordinem quo folia in codice inveniuntur disposita, intersertis foliis non-

Digitized by Google

nullis, quae vacua fuerunt olim, nunc obtecta sunt imagunculis Helenae Achillis aliorum crassa Minerva delineatis.

Finem igitur Prolegomenon faciebat folium in quo extat pars posterior tractatus *de Aristarchi notis criticis*, cuius prior pars periit. Fallebat autem memoria Cobetum, cum triginta annis postquam codicem suis manibus tenuit et multorum mensium sedulo labore penitus excussit de hoc fragmento disputans „sine initio et fine" esse scripsit, „periisse enim et praecedens folium et sequens" [1]); nam eorum quae codex de signis criticis habebat ipsum finem servatum esse nemo non videt inspecto exemplo phototypo; scribere desiit librarius ante exitum paginae anterioris folii octavi, et posteriorem omnino reliquit vacuam.

Levis hic est error; primus autem, quod multo maioris est momenti, vir ille magnus vidit quam pretiosum esset illud fragmentum, et claris verbis hanc de eo tulit sententiam: „*Praefationis Aristonici libri περὶ σημείων Ἰλιάδος hanc esse particulam*". Mentione autem dignissimum est id quod paucis annis abhinc scripsit Naber [2]), legisse se Cobeti ad Bakium epistolam, unde appareat eum tum cum Venetiis commoraretur vidisse id quod post sex demum lustra — non novi igitur inventi gaudio abreptus — in Mnemosyne pronuntiavit.

Fortasse autem dicere praestat, „*ex Aristonici Praefatione excerpta*" haec esse sive *αὐτολεξεί* sive ita ut in brevius quaedam contraherentur vel etiam aliis verbis hic illic exprimerentur quae dixisset ille; quemadmodum non „*Procli Chrestomathiam*" sed „*e Procli Chrestomathia excerpta*" quaedam codex exhibet in priore Prolegomenon parte. Sic facillime explicatur finis abruptus; nam in ipso Aristonici opere nonnulla sequebantur opinor, sed is qui archetypum confecit unde codex noster exscriptus est, ea aut non repetivit aut alio loco repetivit.

Dindorfio Kirchhoffio aliis philologis bene multis persuasit Cobet, non tamen omnibus; quae autem de ipsis fragmenti verbis observavit hodie probari cuncta non possunt. Et quoniam non sine causa vereri mihi videor ut recte interpretari hoc fragmentum soleant philologi hodierni, operae pretium facturum

---

1) Vid. Mnemos. 1873 p. 27.
2) Naber Vier tijdgenooten p. 230.

Digitized by Google

me spero si quam accuratissime priscae doctrinae hasce reliquias vertero.

*** „ἦ *idem quod* ἔΦη. *Quod cum ille non intellegeret, nunc* „*quoque* Φη *interpretatus* ὡς *(quemadmodum) perperam suspendit* „(a pronomine ὃ δὲ) *verba sequentia:*

πέφραδέ τε Τρώεσσι καὶ εὐχόμενος ἔπος ηὔδα". —

Tangitur error, quem quidem Aristarchus putabat, Zenodoti, qui poetae verba de Peneleo caput Ilionei abscisum quassante Ξ 499 sq.

ὃ δὲ Φὴ κώδειαν ἀνασχὼν
πέφραδέ τε κτἑ.

ita in unum enuntiatum iungebat ut nos solemus hodie, Aristarchus vero particulam insolitam nunc quoque (ut B 144) aspernatus intellegebat Φῆ (*ait*) et mente supplendum esse ὡς autumabat, dein a verbo πέφραδε novum enuntiatum incipere ratus.

In priore igitur huius commentationis parte, quae periit, et alia legebantur et ratio *diples* ab Aristarcho passim adhibitae reddebatur; hoc autem loco agitur de usu *diples periestigmenes*, qua Aristarchus Zenodoti errores notare solebat. Etiam versui laudato eam appingebat Aristarchus, licet codex Venetus *diplen punctis carentem* illic exhibeat. Cuiusmodi crebra in eo sunt vitia.

„*Adversus eundem autem utitur diple punctis carenti ad homo-* „*nymias cunctas indicandas, quoniam ea re neglecta scripsit ille* „*altero loco Pylaemenem altero Cylaemenem*".

Observat grammaticus, in refellendo Zenodoto non solum periestigmenen ab Aristarcho adhibitam esse diplen, sed etiam meram diplen huic consilio inserviisse certa in re: hac enim eum insignivisse cunctos locos Homericos ubi homines homonymi commemorarentur, ut sic demonstraret inutilem esse coniecturam Zenodoti Κυλαιμένεος pro Πυλαιμένεος scribentis N 643, — quo loco Pylaemenes dudum ab Aenea occisus (E 576 sqq.) filio exequias ire dicitur (N 658 sq.).

Vera autem esse quae grammaticus h. l. observat aliunde abunde constat (vid. schol. A 320 B 517, 837, 851 Δ 295 etc.).

Digitized by Google

„*Ad Zenodotum igitur refutandum utitur diple periestigmene,* „*quemadmodum singulis locis* (infra, in ipso libro) *accuratius ex-* „*ponitur. Obelum vero ex Zenodoti editione critica habet desumtum;* „*versibus enim quos e textu eiciebat apponere eum solebat* (hic) „*tanquam mortuorum corporibus*".

Obelo igitur ante Aristarchum usus esse dicitur Zenodotus, neque eandem quam Aristarchus in re critica factitanda adhibuisse cautionem, sed versus quos eiciebat notasse obelo funeris nota.

Notetur imperfectum παρετίθει, unde apparet — quod nescio an interpretes hactenus fugerit cunctos — de *Zenodoto*, non de Aristarcho, dici ultima. Eiciebat Zenodotus quae ipsi displicebant; Aristarchus solo obelo talia notabat. Insulsa autem comparatio ὡς τοῖς νεκροῖς τῶν ἀνθρώπων debeaturne Zenodoto an Aristonico an alii cuipiam, fortasse dubium: mihi librarius eam confinxisse videtur, cum olim non ἀνῶν (sic cod.) sed ἐπῶν fuisset dictum, telo scilicet critico confossorum. Sed ne sic quidem quisquam contendet lepide dictum esse. Sufficit nunc observasse de Zenodoto dici hoc quicquid est, non de Aristarcho, nedum ipse Aristarchus loquens hic inducatur.

Minus dubitanter correxi errorem librarii in primis huius loci verbis commissum; ita enim modo verti quasi scripta extarent haec: πρὸς μὲν δὴ Ζηνόδοτον αὐτῷ ἡ παράθεσις τῆς περιεστιγμένης διπλῆς ‹ὡς› πρὸς ἑκάστην γραφὴν ἀκριβέστερον θεωρεῖται. — Post -HC haplographia periit ωC.

„*Duplex autem ei* (Aristarcho) *est ratio obeli adhibendi. Aut* „*enim non Homeri esse versum significat, quemadmodum dicebatur*(?) „*de versu:*

τέρπεται ἐν θαλίῃ καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην,

„*quoniam ea quae perpetua virginitate frui traditur nupta esse* „*non potuit, — aut indicat versus Homeri quidem esse sed non* „*suo loco collocatos. Sic cum Agamemnon ad Achillem dicit:*

αἰεὶ γάρ τοι ἔρις τε φίλη πόλεμός τε μάχαι τε

„*isto loco damnandum esse dicit* (Aristarchus)*; regi enim gratum* „*esse debere si talis in bello sit vir qui auxilio sibi venerit. Qua-* „*propter huic versui ab Agamemnone dicto appictus erit* (i. e. in

Digitized by Google

„textu appictus invenietur) *obelus addito asterisco. Qui ubi obelo „invenitur additus, significat versum Homeri esse quidem sed ab „hoc loco alienum*".

Optime habent haec maximam partem, nisi quod *dicebatur* illud (*ἐλέγετο*) quid sibi velit nondum intellego. Gravius vero est quod in codice sequitur vitium, quo deceptus Cobet verborum *„ὁ δὲ αἰτίαν ἐπιφέρει ὡς τῶν ποιημάτων ἐν τῇ τάξει διημαρτημένων*" subiectum esse *Aristarchum* statuebat. Inter se opponuntur duo *obelorum genera*: *ὁ μὲν* versus spurios, *ὁ δέ* loco alieno collocatos significat addito asterisco; alterius autem generis exemplum affertur versus λ 603 ab Homero alienus, alterius A 177, qui suo loco legitur alibi (E 891). Supra autem in versione mea vitium quod dico non apparet, quoniam non reddidi illic quae codex habet: *„ὁ δὲ αἰτίαν ἐπιφέρει ὡς τῶν ποιημάτων ἐν τῇ τάξει διημαρτημένων. ὅταν δ' ὁ Ἀγαμέμνων κτἑ.*", sed ea quae in archetypo fuisse arbitror: *„ὁ δὲ αἰτίαν ἐπιφέρει ὡς τοῦ ποῖ μ̄ ὄντων ἐν τῇ τάξει δ' ἡμαρτημένων. ⟨ὡς⟩ ὅταν ὁ Ἀγαμέμνων κτἑ.*", — *ὡς τοῦ ποιητοῦ μὲν ὄντων, ἐν τῇ τάξει δ' ἡμαρτημένων. ὡς ὅταν ὁ Ἀγαμέμνων ...* — Litteras *τοῦ ποῖμόντων* in *τῶν ποιημάτων* quam facile potuerint abire nemo non videt, et *δέ* in *δι-* corruptum effecit ut sequentia prave iungerentur. Operae autem pretium est observasse, codicem in vicinia praebere particulam *πόθεν* scriptam *πόθ̄* et *παρθένοι* vitiose pro *παρθέμενοι* (*παρθέμ̄οι*).

Probabiliter dein Cobet observavit sequentia esse lacunosa et hiare omissis nonnullis quae ad sententiam necessaria sint: *διόπερ ἐπὶ μὲν τοῦ λεγομένου ὑπ' Ἀγαμέμνονος ὀβελὸς παρακείσεται καὶ πρὸς τούτῳ ἀστερίσκος, κτἑ., ⟨ἐπὶ δὲ τῶν ὑπὸ Διὸς εἰρημένων μόνος ὁ ἀστερίσκος⟩. δηλοῖ δὲ τοῦτο ὅπου ἂν ᾖ κείμενος σὺν τῷ ὀβελῷ, ὅτι Ὁμήρου μέν ἐστι, φαύλως δ' ἐνταῦθα κεῖται, ⟨ὅταν δὲ μόνος ὁ ἀστερίσκος, ὅτι νῦν μὲν ὀρθῶς εἴρηται, κακῶς δ' ἐντεῦθεν ἀλλόσε ποι μετάκειται⟩.*

„Aliam ob causam loci quidam obelo notantur; cum iisdem ver-„sibus poeta saepius utitur, modo aptis personis eos tribuens modo „non aptis; ut cum a Nestore hominum prudentissimo verba, quibus „et immanis ille Cyclops utitur, ad Telemachum dicuntur:

ὦ ξεῖνοι, τίνες ἐστέ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα;

Digitized by Google

ἤ τι κατὰ πρῆξιν ἢ μαψιδίως ἀλάλησθε,
οἷά τε λῃϊστῆρες ὑπεὶρ ἅλα, τοί τ' ἀλόωνται
ψυχὰς παρθέμενοι ‹κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες›;

„haec enim Cyclopi conveniunt Ulixem alloquenti, non vero Nestori „Telemachum".

Quod *aliam causam* τῆς ἀθετήσεως nunc dicit, non *tertium* aliquod genus significat, sed alterius in quo versamur generis duas distinguit species; alia enim *ad personam parum aptam* dicuntur, ut supra ad Achillem ea quae aptius alibi dicuntur ad Martem, alia *a parum apta*, ut hoc loco a Nestore quae aptius alibi dicit Cyclops.

Primus autem Nestoris versus „ὦ ξεῖνοι — κέλευθα", quamquam Aristarcho suspectus non fuit, hoc loco adscribi tamen debuit, ne enuntiatum afferretur capite truncum.

Hic abruptius quam velles desinunt quae ex *Aristonici Praefatione* excerpta ad nos pervenerunt.

Quamquam quid dico. Fasne etiam est ita denominare fragmentum, cuius titulus cum ipso initio interiit? Audiamus virum haud exiguae auctoritatis, cuius nomen hic scribi nihil opus est, nam vocem, nisi egregie fallor, mox ipse, amice lector, agnosces:

„der Titel jenes anonymen Bruchstücks verdankt einzig und „allein einer durchaus verfehlten Vermuthung Cobet's seinen „Ursprung. Ich würde es nicht der Mühe werth halten, den „Einfall nochmals zu widerlegen nachdem dies mit aller wün„schenswerthen Gründlichkeit und Schärfe bereits . . . ge„schehen ist: aber" — quaeque sequuntur. Repetit dein argumenta quae solida illa doctrina dudum protulerat; quae quam sint infirmia si data opera demonstratum nunc irem, id unum assequerer ut taedium parerem legentibus, nam quae supra dedi eo praesertim scripsi consilio ut illa crimina interpretatione vel emendatione removerem. In calce tamen harum paginarum ipsa viri docti verba afferam, itaque nullo negotio cum observationibus meis poterunt conferri [1]).

1) Die Stellen, welche deutlich gegen Aristonikeischen Ursprung sprechen, ... sind:

1) ὁ δὲ τοῦτο μὴ νοήσας, ἀλλὰ λαβὼν πάλιν τὸ φή ἀντὶ τοῦ ὡς, ὑπέταξεν ἐκ περισσοῦ «πέφραδέ τε Τρώεσσι καὶ εὐχόμενος ἔπος ηὔδα" [Ξ 500]: das ausgefallene

Digitized by Google

Sed ut solidam doctrinam desideremus, eam certe quam dicebat acerbitatem non frustra quaerimus; cuius postquam luculentissima quaedam dedit documenta, sic perorat, ipsis verbis viri docti quem sequitur usus: „*Longus sum in re, quae nemini*

Subject ist Zenodot; dass dieser den citirten Vers eingeschoben haben soll, davon weiss Aristonikos zur Stelle .... nichts [neque eiusmodi quid dicitur in fragmento].

2) σημειοῦται δὲ πρὸς τὸν αὐτὸν ἀπεριστίκτῳ διπλῇ τὰς ὁμωνυμίας ἁπάσας: ein grober Irrthum; gegen Zenodot war bekanntlich die διπλῆ περιεστιγμένη gerichtet. [Nunc quoque non fragmenti auctorem sed virum doctum qui haec scripsit egregie falli statim apparebit si contuleris quae de hoc loco supra observavi.]

3) Aristarch bezeichnete auch keineswegs, wie hier behauptet wird, alle Homonymien mit der einfachen διπλῆ: N 658 und 659 führen den Obelos, obwohl Aristonikos dazu bemerkt: εἰ δὲ μένοιεν οἱ στίχοι οὗτοι, νοητέον ὁμωνυμίαν εἶναι. [Hoc argumentum eiusmodi est ut eius vim ne sentiam quidem.]

4) Nicht mit Rücksicht auf Zenodot machte Aristarch auf die Homonymien in Homer aufmerksam, sondern, wie Aristonikos zu B 837 ausdrücklich angiebt [et fuse id demonstravit Cobetus l.l.], mit Rücksicht auf die eben genannten Verse N 658 f. [Aut humani quid passi — immo passorum, nam statim eadem iterum dicuntur, sed fusius et sermone latino, ex alio repetita libro — haec est observatio, aut ego nunc somnio. Vide quae scripsi supra.]

5) ὅτι ... ἔγραψεν ὁτὲ μὲν Πυλαιμένεα, ὁτὲ δὲ Κυλαιμένεα und später ὁτὲ μὲν οἰκείοις περιτιθεὶς προσώποις τὰ λεγόμενα, ὁτὲ δὲ οὔ. *Aristonicus particulis* ὁτὲ μέν — ὁτὲ δέ, *quas recentiores amant, numquam utitur.* [Ergo Aristonici stilus e fragmentis quae ex eius opere supersunt satis nobis est cognitus, neque credibile est in Praefatione alio dicendi genere eum esse usum quam in brevibus notulis. Parum tamen graecum esse ὁτὲ μὲν — ὁτὲ δέ nemo, opinor, contendet.]

6) πρὸς μὲν δὴ Ζηνόδοτον αὐτῷ ἡ παράθεσις τῆς περιεστιγμένης διπλῆς πρὸς ἑκάστην γραφὴν ἀκριβέστερον θεωρεῖται: dies unverständliche Kauderwelsch (versteht es Jemand?), sowie das ganze übrige Gerede ist himmelweit von der klaren und präcisen Sprache des Aristonikos verschieden. [Nempe verba tradita levi vitio laborant, quod supra sustuli.]

7) παρετίθει δ' αὐτὸν [ὀβελὸν] τοῖς ἐκβαλλομένοις ἐκ τῆς ποιήσεως στίχοις ὡς τοῖς νεκροῖς τῶν ἀνθρώπων: konnte der Schreiber eine richtige Vorstellung vom Obelos haben, wenn er sich einbildete, dass Aristarch die von ihm mit diesem Zeichen versehenen Verse herauswarf? [Non potuisset sane, si quid eiusmodi dixisset, sed de *Zenodoto* loquitur, non de Aristarcho; vid. supra. — Quod deinde verbula illa de „hominum cadaveribus" aniles dicuntur ineptiae (8), verum id est, sed vid. quae supra observavi. Verba autem ὡς τῶν ποιημάτων ἐν τῇ τάξει διημαρτημένων cum vicinis aptum sensum praebere neganti (9, 10) non ego sum qui obloquar, supra enim demonstratum ivi corrupta esse utque emendarem operam dedi.]

11) τὰ τοῦ Κύκλωπος τοῦ ἀνημερωτάτου ῥήματα ὑπὸ τοῦ συνετωτάτου Νέστορος λεγόμενα: der Anonymos verräth sich durch die Epitheta τοῦ ἀνημερωτάτου und τοῦ συνετωτάτου [quae desunt in schol. ad γ 71], die mit seinem übrigen Jargon im besten Einklang stehen, als Spätling. [Hoc est quod dicunt, si feriendus videatur canis, baculum non frustra quaeri. Confidenter provoco ad aliorum iudicium, neque pudet profiteri mihi certe inepti vel turgidi nihil inesse videri hisce adiectivis, quae argumenti sunt loco.]

Digitized by Google

„mediocriter perito dubia esse potest; qui autem ne moniti quidem „intellegunt, quam ingens differentia sit inter has nugas et genuinas „Aristonici reliquias, in his rebus nihil intellegunt." Nuper autem denuo hanc proferens sententiam in Ephemeride Philologica Comparettio dedit vitio quod neque de „Cobeti temeraria illa opinione" tacuisset neque ipsius fragmenti „errores crassos atque adeo pueriles" notasset.

Equidem esse aliquid has nugas putare pergam, et cum Cobeto nihil intellegere malo quam sic cum illis sapere. Ad probra autem qua magistri pie semper colendi petitur memoria cum respondere aliquid ferret animus, — nam penitus, fateor, commovent me talia prolata de viro meis multorumque laudibus maiore, — vidi ipsum Cobetum ad haec respondisse priusquam dicta essent. Nam in eodem fasciculo Mnemosynes, ubi de Aristonici hoc fragmento egit, „si quis" ait „petulanter et „proterve in me arietat, non iram mihi movet sed risum, et „mox obliviscar. Neque ego arbitror cordatis in Germania ho„minibus istam μειρακιώδη petulantiam ullo modo placere."

Sic ille. Verborum magistri dilectissimi memor ego linguam nunc compescam, spero autem fore ut perlecto hoc qualicunque commentariolo paullo melius quam antea perspiciant philologi quanti pretii sit illud fragmentum, quod optimo iure Cobetus olim vindicavit Aristonico.

Quoniam spatii aliquid in hoc folio superest, eo utar ut de duobus Iliadis locis quaedam observem.

AD Σ 98.

Apud Robertum in opere ingeniosissimo de Iliadis compositione (*Studien zur Ilias* 1901 p. 329) hanc invenio Bechtelii observationem ad Π 47: „van Leeuwens Regel (Ench. 279), nach der „ἔμελλον nur mit dem Inf. Futuri verbunden werden dürfe, „wird durch die Unmöglichkeit Σ 98 μέλλον ἀμῦναι mit ihr in „Einklang zu bringen umgeworfen". —

Itane vero? μία οὖν χελιδὼν ἔαρ ποιεῖ? Quid autem si vitiosus sit ille locus neque hanc solam ob causam suspectus? Ubi Achilli haec tribuuntur verba:

αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὔκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ
κτεινομένῳ ἐπαμῦναι, —

Digitized by Google

notetur autem augmentum metro invito in codicibus verbo additum. *Statim dispeream, quoniam* ... Quid nunc expectatur? Id opinor quod factum sit aut non factum. *Statim dispeream, quandoquidem non servavi amicum*, vel etiam: *quandoquidem non in fatis fuit ut servarem amicum.* At verbis „οὐκ ἄρ' ἔμελλον" indicari solet *causa* rei factae, non expectatae vel speratae; *respicit* is qui iis utitur, non *prospicit.* Recte haberet: τί οὐκ ἀπόλωλα, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον αὐτὸν σώσειν, recte etiam: τέθνηκε Πάτροκλος, οὐ γὰρ ἔμελλον αὐτὸν σώσειν, a nostro vero loco illud imperfectum alienum est.

Quae cum ita sint, vix dubito quin priscus error nos ludificet. Litterae ΑΡΑϵΣΘΛΟΙ abierunt in ΑΡ(Α)ϵΜϵΛΟΝ. Legatur:

αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρα ἐσθλῷ ἑταίρῳ
κτεινομένῳ ἐπάμυνα.

Itaque et ceteris philologis et ipsi Bechtelio, quem alibi saepius assensum mihi laetus vidi, etiamnunc commendare ausim quod Π 47 olim suasi *futurum* λίΣεσθαι pro *aoristi* vel *praesentis* infinitivo sublestae fidei λίΤεσθαι, quem illic praebet textus traditus.

AD Τ 276.

Achilles clipeum Aeneae ferit

ἄντυγ' ὕπο πρώτην, ᾗ λεπτότατος θέε χαλκός,
λεπτοτάτη δ' ἐπέην ῥινὸς βοός.

De quo loco disputans Robert in opere supra laudato, coll. Η 246

ἀκρότατον κατὰ χαλκόν, ὃς ὄγδοος ἦεν ἐπ' αὐτῷ

optimo iure perhibuit *corium* igitur *exterius* in Aeneae clipeo fuisse dici, *aes interius.* Sed miror quod ipsum poetam clipeum praepostere fabricatum mente sibi informasse statuit potius quam lenissima mutatione restitueret id quod et sana ratio flagitat et contextus, — non enim corium sed aes feriri nunc dicitur —:

λεπτοτάτη δ' Τπέην ῥινὸς βοός.

Vitii causa fuit nisi fallor particulae δέ littera finalis ἐκ πλήρους perscripta.

Itaque epitheton λεύκασπις uno loco Χ 294 obvium sive recte Robert interpretatus est *clipeum gestans corio candidi bovis obtectum*, sive de metallo candido vel candidato illic fit sermo, nostro certe loco non uti praestat ad priorem illam explicationem commendandam.

Digitized by Google

TACITEA.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur e pag.* 120.)

VI.

Pergenti mihi observationes Taciteas in lucem edere optimum factu videtur paulisper ad ea quae prolata iam sunt redire, hisque addere quaedam, quae tunc omisi; sic enim spes est fore ut sponte se mihi offerat disputandi cursus quidam neque ineptus, neque ingratus iis qui me sunt secuturi, quippe qui placide ambulare malint quam magnos identidem facere saltus. Dabo ergo operam ut, quantum in tanta rerum diversitate fieri possit, omnia ordine procedant.

Agebamus autem pag. 101 sq. de navigio illo quod matris occidendae causa struendum curasse Nero narratur A. XIV c. 3 sqq. Est profecto ineptissima tota ista narratio, quam etiamnunc a viris doctis aequo animo ferri iure miremur. Graecarum literarum cultores si in libris quos excutiunt eiusmodi aliquid invenissent, dudum, ut opinor, ab omnibus esset explosum. Quis enim, ut ex innumeris exemplis unum afferam, cum vitam Euripidis (Df. P. S. G. p. 15 sqq.) percurrens in haecce incidit:

λέγουσι δὲ ὅτι αἱ γυναῖκες διὰ τοὺς ψόγους, οὓς ἐποίει εἰς αὐτὰς διὰ τῶν ποιημάτων, τοῖς Θεσμοφορίοις ἐπέστησαν αὐτῷ

Digitized by Google

βουλόμεναι ἀνελεῖν, ἐφείσαντο δὲ αὐτοῦ πρῶτον μὲν διὰ τὰς Μούσας, ἔπειτα δὲ βεβαιωσαμένου μηκέτι αὐτὰς κακῶς ἐρεῖν
non vel ridens vel indignabundus misellum grammaticum facessere iubet, qui quod facete iocatus est Aristophanes tamquam rem quae revera evenerit tradat?

Verum cautiorne et prudentior in proferendis iis quae fando audivit Tacitus esse solet? Immo vero in errores incidit non minus ineptos, quam ille est quem ex Euripidis Vita attuli. Quid quod *prorsus eodem modo* peccare potuit. Certe *semel* id ei accidisse iam pro certo constat. Hoc qui negat, eum fugit doctissima quaedam, ingeniosissima, ad legendum iucundissima Naberi nostri disputatio in Mnemosynes vol. 20 (A. 1892) p. 410 sqq. demonstrantis quaecunque de Silii Messalinaeque nuptiis a Tacito traduntur *facta* esse nunquam sed *acta* in scena quadam, Messalina in hortis suis spectaculum edente quo Bacchi, Ariadnes, Penthei, Baccharum partibus viri mulieresque fungerentur nobiles.

De toto autem navigio isto nefario idem statuendum esse invitus testatur Dio Cassius (Xiphilinus) L. LXI c. 59 ita narrans:

ἐπεὶ δὲ ἐκ τοῦ προφανοῦς ὤκνουν (ii qui Neroni matris occidendae dederant consilium) *τὸ ἔργον καὶ κρύφα διὰ φαρμάκων οὐκ εἶχον αὐτὴν ἀνελεῖν (πάντα γὰρ ἐκείνη ἰσχυρῶς ἐφυλάσσετο), ναῦν ἰδόντες ἐν τῷ θεάτρῳ διαλυομένην τε αὐτὴν ἐφ' αὑτῆς καί τινα θηρία ἀφιεῖσαν καὶ συνισταμένην αὖ πάλιν ὥστε καὶ ἐρρῶσθαι, τοιαύτην ἑτέραν ταχέως ἐναυπηγήσαντο.*

At, o bone, non Neroni, Poppaeae, Senecae navigii struendi consilium subiecit istud spectaculum, sed *Taciti* ex eo nata est narratio, vel potius rumusculi inde orti sunt populares, quibus aurem praebuit Tacitus. Suspicor autem (nam quis in tanta rerum perturbatione pro certo quidquam statuat?) Vespasiani fere tempore in scena actam esse de morte Agrippinae fabulam ex eo genere quod hodierni homines „melodrama" appellant, in qua et navigium exhiberetur illi simile quod antea in aliquo amphitheatro spectatum fuerat, illam autem fabulam tunicato popello tantopere placuisse mentique eius inhaesisse ut opinio nasci posset revera hoc modo Neronem matrem suam de medio tollere esse conatum. Levem esse suspicionem si quis contendit, non

Digitized by Google

repugno: hoc tamen mihi constat *a scena in historiam* letale aberrasse navigium [1]).

Omnino amat Tacitus quidquid animum vehementer percutit, quidquid horrendum est, atrox, dirum, et si ei aliquam rem duobus modis accipere et explicare licet, ut aut fiat ad intelligendum facilis, verisimilis, hominum respondens vitae, aut mira, insolita, incredibilis, metuendum non est ne hac narrandi ratione omissa illam probet. Ipsa illa de Silii Messalinaeque nuptiis narratio, quae tota quam parum credibilis esset egregie demonstravit Naberus, insigne praeterea illius studii continet exemplum. Vettius Valens, Pentheum ex Euripidis Bacchis imitatus (quod felicissimo acumine Naberus perspexit) in „praealtam arborem conititur" et interrogantibus, quid aspiceret respondit „tempestatem ab Ostia atrocem",

„sive" (ipsius haec Taciti verba sunt) „orta erat [2]) ea species, seu forte lapsa vox in praesagium vertit".

At in promptu est Vettii verba aliter interpretari; partibus ille haud dubie fungebatur Penthei et communis erat laetitiae socius, sed sanae mentis plus servaverat quam ceteri omnes, intelligebatque aegre laturum Claudium hanc Messalinae „intemperiem", qua contra legem ab ipso promulgatam fecerat, metuendumque esse ne omnes, qui cum illa nunc mimum agerent, mox poenas darent. Verbis ergo utitur quae Penthei quoque esse possint, sed quibus simul laetitiae comites instantis admoneat periculi: illos tamen Bacchi vis verum eorum sensum perspicere vetat. Non erat igitur cur Nipperdeius annotaret: „es ist merkwürdig, dass die nahe liegende Vermutung fehlt Vettius Valens habe so *ironisch* (cur autem εἰρωνικῶς?) seine eigene Meinung über die kommenden Dinge ausgedrückt, und vielleicht ist dies ausgefallen (*forte lapsa vel consilio missa* oder *iacta vox*)". Mihi enim „*notabilius*" videretur, si hoc loco, qui

1) Dionis locum licet non afferat, tamen idem Nabero olim quod mihi nunc suboluisse videtur. Is enim in commentatione, quam, quia Belgice scripta est, minus quam par erat innotuisse viris doctis arbitror, eodem illo „melodramatis" utitur nomine. Legitur commentatio egregia, qua duorum librorum, a nostratibus conscriptorum et insigni dignissimorum laude (alter Oordtii est *de Constantino magno eiusque decessoribus*, Belgice scriptus, alter Karstenii *de fide Taciti*) censura agitur, in diario vernaculo c. t. De Gids A. MDCCCLXIX p. 477 sqq.

2) Sic enim legendum arbitror pro inepto *coeperat* quod traditum est.

Digitized by Google

βουλόμεναι ἀνελεῖν, ἐφείσαντο δὲ αὐτοῦ πρῶτον μὲν διὰ τὰς Μούσας, ἔπειτα δὲ βεβαιωσαμένου μηκέτι αὐτὰς κακῶς ἐρεῖν
non vel ridens vel indignabundus misellum grammaticum facessere iubet, qui quod facete iocatus est Aristophanes tamquam rem quae revera evenerit tradat?

Verum cautiorne et prudentior in proferendis iis quae fando audivit Tacitus esse solet? Immo vero in errores incidit non minus ineptos, quam ille est quem ex Euripidis Vita attuli. Quid quod *prorsus eodem modo* peccare potuit. Certe *semel* id ei accidisse iam pro certo constat. Hoc qui negat, eum fugit doctissima quaedam, ingeniosissima, ad legendum iucundissima Naberi nostri disputatio in Mnemosynes vol. 20 (A. 1892) p. 410 sqq. demonstrantis quaecunque de Silii Messalinaeque nuptiis a Tacito traduntur *facta* esse nunquam sed *acta* in scena quadam, Messalina in hortis suis spectaculum edente quo Bacchi, Ariadnes, Penthei, Baccharum partibus viri mulieresque fungerentur nobiles.

De toto autem navigio isto nefario idem statuendum esse invitus testatur Dio Cassius (Xiphilinus) L. LXI c. 59 ita narrans:

ἐπεὶ δὲ ἐκ τοῦ προφανοῦς ὤκνουν (ii qui Neroni matris occidendae dederant consilium) *τὸ ἔργον καὶ κρύφα διὰ φαρμάκων οὐκ εἶχον αὐτὴν ἀνελεῖν (πάντα γὰρ ἐκείνη ἰσχυρῶς ἐφυλάσσετο), ναῦν ἰδόντες ἐν τῷ θεάτρῳ διαλυομένην τε αὐτὴν ἐφ' αὑτῆς καί τινα θηρία ἀφιεῖσαν καὶ συνισταμένην αὖ πάλιν ὥστε καὶ ἐρρῶσθαι, τοιαύτην ἑτέραν ταχέως ἐναυπηγήσαντο.*

At, o bone, non Neroni, Poppaeae, Senecae navigii struendi consilium subiecit istud spectaculum, sed *Taciti* ex eo nata est narratio, vel potius rumusculi inde orti sunt populares, quibus aurem praebuit Tacitus. Suspicor autem (nam quis in tanta rerum perturbatione pro certo quidquam statuat?) Vespasiani fere tempore in scena actam esse de morte Agrippinae fabulam ex eo genere quod hodierni homines „melodrama" appellant, in qua et navigium exhiberetur illi simile quod antea in aliquo amphitheatro spectatum fuerat, illam autem fabulam tunicato popello tantopere placuisse mentique eius inhaesisse ut opinio nasci posset revera hoc modo Neronem matrem suam de medio tollere esse conatum. Levem esse suspicionem si quis contendit, non

Digitized by Google

repugno: hoc tamen mihi constat *a scena in historiam* letale aberrasse navigium [1]).

Omnino amat Tacitus quidquid animum vehementer percutit, quidquid horrendum est, atrox, dirum, et si ei aliquam rem duobus modis accipere et explicare licet, ut aut fiat ad intelligendum facilis, verisimilis, hominum respondens vitae, aut mira, insolita, incredibilis, metuendum non est ne hac narrandi ratione omissa illam probet. Ipsa illa de Silii Messalinaeque nuptiis narratio, quae tota quam parum credibilis esset egregie demonstravit Naberus, insigne praeterea illius studii continet exemplum. Vettius Valens, Pentheum ex Euripidis Bacchis imitatus (quod felicissimo acumine Naberus perspexit) in „praealtam arborem conititur" et interrogantibus, quid aspiceret respondit „tempestatem ab Ostia atrocem",

„sive" (ipsius haec Taciti verba sunt) „orta erat [2]) ea species, seu forte lapsa vox in praesagium vertit".

At in promptu est Vettii verba aliter interpretari; partibus ille haud dubie fungebatur Penthei et communis erat laetitiae socius, sed sanae mentis plus servaverat quam ceteri omnes, intelligebatque aegre laturum Claudium hanc Messalinae „intemperiem", qua contra legem ab ipso promulgatam fecerat, metuendumque esse ne omnes, qui cum illa nunc mimum agerent, mox poenas darent. Verbis ergo utitur quae Penthei quoque esse possint, sed quibus simul laetitiae comites instantis admoneat periculi: illos tamen Bacchi vis verum eorum sensum perspicere vetat. Non erat igitur cur Nipperdeius annotaret: „es ist merkwürdig, dass die nahe liegende Vermutung fehlt Vettius Valens habe so *ironisch* (cur autem εἰρωνικῶς?) seine eigene Meinung über die kommenden Dinge ausgedrückt, und vielleicht ist dies ausgefallen (*forte lapsa vel consilio missa* oder *iacta vox*)". Mihi enim „*notabilius*" videretur, si hoc loco, qui

1) Dionis locum licet non afferat, tamen idem Nabero olim quod mihi nunc suboluisse videtur. Is enim in commentatione, quam, quia Belgice scripta est, minus quam par erat innotuisse viris doctis arbitror, eodem illo „melodramatis" utitur nomine. Legitur commentatio egregia, qua duorum librorum, a nostratibus conscriptorum et insigni dignissimorum laude (alter Oordtii est *de Constantino magno eiusque decessoribus*, Belgice scriptus, alter Karstenii *de fide Taciti*) censura agitur, in diario vernaculo c. t. De Gids A. MDCCCLXIX p. 477 sqq.

2) Sic enim legendum arbitror pro inepto *coeperat* quod traditum est.

Digitized by Google

totus omni specie veri careat, tam prudens tamque probabilis suspicio inserta esset: cum contemptu, ut opinor, abiecisset eam Tacitus sicubi invenisset.

Scriptor autem, qui id habet quod levi plebeculae vitio dat poetarum nostratium Rex, ut

> Dirior est quanto res quaeque, lubentius illam
> Credere festinet tanto [1])

carere ea virtute solet, quam in historico prae ceteris lepidissimus acutissimusque historicus Mueller-Strübing requirit: „ut iocum intelligat". Omnino Tacitus a iocis est alienus: semel tantum in tot tantisque Annalium Historiarumque libris narrat aliquid quod paulo sit festivius, A. XIII, 54:

(Frisiorum legati) dum aliis curis intentum Neronem opperiuntur, inter ea, quae barbaris ostentantur, intravere Pompei theatrum, quo magnitudinem populi viserent. Illic per otium (neque enim ludicris ignari oblectabantur) dum consessum caveae, discrimina ordinum, quis eques, ubi senatus percontantur, advertere quosdam cultu externo in sedibus senatorum; et quinam forent, rogitantes, postquam audiverant earum gentium legatis id honoris datum, quae virtute et amicitia Romana praecellerent, nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse exclamant, digrediunturque et inter patres considunt.

Sed praeterea quoties in rem incidit, quae cum risu narrari possit debeatque, summa eam profert gravitate, sic nonnunquam ultro indicans se rei rationem parum perspexisse. Exemplo esse potest quod l. XI c. 20 legitur:

Nec multo post Curtius Rufus eundem honorem (sc. insignia triumphi) adipiscitur, qui in agro Mattiaco recluserat specus quaerendis venis argenti; unde tenuis fructus nec in longum fuit, at legionibus cum damno labor, effodere rivos, quaeque in aperto gravia, humum infra moliri. Quis subactus miles, et quia plures per provincias similia tolerabantur, componit occultas literas nomine exercituum, precantium imperatorem, ut quibus permissurus esset exercitus, triumphalia ante tribueret.

---

1) In ipso „Palamedis" initio:

> Het wispelturig volk, dat al te los van hoofd
> . . . . . 't ergste liefst gelooft.

Digitized by Google

Perspicuum magis est quod legitur apud Suetonium Claud. 24: (Triumphalia ornamenta tam facile dedit) ut epistola communi legionum nomine exstiterit petentium, ut legatis consularibus simul cum exercitu et triumphalia darentur ne causam belli quoquo modo quaererent.

Sed risum uterque movet magis quam qui unquam risum captavit, dum tamquam factum memorabile refert scurrilem petulantemque militum iocum. Nam iocus ille fuit, paucissimorum fortasse militum, haud dissimilis illi quo postea Traianum ludibrio habuerunt patres conscripti. Nam cum identidem literas laureatas a principe acciperent, neque pronuntiare vel memoria retinere possent barbara nomina gentium, quas a se devictas ille nuntiabat, senatusconsultum factum est: „ut Traianus de quot quibusque ipse vellet populis triumpharet" (Dio C. 68, 29).

Idem statuendum videtur de loco H. II, 91:

„Veniebat in senatum (Vitellius), etiam cum parvis de rebus patres consulerentur; ac forte Priscus Helvidius, praetor designatus, contra studium eius censuerat. Commotus primo Vitellius, non tamen ultra quam tribunos plebis in auxilium spretae potestatis vocavit: mox mitigantibus amicis, qui altiorem iracundiam eius verebantur, nihil novi accidisse respondit, quod duo senatores in re publica dissentirent: solitum se etiam Thraseae contradicere".

Revera lepidissime iocatus est Vitellius urbanissimumque se praestitit, neque, ut opinor, tunc certe, erat cur quisquam *altiorem* eius *iracundiam* vereretur. Quod autem Thraseam hic potissimum nominat, quocum olim disceptare sit solitus, nullam aliam ob causam illud fit quam quod ipsius Helvidii socer ille fuit. Admodum ergo inepte ab historico haec adduntur:

Irrisere plerique impudentiam aemulationis; aliis id ipsum placebat, quod neminem ex praepotentibus, sed Thraseam ad exemplar verae gloriae legisset.

Tam severum scriptorem, tam parum aptum iocis vel intelligendis vel narrandis vix credibile est unquam populari illa loquendi ratione usum esse, qua saepe aliquod vocabulum ita ponimus ut quivis intelligat nos illud non quotidiano sensu suo sed potius contrario accipi velle: „ironice" tum loqui di-

Digitized by Google

cimur, parum quidem accurate, sed pervulgatus ille est vocis *εἰρωνεία* et earum quae cum illa cohaerent abusus. At semel tamen — aut ego quid sibi velit non intelligo — ita Tacitus quoque locutus est.

H. II, 30. De Caecina et Valente, Vitellianarum partium ducibus, haec narrantur:

„Aemulatio ducibus: Caecina ut foedum ac maculosum, ille ut tumidum ac vanum inridebant. Sed condito odio eandem utilitatem fovere, crebris epistolis probra Othoni obiectantes".

Quid est *eandem utilitatem fovere?* Vertit Ritterus: „sie verfolgten dasselbe Interesse". Sed verisimile non est Tacitum rem tam usitatam tam exquisitis appellasse vocabulis. Et quaenam utilitas, quodnam emolumentum in conviciis probrisque inest? Quid quod verbis *sine respectu veniae* totoque capite 31 Tacitus ultro declarat illas de Othone epistolas probrosas, si in bello civili Otho vicisset, fortasse auctoribus earum exitium allaturas fuisse. Ad vim coloremque verborum recte intelligenda viam monstrant suavissimi versiculi quidam in Ovidii Metamorphosesin. Postquam poeta narravit apud Philemonem Baucidemque omnes cibos appositos fuisse in supellectile fictili, haec addit:

post haec caelatus eodem
sistitur argento crater [1]).

Eodem argento iocose poeta dicit pro: *argilla*, et *caelatus* pro *sine arte factus*. Itidem nostro Taciti loco *fovere* aliquid dicuntur homines incuriose et inconsiderate agentes, atque *utilitas* illa, quam „fovent", est res non minus inutilis quam ea quae modo est commemorata, immo vero multo magis periculi plena. Neque tamen intercedo quominus sic fere locus vertatur, ut fecit Ritterus, vel Belgice: „ze behartigden net zoo'n belang", dummodo qui ea vocabula recitat pronuntiandi acerbitate ea in contrarium detorqueat.

Duobus denique locis *in describendo* eiusmodi vocabulis usus esse Tacitus mihi videtur, quae legentibus imaginem ridiculam ponerent ante oculos. H. III, 10 Milites Antonii Primi Veronam vallo circumdant; hic subito novae legiones accedunt amicae,

1) Met. VIII, 668 Optime traditam lectionem Kornius servat. Coniecturae D. Heinsii *eadem — argilla* ne mentionem quidem facere satius erat.

Digitized by Google

sed, dum procul etiam erant, hostium videbantur. Hic, ut fieri solet, milites proditionem suspicantur, atque in Tampium Flavianum, pridem ipsis invisum involant omnes:

„Nec defensioni locus, quamquam supplices manus tenderet, humi plerumque stratus, lacera veste, pectus atque ora singultu quatiens".

Non sine contemptu et derisione, ut opinor, dux ille nimis pavidus, qui identidem in genua procumbit, *humi plerumque stratus* dicitur. Hoc enim nisi Tacitus voluit, quomodo illud *plerumque* est accipiendum?

Apte conferri potest quod c. 63 eiusdem libri legitur:

„Non omisere per eos dies Primus ac Varus crebris nuntiis salutem et pecuniam et secreta Campaniae offerre Vitellio, si positis armis seque ac liberos suos Vespasiano permisisset. In eundem modum et Mucianus composuit epistulas; quibus plerumque fidere Vitellius ac de numero servorum, electione litorum loqui".

Nostris hic oculis videmus Vitellium, hominem ignavum et imperatoris nomine quam indignissimum (talem certe eum legentibus videri cupit Tacitus), anxie quid agat quaerentem, et nunc huc, nunc illuc convertentem mentem, sed ita ut maxime tamen promissis quietae lautaeque vitae alliciatur. Illa pavidi hominis trepidatio maxime illo *plerumque* depingitur.

VII.

Ad Pollium nunc redeo lepidamque eius de populari loquendi vitio observationem, quo saepe homines, dum quam plurima vocabula, suo cognata affectui, unum in locum congerunt, *argumenti* sui vim ultro infringunt. Iam unum certe apud Tacitum eiusdem vitii (si iam vitium dici potest quod ex ipsa hominis nascitur mente) exstare exemplum demonstravi (H. I, 33), dubitanterque de altero locutus sum loco (A. I, 4) ubi idem usu venire videretur. Tertium nunc locum addam, qui recte intelligi mihi non posse videtur nisi Pollii luce illustretur.

H. IV, 32. Mittitur ad Civilem a Romanis Montanus Trevir „ut absisteret bello neve externa arma falsis velaret"; at Civi-

Digitized by Google

lis „ubi videt Montanum praeferocem ingenio paratumque in res novas" ultro eum ad belli allicit societatem, oratione habenda, quae in tres dividitur partes: *a.* Diras ego ulciscor iniurias a Romanis acceptas, quibus si vos fideles manseritis, mox idem quod ego experiemini. *b.* Virtus Germanorum vincere potest Romanorum multitudinem. *c.* Si tamen victi erimus, peior fieri conditio nostra non potest. Altera autem pars sic ab eo enuntiatur:

„En ego, praefectus unius cohortis et Canninefates Batavique, exigua Galliarum portio, vana illa castrorum spatia excidimus vel saepta ferro fameque premimus".

Si „immensa illa castra" dixisset, multo maiorem haberet argumentum vim; nam si *vana* sunt, id est *nullius pretii*, castra illa, ne res quidem a Civile gestae magni sunt pretii, neque quidquam de futuro promittunt bello: possunt enim aliae a Romanis mitti copiae multo robustiores multoque timendae magis. At, id quod plane eius naturae convenienter fit, ira sua et ferocia Civilis abripitur.

Et eodem fortasse modo accipiendum est quod A. XII, 44 legitur:

„Erat Pharasmanis filius Radamistus, decora proceritate, vi corporis insignis et patrias artes edoctus, claraque inter accolas fama. Is modicum Hiberiae regnum senecta patris detineri ferocius crebriusque iactabat quam ut cupidinem occultaret".

Si veram hominum hereditates appetentium „logicam" secutus esset Radamistus, aliter esset locutus. Nam quo *maior* hereditas est eo gravius ferre heredipetam, quod ad speratas opes pervenire non possit, consentaneum est. Cf. XIV, 65: „veneno interfecisse (Nero) creditus est ... Pallantem, quod *immensam* pecuniam longa senecta detineret". At egregie ipsam hic naturam depingit Tacitus; querentem enim adolescentulum audire nobis videmur: „en ego quam fortis sim, quam cupidus gloriae bellique, quamque sit modicum Hiberiae regnum: tamen ne ad illud quidem accedere possum, pater grandaevus iamque decrepitus obtinet". Respondere ei poterat vir disceptandi peritus: „si modicum, si parvum est illud regnum, patrem tuum illud obtinere aequo patere animo, aptum est humeris eius onus; tu potius alibi vires exerce, digniores te labores circum-

Digitized by Google

spice". Sed quid logicam curat morarum impatiens iuvenis? [1])

Denique, quamquam non plane ex eodem est genere, apte hic locus tractari potest, qui legitur H. II, 76, nam ille quoque vitio laborat, sed vitio quod loquentis mentem egregie referat. Ut tandem aliquando imperium sibi fatis destinatum accipiat Vespasianum monet Mucianus. „Satis diu" ait „quievisti et exspectasti, nunc audacter agendum est". Haec ipsa sunt verba, quibus eum utentem facit Tacitus:

„Torpere ultra et polluendam perdendamque rempublicam relinquere, sopor et ignavia videretur, etiamsi tibi, quam inhonesta, tam tuta servitus esset. Abiit iam et transvectum est tempus, quo posses videri concupisse: confugiendum est ad imperium".

Hic primum reputandum est eundem Mucianum paulo ante dixisse: „a contumelia quam a laude propius fuerit post Vitellium eligi", deinde cogitandum de praeclara Lucani sententia: „ad bellum fugitur". Quid ergo Muciano dicendum est, si accurate loqui vult? Nempe: „non iam grata res est imperium, quam quis sibi expetat; sed actum de te est nisi ab imperio salutem petis" i. e. hisce ei est utendum verbis: „abiit iam et transvectum est tempus, quo posses *concupiscere*, confugiendum est ad imperium". Sed affectati unquam imperii Vespasianum insimulare anxie cavet; atqui in verbis *posses concupiscere* inest quodammodo eiusmodi reprehensio, certe inesse eam suspicax homo credere possit. Hoc metuit Mucianus, hinc praeteritum illud *concupisse*, hinc, quod additur, *videri*.

Pollianae cognatam observationem protulit Pfitznerus ille, qui iam plus decem lustra utilissimam Tacito navat operam. Is enim nuper diario c. t. Zeitschrift f. d. Oest. Gymn. (A. MDCCCC inde a p. 673) doctissimam inserendam curavit disputationem, qua et alia docere studet et Tacitum interdum vel sermonis vitiis, vel mira et insolita oratione, vel etiam erroribus ad historiam pertinentibus illorum loquendi genus notare vel perstringere quos in scenam inducit. Minime spernenda ea est sententia, cuius memorem esse decet unumquemque qui Tacito

1) Furneaux quoque sensit esse in hoc loco insoliti aliquid, sed illud frustra tollere conatur.

Digitized by Google

dat operam, dummodo ne unquam ea utatur ad aperta nimiaque vel ipsius Taciti vel librariorum vitia defendenda vel excusanda. Quid enim tam est absurdum quod non hac ratione sanum integrumque videri possit? Ex exemplis autem, quae Pfitznerus affert, maxime insigne videtur, quod legitur A. XV, 44: neque incredibile est hic verum Pfitznerum vidisse. Certe mira est ibi et contorta oratio, neque corruptum esse locum verisimile est: hoc enim qui putaverunt frustra in emendando eo desudarunt. Is autem qui loquitur ex eo genere est hominum quos obscure contorteque loqui non nimis miremur. Cassius, doctus iurisconsultus et antiquarius, extrema esse utendum adversus servos, quorum domini sunt occisi, severitate multis argumentis ubi demonstravit, postremo haec addit:

„Servi si prodant, possumus singuli inter plures, tuti inter anxios, postremo si pereundum sit non inulti inter nocentes agere".

Corruptus locus visus est Nipperdeio, sed lectione quam ille proposuit: „servis si pereundum sit, ni prodant, possumus singuli inter plures, tuti inter anxios, postremo non inulti inter nocentes agere", nihilo fit expeditior; nam quod molestissimum est remanet: ét in nova lectione ét in vulgata *agere* dicuntur tam domini illi, qui domi suae sunt interfecti, quam ceteri omnes. Notari ergo hic a Tacito intricatam horridamque Cassii orationem Pfitznerus censet — neque fortasse iniuria: certe mihi nihil in mentem venit quod melius videatur.

Sed si omnino verum est quod Pfitznerus statuit (ego enim dubito etiam), fortasse unum afferre locum possum, ubi fiat illud: ibi autem et res de qua agitur et is qui loquens inducitur eiusmodi sunt ut suspicio illa non nimis longe petita videri possit. A. XI, 31. Omnibus modis Callistus, Narcissus, Pallas, Messalinae exitium struentes, Claudium narrationibus, quas ipsi finxerunt, de Silii nuptiis terrent et perturbant. Egregieque iis res succedit, namque:

„Satis constat eo pavore offusum Claudium, ut identidem interrogaret, an ipse imperii potens, an Silius privatus esset".

Cf. Suet. c. 37: „essetne sibi salvum imperium".

Haud dubie eodem redit quod Tacitus et quod Suetonius dicentem facit Claudium, sed verba, quibus illud Tacitus enun-

Digitized by Google

tiat, insoliti aliquid habent et, ut mihi quidem videtur, inepti; cum ea lego, semper mihi suspicio nascitur de industria sic scripsisse Tacitum ut nobis depingeret hominem omnino hebetem obtusaeque mentis, tum vero pavore plane exsternatum. Donatus aliquis si hic annotasset: „vide μίμησιν cum odio inductam et depravatam pronuntiatione", equidem non obloquerer (v. ad Eun. vs. 155 sqq.).

Sed hoc certum est Tacitum interdum illud committere populare loquendi vitium quo duae res, cognatae quidem sed diversae, dum se simul loquentis menti offerunt, simul proferuntur et in unum contrahuntur, quo facto saepe contorti aliquid et intricati nascitur. Dabo locos maxime hoc nomine insignes.

H. IV, 38. Solito diutius naves, quae frumentum Africanum advehunt, morantur; pavidus hac re populus nihil non fingit creditque, sparguntur rumores pleni terroris,

„augentibus famam Vitellianis, qui studium partium nondum posuerant, ne victoribus quidem ingrato rumore, quorum cupiditates externis quoque bellis inexplebiles nulla unquam civilis victoria satiavit".

Duae hic sunt distinguendae sententiae, quae nunc ita sunt permixtae ut separari nequeant: *a.* in bello civili, qui victores existunt, nunquam satiari possunt; *b.* praesertim de Flavianis illud valet militibus: illi enim externis bellis a Muciano et Antonio Primo praedae assuefacti iam didicerunt plura semper et maiora poscere.

Ann. I, 19. Tumultuantes Pannoniae milites in praesentia placavit Blaesus legatus: impetraverunt ab eo ut ipsius filius Romam mitteretur, qui postulata sua (vel potius partem eorum) ad Augustum perferret:

„Profecto iuvene modicum otium; sed superbire miles, quod filius legati orator publicae causae satis ostenderet necessitate expressa, quae per modestiam non obtinerentur".

Λογικώτερον, ut opinor, hoc foret: „necessitate exprimi quae per modestiam non obtineantur", nam revera nihildum milites „expresserunt" nisi ut iuvenis ille orator publicae causae mitteretur. Sed hinc dum generalem deducunt sententiam: „plus necessitate quam modestia proficitur", simul sibi fingunt *impe-*

Digitized by Google

tratum iam esse quod rogaturus etiam ille est, atque id generali illi sententiae innectunt.

Ann. IV, 62. Fidenae amphitheatrum corruit et ingentem spectantium multitudinem operit:

„Et illi quidem, quos principium stragis in mortem afflixerat, ut tali sorte, cruciatum effugere: miserandi magis, quos abrupta parte corporis nondum vita deseruerat".

Cruciatum aliquis subita morte *plane* effugit, et, si grammaticae rationem habemus, ineptum est eiusmodi enuntiato addere aliquid quod vim habeat minuendi (*ut tali sorte*). Sed Tacitus bimembrem hanc sententiam in unam contrahit:

ut tali sorte felices erant praedicandi: cruciatum enim effugere.

Simillimum est quod paulo post legitur c. 63:

„Ceterum sub recentem cladem patuere procerum domus, fomenta et medici passim praebiti; fuitque urbs per illos dies, quamquam maesta facie, veterum institutis similis, qui magna post proelia saucios largitione et cura sustentabant".

Revera in illo *maesta facie* nihil est quod similitudinem illam imminuat; nam etiam post magna proelia non minus est moestitiae in urbe quam tunc post cladem, quae Fidenae facta erat. Sed hoc vult Tacitus atque paulo contortius eloquitur: „quamquam moesta erat urbis facies, habebat tamen solatii aliquid: in mentem enim revocabat antiqua tempora quibus post magna proelia idem fieri solebat".

Neque sunt diversi hi loci:

Ann. VI, 24:

„Drusus (Germanici filius) exstinguitur .... centurio (qui in carcere omnes eius voces exceperat) .... voces deficientis (ad Tiberium pertulit) .... quis primo quasi per dementiam funesta Tiberio, mox, ubi exspes vitae fuit, meditatas compositasque diras imprecabatur, ut, quem ad modum nurum filiumque fratris et nepotes domumque omnem caedibus complevisset e. q. s.".

Post *nepotes* Ritterus inserit *necasset*: frustra, nam hic quoque duas res Tacitus in unam coartat structuram. Vulgatam lectionem egregie tuetur quod c. 41 legitur:

„Clitarum natio ... in iuga Tauri montis abscessit locorumque ingenio sese ... tutabatur ... donec M. Trebellius legatus ... duos colles, quos barbari insederant ... operibus cir-

Digitized by Google

cumdedit et erumpere ausos ferro, ceteros siti ad deditionem coëgit".

Id est: „erumpere ausos ferro trucidavit, ceteros siti ad deditionem coëgit".

VIII.

Pfitzneri commentatio illa, quam saepius iam, ut par erat, laudavi, a disputatione de codicibus Taciti incipit. Illius ergo exemplum me admonet ut et ipse pauca quaedam de illo argumento in medium proferam, rem, quam ego tangam tantummodo, aliis accuratius enucleandam relicturus.

Codices ergo illi, qui in editione Nipperdeiana alterius Annalium partis et Historiarum litera i significantur, per se nullius sunt pretii, nisi in iis locis ubi Mediceus alter lacunosus est, utpote qui vel ex ipso Mediceo, vel, quod Nipperdeius statuit, ex apographo quodam eius sint descripti. Omnino verissimum illud est, et tamen ne hic quidem „deteriores" illi impune abiici possint, utpote qui interdum aliquid servent quod unice verum sit, cum ipse Mediceus vitium ibi exhibeat, aut aliquid eiusmodi quod, etiamsi verum non sit, tamen ex ipso Mediceo eiusve apographo sumi non potuerit. Breviter locos indicabo, qui mihi hoc nomine maxime notabiles visi sunt:

Ann. XI, 14. Claudius tres litteras adiecit, quae in usu imperitante eo, post oblitteratae, aspiciuntur etiam nunc in aere *publico. dis plebiscitis* per fora ac templa fixo. Sic Mediceus; lectio i: *publicandis plebiscitis*. Intelligi certe haec potest, ex Mediceo (vel eius apographo) nasci non potuit: coniectura est hominis exemplari suo non unice dediti.

Ann. XI, 16. Cheruscorum gens regem Roma petivit... uno reliquo stirpis regiae, qui apud urbem habebatur, nomine Italicus ... Igitur Caesar Augustus pecunia, additis stipatoribus, hortatur gentile decus magno animo capessere.

Sic Mediceus, nisi quod nominis *Augustus* s finale e correctione natum est.

In editionibus rectissime nunc legitur *auctum*, sed praeclara haec coniectura ... debetur codici Gudiano.

Digitized by Google

Ann. XI, 18. Chauci, *milia* dissensione domi et morte Sanquinii alacres, dum Corbulo adventat, inferiorem Germaniam incursavere. Sic Mediceus; rectissime cod. Gud. *nulla*, sive quod in exemplari eius illud fuit, sive quod critici satis acuti manum expertus hic est.

Ann. XI, 20. (Corbulo subito e medio labore revocatus) nihil aliud prolocutus quam beatos quondam duces Romanos, signum receptui dedit. *Vi* tamen miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque XXIII milium spatio fossam perduxit.

In codd. „deterioribus" vera lectio *ut* invenitur.

Ann. XII, 47. (Rex Mithridates ab adversario per dolum prehenditur et vincitur). Ac compede, quod dedecorum barbaris [1]), trahebatur; *mox quia* vulgus, duro imperio habitum, probra ac verbera intentabat; et erant contra qui e. q. s.

Locum perturbatum in ordinem redigit codex Gudianus praebendo *moxque*.

Ann. XIII, 8. Corbulo ... corpore ingens, verbis *magnificis* et super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus.

Mihi multo praestare deteriorum lectio *magnificus* videtur. Certe non ideo reiicienda est *quod* in deteriori codice legatur.

Ann. XIII, 26. (In senatu cum ageretur de ingratis libertis, et quidam censerent patronis dandum esse ius in servitutem eos retrahendi, Nero inter paucos quid videretur consultavit. Horum unus et alter paulo severior clamabat:)

tribuendum aliquod telum, quod sperni nequeat. Nec grave manumissis per idem obsequium retinendi libertatem, per quod adsecuti sint: at criminum manifestos merito ad servitutem retrahi, ut metu coerceantur, quos beneficia *non mutavissent*.

Sic Mediceus, perperam: non enim *mali* servi manumittuntur ut meliores fiant, sed optimi tantummodo („qui sunt liberali ingenio"), spe in perpetuum tales eos futuros. Multo ergo rectius *commutavissent*, quod suasit Madvigius et ... praebent „deteriores". (Utrique tamen lectioni forsitan praestet simplex *mutavissent*).

Ann. XIII, 48. Auditae Puteolanorum legationes, quas diversas *ordo plebs* ad senatum miserant.

---

1) Satis inepte addita haec sunt: an ergo apud Graecos Romanosque in honore illud ponitur?

Digitized by Google

Pro asyndeto *ordo plebs*, quod certe huius loci non est, recte altera Medicei manus et quidam inferiores: *ordo plebsque* habent.

Ann. XV, 59. (Ad forte facinus Pisonem socii adhortantur et aliis argumentis et hoc):

Frustra silentium et fidem in tot consciorum animis et corporibus *sperare*: cruciatui aut praemio cuncta pervia esse.

Unice verum videtur quod deteriores habent: *sperari*.

H. II, 37. (Quod attinet ad id quod nonnulli tradunt, cogitasse Vitellii et Othonis milites de armis ponendis et bono aliquo imperatore eligendo, mihi credibile non videtur:)

legatos ac duces, magna ex parte luxus egestatis scelerum sibi conscios, nisi pollutum obstrictumque *meritis* suis principem passuros.

Utique cum „deterioribus" legendum *moribus*. Obstrictum enim *meritis suis* principem etiam vel optimi sibi expetunt, at *moribus* suis obstrictum principem velle malorum est.

H. II, 55. Novae narrationis sic fit initium:

Notabile *virgenium* fuit quo Licinius Caecina Marcellum Eprium ut ambigua disserentem invasit.

Pro corrupto *virgenium* Bekkerus *iurgium* coniecit. Satius erat e „deterioribus" recipere: *inde iurgium*.

H. III, 25. Postquam impulsos sensit (hostes) Antonius denso agmine *obturbabat*. Laxati ordines abrumpuntur. . . . Sparguntur festinatione consectandi victores.

Recipienda est deteriorum lectio *obturbat*.

H. III, 51. Celeberrimos auctores habeo, tantam victoribus adversus fas nefasque inreverentiam fuisse ut gregarius eques occisum a se proxima acie fratrem professus praemium a ducibus petierit; nec illis aut honorare eam caedem ius hominum aut ulcisci ratio belli permittebat: *distulerant* tamquam maiora meritum quam quae statim exolverentur.

Illud *distulerant* tam contortam requirit explicandi rationem ut etiam atque etiam deliberandum videatur nonne praestet a deterioribus accipere *distulerunt* quod ipsa flagitat narrationis natura.

H. III, 69. Igitur tamquam omnis respublica in sinum Vespasiani *cecessisset* e. q. s.

Sic Mediceus, recte nunc editur *cessisset*. At deteriores habent

Digitized by Google

cecidisset: verisimile ergo est hic illos non a Mediceo pendere, sed illius exemplum duplicem habuisse lectionem *cessisset* et (supra scriptum) *cecidisset*, quae in Mediceo coaluerit in *cecessisset*, cum altera familia, cui hac certe in re cognati deteriores, *cecidisset* reciperet.

H. IV, 7. In iurgio inter Marcellum Eprium et Helvidium Priscum hic contendit:

Fuisse Vespasiano amicitiam cum Thrasea Sorano *Sentio*; quorum accusatores etiamsi puniri non oporteat, ostentari non debere.

Non ignoti hominis hic requiritur nomen, sed nobilis alicuius delatorum victimae, nullumque tam aptum quam *Senecae*, quod praebent deteriores.

H. IV, 22. Spem oppugnantium (Germani hi sunt castra Romana oppugnantes) augebat amplitudo valli, quod duabus legionibus situm vix quinque milia armatorum *Romanorum* tuebantur.

Ineptum emblema *Romanorum* non est in deterioribus.

Addi possunt his innumeri loci, in quibus emendandis iam cum „deterioribus" illis dudum editores consentiunt, et fortasse operae pretium fuerit diligentius etiam unum et alterum illorum excutere codicum, si forte alia ibi lateant, quae a recentioribus criticis nondum sint inventa, cum tamen Lipsiis et Madvigiis indigna non fuerint. Sic demum apparebit, quod et ipse pro virili parte demonstrare conatus sum prudentis esse critici: „inde bonum, reperitur ubi, sibi sumere semper".

Nunc autem — id quod cognati est argumenti — unum et alterum locum afferam, ubi tradita lectio sit retinenda, cum ad eos emendationes sint propositae, quae aut ab editoribus receptae iam sint, aut magnam, primo certe aspectu, habeant veri speciem. Haud enim inutile videtur *cur* reiiciendae illae sint paucis demonstrare.

A. XI, 2. Ipsa (Messalina) ad perniciem Poppaeae festinat, subditis, qui terrore carceris ad voluntariam mortem propellerent, adeo ignaro Caesare, ut paucos post dies epulantem apud se maritum eius Scipionem percontaretur, cur sine uxore discubuisset, atque ille functam fato responderet.

Pro *responderet* Acidalius *respondere*, Ritterus *respondet*, Ernestius

Digitized by Google

respondit coniecerunt. Quas coniecturas cum commemorent editores, haud iniuria de tradita lectione dubitari significant. Nihil tamen certius quam unice veram eam esse. Etiam responsum Scipionis demonstrabat quam ignaro Caesare tota illa res acta esset. Qui? quaeris. Ex ipso Caesaris vultu efficiebat Scipio ignarum esse rei Caesarem; intelligebat ergo tantummodo cavendum sibi esse ne responso suo Messalinam eiusque canes irritaret. Si vero aliquo modo suspicari potuisset permissu iussuve Claudii uxorem suam ad mortem compulsam, homo pavidus ignavusque „poenas dedit" vel aliquid eiusmodi respondisset.

A. XI, 9. (De Parthorum imperio certamen est inter Gotarzem, regem crudelissimum, et Vardanem, fratrem eius, quem ipsi Parthi contra eum accivere, iamque copias suas uterque in campum eduxerunt):

„At Parthi imperatores cum pugnam pararent, foedus repente iaciunt cognitis popularium insidiis, quas Gotarzes fratri patefecit".

Pro *iaciunt* Agricola proposuit *iciunt*, Lipsius *faciunt*, et alterum ab hoc, alterum ab illo editore recipitur. Et tamen minime sollicitanda hic erat lectio tradita: unice enim vera ea est, coniecturae autem istae *iciunt* et *faciunt* ridiculi habent aliquid. Quid enim? Stant parati ad pugnam ... et subito *foedus iaciunt*, i. e. foederis faciendi iniiciunt mentionem. Nonne hoc verisimile, nonne et res et verba ipsi conveniunt naturae? *Subito* de foedere *iniicere sermonem* possunt etiam qui iamiam conserturi manus sunt; at nullum foedus *repente fit*: ad eam rem cerimoniae sunt peragendae, quae suas sibi afferunt moras; festinari nunquam potest, sed minime tunc apud Parthos potuit illos, qui: *„congressi primo cunctanter*, dein complexi dextras, apud *altaria deum* [1]) pepigere" e. q. s.

A. XV, 48. De Pisone et alia et haec narrantur:

Procul gravitas morum aut voluptatum parsimonia; lenitati ac magnificentiae et aliquando luxu indulgebat.

Pro *lenitati* Ernestius coniecit *levitati*, eamque coniecturam probat Furneaux hoc argumento quod lenitas *vitium* non sit.

---

1) Quae certe non aderant in campo ad proelium electo; illorum causa ad aliquam urbem iter faciendum erat aut, ut minimum, redeundum in castra.

Digitized by Google

At ne *magnificentia* et *luxus* quidem, *per se spectata*, vitia sunt; verum plane se iis dedere et *indulgere* vitium est. *Lenitati indulgere* optimum praebet sensum: est ea res cognata illi quae supra his verbis est significata: „largitionem (exercebat) adversus amicos et ignotis quoque, comi sermone et congressu"; hoc unum interest quod sic describitur homo *lenis adversus alios*, at qui *lenitati indulget* is etiam adversus *se ipsum suaque vitia* lenis est.

H. I, 33. Qui Galbae suadent ut quam primum Othoni eiusque conatibus occurrat, et alia et haec disputant:

„Obsidionem nimirum toleraturos; et praeclarum in servis auxilium, si consensus tantae multitudinis et, quae plurimum valet, prima indignatio elanguescat. *Proinde* intuta quae indecora".

Pro *proinde* Nipperdeius coniecturam suam *perinde*, tamquam certam, in textum recepit. Sed *intuta quae indecora* dicere aliquis potest, *perinde* additum absurda illa verba reddit. Contra „proinde intuta quae indecora" egregie dictum est, hoc facile annectitur praecedentibus, et, quoniam *adhortandi* vim habet (cum imperativis enim plerumque *proinde* iungitur), aptissimum tempori locoque est; conferatur quod continuo sequitur: „vel, si cadere necesse sit, *occurrendum* discrimini".

H. I, 42. „Titum inde Vinium invasere (victores Othoniani). De quo et ipso ambigitur, consumpseritne vocem eius instans metus, an proclamaverit non esse ab Othone mandatum ut occideretur. Quod seu *finxit* formidine, seu conscientiam coniurationis confessus est, huc potius eius vita famaque inclinat, ut conscius sceleris fuerit, cuius causa erat".

Pro *finxit* Nipperdeius *siluit* edidit; perversissime. Nam primum hic Tacitus id facit quod indoles eius fert, ut, cum duarum rerum alterutram eligere possit, illam praeferat et revera evenisse statuat, quae tragici plus habeat. Tum tradita lectio optimum hunc praebet sensum: sive finxit illud „non iussit Otho", sive de coniuratione vocem aliquam mittens semet ipsum tamquam conscium eius indicavit. At ista omnia Nipperdeiana coniectura pereunt. Praeterea, si *siluit* legimus, quid isto *quod* faciamus?

H. I, 44. „Plures quam centum viginti libellos praemium exposcentium ob aliquam notabilem illa die (sc. qua Galba

Digitized by Google

Pisoque sunt occisi) operam Vitellius postea invenit; omnesque conquiri et interfici iussit, non honori Galbae, sed tradito principibus more, munimentum in praesens, in posterum ultionem".

Pro *munimentum ad praesens, in posterum ultionem* ingeniosissime Muretus proposuit: *munimentum in posterum ad praesens ultionem.* Et tamen ego illam coniecturam reiiciendam censeo, non quod parum aptum huic loco sensum praebeat, sed quia vulgata quoque lectio egregie consilium quoddam Vitelli refert, idque minime absurdum: in praesentia Vitellius sibi munimentum et securitatem parabat, homines cuivis imperatori infidos de medio tollens, et in posterum sperare sic poterat, si ipse quoque aliqua proditione cecidisset, mortem suam inultam non fore: videri enim poterat non sibi solum prospexisse sed et successorum securitati et omnino imperatoriae potestati.

H. II, 20. „Uxorem eius (Caecinae) Saloninam, quamquam in nullius iniuriam insignis equo ostroque veheretur, tamquam laesi gravabantur".

Pro *insignis* Puteolanus *insigni*, quae coniectura tantum abest ut sit necessaria ut sententiam conturbet; nam *insigni equo vehi* aliquis recte dicitur, *insigni ostro vehi* subridiculum est.

H. III, 64. „At primores civitatis Flavium Sabinum, praefectum urbis, secretis sermonibus incitabant victoriae famaeque partem capesseret ..... Id Sabino convenire ut imperium fratri reservaret; id Vespasiano, ut ceteri post Sabinum haberentur".

Pro *reservaret* Iacobus proposuit *reseraret*, quae haud dubie ingeniosissima est coniectura, sed ut huic loco apta magnopere vereor. Non etenim Sabinus admonetur ut aliquam rem faciat quae Vespasiano sit profutura, sed potius ut aliquo modo declaret quid ipse sentiat de republica: palam eum Vespasiani partes amplecti cupiunt primores illi; quod si fecerit, fratri reservabit imperium i. e. imperii sedem, urbem Capitoliumque.

H. IV, 46 (Militiam repetunt a Muciano non solum qui olim pro Vespasiano pugnaverant, nunc dimissi erant, sed etiam ipsi Vitelliani; et morem quidem gerere omnibus Mucianus cupiebat):

sed immensa pecunia tanta vis hominum retinenda erat.

Multis modis haec sollicitarunt critici: hic post *pecunia* inserit *terrebat*, ille praeterea *si* addit (pecunia terrebat si tanta), accedit tertius qui pro *si* legere malit *qua*. Omnes, si quid

Digitized by Google

video, soloecam efficiunt orationem; quin frustra desudent non dubito; nam *posse* et *debere* hic in unum contrahuntur, paulo quidem intricatius sed plane Taciteo more. Sic enim divellenda atque explicanda est verborum traditorum sententia: ut *posses* tantam vim hominum *retinere*, immensa *erat habenda* pecunia. Nos quoque saepe eodem fere modo loquimur.

H. IV, 60. „Germani incautum agmen adgrediuntur: pugnacissimus quisque in vestigio, multi palantes occubuere; ceteri retro in castra perfugiunt, querente sane Civili et increpante Germanos, tamquam fidem per scelus abrumperent. Simulata ea fuerint an retinere saevientes nequiverit, parum adfirmatur. Direptis castris faces iniciunt; cunctosque, qui proelio superfuerant, incendium hausit".

Incautum illud agmen Romanorum est quibus fide data Civilis incolumes abire e castris, quae iam ultra defendere nequeunt, permittit. Hic totum illud: *querente sane ..... adfirmatur* Haasius post *hausit* ponit. Nunquam quidquam vidi perversius; *simulatque* Germanos contra fidem datam facientes conspicit Civilis queri incipit, sive simulatus ille dolor est, sive revera invito ipso saeviunt Germani. Illud vero quid sibi voluisset, si tum demum ob perfidiam suorum lamentatus esset Civilis, cum et castra et cuncti, qui inerant, Romani interiissent? Tum demum si dolorem *fingeret*, quinam eo erant decipiendi; si *verus* fuit dolor, quid faciebat cum perfide agere incipiebant Germani? Tacitusne adstabat et horrendum facinus contemplabatur quietus?

H. V, 17 (Ante proelium Civilis orationem ad milites habet et alia admonens et haec):

Ne terrerentur vario Trevirici proelii eventu: suam illic *victoriam* Germanis obstitisse, dum omissis telis praeda manus impediunt ..... Illum diem aut *gloriosissimum inter maiores* aut ignominiosum apud posteros fore.

Pro *victoriam* Acidalius *avaritiam*, Herbstius *incuriam* proposuerunt. Equidem flosculum vere Taciteum servandum censeo. Quod ad *gloriosissimum inter maiores* attinet, agnosco hic liberiorem illum superlativi usum, e Graecis scriptoribus tam bene notum (ὁ ἄριστος τῶν πρότερον vel τῶν πώποτε): dies gloriosior quam ullus maiorum nostrorum tempore fuit. Quominus *inter maiores* deleamus obstat positivus *ignominiosus*; non enim recte

Digitized by Google

haec inter se iuncta videntur: *aut gloriosissimum aut ignominiosum apud maiores.* Nipperdeianum vero *in maiores* pro *inter maiores* quid sibi velit prorsus me latet.

Ann. IV, 5 (in enumeratione copiarum quibus imperium Romanum utitur):

Apud idonea provinciarum sociae triremes alaeque et auxilia cohortium, neque multo secus in iis virium, sed persequi incertum fuit, cum ex usu temporis huc illuc mearent, gliscerent numero et aliquando minuerentur.

Lipsianum *fuerit* pro *fuit* ideo recipere quod XV, 41 legatur *haud promptum fuerit* perversissimum est. Hoc vult Tacitus: *auctores*, quos sequor, accurate illarum copiarum inire numerum *non potuerunt.* Soloecismus videtur: incertum *fuerit* cum *mearent.*

Ann. VI, 35. Enimvero apud Sarmatas non una vox ducis: se quisque stimulant, ne pugnam per sagittas sinerent impetu et cominus praeveniendum.

Hic ego Beroaldi coniecturam *inirent* pro *sinerent* minime probandam censeo. Hoc enim Sarmatae clamant: „obviam eundo hostibus et impetu faciendo prohibeamus quominus proelium totum sit sagittariorum". Maiorem distinctionem quae vulgo post *sinerent* ponitur removendam arbitror.

(*Continuabuntur*).

AD PLUTARCHUM.

Num. 2 (Sint.) ἦν δὲ πόλεως μὲν ὁ Νομᾶς ἐπιφανοῦς ἐν Σαβίνοις τῆς Κυριτῶν, ἀφ' ἧς καὶ Κυρίτας Ῥωμαῖοι σφᾶς αὐτοὺς ἅμα τοῖς ἀνακηρυχθεῖσι Σαβίνοις προσηγόρευσαν.

Pro corrupta voce ἀνακηρυχθεῖσι Auratus coniecit ἀνακραθεῖσι cll. C. 2 et 6, haud reputans non aoristi sed *perfecti* opus esse participio ad significandum quod Plutarchum scripsisse coniicit, et praepositionem ἅμα praesertim indicare *uno tempore* duas res fieri. Equidem non dubito quin Plutarchus scripserit ἅμα τῷ Σαβῖνον ἀνακηρυχθῆναι: Quirites se Romani appellavere simulatque e gente Sabinorum rex pronuntiatus est. Nam de ea re certamen fuerat utrum e Romanis an e Sabinis rex crearetur.

J. J. H.

Digitized by Google

AD ARISTOPHANIS PLUTUM.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

I.

Pluti fabulae textum non intactum ad nos pervenisse, sed variis vitiis in codicibus esse inquinatum, vix est quod dicam. Sed multum abest ut tam gravibus, tam crebris laboret vitiis quam saepe perhibuere philologi. Et de opinione eorum, qui duplicis editionis vestigia deprehendere sibi visi sunt, quid sit statuendum posthac conabor exponere. Nunc periculum faciam an versus aliquot a criticis proscriptos ipsi comico vindicare possim.

Quorum primus est vs. 188. — „*Quicquid fit inter homines,*" — Chremylus ait, — „*tu o Plute omnium rerum es causa, non solum malarum*, quod perhibet carmen illud populare, *sed etiam bonarum.*" — „*In bellis certe*" — Cario addit — „*superiores illi evadunt quibus iste se adiungit.*" — „*Meane tanta potestas?*" stupens rogat Plutus. Cui Chremylus:

καὶ ναὶ μὰ Δία τούτων γε πολλῷ πλείονα·
ὥστ' οὐδὲ μεστός σου γέγον' οὐδεὶς πώποτε.
τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἐστὶ πάντων πλησμονή·
ἔρωτος —

„ἄρτων" interstrepit mancipium et certatim iam enumerant quae bona habeat Plutus; denique Chremylus:

σοῦ δ' ἐγένετ' οὐδεὶς μεστὸς οὐδεπώποτε·
ἀλλὰ κτέ.

Digitized by Google

Non miror supicionem movisse trimetros hos duos sibi simillimos. Quo argumento si quis uti velit ad demonstrandum, socordiam quandam poetae hoc loco, ut alibi per hanc fabulam, apparere in pangendis versibus, non ego sum qui de ea re obloquar, licet ipso hoc loco verborum repetitio non admodum mihi displiceat. Id vero nego, salvo contextu omitti posse versum 188. Qui si deleatur, haec restabunt: *et multo plus etiam vales tu; nam ceterarum rerum omnium est satietas, at te nemo satiatus est unquam.*

Quae parum apte cohaerent; non enim afferuntur argumenta ad *potestatem* dei demonstrandam, sed unde appareat *carere* eo homines neque velle neque posse.

Etiam versus 281 multis displicet. Chori dux Carionem increpuit: *citato credo cursu ferri decrepitum me iubes senem,*

καὶ ταῦτα πρὶν [1]) Φράσαι μοι
ὅτου χάριν μ' ὁ δεσπότης ὁ σὸς κέκληκε δεῦρο.

Dein viginti versibus interpositis idem iisdem dicitur verbis: *male tu dispereas, qui proterve illudis,*

Φράσαι δ' οὔπω τέτληκας ἡμῖν
ὅτου χάριν μ' ὁ δεσπότης ὁ σὸς κέκληκε δεῦρο.

Nunc quoque — et maiore quidem, ut opinor, quam supra iure — perhiberi potest, nimis similes sibi esse duos locos vicinos. Sed non potest sine vitio omitti versus posterior, licet in codicibus V et R desit. Nam Φράσαι sic nude dici non potuit [2]).

Itaque operam dedere viri docti ut aliud quid de suo substituerent versiculo proscripto. Qui si sibi constitissent, etiam quae praecedunt verba „Φράσαι δ' οὔπω τέτληκας ἡμῖν" priori illi loco nimis similia iudicassent.

Equidem nullus dubito quin genuinus sit locus uterque. Dux chori denuo id rogat quod frustra rogaverat, et iisdem quidem verbis rogat, quae sola apta sunt ad rem breviter et perspicue enuntiandam.

---

1) πρὶν ταῦτα καὶ codd.; mutavit Reiske.

2) Alieni hinc sunt vs. 62 et 65, ubi obiectum licet certo nomine non sit indicatum, e contextu facillime suppleri potest.

Digitized by Google

Eadem igitur de hoc loco valent me iudice, quae de versibus 1113 sqq.:

ἀφ' οὗ γὰρ ἤρξατ' ἐξ ἀρχῆς βλέπειν
ὁ Πλοῦτος, οὐδεὶς οὐ λιβανωτόν, οὐ δάφνην,
οὐ ψαιστόν, οὐχ ἱερεῖον, οὐκ ἄλλ' οὐδὲ ἓν
ἡμῖν ἔτι θύει [1]) τοῖς θεοῖς,

ubi versum 1115, a Valckenaerio deletum, utpote versui 138 nimis similem, optimo iure defenderunt alii et plane necessarium statuerunt, *placentas* enim *victimasque* aliquanto magis desiderare Mercurium quam thus et lauream.

Venio nunc ad versum 475, ubi Paupertas: *facillime opinor demonstrabo* — ait — *peccare te*,

εἰ τοὺς δικαίους φὴς ποιήσειν πλουσίους.

Hunc versum fuit qui deleret, Paupertatem enim de *cunctis* hominibus ditandis loqui perpetuo, solum Chremylum quid velit nescire; quod qui statuebat vir doctus, vitium hoc duabus fabulae editionibus postmodo conflatis natum esse sibi persuaserat. At nullo huiuscemodi crimine fabula nostra premitur, et haec quoque quae excripsi Paupertatis verba optime habent. Nam Chremylus τοὺς μὲν χρηστοὺς πλουτῆσαι ποιήσειν se apertis verbis dixit vs. 386 sqq.: solis *probis* hominibus opes praebiturus est, quoniam hos solos adibit Plutus recuperata videndi facultate; sed *nullos* mox *maleficos* futuros arbitratur, nam suum si praemium ferat virtus, fore ut virtus non post nummos sed propter nummos colatur, brevi igitur cuncti mortales et probi piique fiant et beati. Id quod totidem verbis dicit vs. 496 sq.: *Plutus probos petet, scelestos vitabit*,

κἄτα ποιήσει
πάντας χρηστοὺς — καὶ πλουτοῦντας δήπου — τά τε θεῖα
σέβοντας,

ita autem efficiet ut omnes fiant probi — et, quod per se intellegitur, divites — et pii. Quo loco δήπου, ut nostrum *natuurlijk*, id indicat quod ipsa ferat res [2]); eos quos Plutus adeat *divites*

1) ἔτι θύει V, ἐπιθύει perperam ceteri.

2) Itaque „δήπου" reicio coniecturas quibus versum 497 viri docti vexarunt. Particulae δήπου frequens usus est in vicinia: vid. vs. 519, 523 etc.

Digitized by Google

fore per se intellegitur, sed etiam *pios probosque* eos evasuros, hoc est quod demonstratum ivit Chremylus.

Videmus, non esse in mente Chremyli — licet eius verbis inesse videri possit — consiliorum eam quam viri docti ei imputarunt perturbationem, ut modo solos probos homines, modo omnes beare velit; meliusque iam intellegimus eius verba ad Paupertatem (vs. 460 sq.):

τί οὖν; ἀδικοῦμεν τοῦτό σε,
εἰ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἐκπορίζομεν
ἀγαθόν;

cunctos mortales beare, hoccine est iniuria te afficere?

Spem autem non fefellisse Chremylum, — quod haud immerito miretur quis culpaeque vertat comico, quoniam *insana* illum appetere luculenter demonstraverat Paupertas, — sed spem eum non fefellisse sub finem fabulae patet, ubi „πάντες εἰσὶ πλούσιοι!" querula voce exclamat Iovis sacerdos (vs. 1178). Omnes dites iam sunt facti, omnes enim primo quoque tempore operam dederunt ut probi fierent; nunc autem nemo requirit quidquam, nemo subit periculum, nemo supplex adit templa deorum, nemo voti compos factus grates iis solvit.

Ne aniculam quidem, cui soli in ceterorum mortalium felicitate parum profuerat Plutus, deficiet ille; nam iuvenis recens ditatus ad officium suum redibit mox (vs. (1201), — ni rediret improbus esset et Irus fieret denuo.

Quae observationes utiles sunt ad melius intellegendos versus 955 sqq.; ubi de sycophanta, quem ad balneum publicum confugere iussit Iustus vir, ridens Cario:

ἀλλ' ὁ βαλανεὺς ἕλξει βύραζ' αὐτὸν λαβὼν
τῶν ὀρχιπέδων· ἰδὼν γὰρ αὐτὸν γνώσεται
ὅτι ἔστ' ἐκείνου τοῦ πονηροῦ κόμματος,

statim adspectum eum balneator foras proturbabit, nam ex improbis homuncionibus unum esse sentiet. Probi viri quoniam beati exinde sunt futuri, hominem qui discalceatus laceroque palliastro involutus ad se veniat, nequam nebulonem esse statim intelleget.

De quo rabula forensi quoniam supra (vs. 862) iisdem fere verbis dictum fuerat

ἔοικε δ' εἶναι τοῦ πονηροῦ κόμματος,

Digitized by Google

nostro loco versum 957 nonnulli damnarunt, specie decepti, nam plane est necessarius; quo omisso miserrime langueret illud „ἰδὼν αὐτόν" neque integram notionem praeberet verbum γιγνώσκειν. Comicus nunc quoque in eadem verba bis incidit. Leve vitium profecto, si sit vitium; sed ut gravissimum censeatur, ipsius utique comici vitium.

Ne versum quidem 566, quem inde a Bentleio omnes fere editores damnarunt, spurium esse satis mihi constat:

νὴ τὸν Δί', εἰ δεῖ λαθεῖν αὐτόν, πῶς οὐχὶ κόσμιόν ἐστιν;

Miserrime corruptum duxerim potius, certe non video unde potuerit nasci, nisi ipsius sit poetae. Sed quoniam medelam, qua et numeri sanarentur et verba minus inepta fierent, frustra hactenus quaesivi, plura de hoc loco nunc disputare nihil expedit.

Saepe criticos miratus sum Cobeti emendationes elegantissimas atque certissimas neglegentes: nunc eos miror adstipulantes ei versum 584 damnanti. Qui versus necessarius potius mihi videtur quam molestus. Sunt Paupertatis verba, quae: *o stolida silicernia!* exclamat: *divitemne Iovem esse autumatis? Pauper est ille!*

εἰ γὰρ ἐπλούτει, πῶς ἂν ποιῶν τὸν Ὀλυμπικὸν αὐτὸς ἀγῶνα,
ἵνα τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας ἀεὶ δι' ἔτους πέμπτου ξυναγείρει,
ἀνεκήρυττεν τῶν ἀθλητῶν τοὺς νικῶντας στεφανώσας
κοτίνου στεφάνῳ; καίτοι χρυσῷ μᾶλλον χρῆν, εἴπερ ἐπλούτει.

Si dives esset, qui potuisset fieri, cum ipse certamen instituere Olympiacum, quo cunctos scilicet Graecos quinto quoque anno cogit, ut nullius pretii coronam proponeret victoribus?

Ubi vide quanto studio cumulentur quae ad persuasionem valeant reique gravitatem clara in luce collocare possint. *Ipse* Iuppiter hoc instituit certamen; nec semel tantum instituit, sed *quinto quoque anno* instaurat; neque in obscuro aliquo angulo paucis spectantibus fit illud, sed *coram tota Graecia*: — ettamen folia tantum praebet victoribus ab arbore agresti decerpta, nihil amplius. Hic si deletur versus 584, multo ieiunior et exilior — me quidem iudice — fit sententia. Sed fac alios aliter hac de re sentire: id tamen negari nequit, *vitiosi* nihil habere illum versum, neque similem esse interpretamento. Nam quinto quoque

Digitized by Google

anno habitos esse ludos Olympiacos, id nostro loco adscribere ea certe aetate, qua tam bonos tetrametros fingere sciebant homines, vix cuiquam in mentem venire potuit.

De loco qui sequitur minus magnifice sentio. Versus dico 710 sqq.

Deo aegrotantes visenti — sic herae refert Cario — *minister*

λίθινον θυείδιον
παρέθηκε καὶ δοίδυκα καὶ κιβώτιον.

Quibus auditis, „λίθινον;" rogat illa. Dein Cario:

μὰ Δί' οὐ δῆτ' οὐχὶ τό γε κιβώτιον.

„Nimis insulsum" — ais — „iocum!" Et ego aio. Sed cave ne critica aliqua editione inspecta hunc versum, quem codex Ravennas non habet, delendum censeas. Nam merum vitium id est librarii, qui Ravennatem perscripsit; nunc, ut saepe, eius oculos fefellit τὸ ὁμοιοτέλευτον. Iuvene Aristophane hunc versum plane indignum esse minime nego; — quamquam ne tunc quidem, cum ἴσχυεν αὐτὸς ἑαυτοῦ, ab insulsis facetiis omnino abstinuit; — sed Acharnensium vel Avium auctore indignum hunc versum iudicantibus adstipulor: in sene cum aliis bene multis quae eiusdem sunt farinae ferendum arbitror.

Versum quendam et poeta indignum esse et genuinum modo contendi. Nunc gratius aliquanto ineo officium. Nam demonstrare posse mihi videor versum quendam, quem inde a Bentleio omnes ni fallor critici proscripserunt, neque spurium esse neque habere quod iure possit vituperari. Versum dico qui οὔτ' ἐν λόγῳ οὔτ' ἐν ἀριθμῷ est hodie, nam in eam incidit infamiam ut ne numeretur quidem in editionibus hodiernis, dudum in calce paginae exulans. Sed totus locus est considerandus.

Laetitia exultans proruit Cario. Nam postquam Plutus Chremyli aedes intravit, opibus abundant totae et auri argenti eboris splendore refulgent, perinde atque Menelai illa Alcinoive regia. Cuius prima haec sunt verba:

ὡς ἡδὺ πράττειν, ὦ ἄνδρες, ἔστ' εὐδαιμόνως,
καὶ ταῦτα μηδὲν ἐξενεγκόντ' οἴκοθεν,

quid est suavius quam bene rem gerere, idque nullo suo impendio, ἀπ' ἀφορμῆς οὐδεμίας. Quae e mensariorum lingua desumta est locutio. — Pergit:

Digitized by Google

ἡμῖν γὰρ ἀγαθῶν σωρὸς εἰς τὴν οἰκίαν
805 ἐπεισπέπαικεν οὐδὲν ἠδικηκόσιν.
805* οὕτω τὸ πλουτεῖν ἐστιν ἡδὺ πρᾶγμά τι.

De ultimo versu priusquam disputemus, priores quid significent inter nos constet necesse est. Pro *affluendi* vel *obruendi* verbo fortius etiam quoddam nunc adhibetur, quod *telo*, *hosti*, *cladi* cum vi *irrumpenti* unice est aptum; sic autem paratur iocus qui inest participio ἠδικηκόσιν. *Insontes in nos irruit, nihil commerentes nos afflixit moles* .... malorum? immo *bonorum*! Hoc scilicet est illud „κοπιᾶν ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν."

Qui iocus non fugit Lucianum; nam Timonem suum hic fecit talia mussitantem: „πειστέον, ὦ Ἑρμῆ, καὶ αὖθις πλουτητέον· τί γὰρ ἂν καὶ πάθοι τις, ὁπότε οἱ θεοὶ βιάζοιντο; πλὴν ὅρα γε εἰς οἷά με πράγματα ἐμβάλλεις τὸν κακοδαίμονα, ὃς ἄχρι νῦν εὐδαιμονέστατα διάγων χρυσὸν ἄφνω τοσοῦτον λήψομαι οὐδὲν ἀδικήσας." — Sed scholiastae non intellexerunt verba comici; neque apud recentiores verum reperio, licet Luciani ille locus dudum sit collatus.

Nunc redeo ad versiculum, cuius causa hanc disputationem institui, 805*. De quo scholia: „ἀδιανόητος ὁ ἴαμβος." Hunc autem auctorem secutus Bentley delevit trimetrum „ἀδιανόητον", eique adstipulati sunt recentiores, non rogantes unde tandem irrepere potuisset. Sed multo melioris frugis sunt quae in scholiis adduntur: „ἢ πρὸς τὰ ἄνω· , καὶ ταῦτα μηδὲν ἐξενεγκόντ' οἴκοθεν" (vs. 803)". Nam revera πρὸς τὰ ἄνω nunc respicit Cario, non tamen ad versum 803 sed ad versum 802. Et aptissima esse haec eius verba facile apparebit, modo *suo loco* collocentur. Nam *loco motus* est ἄλογος hic trimeter, non ineptus, non spurius. Enarrat Cario farinae vini pecuniae copias inexhaustas, olei unguenti ficorum abundantiam, vasorum novum splendorem, culinam eburneam, denique ad sua ipsius quae plurimi facit commoda delapsus „*aureis iam*" — ait — „*par impar ludimus servi.*" Potestne maius quid addi? Unum etiam potest: „*allia, dapem omnium longe delicatissimam*," — non enim Horatius sed Cario est is qui loquitur — „*non iam gula nostra habemus digna*, sed ... (ἀναγκὴ γὰρ νῦν ἀναιδεύεσθαι ἐν ἀναιδέσιν) *culo potius*".

Sic postquam cuncta novae prosperitatis indicia enumeravit

Digitized by Google

et gradatim ad „aureos" illos et „allia" tandem adscendit, ad prima sua verba reversus Cario *„tam suave"* exclamat *„est bene rem gerere"*.

Totum nunc excribam locum ita ordinatum, neque vereor ne lectores etiam spurium habituri sint versum quo de agimus:

ὡς ἡδὺ πράττειν, ὦ ἄνδρες, ἔστ' εὐδαιμόνως,
καὶ ταῦτα μηδὲν ἐξενεγκόντ' οἴκοθεν.
ἡμῖν γὰρ ἀγαθῶν σωρὸς εἰς τὴν οἰκίαν
ἐπεισπέπαικεν οὐδὲν ἠδικηκόσιν.
ἡ μὲν σιπύη μεστή ἐστι λευκῶν ἀλφίτων,
οἱ δ' ἀμφορῆς οἴνου μέλανος ἀνθοσμίου,
ἅπαντα δ' ἡμῖν ἀργυρίου καὶ χρυσίου
τὰ σκευάρια πλήρη ἐστίν, ὥστε θαυμάσαι,
τὸ Φρέαρ δ' ἐλαίου μεστόν, αἱ δὲ λήκυθοι
μύρου γέμουσι, τὸ δ' ὑπερῷον ἰσχάδων·
ὀξὶς δὲ πᾶσα καὶ λοπάδιον καὶ χύτρα
χαλκῆ γέγονε, τοὺς δὲ πινακίσκους τοὺς σαπροὺς
τοὺς ἰχθυηροὺς ἀργυροῦς πάρεσθ' ὁρᾶν,
ὁ δ' ἵππος γέγον' ἡμῖν ἐξαπίνης ἐλεφάντινος.
στατῆρσι δ' οἱ θεράποντες ἀρτιάζομεν
χρυσοῖς, ἀποψώμεσθα δ' οὐ λίθοις ἔτι,
ἀλλὰ σκοροδίοις ὑπὸ τρυφῆς ἑκάστοτε.
805* οὕτω τὸ πλουτεῖν ἐστιν ἡδὺ πρᾶγμά τι [1]).
καὶ νῦν ὁ δεσπότης μὲν ἔνδον βουθυτεῖ
κτέ.

Frequens autem est adverbii οὕτως hic usus. Sic fabulae nostrae initio Plutus:

ὁ Ζεύς με ταῦτ' ἔδρασεν, ἀνθρώποις Φθονῶν.
ἐγὼ γὰρ ὢν μειράκιον ἠπείλησ' ὅτι
ὡς τοὺς δικαίους καὶ σοφοὺς καὶ κοσμίους
μόνους βαδιοίμην· ὁ δέ μ' ἐποίησεν τυφλόν,
ἵνα μὴ διαγιγνώσκοιμι τούτων μηδένα.
οὕτως ἐκεῖνος τοῖσι χρηστοῖσι Φθονεῖ.

Plura exempla excribere inutile videtur, quoniam minime rara aut insolita haec est orationis conformatio [2]).

1) τι Ald. (vid. schol.); δή vel που codd.

2) In annotatione tamen indicati sunto hi loci: Plut. 853, 1016 Eq. 530 Nub. 294 Vesp. 349 Av. 466, 522, 736.

Digitized by Google

Neque versus 1173 iure damnatus est. Quem versui 968 simillimum esse nemo non videt; non tamen nimis similem ei esse contendo, sed similiorem etiam reddendum esse. Qua de re infra videbimus.

II.

A versibus immerito *damnatis* transeo ad versus quos sine causa *mutatos* esse arbitror.

Fabulae initio Chremylus servo refert Apollinem iussisse se, ei qui e templo Delphico exeunti obviam factus sibi esset primus, huic persuadere ut domum se sequeretur. Tum Cario:

44 καὶ τῷ ξυναντᾷς δῆτα πρώτῳ;

Cui Chremylus: „τουτῳΐ!" Dein Cario:

εἶτ' οὐ ξυνιεῖς τὴν ἐπίνοιαν τοῦ θεοῦ κτέ.;

Manifesta hic est, quam primus ni fallor indicavit Bergler, Ionis fabulae Euripideae imitatio. Cui exemplo quo similior etiam fieret locus Aristophanis [1]), Cobet proponebat:

κᾆτα ξυναντᾷς δῆτα πρώτῳ τουτῳΐ;
εἶτ' οὐ ξυνιεῖς τὴν ἐπίνοιαν τοῦ θεοῦ ...;

deleto post πρώτῳ interrogationis signo cuncta tribuens Carioni. Non recte; nam iteratum εἶτα vix potest defendi et omnino importunum iam est δῆτα. In vulgata autem quid vituperari possit non video. Cario probe sane novit se cum hero senem caecum per viam sacram secutum esse Delphis usque ad medias Athenas; sed hero templum egresso primum hunc hominem obviam esse factum, id pro certo nondum habet compertum, licet suspicari modo coeperit. Quapropter rem absurdam miratus et indignatus, ut prorsus sibi constet, haec rogat.

Heri responso „τουτῳΐ" accepto Cario exclamat: *ergo filium tuum more solito educare te iubet deus!* Quod unde efficiat roganti haec respondet:

δῆλον ὅτιὴ καὶ τυφλῷ
γνῶναι δοκεῖ τοῦθ', ὡς σφόδρ' ἐστὶ ξύμφορον [2])

1) Vid. Eur. Ion. 538.

2) Codd. ξυμφέρον (συμφ.); correxit Meineke.

Digitized by Google

50 *τὸ μηδὲν ἀσκεῖν ὑγιὲς ἐν τῷ νῦν ...*

De ultimo vocabulo, quod nondum addidi, ante omnia pauca sunt dicenda. In plerisque codicibus est *χρόνῳ*, quod si in cunctis esset, non addubitarem fortasse; insolite quidem dictum est, sed quoniam Sophoclis certe versus conferri potest *ἐξήμαρτον ἐν τῷ πρὶν χρόνῳ* (Philoct. 1224), ferrem hoc loco *χρόνῳ*, si codicum consensu id esset stabilitum. Sed non est; Ravennas enim habet *βίῳ*. Id vero quin vitiosum sit non dubito, licet vs. 38 recte dicatur: *τῷ βίῳ τοῦτο ξυμφέρει* et vs. 500: *ὡς νῦν ὁ βίος τοῖς ἀνθρώποις διάκειται*, — qualibus locis *ὁ βίος* valet *vitae condicionem*. Plane aliud quid est *ὁ νῦν βίος*, *haec vita*; quae oppositum sibi habet *τὸν βίον τὸν αἰώνιον* sive *τὸν ἐν οὐρανοῖς*, sed apud Aristophanem quid sibi velit non expedio. Aptum vero unice est id quod scholia praebent: *γένει*. Recordamur enim Eupolidis *χρυσοῦν γένος* illud — ut Hesiodum nunc mittamus — et Euripidis versiculum (fr. 696):

οὐδὲν δίκαιόν ἐστιν ἐν τῷ νῦν γένει,

cui simillimus est Menandri trimeter (fr. 223, 15):

(*probi viri*) *οὐδὲν ὄφελος ἐν τῷ νῦν γένει.*

De Veneto codice hactenus tacui. Quid habet? vocem vitiosam, sed ita vitiosam ut vera lectio traluceat:

τὸ μηδὲν ἀσκεῖν ὑγιὲς ἐν τῷ νῦΝ ΕΤΕΙ.

Aut *παραδιορθώσει* debentur *βίῳ* et *χρόνῳ*, aut mera sunt interpretamenta.

Sic postquam restituta est prisca huius loci lectio, transire licet ad quaestionem cuius causa eum attuli. Offendit olim Hemsterhusium et Berglerum structura versus 48, quapropter pro *τυφλῷ* scribebant *τυφλός*. Quod cum dici non potuerit nisi addita particula *ἄν*, fuit cum magnorum illorum virorum vestigia secutus equidem confidenter sic refingerem locum:

δῆλον· ὁτιὴ κἂν τυφλὸς
γνῶναι δοκεῖ τοῦθ' —

coll. Eq. 427 sq.:

δῆλόν γ' ἀφ' οὗ ξυνέγνω·
ὁτιὴ ἐπιώρκεις ἡρπακώς κτἑ.

At amicus Hartman optimo iure observabat insoliti quid habere *δῆλον* sic nude positum, et mox sensi me post alios operam dedisse ut sana corrumperem, non librarios sed ipsum comicum

Digitized by Google

corrigens. Verba sic sunt iungenda: *ὁτιὴ δοκεῖ καὶ τυφλῷ δῆλον γνῶναι εἶναι, quia vel caeco facile agnitu esse videtur.* — „At male abundat iam infinitivus *γνῶναι!*" — Ita est: melius ille abesset; sed ipsius poetae hanc esse socordiam luculenter testatur versus infra obvius, ubi *φανερῷ* adiectivo item ab abundanti additus est infinitivus *γνῶναι* (vs. 489):

φανερὸν μὲν ἔγωγ' οἶμαι γνῶναι τοῦτ' εἶναι πᾶσιν ὁμοίως,—

quasi nostratium aliquis dicat: *het is duidelijk te merken.*

Hi loci se invicem ita tuentur ut dubii nihil restet. Nec non simillimum est id quod infra dicit Cario (vs. 826):

δῆλον ὅτι τῶν χρηστῶν τις, ὡς ἔοικας, εἶ,

ubi accuratius loquentis aut „δῆλον ὅτι τῶν χρηστῶν τις εἶ" foret aut: „ἔοικας τῶν χρ. τις εἶναι", „τῶν χρ. τις εἶ ὡς ἔοικας".

Quos postquam coniunctim consideravimus locos, dubium esse potest quin etiam versus 422 sit ferendus? Ubi Chremylus ad Paupertatem:

σὺ δ' εἶ τίς; ὠχρὰ μὲν γὰρ εἶναί μοι δοκεῖς.

„Non videtur esse lurida sed est", fuit qui vere observaret; cuius verbis pellectus tentabam equidem: *ὠχρὰ μὲν γὰρ εἶ, νὴ ⟨τοὺς θεούς⟩*. Sed dudum reieci coniecturam inutilem, nam nunc quoque non librarios vituperandos esse sed ipsum comicum, — si vituperatione hoc videatur esse dignum neque sermonis quotidiani licentiae posse condonari, — probe perspexi.

Unde sequitur quid censeam de aliorum coniecturis:

ὠχρὰ μαινὰς εἶναί μοι δοκεῖς,

et: *ὠχρά γ' εἶν' Ἐρινύς μοι δοκεῖς,*

— qualia si extarent in textu tradito, corrigenda essent potius; nam *maenadi* nullus est locus, *furiae* autem proximo versu fit mentio, et *μὲν γάρ* particulas exquisitioris esse dictionis quam quae errori tribuantur optime olim ostendit vBamberg.

Venio ad versum 168. Quo loco herus et servus certatim demonstrant quanta sit Pluti potestas. *Omnium artium tu auctor es unicus; tu efficis ut alius sit sutor, alius faber, alius coriarius,* — nonnulla omitto, — *alius allia venditet,*

ὁ δ' ἀλούς γε μοιχὸς διὰ σέ που παρατίλλεται.

Hic Bentley et Valckenaer summi viri pro *που* scribi iusserunt

Digitized by Google

γ' οὐ. Sed sic ab argumento alienus fit versus. Nam *negativa* sententia minime quadrat in hunc contextum; neque exponitur nunc quid pecunia assequi vel pecuniae ope vitare liceat, sed quam varia agant mortales ut pecunia potiantur. Locus igitur non est huic enuntiato: *„tu autem efficis ut moechus deprensus non vellicetur* (sed μοιχαγρίοις solutis se expediat)". Itaque *per interrogationem* proferenda haec essent: *„et nonne moechus tui causa vellicatur?"* — nisi fieri id vetaret particula γε.

Errabant igitur Bentley et Valckenaer. Superest ut observemus immerito in suspicionem incidisse lectionem traditam. Non enim languet ironicum illud που, *opinor*, sed haec eius est vis: *etiam moechos opinor vellicare solent homines ut aurum assequantur* — sacculo suo consulentes scilicet, non, quod allegari solet, ut tori ius violatum ulciscantur.

Venio nunc ad locum qui diu me torsit, et olim torsit Weisium Kappeynium alios. Fuit autem cum plane assentirer Kappeynio versus quos dico aliter ordinanti [1]). Nunc melius perspicere mihi videor quomodo inter se cohaereant, nec iam dubito quin integri ad nos pervenerint, nisi quod uno vitio laborabant, quod feliciter olim persanavit vHerwerden.

Versus dico 264 sqq.:

Dux chori.

ἔστιν δὲ δὴ τί καὶ πόθεν τὸ πρᾶγμα τοῦθ', ὅ φησιν;

Cario.

ἔχων ἀφῖκται δεῦρο ... πρεσβύτην τιν', ὦ πονηροί,
ῥυπῶντα, κυφόν, ἄθλιον, ῥυσόν, μαδῶντα, νωδόν·
οἶμαι δέ, νὴ τὸν οὐρανόν, καὶ ψωλὸν αὐτὸν εἶναι.

Dux chori.

ὦ χρυσὸν ἀγγελίας ἐπῶν, πῶς φής; πάλιν φράσον μοι.
δηλοῖς γὰρ αὐτὸν σωρὸν ἥκειν χρημάτων ἔχοντα.

Cario.

πρεσβυτικῶν μὲν οὖν κακῶν ἔγωγ' ἔχοντα σωρόν.

Dux chori.

μῶν ἀξιοῖς φενακίσας ἔπειτ' [2]) ἀπαλλαγῆναι
ἀζήμιος, καὶ ταῦτά μου βακτηρίαν ἔχοντος;

1) Versus 268—270 post 263 collocabat.

2) Sic recte V, in cett. est ἡμᾶς pro ἔπειτ', Ravennas versum omisit.

Digitized by Google

„*Quid igitur est bonum illud, quod herum tuum secum domum attulisse perhibes?*" Carionem rogat dux chori. Cui verna protervus: „*habet secum ... habet secum ... senem sordidum decrepitum*", — et cumulat epitheta ludicra. Laetus dein dux chori exclamat: „*o felicissimum nuntium, quandoquidem magnas opes eum secum attulisse tu ais.*"

Quorsum haec? Inspice scholia et videbis olim grammaticos hunc locum recte esse interpretatos. Τπόκωφον γερόντιον, perinde atque Demus ille in Equitibus fabula, est is qui chorum ducit. Qui Carionis cetera verba ne audivit quidem, sed ultimum certe intellexisse sibi videtur. Hominem illum, quem Chremylus secum habet, senectutis incommodis cunctis laborare dixit Cario atque adeo „ψωλὸν" sibi videri. Haec ita accipit rusticus surdaster et stolidus ut „σωρὸν χρημάτων" a Chremylo adductum esse inde efficiat.

Sed quomodo tandem potuit id inde efficere? Dicet nobis Herwerdenus. Qui cum sensisset ψωλὸν illud sive *intentum in venerem* [1]) esse ineptum, sensisset autem etiam ineptius esse χωλόν, quod legitur in Iuntina, felicissima emendatione restituit verum: ψωρόν. „*Scabieque adeo obsitus est, arbitror*", ridens dicit Cario. Chori autem dux cum cetera non satis intellexerit, „*dic denuo*" ait; at ultimam certe Carionis vocem auribus percepit, non quidem integram, sed capite truncam, „σωρὸν" enim audivisse sibi videtur, *opum* igitur acervum, — credens scilicet id quod speret. Sic alibi ἀγαθῶν σωρός et σίμβλον χρημάτων apud nostrum commemorantur, propiusque etiam accedunt Charini iuvenis apud Plautum verba: *non hominem mihi sed thensaurum nescio quem memoras mali*, sive, ut graece reddamus quae „barbare ille vortit":

ὦ ἀγάθ', οὐκ ἄνθρωπον εἶπας ἀλλὰ θησαυρὸν κακῶν.

Iam vero altissima voce Cario: „*immo malorum senilium acervum eum secum habere dico dudum*". Et tandem chori dux ludificari se sentiens irascitur baculoque minatur mancipio petulanti.

Hoc est feliciter emendare. Nisi autem fallor, ipsum Herwerdenum fugit, emendationem a se repertam non soli versui 267

1) De nihilo ficta est recentiorum opinio, *recutitum* (*circumcisum*) hoc loco et aliis nonnullis (vid. Ach. 161) valere.

Digitized by Google

prodesse, sed totum contextum ea illustrari, et nunc demum apparere quam bene sit concinnatus. Optime cohaerent omnia suoque ordine sunt collocata; nihil turbatum, nihil obscurum: una littera corrupta erat.

Sed inter epitheta, quibus designatur misellus ille senex, quem Chremylus secum habet, unum est de quo pauca sunt observanda, priusquam hunc locum mittamus. Dico participium μαδῶντα, pro quo alios olim legisse μυδῶντα testantur scholia. Utrum praestat? — Pessimum est μυδῶντα, quod σεσηπότα significat, de *cadaveribus* igitur dicebatur [1]), non de viventibus; aptissimum vero huic loco est μαδῶν, *vietus*, quod cognitum est ex Hipponactis verbis: μαδῶντα καὶ σαπρόν, *vietum et putrem* (= *senem*, ut saepe apud comicos). Oppositum autem sibi habet τὸ στιφρόν, quod est aetatis floridae. Usurpantur enim μαδᾶν et μαδαρός et μάδισις de animalium carnibus plantarumque fibris flaccidis marcidis fluxis. Quemadmodum in laude ponebantur ὑγρός et στιφρός, sic vitiosa sunt hinc τὰ μαδαρά, illinc τὰ σκληρά.

ὑγρός: μαδαρός = στιφρός: σκληρός.

Vs. 329—331:

δεινὸν γάρ, εἰ τριωβόλου μὲν οὕνεκα
ὠστιζόμεσθ' ἑκάστοτ' ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ,
αὐτὸν δὲ τὸν Πλοῦτον παρεῖην τῷ λαβεῖν.

Coryphaei haec verba si cui primo adspectu vitiosa videantur, non mirer equidem; si quis autem dicat refragare severioribus legibus artis grammaticae, non obloquar. Sed corrupta esse nego atque pernego, nihil igitur tribuens nunc coniecturis παρεῖμεν et παρήσω, quas olim alleveram margini mei Aristophanis, dudum autem ab aliis occupatas esse nuper vidi. Addo, accurate locum inspicientibus apparere neglegentius quidem loqui coryphaeum, sed eiusmodi esse eam neglegentiam ut sermonem familiarem minime dedeceat.

Qui grammatice loqui si voluisset, dixisset potius: δεινὸν γὰρ ἂν εἴη, εἰ αὐτὸν τὸν Πλοῦτον παρεῖην τῷ λαβεῖν, ἐπειδήπερ ἑκάστοτ' ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τριωβόλου ἕνεκα ὠστιζόμεθα, *absurdum foret*

1) Vid. e. g. Soph Ant. 410.

Digitized by Google

si ipsius divitiarum dei copiam nunc facerem cuilibet, cum identidem in concione elidere nos soleamus cives ut unum trinummum adipiscamur. — Transitum autem ad liberiorem verborum compositionem, cui nunc indulget, parant loci qualis est apud Xenophontem: *δεινὸν γάρ τἂν εἴη, ... εἰ ἐν θήρᾳ μὲν πολλάκις ἄσιτοι καρτεροῦμεν ὅπως θηρίον τι ὑποχείριον ποιησόμεθα, ... ὅλβον δὲ ὅλον πειρώμενοι θηρᾶν ... οὐκ ἂν πρέποντα ἡμῖν δοκοῖμεν ποιεῖν*, vel qualis apud nostrum in Avibus:

δεινότατα γάρ τοι πεισόμεσθ', ἐμοὶ δοκεῖν,
εἰ τῶν μὲν ἄλλων ἄρξομεν, ὑμεῖς δ' οἱ θεοὶ
ἀκολαστανεῖτε.

Ubi paratactice dicta sunt *καρτεροῦμεν* et *ἄρξομεν* pro: *καρτεροῦντες* et: *ἡμῶν ἀρχόντων.*

Vs. 399 sq. Blepsidemo roganti: *„quin igitur opum istarum partem aliquam cum amicis tuis communicas?"* respondet Chremylus:

οὐκ ἔστι πω τὰ πράγματ' ἐν τούτῳ.

Indignabundus dein Blepsidemus:

τί Φής;
οὐ τῷ μεταδοῦναι;

Haec quoque sanissima esse aio, licet aliter ab aliis criticis fuerint mutata [1]). Id quod summum est flebili voce repetit Blepsidemus, neglecta verborum structura; nam plenae orationis fuissent haec: *οὔπω ἐστὶν (εἶναι Φὴς) ἐν τῷ μεταδοῦναι;*

Sic apud Sophoclem ministro anxie clamanti: *„οἴμοι, πρὸς αὐτῷ γ' εἰμὶ τῷ δεινῷ λέγειν!"* rex trepidans et exasperatus retorquet: *„καὶ ἔγωγ' ἀκούειν!"* — ubi placide loquentis fuisset: *καὶ ἔγωγε ⟨πρὸς αὐτῷ τῷ δεινῷ⟩ ἀκούειν.* Item Pisetaerus:

αἱ πόλεις παρ' ἀνδρῶν ἔμαθον ἐχθρῶν — κοὐ Φίλων! —
ἐκπονεῖν θ' ὑψηλὰ τείχη ναῦς τε κεκτῆσθαι μακράς,

nam sic ea sunt distinguenda. *Ab adversariis — non sane ab amicis! — didicerunt civitates moenibus classibusque se tutari.* Ubi non iterantur vocabula *παρ' ἀνδρῶν*, — nam integrae orationis foret *καὶ οὐ ⟨παρ' ἀνδρῶν⟩ Φίλων*, — quo maiore cum vi possint efferri quae emphasi sola sunt digna: *„οὐ"* et *„Φίλων"*.

(*Continuabuntur.*)

---

1) Proposita sunt: *οὔ τῳ μεταδοῦναι, οὔπω μ., ἐν τῷ μ.*, alia fortasse.

Digitized by Google

QUIS FUROR?

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

Studien zu Aristophanes und den alten Erklärern desselben von Dr. A. Roemer, I. — Leipzig B. G. Teubner, 1902 (196 p., 8 M).

Venit nuper — aliquot hebdomadibus postquam in lucem prodiit — in manus meas liber, cuius titulum supra exscripsi. Quem statim acceptum ea animi intentione coepi perlegere, qua quin dignus esset nomen scriptoris dubitare me non sinebat. Nec spes me fefellit. Inveni enim multa sagaciter indagata, prudenter exposita, feliciter emendata; e. g.: „*⟨ὡς⟩ Πλάτων ἐν Νήσοις* pro *ἐν Πελοποννήσῳ*" (p. 80), „*οὐχ ἱμάτια, ἀλλὰ ⟨τρίβωνας οὓς ὁ ποιητὴς διὰ τὴν βραχύτητα σκώπτων λέγει⟩ κράσπεδα στεμμάτων* (= Troddeln aus Wolle)· *τοιούτους* (für *τοιαῦτα*) *γὰρ Φοροῦσιν οἱ Λάκωνες*" (p. 90), „*οὐδὲ ὅλον* pro *οὐδὲ ὀλίγον*" (p. 186). Libenter autem mea facio quae scripsit ille pag. 5: „die Scholien „zu den Stücken des Aristophanes können in weitaus überwie„gender Zahl nur auf der Grundlage der im Venet. vorliegenden „recensio ediert werden; wir haben viel, um nicht zu sagen „Alles verloren, wo uns diese Führung fehlt". Qualia et ego aliquando perhibui [1]) et perhibuit van IJzeren meus [2]), et ante nos docuerat Zacher, et alii multi ante Zacherum aut dixerunt

1) Vid. Mnemos. 1896 p. 334 sq.

2) Mnemos. 1900 p. 176—200 et 298—328. Videatur etiam eius dissertatio De vitiis quibusdam principum codicum Aristophaneorum, 1899.

Digitized by Google

aut senserunt [1]); nam fieri vix potest quin is qui sedula cura in scholiorum Aristophaneorum farragine aliquantisper versetur, mox scholia Veneta exilibus Ravennatis notulis anteponere discat, cum videat illis inesse priscae doctrinae multa ramenta pretiosissima, has pueris solis utiles esse posse, saepe autem ne his quidem prodesse. Quapropter infinitam curam, quam Rutherford soli Ravennati impendit, et antehac miratus sum et nunc cum Roemero miror.

Gaudebam igitur hoc socio reperto, et cum Praefationem perlegens viderem consilium ei esse ἐν παρέργῳ τῆς ὁδοῦ „die „vornehm auftretende Scheinexegese, den üblichen Hokuspokus „mit leeren Zitaten, das ganze matte Strohfeuer eines ‚ganz „Modernen' in das rechte Licht zu stellen", nomen hominis quem dicebat curiosius circumspexi. Quis erat? Ego eram.

Indignari tum coepi; fateor. Sed mox aequum recuperavi animum et expertus sum facilius ignosci iniuriis quarum causam perspicias. Nempe haud levi profecto crimine peti me vidi; quod si meruissem, optimo iure exploderer ab omnibus quibus litterae nostrae et ipsa pietas sunt cordi. Credidit vir doctissimus me Aristophanem Byzantium, Aristarchum, alios fortasse artis philologicae heroas vocasse „semidoctos homines"; quapropter me ipsum potius istiusmodi cognomine dignum et verae doctrinae infestum ratus omnimodis insectandum duxit. „Hic niger est, hunc tu Germane caveto!" — Ego vero ex animi sententia ei assentior: talia si quis perhibeat, procul is facessat a coetu philologorum et aniculis suas cantillet naenias! At ... nihil eiusmodi deliqui equidem, et miror unde tandem Roemero viro acutissimo et doctissimo tale quid in mentem venire potuerit.

Nempe istas tragoedias moverunt quaedam mea verba in Vesparum editione p. 162, quo loco demonstratum ibam in scholio ad Vesp. 191 enarrari argumentum fabulae Archippi: „verbum *Φασί*, unde narrandi initium fecit scholiasta, in men„tem nobis revocat alias eiusdem farinae narratiunculas, quae „ex comicorum pulpitis, ubi natae fuerant, AB HOMINIBUS SEMI„DOCTIS in historiam politicam vel litterariam sunt detrusae; „reputemus modo qualia commenta de belli Peloponnesiaci

1) E. g. Dindorf: „Ravennas ... de scholiis Alexandrinis passim omisit quae ad explicandas poetae sententias minus necessaria esse viderentur".

Digitized by Google

„causis, de Aeschyli morte, de Sophoclis dementia, de Euripide „a mulieribus capitis damnato, apud veteres circumferantur; „qualia ubi referuntur, praemitti solet illud φασί, quod qui „sapit ita accipit ut „fabulam sibi narrari" statim suspicetur".

Haec tum scripsi et recte scripsisse etiamnunc mihi videor. Quid quod ipsum Roemerum habeo assentientem. Qui licet egregie improbet quae illic de Archippo et Demosthene disputavi, in damnando certe illo scholio plane mecum facit.

Quae vero contumelia ibi priscis doctisque grammaticis infertur? ubi Aristophanis Byzantii nomen? ubi Aristarchi? „Die „Menschen kennen einander nicht leicht!" — ut Goethii verbis utar. Spes est fore ut paullo placidius posthac de me sententiam ferat Roemer; si omnino de me sententia ferenda videatur; nam minime malignum aut iniquum esse virum probe scio, et vel nunc compluribus locis sui libri ultro prolocutus est me verum vidisse. Fortasse etiam socium, potius quam adversarium aut reum agnoscet me aliquando. Ego certe gavisus sum cum viderem acerrimum hunc hostem, dum impugnare me et profligare sibi videtur, revera opem mihi ferre, — immo opem ferre comico illi, quem pari amore amplectimur ambo. Les amis de nos amis sont nos amis!

Cuius rei luculentissimum iam exhibebo exemplum.

De Ranarum versibus 1109 sqq. apud Roemerum p. 66 haec invenio: „sicherlich hat der alte Erklärer, der ... die Worte „schrieb: ἐν εἰρωνείᾳ ταῦτα (Ran. 1114), den Dichter besser „verstanden als sein neuester Erklärer Leeuwen, der zur Stelle, „wie in der Praefatio, eine Auffassung vertritt, für welche er „doch wohl den Preis der Originalität nur dadurch retten kann, „dass er den einspruchslosen Beweis erbringt für das Gegenteil „der Wirklichkeit". Cuiusmodi certamina cum minime soleam appetere, praemio quod ἐν μέσῳ κεῖσθαι ille ait ut potiri possem verebar; at mox intellexi σὺν θεοῖς ἔτι καλήν μοι εἶναι ἐλπίδα τῆς νίκης. Sic enim pergit: „... das Gegenteil der Wirklichkeit, „nämlich den äusserst niedrigen litterarischen Bildungsstand des „Durchschnitts-Atheners, wie er in allen diesen Komödien uns „förmlich greifbar entgegentritt" [1]). — Videmus quid perhibeat

1) De eadem re fusius scripsit Roemer in Actis Academiae Bavar. XXII, 1.

Digitized by Google

Roemer: minime tam cultos fuisse Athenienses Aristophanis aetate quam saepe a multis fuerint dicti; cuiusmodi laudes effusas salse dein ridet. At ... id ipsum et ego statueram, quaeque de Dionysi in Ranis partibus apud Roemerum mox leguntur, ea quoque similia sunt meis ipsius verbis (Proleg. Ran. p. XV sq.). Itaque felicem concordiam nunc certe inter nos regnare dixeris potius quam acre illud dissidium; non enim „contrarium veri" sive aegrae mentis somnia meae qualicunque explicationi substructa videri, sed id quod ipso Roemero iudice certum sit atque exploratum. Sed videor minus simplicibus perspicuisque verbis usus esse quam ipse Roemer, quoniam tam male intellexit quae scripseram.

Quid vero est quod de Ranarum illo loco perhibui? Taedium ne pariam legentibus, paucissimis verbis nunc repetam quae fusius olim exposui. Tunc cum primum data est illa fabula, nimis docta visa est multis spectatoribus, quibus non tanta esset in re litteraria peritia ut creberrimos locos, quos ex Aeschylo et Euripide comicus attulerat vel riserat, extemplo agnoscere et suo pretio aestumare possent. Quapropter comicus tum cum fabula iterum in scenam est prolata — *ἀνεδιδάχθη γάρ* teste Dicaearcho — haec inseruit: „nunc certe „nemo vestrum non intelleget nostros iocos, nam exemplaria „fabulae divendita iam et in omnium sunt manibus". — Quod *„ἐν εἰρωνείᾳ"* eum dixisse libenter credo scholiastae; non enim serio sed iocans contendit spectatores suum sibi quemque fabulae exemplar emisse apud bibliopolam et intentissima mente domi perlegisse priusquam theatrum intrarent, nunc autem manibus suis illa exemplaria tenentes assidere. Talia perhibens comicus se ipse lepide more solito collaudat.

Quae loci vexatissimi explicatio et antehac haud indigna mihi videbatur quae eruditis commendaretur, et nunc, postquam Roemer invitus — certe inscius — ei firmius etiam substruxit fundamentum, tantum non confido certam esse et plurium mox assensum laturam.

Nunc pauca dicenda videntur de crimine illo „den Hokuspokus ungehöriger Zitate". Quod quo potissimum spectaret cum dubitarem, tandem (p. 68 sq.) vidi me ad locutionem *„μὰ τὸν*

Digitized by Google

κύνα", Vesp. 83, attulisse alios comicorum locos quatuor, ubi iocose sic iuratur. Si quis autem dicat addere me debuisse Cratini quoddam fragmentum (fr. 231), assentiar; inutiles vero hos locos cur dicat Roemer, videat ipse. Vereor autem ut scholii verba: „οὕτως διὰ δεισιδαιμονίαν ὤμνυον" tanti sint pretii quanti ille putat. Cuius verba si satis intellexi, arbitratur Xanthiam servum iurandi hac formula ad deridendum Nicostratum nunc uti, qui ipse solitus sit sic iurare, ἅτε δεισιδαίμων τις ὤν. Non obloquor, sed — dubito.

De scholio Vesp. 4 apud Roemerum p. 63 sq. haec lego: „das Scholion lautet κνώδαλον: κυρίως ἐπὶ τοῦ θαλασσίου θηρίου, „εἴρηται δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ χερσαίου κνώδαλον παρὰ τὸ κυσὶν ἁλίσκεσθαι. „Dasselbe begleitet Leeuwen mit folgender geistvollen Bemer„kung: „Absurdam, quam scholia praebent, originationem (παρὰ „τὸ κυσὶν ἁλίσκεσθαι) peperisse videtur Homeri versus ρ 317". „Leider wieder ein weiterer trauriger Beleg von dem „Damnant „quae non intellegunt"! Hätte Leeuwen das Scholion zu Lys. „477 angesehen, so hätte er wohl auch erkannt, dass hier „emendiert werden muss παρόσον κυσὶν ἁλίσκεται (nämlich in „dem Homer. Verse ρ 317). Also keine Spur von einer Etymo„logie".

Egone igitur damnavi quae non intellegebam? Immo Roemer verba tradita damnavit, nam corrigenda duxit. Nondum autem persuasum mihi est eum iure mutasse, neque satis intellego verba sic mutata.

Nempe haec est res. Sicubi κνώδαλον vox rarior occurrit, appingi solet notus ille Homeri locus, ubi canis Argus dicitur quodlibet κνώδαλον cursu olim fuisse assecutus; dein de origine vocis aliquid solet addi. Sic in scholiis ad [Platonis] Axiochum, ubi cadaver εἰς εὐλὰς καὶ κνώδαλα μεταβάλλειν dicitur, scholion ait κνώδαλα proprie esse κινώθαλα sive τὰ ἐν ἀλὶ κινούμενα, et Lysistratae illo loco item dicuntur τὰ ἐν τῇ ἀλὶ κινούμενα. Quapropter minime miror equidem quod nostro quoque loco indicatur etymon: magis mirarer si de ea re taceretur. Quam originationem quod dixi absurdam, non vereor ne quis contra dicat; sed nihilo est absurdior quam sunt illae παρὰ τὸ ἐν θαλάττῃ vel ἐν τῇ ἁλὶ κινεῖσθαι vel etiam κνώσσειν, — nam id

Digitized by Google

quoque interpretes excogitarunt, — et Homeri certe illi versui, ubi de animalibus *terrestribus* est sermo, melius est accommodata. Omnem denique dubitationem eximunt verba Eustathii bis idem referentis: *τὸ κνώδαλον, εἴτε ὑπὸ κυνῶν ἁλίσκεται εἴτε κνώσσει ἐν τῇ ἁλί, πλεονασμὸν ἔχει τοῦ δ* (p. 106, 25 sq.) et: *κνώδαλον νῦν τὸ χερσαῖον παρὰ τὸ ὑπὸ κυνῶν ἁλίσκεσθαι. ὁτὲ δὲ καὶ ἐπὶ θαλασσίου θηρίου κνώσσοντος ἐν τῇ ἁλὶ λέγεται ἡ λέξις* (p. 1822, 38 sq.).

Itaque si quis vituperare velit quae ad Vesp. ll. annotavi, dicat nimis dubitanter me esse locutum; scribere enim me debuisse: „originationem peperit Homeri versus", non: „peperisse videtur". Quid vero meis verbis illis aut „ingeniosi" inesse videri possit cuipiam aut insulsi, id me fugere ingenue fateor.

Aliud est quod magis etiam bilem Roemero movit: saepius tacuisse me in commentariis de rebus quae fuissent explicandae. Qualia quin hic illic peccaverim minime dubito, cum praesertim dictu sit difficile quid singulis locis annotandum, quid ipsorum lectorum sagacitati relinquendum sit, et alia aliis videri soleant intellectu difficilia vel commemoratu digna. Quod autem scribit Roemer, honesti esse interpretis locos molestos non tacite praetermittere, sed ingenue profiteri si quid nesciat vel non intellegat, id meum facio, immo dudum feci, nam sic soleo. Sed quid tandem tacendo deliqui Vesp. 961? Ubi Philocleon de cane reo: *„utinam ne litteras quidem didicisset, non enim potuisset defensionem conscribere!"* exclamat truculenter, ut eius est mos. Quod genus dicendi aemulatus Roemer sic in me invehitur (pag. 104): „An einer solchen Stelle das Verfahren unserer „modernen Exegeten zu beobachten — ist belehrend, wenn „auch sehr betrübend". ... „Leeuwen hat sich vollständig — „ausgeschwiegen. Daher der Name commentarius perpetuus. „Wir wollen auf denselben Boeckhs bekanntes Wort nicht an„wenden, hingegen bin ich mit Blass ganz entschieden der „Meinung, dass ein solcher commentator es ausdrücklich sagen „muss, wenn er etwas nicht weiss". — Dein bonae frugis quaedam addit, quae minime aspernabor equidem, licet minus benevole nunc offerantur; sed huc quomodo ea omnia faciant non video. Quod vero commisi flagitium, gravius etiam id esse

Digitized by Google

sentio quam ipse putet Roemer; nam non solum nescire aliquid nunc videor, sed etiam nescio quid tandem nesciam.

Vs. 1126 sqq. *Pretiosam vestem* — Philocleon ait — *induere nolim;*

καὶ γὰρ πρότερον ἐπανθρακίδων ἐμπλήμενος
ἀπέδωκ' ὀφείλων τῷ κναφεῖ τριώβολον.

Haec obscura cuiquam fore non putavi. „*Et olim*", — senex ait — „*cum pisciculis me implessem, fulloni trinummum solvi*", — pro causa ponens effectum. Scilicet nummos solvere gravius aliquanto ducit damnum quam *vestem maculasse*, nam hoc est quod significat. Quid Roemer (p. 112)? — „Nach unserer Auffassung „ist ἐπανθρακίδων ἐμπλήμενος in diesem Zusammenhang gar nicht „oder doch sehr schwer zu deuten. Leeuwen hat das nicht ge„stört, und er verliert gerade über diesen wichtigen Punkt „kein Wort, — „ut eius est mos". Er meint: „si quis autem „parum intellegat, quid tectis verbis senex nunc significet, „inspiciat Eccl. 347, ubi apertiora extant". Dein Roemer probatum it veram esse scholiastae explicationem: „καταστάξαντος ζωμοῦ ἐπὶ τὸ ἱμάτιον", cui cum parum conveniat participium ἐμπλήμενος, quod habet textus traditus, ex Athenaeo hanc lectionem recipiendam esse:

καὶ γὰρ πρότερον δὶς ἀνθρακίδων ἅλμην πιὼν
ἀπέδωκα κτἑ.

Quam lectionem et Lennepius olim commendavit (ad Coluthum p. 18). Equidem his non utar et de quaestione quantumvis gravi tacuisse etiamnunc satius duco quam sic disputasse.

Tertium huius rei exemplum habemus pag. 93. Philocleon „*alii rei*" — ait — „*fabulas nobis narrant, alii Aesopi aliquem „iocum*" (Vesp. 566). Equidem in commentario indicavi ceteros locos, ubi Aesopi apud nostrum fit mentio. Satisne innocenter? Minime, vide modo apud Roemerum (pag. 93) qualia Leeuwen, ὁ ἀκέφαλος ἐκεῖνος, nunc quoque designaverit: „wieder eine neue „und leider weit verbreitete Eigenschaft moderner Exegese lernen „wir nun hier kennen zu Vesp. 566:

οἱ δὲ λέγουσιν μύθους ἡμῖν, οἱ δ' Αἰσώπου τι γέλοιον.

„Die Erklärung hat Leeuwen kurz abgemacht mit: „Aesopi

Digitized by Google

„fabulam, cf. vs. 1401, 1446 Pac. 129 Av. 471, 651". Dadurch „ist natürlich der Leser so klug wie zuvor, und jeder unserer „Seminaristen würde uns sagen, nicht *Αἰσώπου τι γέλοιον* ist, „was der Erklärung bedarf, sondern *μύθους*".

Hoc igitur est quod dicere debueram: nescire me quasnam fabulas aliquando Philocleoni narraverint rei. Hanc tamen neglegentiam etiamnunc corrigere fortasse licebit. Quapropter palam iam apertisque verbis proloquor me id nescire. Sed suspicor ne ipsum quidem Roemerum pro certo dicere posse cuiusmodi illae fuerint narratiunculae.

Unum locum addam. Aptum sensum non praebere Nubium versum 559:

τὰς εἰκοὺς τῶν ἐγχέλεων τὰς ἐμὰς μιμούμενοι,

frustra enim in scholiis afferri Equitum locum, ubi demagogi assimulantur piscatoribus in turbida potissimum aqua piscantibus, in editione mea observavi, neque aliter nunc sentio. Sed quod tunc — veluti ad incitas redactus — suspicabar, *spurium* esse illum versum, id nunc ita velim immutatum ut de sola voce *τῶν ἐγχέλεων* valeat. Nam *imagines suas* ab aemulis sibi surripi, id dicere comicus potuit aptissime, et tum demum absurda haec fiunt cum additur illud *anguillarum*. Itaque deleto glossemate *τῶν ἐγχέλεων*, quod lectori videtur deberi illum Equitum locum nunc respici putanti, quaeramus aliquid quo lacuna probabiliter expleri possit. Res autem dubia, sed nihil quod merito possit vituperari hic habet versus:

τὰς εἰκοὺς ⟨καὶ τὰς ἰδέας⟩ τὰς ἐμὰς μιμούμενοι.

Nempe ego — poeta dixerat —

ἀεὶ καινὰς ἰδέας εἰσφέρων σοφίζομαι,

nunc — si verum sum assecutus — addit: *at isti cum imagines tum inventa quae vobis offerunt aliunde duxerunt.*

Facilius certe sic intellegam locum, quam si Roemerum (p. 22) secutus in scholio scribam: „*ἀντὶ τοῦ τῶν Ἱππέων* (nicht *λέξεων*) *εἰπεῖν ἐγχέλεων ἔφη*" et ipsa comici verba sic reddam: „die in meinen Rittern vorgestellten Muster". Quod quomodo e verbis traditis efficiat, videatur apud ipsum.

Nam finis est faciendus, ne molestus fiam lectoribus. Vel haec

Digitized by Google

autem invitus protuli; malebam enim ad crimina prolata tacere, „ut meus est mos", quoniam utilius duco ipsis veteribus impendere quicquid temporis vel acuminis suppetat, quam cum aliis philologis digladiari. Sed posci nunc me sensi, certe putavi: IMPIETATIS enim insimulabar. Ceteros locos, quos tetigit Roemer, placide confabulando cum eo transigerem libenter, si possem, modo redargui me patiens, modo si fors ferret redarguens ipsum. Sed vitae nostrae rationes quoniam id non sinunt, feci quod potui. Utinam ne frustra!

ARISTOPHAN. EQ. 504 SQQ.

ὑμεῖς δ' ἡμῖν προσέχετε τὸν νοῦν
τοῖς ἀναπαίστοις,
ὦ παντοίας ἥδη μούσης
πειραθέντες καθ' ἑαυτούς.

Nuperrime in Class. Rev. 1902, p. 8 sq. A. W. Verrall contendit verba obscura καθ' ἑαυτούς, virgula separata a participio πειραθέντες, iungenda esse cum verbis τοῖς ἀναπαίστοις, ut significetur τοῖς καθ' ἑαυτοὺς ἀναπαίστοις, quod quid sibi velit non optime equidem intellego, ut mittam ita opus esse repetito articulo τοῖς καθ' ἑαυτούς. Sed optime ea verba se habebunt si partim cum Leeuwenio, qui Hermanno tetrametrum requirenti iure obsecutus est, scribimus:

ὑμεῖς δ' ἡμῖν πρόσσχετε τὸν νοῦν τοῖς ἀναπαίστοις ⟨ἐπιοῦσιν⟩,
ὦ παντοίας ἥδη μούσης πειραθέντες, καθ' ἑαυτούς,

spreta parum felici, quam ipse Leeuwenius recepit, Deventeri coniectura καθ' ἑορτάς.

Ita enim sententia haec est:

„Vos, qui omnigenam iam experti estis doctrinam, animum (nunc) advertite nobis *nostro marte* prodeuntibus cum anapaestis". Qualia verba egregie conveniunt poetae nunc primum suo marte fabulam committenti in scenam.

H. v. H.

Digitized by Google

OBSERVATIONES CRITICAE

AD

DIONYSII HALICARNASSENSIS

ANTIQUITATES ROMANAS.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

(*Continuantur e pag.* 156).

VII 7 p. 1328: ἀλλὰ πολλὰ ἀγαθά. Scribe κἀγαθά. Sic etiam Dionysio consuetum est dicere, v. c. VII 8 p. 1329, VII 10 p. 1333, alibi.

VII 12 p. 1340. Morbus Romae grassatus est πᾶσαν ἡλικίαν καὶ τύχην καὶ φύσιν ἐρρωμένων τε καὶ ἀσθενῶν σωμάτων ὁμοίως διεργαζόμενος. Nihil huc pertinet fortunae mentio et libenter eiiciam illud καὶ τύχην, cum reperiam IX 67 p. 1932: ἅπασαν ὁμοίως καταλαμβάνουσα καὶ διεργαζομένη φύσιν τε καὶ ἡλικίαν· adeo Dionysius perpetuo eadem eodem modo dicit. Nisi fallor, etiam alibi aliquando confusa vidi τύχην et φύσιν, sed locum frustra quaesivi.

VII 16 p. 1350: παραχωρήσατε αὐτοῖς τῆς ἀγορᾶς ἐν τῷ παρόντι· οὐ γὰρ εἰς τέλος παραχωρήσετε. Malim: παραχωρήσεται. Memento χωρεῖν apud Dionysium futurum habere χωρήσειν, non χωρήσεσθαι.

VII 17 p. 1351: οὐ μὴν ἅπασί γ' εἰσήει καὶ μάλιστα τοῖς

Digitized by Google

πρεσβυτέροις ὀλιγωρία τοῦ πράγματος, ἀλλὰ προσέχειν μή τι ἀνήκεστον ἡ τἀνδρὸς ἐξεργάσηται μανία. Cobetus p. 139 correxit προσεῖχον, Schenkelius προσέχειν ἔδοξε. Equidem malo προσοχὴ corrigere, coll. VII 21 p. 1362: τυχὼν ἐπισημασίας τε μεγάλης καὶ προσοχῆς et VI 85 p. 1236: μεθ' ἡσυχίας καὶ προσοχῆς ἀκούσατε.

VII 17 p. 1353: μή τι ἄλλο κώλυμα γένηται. Requiritur: γένοιτο.

VII 21 p. 1361. Coriolanus ἐφρυάττετο καὶ λαμπρὸς ἦν καὶ προῆλθεν ἐπὶ μήκιστον ἐπιφανείας. Commendare velim: ὑπερηφανίας, sed me quodammodo retinet VII 33 p. 1383, ubi haud dissimile est quod legitur.

VII 21 p. 1362: οἱ τὰς κατὰ τοῦ δήμου γνώμας ἀγορεύσαντες. Necessarium iudico: ἐξαγορεύσαντες.

VII 28 p. 1374: ἡ μὲν ὑπὲρ τῆς σιτοδείας ἀπολογία πάνυ βραχεῖά ἐστιν· praestat ἔσται, sicuti statim sequitur futurum παρεξόμεθα.

VII 28 p. 1374: αἱ ἀποστολαὶ τῶν κληρούχων. Imo: κληρουχιῶν. Negligenter Iacobius Reudlero obsecutus hoc ipsum recte reposuit p. 1372, sed post duas paginas iam oblitus erat.

VII 29 p. 1375: τί παθόντες ἡμῖν ἐγκαλοῦσιν. Satis notam locutionem esse dixeris; coniecit tamen Kiesslingius μαθόντες idque Iacobius operae pretium habuit annotare!

VII 30 p. 1378: τὴν τάξιν ἀνατρέψαι τῆς πατρίου πολιτείας οὔτ' ἠτήσασθε οὔτε μέλλετε. Leve quidem est, sed prorsus necessarium rescribere: οὔτ' ἐμέλλετε, ne pugnent ea quae adduntur: τί οὖν παθόντες ἐπιχειρεῖτε πάντα συγχεῖν ταῦτα νυνί; Si quis etiam dubitat, scito illud ipsum ἐμέλλετε in codice Chisiano extare, qui itidem solus παθόντες non μαθόντες.

VII 33 p. 1383: οὐ γὰρ ὅσον τὰς τιμὰς ... ἔξειν ἔτι τὰς

Digitized by Google

αὐτὰς ὑπελάμβανεν ... ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν ἐσχάτων κινδυνεύσειν. *Non tantum non* Graece dici solet οὐχ ὅπως, etiam apud Dionysium, v. c. VII 63 p. 1460 et 1461, VIII 16 p. 1535. Alibi est οὐχ ὅτι v. c. VIII 26 p. 1559 et VII 38 p. 1396. Οὐχ ὅσον fortasse semel apud eum invenitur; Kiesslingius malebat: οὐ γὰρ οἷον: afferre potuerat IX 53 p. 1889, ubi similiter scriptum est: (τοὺς τρόπους) οὐχ οἷον ὁ βραχὺς οὗτος ἐκπληρώσει κλῆρος, ἀλλ' οὐδ' αἱ σύμπασαι δωρεαί. Sed satius est illud οὐχ ὅσον non tangere.

VII 34 p. 1385: τοιαύτην αὐθάδειαν ἐπεδείξατο λόγων. Lege: λέγων.

VII 34 p. 1387: προσῆν δ' αὐτοῦ τοῖς λόγοις οὐχ ὡς πολίτου δῆμον ἀναδιδάσκοντος εὐλόγιστος αἰδώς, οὐδ' ὡς ἰδιώτου πολλοῖς ἀπεχθομένου σώφρων εὐλάβεια. Plane non video quo pacto πολῖται et ἰδιῶται inter se possint opponi. Qui publicam personam gerunt neque ἰδιῶται sunt et remp. capessiverunt, πολιτεύονται· unde corrigam: οὐχ ὡς πολιτευομένου. Cf. Demosth. Orat. IV adv. Philipp. § 70: τί δὴ γιγνώσκων ... τὸν μὲν τῶν ἰδιωτῶν βίον ἀσφαλῆ ... τὸν δὲ τῶν πολιτευομένων φιλαίτιον ... οὐ τὸν ἡσύχιον αἱρεῖ;

VII 36 p. 1390: τοῦ δήμου τὸ καρτερώτατον μέρος ἐνδοιάζον καὶ οὐκ ἀγαπητῶς δεχόμενον ἀνδρὸς ἐπιφανεστάτου παράδοσιν ἐπὶ θανάτῳ. Legendum: δεξόμενον.

VII 36 p. 1391: ὅ τι δ' ἂν αἱ πλείους ψῆφοι καθαιρῶσι, τοῦτο ποιεῖν. Quam est hoc mire dictum! Redit tamen post breve intervallum eadem locutio VII 39 p. 1397: ὅ τι δ' ἂν αἱ πλείους γνῶμαι καθαιρῶσι. Equidem quid statuam omnino nescio.

VII 36 p. 1392: διαπράσεώς τε καὶ διαθέσεως. Alterum nomen expunctum ivit Cobetus p. 141, cum Dionysius non soleat inepte vocabula prorsus ἰσοδύναμα coniungere nihilque plane intersit inter διάπρασιν et διάθεσιν. Concedo inter haec nomina nihil intercedere discriminis; sed ceterum Cobeto minime assentior,

Digitized by Google

nam, si Dionysium bene novi, solet adeo saepissime in dicendo lacteam ubertatem sectari. Ecce quaedam exempla: VII 29 p. 1376: *συγχέαι καὶ ἀνελεῖν*, VII 37 p. 1393: *εὐώνους καὶ λυσιτελεῖς*, VII 67 p. 1477: *τῆς ὑπεροψίας καὶ καταφρονήσεως*, VIII 2 p. 1507: *ἐκχειρίαι καὶ ἀνοχαί*, quam lectionem ne ipse quidem Cobetus sollicitare ausus est p. 152; VIII 8 p. 1521: *εὐνοίας καὶ πίστεως*, VIII 11 p. 1526: *ἀσχολίας καὶ διατριβάς*, VIII 14 p. 1531: *ταραχὴ καὶ θόρυβος*, IX 70 p. 1938: *θράσους καὶ αὐθαδείας*. Hinc fortasse etiam tueri poterimus vulgatam lectionem VI 62 p. 1182: *διαχεῖ καὶ διαλύσει*, quae itidem Cobeto displicuit p. 126.

VII 37 p. 1394: *τά τε χρήματ' αὐτῶν ὡς πολεμίων δι' ὠφελείας ἔθεντο*. Mihi quidem hoc nove dictum videtur nec carere suspicione. De significatione haud ambigitur.

VII 40 p. 1398: *δι' αἰτίας ἐσόμεθα παρὰ τῷ δήμῳ*. Undenam tandem irrepsit praepositio *παρά*?

VII 40 p. 1399: *ὡς αὐτόμολοι καταγνωσθέντες τὰ αἴσχιστα πεισόμεθα*. Malim cum Urbinate libro: *τἄσχατα*.

VII 42 p. 1403: *ὑμεῖς εἰς τοὺς ἐσχάτους κινδύνους καταστάντες ἀγαπητῶς* (*ἀπηλλάγητε*). Ita editur ex Reiskii coniectura, nam in omnibus libris sine sensu invenitur: *ἐλαχίστους*. Quaero an non verius sit *ἀλγίστους*.

VII 45 p. 1410. Queruntur tribuni pl. se per Coriolanum *ὄνομα μὲν εὐπρεπὲς ἀσύλου ἀρχῆς ἐπὶ χλευασμῷ κείμενον ἔχειν, ἔργον δὲ τῶν ἀποδεδομένων τῇ ἀρχῇ μηδ' ὁτιοῦν πράττειν*. In Urbinate est *ἔργων*, quod ducit ad *ἔργῳ*.

VII 45 p. 1411: *μὴ βιαζόμενος τοὺς κακῶς πεπονθότας, ἀλλ' ὑπερχόμενος ἀξίου σώζεσθαι*. Verum id esse comperies quod verbo dixit Cobetus *Var. Lect.* p. 34 *θωπεύειν* et *πρὸς χάριν ὁμιλεῖν* Attice non *ὑπιέναι* dici sed *ὑπέρχεσθαι*, item *ὑπερχόμενος*, non *ὑπιών*. Tria exempla in promptu habeo: Plat. Crit. p. 53 E: *ὑπερχόμενος πάντας ἀνθρώπους βιώσει καὶ δουλεύων*. (Andocid.) adv. Alcib. § 21: *εἰκότως δὲ μοι δοκοῦσιν οἱ κριταὶ*

Digitized by Google

ὑπέρχεσθαι Ἀλκιβιάδην. Demosth. adv. Aristocr. § 8: συμβέβηκε γὰρ ἐκ τούτου αὐτοῖς μὲν ἀντιπάλους εἶναι τούτους, ὑμᾶς δὲ ὑπέρχεσθαι καὶ θεραπεύειν.

VII 45 p. 1412: γενέσθω σοι παράδειγμα τῆς ἐπιεικείας ἥ χρώμενος ἂν εἴης πρὸς τοὺς ἅμα πολιτευομένους ἀνεπίληπτος τὰ τῶν ἀγαθῶν τούτων ἔργα. Per se recte dicitur ἅμα πολιτεύεσθαι et forte fortuna habes exemplum in vicinia VII 41 p. 1402: ἴσα καὶ κοινὰ τοῖς ἅμα πολιτευομένοις εἶναι δικαιοῦμεν, sed sententia aliud quid flagitat. Hortatur tribunus Coriolanum ut se componat ad exemplum senatorum qui concordiae inter ordines auctores fuissent. Hinc proclive est restituere: πρὸς τοὺς διαπολιτευομένους. Attende modo quid hoc sit διαπολιτεύεσθαι. Etenim dicuntur διαπολιτεύεσθαι qui earundem partium sunt in rep. et de principatu inter se certant; qui diversas partes sequuntur, dicuntur ἀντιπολιτεύεσθαι. Cobeti haec doctrina est *Mnem.* 1858 p. 166.

VI 47 p. 1416: ἐπεκύρουν δὲ τὰς κειμένας ὑπὸ τῶν ὑπατικῶν γνώμας. Scripsissem equidem: τὰς εἰρημένας.

VII 52 p. 1430: οὐθὲν ἂν χαρίσαιτο αὐτῷ πρὸς ἀνδρὸς ἐχθροῦ τὴν ψῆφον ἐπιφέρειν. Coniecit Reiskius: περὶ ἀνδρός, sed verius fuerit κατ' ἀνδρός, quae mutatio propter compendiorum confusionem etiam lenior est.

VII 62 p. 1459: οὐκ εἶχον ὅ τι ἂν ἄλλο ποιῶσι. Fateor me nescire quid ἂν hic significet.

VII 64 p. 1464: χάλῳ δ' ὑπούλῳ καὶ φθόνῳ δυσμενῶν αὐτὴ κατ' αὐτὴν ἡ πρᾶξις ἐξεταζομένη δημαγωγία τις ἐφαίνετο εἶναι. Hic difficile est non suspicari verius esse: δυσμενεῖ. Eurip. Med. 298:

φθόνον πρὸς ἀσῶν ἀλφάνουσι δυσμενῆ.

VII 67 p. 1474: ἄλλο δ' οὐθὲν οὔτε φιλοφρονησάμενος οἷς εἰς τὴν φυγὴν χρήσεσθαι ἔμελλεν ἐξήει κατὰ σπουδήν. Scripta haec fuerunt de Coriolano peregre abituro, sed post φιλοφρο-

Digitized by Google

νησάμενος aliquid excidisse palam est. Itaque Sylburgius inseruit οὔτε λαβών, Reiskius: οὔτ' ἐπιφερόμενος, Sintenisius coll. VIII 41 p. 1602: οὐθὲν οὔτε διοικησάμενος οὔτ' ἐπιςείλας οὔθ' ὅποι πορεύεται φράσας ἀπῆλθεν, interpolavit hoc ipsum: οὔτε διοικησάμενος, quod quum Iacobio haud iniuria minus placeret, quaesivit an forte praestaret: οὔτε κατασκευασάμενος. Hic nihil certi statui potest, sed propter ductuum similitudinem vix quidquam facilius excidere potuit quam: οὔτ' ἐρανισάμενος. Possis etiam cogitare de: οὔθ' ἑτοιμασάμενος, coll. VIII 17 p. 1537.

VII 69 p. 1479: θεράποντα ἴδιον ἐπὶ τιμωρίᾳ θανάτου παραδοὺς τοῖς ὁμοδούλοις ἄγειν. Supervacaneum illud ἴδιον; scribendum: θεραποντίδιον, i. e. *servulum*.

VII 69 p. 1480. Antequam hic servulus cruci affigatur, circumducitur per urbem: οἱ δ' ἄγοντες τὸν θεράποντα ἐπὶ τὴν τιμωρίαν τὰς χεῖρας ἀποτείναντες ἀμφοτέρας καὶ ξύλῳ προσδήσαντες παρὰ τὰ ςέρνα τε καὶ τοὺς ὤμους καὶ μέχρι τῶν καρπῶν διήκοντι παρηκολούθουν ξαίνοντες μάςιξι γυμνὸν ὄντα. *Patibulum*, uti vides, hic describitur et disertus locus addi poterit Cobeti copiis in elegantissima disputatione de discrimine inter crucem et patibulum *Mnem.* 1859 p. 275. Ipse quoque aliquid addidi *Mnem.* 1878 p. 203. Livius II 36 furcam appellat, sed inter utrumque tormentum aliquid interest.

VII 70 p. 1482: εἰ μή τινες ὑφ' ἑτέρων ἐξουσίᾳ ποτὲ γενόμενοι τὰ τῶν κρατησάντων ἠναγκάσθησαν ἐπιτηδεύματα μεταλαβεῖν. Addiscere magis dicitur μεταμαθεῖν· vide quae nuper disputavi *Mnem.* 1900 p. 343. Verbum Dionysius itidem habet VII 71 p. 1483 et VIII 67 p. 1666. Sunt etiam apud eum composita ἀπομαθεῖν et προσμαθεῖν.

VII 72 p. 1492: νῦν δὲ ποιήματ' ᾄδουσιν αὐτοσχέδια. Melius erit: ποιημάτι' ᾄδουσιν. Sic nominavit incondita carmina.

VII 72 p. 1493: οἱ τὰ πομπεῖα παραφέροντες ἀργυρίου καὶ χρυσίου πεποιημένα. Lege: ἀργύρου καὶ χρυσοῦ. Discrimen recte servatum fuit VIII 30 p. 1570 et X 21 p. 2044.

Digitized by Google

VIII 4 p. 1512: *αὕτη γὰρ ἔδοκει ἐν καλλίσῃ κεῖσθαι συνόδῳ ταῖς ἄλλαις ἡ πόλις.* Haec lectio est quam optimi codices repraesentant, sed cum Reiskio equidem scribam: *ἐν καλλίσῳ κεῖσθαι συνόδου*, sicuti scribitur VIII 39 p. 1594: *ἡλικίας ἐν τῷ κρατίσῳ* et IX 7 p. 1754: *κωλύσεως ἐν καλῷ*, alibi, nec sequar Cobetum p. 154.

VIII 5 p. 1512. Aliquid inserendum est: *τυνθάνεσθαι πῶς ἂν ἡ Ῥωμαίων (ῥᾳσα) καταλυθείη δύναμις.*

VIII 8 p. 1520: *τὰ ἑαυτῶν ἀπαιτεῖν καὶ μὴ τυγχάνοντας τούτου πολεμεῖν, ἅπαντες ἂν ὁμολογήσουσιν εἶναι καλόν.* Soloeca oratio est, nec tamen cum Reiskio scribere ausim: *ἅπαντες ἂν ὁμολογήσειαν*, quae nimis violenta mutatio est. Refingam: *ἅπαντες ἄνθρωποι ὁμολογήσουσιν.* Sequenti pag. idem recurrit vitium: *ἀπεγνώκασιν ἄλλως ἂν ἔτι αὐτὰ ἢ πολεμοῦντες οὐκ ἀπολήψεσθαι*, sed locus misere habitus est; cum *οὐκ* in Urbinate a sec. manu sit et sequiores *ἀπογνῶναι* cum futuro coniungant, satis habuit Cobetus *ἂν* et *οὐκ* eliminare. *Stulta* haec correctio est secundum Iacobium! Ne Cobetus, haec dum senescens tremula manu scribebat, verum assecutus sit: — nos enim novimus quam mature defloruerit — tamen aegre ferimus si quis eius Manibus proterve illudat.

VIII 11 p. 1526: *ἐγὼ καὶ Τύλλος ἔργου ἐχώμεθα.* Lege: *ἐξόμεθα.*

VIII 12 p. 1527: *τοῦτο γὰρ ὑπὸ τοῦ Μαρκίου παρηγγέλλετο τοῖς Οὐολούσκοις.* Multum praestat quod olim legebatur: *παρήγγελτο.*

VIII 14 p. 1540: *οὐ γὰρ ἔτυχε παρὼν ἐν ᾧ χωρίῳ τὸ πάθος ἐγένετο.* Solus Urbinas insertum habet illud *χωρίῳ*· equidem praeferam: *ἐν ᾧ χρόνῳ.*

VIII 21 p. 1549: *χαλεπὸν γὰρ ἦν ἀπόρρητον γενόμενον αὐτῆς τὸ βούλευμα συμβαλεῖν.* Pessime additum illud *ἦν*· qui interpolavit, locum non intellexit.

Digitized by Google

VIII 23 p. 1553: ἀξιοῦμέν σε διαλύσασθαι τὴν ἔχθραν. Sic olim recte edebatur, sed Iacobius inconsiderate ex Urbinate arripuit διαλύσεσθαι.

VIII 24 p. 1553: ταύτην αὐτὸς ὑπέμεινας ἀπολογήσασθαι τὴν αἰτίαν. Legendum: ἀπολύσασθαι, vide supra ad VI 81 p. 1225.

VIII 26 p. 1562: δεινὴ γὰρ ἡ ἀνάγκη καὶ ὁ περὶ τῶν ἐσχάτων κίνδυνος ἱκανὸς θάρσος ἐνθεῖναί τινι καὶ μὴ προϋπάρχον Φύσει. Cobetus p. 159 recte delevit id quod est ἱκανός, sed ipse immemor videtur fuisse eorum quae scripserat *Mnem.* 1858 p. 3: „*terrorem incutere* dicitur Φόβον ἐνιέναι, non ἐντιθέναι, quo verbo utuntur de iis quae animo firmiter inhaerent et non elabuntur, ἐντιθέναι νοῦν, Φρένας, ἐπιστήμην, λόγον, ψυχήν sim. In quibus autem *celeritatis* quaedam notio inest, quae repentino impetu animum ferit, in iis ἐνιέναι poni solet. Μένος καὶ θάρσος ἐνιέναι et sic Φόβον ἐνιέναι dicitur, quemadmodum venenatae bestiae ἰὸν ἐνιᾶσιν". Hinc sequi dixeris etiam apud Dionysium reponendum esse: θάρσος ἐνεῖναι. Iam Homerus:

καί οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἐνῆκεν.

VIII 30 p. 1570: πόλιν ὅλην τίς δύναιτ' ἂν καυχήσασθαι στρατηγὸς ἢ λοχαγὸς ἑλὼν, ὥσπερ ἐγὼ τὴν Κοριολανῶν; Aliquid deest ad integritatem sententiae et supplendum: (αὐτὸς) ἑλών. Praecedens λοχαγὸς fecit ut pronomen excideret.

VIII 30 p. 1371: πότερον ... ἄξιος ἦν ... ὑπὸ τοῖς κακίστοις γενέσθαι τῶν πολιτῶν ἢ τὰ δίκαια τάττειν τοῖς ἥττοσιν; Duo vitia in hisce corrigenda supersunt; alterum Cobetus iam procuravit scribendo: ἐπὶ τοῖς κακίστοις· alterum cuiusmodi sit, existimabis ex iis quae in vicinia leguntur: VIII 32 p. 1576: τῇ πατρίδι πράττων ἡγεμονίαν καὶ ἰσχὺν καὶ κλέος et VIII 34 p. 1582: ἐγὼ μὲν δὴ ταῦτα πράττοντα ἐμαυτὸν τά τε δίκαια πράττειν καὶ τὰ συμφέροντα. Item: IX 9 p. 1762: πράττειν τὴν σωτηρίαν, alia.

VIII 32 p. 1579: τίνα λαβὼν καρδίαν προδοίην ἂν ἔτι τούτους

Digitized by Google

ὑφ' ὧν τηλικαύταις τετίμημαι τιμαῖς; Longe praeferam: τοὺς ὑφ' ὧν· pariter in iis quae proxime sequuntur: τοὺς μὲν φίλους ὑφ' ὧν εὖ πάσχειν μοι προσῆκε, πολεμίους εὑρών, τοὺς δ' ἐχθρούς, ὑφ' ὧν ἐχρῆν με ἀπολωλέναι φίλους, Cobetus eiecit φίλους et ἐχθρούς, quae vocabula inepte abundant.

VIII 36 p. 1587: πεπυσμένος ὅτι μέλλοι τις ἐκεῖθεν ἐπικουρία Ῥωμαίοις ἀφικέσθαι. Immo: ἀφίξεσθαι.

VIII 36 p. 1589: ἐὰν μὲν ἀπέλθωσιν αὐτῶν ἐκ τῆς χώρας Οὐολοῦσκοι. Longior est sententia quam ut hic exscribatur; vides tamen otiosum esse αὐτῶν. Contextus commendat: αὐτόματοι.

VIII 39 p. 1594: ἔθεον ἐπὶ τὰ τεμένη τῶν θεῶν ὀλοφυρόμεναί τε καὶ προκυλιόμεναι τῶν ξοάνων. Hic dixerim multo rectius fore: ἔθεον περὶ τὰ τεμένη, sicuti v. c. apud Polybium est IX 6. 3: περιπορευόμεναι τοὺς ναοὺς ἱκέτευον τοὺς θεούς, πλύνουσαι ταῖς κόμαις τὰ τῶν ἱερῶν ἐδάφη. Sed vulgata lectione acquiescendum erit propter VIII 22 p. 1550: λελυμέναι τὰς κόμας ἐπὶ τὰ τεμένη καὶ τοὺς νεὼς ἔθεον ὀλοφυρόμεναί τε καὶ δεόμεναι τῶν θεῶν. Scrupulus tamen remanet.

VIII 39 p. 1594: ὑπέσχετο μίαν εἶναι σωτηρίας ἐλπίδα. Intelligam: προέσχετο.

VIII 40 p. 1597. Verba sunt Valeriae ad Veturiam, quae Iacobius ita edidit: παραλαβοῦσα μετὰ σεαυτῆς Οὐολυμνίαν τε τὴν ἀγαθὴν γυναῖκα καὶ τοὺς παῖδας αὐτῆς καὶ τὰς ἱκέτιδας ἡμᾶς φερούσας τὰ νήπια ταυτὶ καὶ αὐτὰς γενναίας ἴθι πρὸς τὸν υἱόν. Hanc Iacobius scribit suam esse coniecturam, cum in omnibus libris sit: νήπια καὶ ταυτὶ τὰς γενναίας ἴθι. Neque hoc equidem probo, neque id quod Sintenisio in mentem venit: νήπια ταυτὶ ἴθι, ὦ γενναία, ἴθι. Nescio unde Sylburgius habeat: φερούσας τὰ νήπια καὶ ταυτασὶ τὰς γενεάς, sed undecumque habet, est ea potior lectio. Distinguitur inter infantes quos matres sinu gestabant ὑπαγκαλίους et puerulos qui sequebantur non passibus aequis, nam hos quoque ἐπηγάγοντο VIII 39 p. 1595.

Digitized by Google

VIII 44 p. 1608. Appropinquant matronae ad castra Volscorum, *οὔτ' αἰδοῦς ἔτι τῆς ἁρμοττούσης γυναιξὶν ἐλευθέραις καὶ σώφροσι προνοούμεναι, οὔτε κινδύνων λαβοῦσαι δέος.* Hoc quidem recte; sed post participium *προνοούμεναι* librarii inutiliter interpolarunt: *τὸ μὴ ἐν ἀνδράσιν ἀσυνήθεσιν ὁρᾶσθαι.*

VIII 44 p. 1609: *τοὺς πελέκεις οὓς προηγεῖσθαι τῶν στρατηγῶν ἔθος ἦν.* Dele postremam voculam, nam imperfectum molestum est. Diserte Dionysius addit morem etiam ad sua usque tempora perduravisse.

VIII 47 p. 1616: *οὐθενὸς ἔτι μοι δεήσει τῶν ἀνθρωπίνων ἀγαθῶν.* Scribe: *οὐθὲν ἔτι μοι ἐνδεήσει.* Vide quomodo Reiskius et Cobetus correxerint VIII 16 p. 1534.

VIII 48 p. 1617: *ὅσα μήτε τὸ ἀδύνατον μήτ' ἄλλη τις ἀδοξία προσπεσοῦσα κωλύσει.* Iacobius hanc lectionem e Chisiano assumsit, sed mihi non peior videtur vulgata lectio, quae etiam in Urbinate invenitur: *προσοῦσα.* In vulgus notum esse arbitror quomodo et quo sensu *προσεῖναι* et *ἐπεῖναι* inter se opponantur.

VIII 51 p. 1625: *ἐμὸς ἅπαντα τὸν χρόνον ἔσῃ καὶ πρώτῃ πάντων τὰς τοῦ βίου χάριτας ὀφειλήσεις ἐμοί.* Stulte hoc dictum est; requiro: *πρὸ πάντων.*

VIII 51 p. 1627. Verba sunt matris ad Coriolanum: *ἐπειδὴ δ' εἰς ἄνδρας ἦλθες, ἐξόν μοι τότε ἀπηλλάχθαι τῶν Φροντίδων ἑτέρῳ γημαμένην καὶ ἕτερα τέκνα ἐπιθρέψαι καὶ πολλὰς γηροβοσκοὺς ἐλπίδας ἐμαυτῇ καταλιπεῖν, οὐκ ἠβουλήθην!* Quam parum hoc est ad nostrum palatum! Quam ridicule enunciatum! Quantumvis velis, ad talia non poteris non subridere.

VIII 53 p. 1630: *οὐ γὰρ ἀνέξεται Οὐετουρία τὴν δεινὴν καὶ ἀνήκεστον ὕβριν ... ὑβρισθεῖσα τὸν ἐλάχιστον βιῶναι χρόνον, ἀλλ' ἐν τοῖς ἁπάντων ... ὄμμασιν ἐμαυτὴν διαχρήσομαι.* Cobetus p. 165 corrigere voluit *ἀνέξομαι*, sed non assentior. Solemus saepe de nobismet ipsis, dum incipimus loqui, usurpare tertiam personam,

Digitized by Google

sed post pauca, redimus ad primam personam: natura hoc nos docuit. De eo argumento pluribus egi *Mnem.* 1882 p. 5 et indicavi praeterea aliquot poetarum Latinorum locos, quia *ἀναντιλεκτότεροι* sunt. Ceterum post pauca est in Iacobii editione molestum typothetae vitium *ποιήσετε* pro *ποιήσειε*.

VIII 57 p. 1644: *οὐ γενησόμενα εἰκάζων γενησομένοις*. Haec merito Stephano displicuerunt, qui *γεγενημένοις* vel *γενομένοις* coniecit. Quid sit verum, effici posse credo ex IX 43 p. 1859: *κατὰ τὸ εἰκὸς τοῖς γεγονόσιν ἤδη τὰ μέλλοντα εἰκάζειν ἠξίου*, unde emicat satis verosimilis scriptura: *οὐ γενόμενα εἰκάζων γενομένοις*.

VIII 58 p. 1645. Non concoquo: *λόγον ἀξιῶν ἀποδοῦναι πρότερον τῶν πεπραγμένων ... ἔπειτα ἀποθήσεσθαι τὴν ἀρχήν*, nam aoristus *ἀποθέσθαι* propemodum necessarius est.

VIII 59 p. 1648: *ἔθεσαν ἐπὶ τὴν παρεσκευασμένην πυράν*. Arridet: *προπαρεσκευασμένην*.

VIII 61 p. 1651: *τοῖς γὰρ δημόταις εἶκειν τὰ μέτρια δέον καὶ ἐφιέναι τι ταῖς ἐπιθυμίαις καὶ τὰ πρῶτα φέρεσθαι παρ' αὐτοῖς*. Intelliges demum si correxeris: *ὡς τὰ πρῶτα*. Nota est illarum vocularum confusio.

VIII 68 p. 1672: *ἕως δ' ἂν ταῦτα εὐπορήσωσι, τάξας τινὰ χρόνον ἡμερῶν ἀνοχὰς αὐτοῖς ἐδίδου τοῦ πολέμου*. Hic fuerunt quibus displiceret verbum *εὐπορήσωσι*· Kiesslingius commendavit *συμπορίσωσι*, Provius *πορίσωσι*· sed frustra fuerunt, nam vocabulum est bonae notae optimo cuique usurpatum. Docta est disputatio Lobeckii ad Phrynichum p. 595, qua luculenter evincitur non esse verbum *εὐπορίσαι*, quod Casaubonus iam damnarat, sed *εὐπορῆσαι*. Significat autem non solum *abunde habere*, sed etiam *suppeditare*. Dabo quaedam exempla quae collegit Lobeckii industria. Plat. Legg. XI p. 918 C: *ἐπικουρίαν ταῖς χρείαις ἐξευπορεῖν*. Demosth. p. Phorm. § 57: *χρήμαθ' ὑμῖν προσευπορηκώς*. Demosth. adv. Apatur. § 6: *τριάκοντα μνᾶς ἐδεῖτό μου συνευπορῆσαι*. Demosth. Cherson. § 19: *συνευποροῦντας ἐκείνῳ*

Digitized by Google

χρημάτων. Dem. adv. Boeot. de dote § 36: ἄλλοθεν χρήματα εὐπορήσας. Dem. adv. Neaer. § 72: συνευπορήσας ἀναλωμάτων. Omitto alios locos, nam aperta res est. Nec tamen apud Dionysium sincera lectio est, nam in Urbinate codice praecedit rasura duarum triumve literarum, unde facile est suspicari scriptum fuisse olim: εἰσευπορήσωσι. Compositum εἰσευπορεῖν, fateor, non nisi ex Diodoro Siculo enotatur, et tamen certam fidem habet; etenim προεισευπορεῖν omni suspicione vacat. Isaeus usurpavit in Oratione pro Eumathe eumque locum descripsit ipse Dionysius de Is. Iud. c. 5: ἀνθ' ὧν ἐγὼ σωθεὶς ἐχρώμην αὐτῷ ἔτι μᾶλλον καὶ κατασκευαζομένῳ τὴν τράπεζαν προεισεπόρησα ἀργυρίου. Cobetus *Mnem.* 1856 p. 290 hunc locum contulit cum iis quae invenerat in inscriptione nuper effossa: ἐπειδὴ Ἑρμαῖος — ταμίας γενόμενος πλείω ἔτη εἴς τε τοὺς θεοὺς εὐσεβῶν διατελεῖ καὶ κοινῇ τοῖς δργεῶσιν καὶ ἰδίᾳ ἑκάστῳ εὔχρηστον ἑαυτὸν παρασκευάζων καὶ φιλοτιμούμενος τάς τε θυσίας θύεσθαι τὰς καθηκούσας καὶ εἰς ταῦτα προεἰς, εὐπορῶν, πλεονάκις ἐκ τῶν ἰδίων καί τινι τῶν ἀπογεγονότων — προϊέμενος εἰς τὴν ταφήν — καὶ εἰς τὰς ἀποσκευὰς δὲ προαναλίσκων κτέ. Nempe legendum: προεισευπορῶν et altera lectio alterius auctoritate defenditur. Koehlerus postea inscriptionem recepit in corpus Inscr. Att. II 1 n. 621, sed servavit absurdam scripturam προείς, εὐπορῶν. Contrarium vitium olim commissum fuit Stob. Flor. 97. 17, ubi fragmentum est nescio cuius tragici poetae, est n. 546 apud Nauckium:

ἐγὼ γάρ, εἰ νοῦν εἶχ' ἔμ' ὁ σπείρας πατήρ,
ἡπιςάμην ἂν μουσικὴν παρεισπονεῖν.

Correxit Heathius: παρεὶς πονεῖν. Cf. Valcken. *Diatrib.* p. 71.

VIII 75 p. 1693: τὸ μὴ ϛασιάζον ἐν τοῖς προεϛηκόσι τῶν κοινῶν ἁπάντων ἀγαθῶν ἐν ταῖς πόλεσιν αἴτιον. Nonne praestat τὸ μὴ ϛασιάζειν?

VIII 77 p. 1699: τριῶν μὲν αὐτῷ παίδων μεγάλην παρεχόντων εἰς ἔλεον ἐπικουρίαν. Exspectabam: παιδίων.

VIII 79 p. 1701: οὐκ ἀξιῶ προβεβλῆσθαι τὸν λόγον ὡς ἀπίθανον. Rectius erit: ἀποβεβλῆσθαι.

Digitized by Google

VIII 80 p. 1704: *οἱ τοὺς παῖδας τῶν ἐπικηρυχθέντων ἐπὶ Σύλλα πατέρων ἀφελόμενοι τὸ μετιέναι τὰς πατρίους ἀρχὰς καὶ βουλῆς μετέχειν.* Dele illud *ἐπὶ Σύλλα·* in ea parte historiarum vitat Dionysius nomina propria; sic mox: *τὸ δ' ἔθος εἰς τὸν ἐξ ἀρχῆς κόσμον ὁ τούτους καθελὼν ἀνὴρ ἀποκατέςησε*, neque additur ipsum Pompeii nomen. Itidem VIII 87 p. 1726 vitat scriptor nominare Caesarem, Curionem vel M. Antonium. Quo magis miror diserte Syllae mentionem fieri V 77 p. 1034.

VIII 82 p. 1709: *τὴν λείαν ὅσῃ ἐπέτυχε.* Verius iudico: *ἐνέτυχε.* Cf. IX 22 p. 1800: *ὅτῳ ἄλλῳ ἐντύχοιεν.*

VIII 89 p. 1730: *ἔδοξε μέντοι καὶ λόγος ἦν ἐν τῇ Ῥώμῃ πολύς, ὡς δυναμένη τότε νικᾶν ἡ Ῥωμαίων δύναμις ἐκουσία μηδὲν ἐργάσασθαι λαμπρὸν διὰ μῖσός τε τοῦ ὑπάτου καὶ ὀργήν.* Sylburgius et Kiesslingius impeditam horum verborum constructionem frustra conati sunt expedire, nec res melius cessit Iacobio, qui edidit: *μηδὲν (ἦν) ἐργάσασθαι λαμπρόν.* Latet tamen satis leve vitium: *καὶ λόγος* fiat *ὡς λόγος* et ante *δυναμένη* eiiciatur *ὡς·* iam habebimus sententiam quae apte decurrit: *ἔδοξε μέντοι, ὡς λόγος ἦν ἐν τῇ Ῥώμῃ πολύς, δυναμένη τότε νικᾶν ἡ Ῥωμαίων δύναμις ἐκουσία μηδὲν ἐργάσασθαι λαμπρόν.*

VIII 90 p. 1733. Improprie dictum est: *τοὺς νοσοποιοὺς ἐκ τῆς πόλεως ἐξελεῖν.* Quidni *νεωτεροποιούς*?

IX 1 p. 1740. Hic habemus consulem *ἐπὶ Τυρρηνίας ἄξοντα τὰς δυνάμεις*, quod *ἐπὶ Τυρρηνίαν* dictum oportuit, cf. IX 16 p. 1786.

IX 7 p. 1741. Docet Appius Claudius non esse telum adversus seditiosos tribunos, *ἐὰν μή τις ἕτερος τῶν ἀπὸ τῆς ἴσης τιμῆς καὶ τὴν αὐτὴν ἐξουσίαν ἐχόντων τἀναντία πράττῃ καὶ οἷς ἂν ἐκεῖνος ἐμποδὼν γένηται, ταῦτα κωλύῃ.* Postremum vocabulum corruptum est: prorsus contrarium requiritur itaque Reiskius inserta negatione scribendum coniecit: *ταῦτα μὴ κωλύῃ.* Aliquanto elegantius corriges: *ταῦτα κελεύῃ.*

Digitized by Google

IX 3 p. 1744: τὸν ὕπατον Κλαύδιον ἐπὶ τῇ τυραννίδι προσαγγελλας. Lege: εἰσαγγελλας, quod a Codicibus quoque aliquid commendationis habet.

IX 9 p. 1759: τοῦ τότ' ἄγοντος ὑμᾶς ὑπάτου, ἀδελφοῦ δ' ἐμοῦ τουδί. Post ὑπάτου perperam insertum fuit proprium Caesonis nomen.

IX 11 p. 1766: μέχρι τῶν σπλάγχνων ἐλθούσης τῆς αἰχμῆς. Malim: διελθούσης. Sic p. 1768: διήρεισε τὴν λόγχην.

IX 12 p. 1769: περὶ γὰρ ταῖς πύλαις ὁ ἀγὼν ἦν. Cobetus p. 137 correxit VII 11 p. 1337: οὐδὲ παρὰ ταῖς θύραις πολλήν τινα ... εὗρον Φυλακήν et rescripsit: περὶ τὰς θύρας. Similiter hic malo: περὶ τὰς πύλας.

IX 12 p. 1770: πρὸς ἁρπαγὴν τῶν ἀπολειφθέντων τραπόμενοι. Rectius alibi: καταλειφθέντων, veluti IX 4 p. 1748: τὰς καταλειφθείσας ἐν τῷ χάρακι παρασκευάς. Saepe quoque videas permutata ἐγκαταλειφθῆναι et ἐγκαταληφθῆναι, veluti VI 91 p. 1251, VI 92 p. 1256, IX 16 p. 1787, IX 24 p. 1809, cet.

IX 12 p. 1771: καθ' ὃ μάλιστα τὸ χωρίον ἦν ἐπιμαχώτατον. Nonne delendum μάλιστα? Recte ἐπιμαχώτατον redit IX 68 p. 1935.

IX 15 p. 1581: ὑπάτου συλλαμβάνοντος. Suppleverim: ὑπάτου (αὐτοῦ).

IX 16 p. 1787. Ὁδοῦ πάρεργον Cobetus p. 176 Epinici comici poetae fragmentum quod Athenaeus servavit p. 497 A, ita emendavit:

ἔστι δ' ἐλέφας. Β. (τί φής;) ἐλέφαντα περιάγει;
Α. ῥυτὸν (μὲν οὖν) χωροῦν δύο χόας. (Β. Ἡράκλεις!)
(ῥυτὸν τοσοῦτ)ον οὐδ' ἂν ἐλέφας ἐκπίοι.
Α. (καὶ μήν) ἐγὼ τοῦτ' ἐκπέπωκα πολλάκις.
Β. οὐδὲν ἐλέφαντος γὰρ διαφέρεις οὐδὲ σύ.

Digitized by Google

Hic Cobetus in reliquis me facile habebit assentientem, sed plurimum dubito de illo *οὐδὲ σύ* in fine. Arridet:

οὐδὲν ἐλέφαντος γὰρ διαφέρεις οὐδὲ γρύ.

Cf. Antiphanes ap. Athen. VIII p. 342 E: *ὄψου δὲ μηδὲν μήποτ' εἰσπλεῖν μηδὲ γρύ* et Menander ap. Athen. VI p. 243 A: *διαφέρει Χαιρεφῶντος οὐδὲ γρύ.*

IX 19 p. 1795: *εἰ πάντες ἀπεληλύθεσαν ἐκ τῆς πόλεως καὶ μηδεμία μοῖρα τοῦ Φαβίων γένους ἐν τοῖς ἐφεξῆς ὑπελείπετο.* Lege: *ὑπελέλειπτο.*

IX 26 p. 1817: *τῶν εἰωθότων ἐμπορεύεσθαι πολὺν εἰσαγαγόντων σῖτον.* Requiritur praesens *εἰσαγόντων*, sicuti recte scribitur IX 25 p. 1810.

IX 26 p. 1817: *ὥςε ἐν τῇ προτέρᾳ πάντας εὐετηρίᾳ γενέσθαι.* Sylburgius *πάντα* coniecit; mihi placet: *πάλιν.*

IX 31 p. 1823: *προδοσίαν μὲν οὐ τολμῶντες ἐπικαλεῖν οὐδ' ἀνανδρίαν.* Dicitur hoc: *ἀποκαλεῖν.*

IX 38 p. 1848: *ὁ δαίμων ἐκοίμησε τὴν ςάσιν.* Miro errore Iacobius servavit quod Kiesslingius ediderat, quamquam Cobetus docuerat veriorem scripturam esse *ἐκοίμισε*, quae iam apud Sylburgium invenitur. Sed ita est: editor interdum vitiis delectatur, veluti *ἀπήλαυσαν* retinuit IX 46 p. 1869 et IX 58 p. 1906.

IX 42 p. 1858. App. Claudium Sabinum *πολλὰ ἀντειπόντα καὶ οὐδ' εἰς τὸ πεδίον ἐλθεῖν βουληθέντα ... ἐψηφίσαντ' ἀπόντα ὕπατον.* Hic longa oratione neutiquam opus fuit et placet: *ἀντιτείνοντα.*

IX 45 p. 1868. Idem ille Appius in populi concione vehementissime invehitur in tribunos, *ὥςε*, inquit, *περίεςιν ἡμῖν ἴασιν καὶ ἀλεξήματα τῶν ἀναβλαςανόντων ἐξ αὐτῆς κακῶν ζητεῖν, ὁπόσα εἰς ἀνθρώπων πίπτει λογισμόν, μενούσης ἔτι πονηρᾶς ῥίζης.* De totius loci sententia nemo dubitat; hoc enim dicit: *nihil*

Digitized by Google

refert horum malorum remedia quaerere, quamdiu radix supersit. Hinc recte sequitur: *οὐ γὰρ ἔσαι πέρας οὐδ' ἀπαλλαγὴ τῶν δαιμονίων χόλων, ἕως ἂν ἥδε ἡ βάσκανος ἐρινὺς καὶ φαγέδαινα ἐγκαθημένη πάντα σήπῃ καὶ διαφθείρῃ τὰ καλά.* Sed repugnat illud *περίεσιν* indeque Sintenisius coniecit *περιττόν ἐσιν*, recte quidem ad sententiam, sed nimis violenta mutatio est. Est praeterea sciendum illud *περίεσιν* frequenter legi apud Demosthenem, veluti Olynth. II § 29: *περίεσι τοίνυν ἡμῖν ἀλλήλοις ἐρίζειν καὶ διεσάναι, τοῖς μὲν ταῦτα πεπεισμένοις, τοῖς δὲ ταῦτα, τὰ κοινὰ δ' ἔχειν φαύλως.* Itaque satius est non tangere illud *περίεσιν*, quod Dionysius cum plurimis aliis ab Demosthene mutuatus est, neque opus est diu quaerere quo pacto laboranti sententiae succurras: etenim Appius negat interrogando: *τί περίεσιν ἡμῖν ἴασιν ... ζητεῖν*; Haud multum dissimile est quod legitur IV 10 p. 662: *περιέσαι τῷ ἀνδρὶ τὸ δοκεῖν κατὰ νόμους ἄρχειν* et XIX p. 245. 23 Ksl.: *οὐ περίεσί μοι τοῖς πλησίον ἐπαρκεῖν.*

IX 46 p. 1870: *εὕροντο τὴν ἐπὶ τὰ σφέτερα κάθοδον, ἀξιούσῃ δὲ καὶ δεομένῃ τὰ ἐκλειφθέντα ἀπολαβεῖν εἴξαντες ἔδωκαν.* Postremum vocabulum quod omissum est in Urbinate, adscriptum in Chisiano, Kayserus et Iacobius uncinis circumdederunt. Malim equidem corrigere: *ἐνέδωκαν.*

IX 47 p. 1872. Laetorius trib. pl. exagitat Appium, *ὃν πάντες ἴσασιν οὗτοι σκαιὸν ὄντα διὰ γένος καὶ πικρὸν καὶ μισόδημον.* Ubique id verum esse reperies quod inculcare solebat Cobetus, vix ullum alium esse Graecum scriptorem utiliorem, in quo vires tuas exerceas et emendandi periculum facias. Hinc summi critici qui in literarum rep. principatum tenent, inde ab Sylburgio et Casaubono huic operi incubuerunt; hinc etiam Cobetus saepe tironibus auctor fuit, ut Antiquitates Romanas sibi tractandas sumerent. Primum enim summa in omnibus stili perspicuitas; deinde quoniam scriptor identidem iisdem dicendi formulis utitur, optimum est, quod saepe dixi, emendandi praesidium si Dionysium ad Dionysium exigas; saepe quoque temerariae suspiciones facillime coarguuntur, si ea contuleris quae alibi eodem modo enunciata sunt. Veluti eo loco quem supra exscripsi, primum mirabar quomodo Appius *σκαιὸς καὶ*

Digitized by Google

πικρὸς diceretur eumque εἰκαῖον malebam appellare: fieri potest ut etiam alii in eandem suspicionem incidant, quae ante pedes posita est; sed recepta scriptura frustra sollicitabitur. Etenim V 9 p. 864 pariter Collatini verba sunt ad Brutum: σκαιὸς εἶ καὶ πικρός. Denique si animum attenderis, reperies σκαιὸν haud ita raro temerarium dici.

IX 47 p. 1872. Nondum Laetorium mittere possum. Carpit in Appio: τὸ θηριῶδες ὑπὸ Φύσεως οὐδέποτ' ἐξημερῶσαι δυνάμενον. Quid est ὑπὸ Φύσεως? Insolentiam indicari dixerim; contuli autem Eustathium ad Iliad. p. 1205. 20: Ἰσέον δὲ ὡς ἡ χαλκευτικὴ Φῦσα τραπεῖσα μεταφορικῶς τὴν ἀλαζονείαν αὐτῇ ὁμωνυμεῖσθαι πεποίηκε, διὰ τὴν ἀνεμώλιον κενορρημοσύνην τῶν ἀλαζόνων, ὧν οἱ λόγοι τοῖς Φυσήμασι διὰ τὸ ἄνουν ἐοίκασι. Egregie sane huc conveniret ὑπὸ Φύσης, nec prorsus desunt huius usus exempla apud sequiores. Aliis fortasse magis placebit ὑπ' οἰήσεως.

IX 50 p. 1878: ἡ δὲ τῷ Ἀππίῳ συνελθοῦσα δύναμις μίσει τῷ πρὸς αὐτὸν πολλὰ ὑπερεῖδε τῶν πατρίων. Ultima vox sensu caret; latet, uti opinor, τῶν πρακτέων.

IX 50 p. 1880: ἐκ τοῦ ἄλλου πλήθους ἀπὸ δεκάδος ἑκάστης εἷς ἀνὴρ ὁ λαχὼν κλήρῳ πρὸ τῶν ἄλλων ἀπέθνησκεν. Itaque si plectitur *decimus quisque*, perit non nona sed *decima* pars militum; est enim ambigua locutio. Ceterum hoc primum eiusmodi saevitiae in historia Romana exemplum est.

IX 54 p. 1895: οἱ δὲ δήμαρχοι καλουμένης ἔτι τῆς ἐκκλησίας ὑπὸ τῶν ὑπάτων ἐνίσαντο. Praestat, credo, ἄρτι.

IX 67 p. 1933: ἀπεκρίναντο τοῖς παροῦσιν ἀγγέλλειν τοῖς σφετέροις ὅτι κτέ. Nonne verius debet videri τοῖς πρέσβεσιν?

IX 69 p. 1936. Hic semel interreges ἀντιβασιλεῖς dicuntur. Mirum.

IX p. 1940. Volscorum duces volebant ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἄγειν ὡς εἶχον ὀργῆς τε καὶ τάχους. Nihil illic dictum de ira; placet: ὡς εἶχον ὁρμῆς.

Digitized by Google

X 1 p. 1982: *κατὰ νόμους ἠξίου διοικεῖσθαι τά τ' ἰδιωτικὰ καὶ τὰ δημόσια.* Non de populo, sed de tribunis hic Dionysius loquitur ac propterea scribam: *ἠξίουν.*

X 2 p. 1985: *οὗ δ' ἄπειροι ἦσαν καὶ ἀνήκοοι, καὶ ἐφ' ᾧ δὲ μάλις' ἐταράχθησαν, τοιόνδ' ἦν.* Particulam *δέ* Kiesslingius, nam abhinc Iacobius deficit, assumsit ex Urbinate; sed si qua fides huius libri est, certe *ἐφ' ᾧ δή* scriptum oportuit.

X 3 p. 1987: *ὅπως δ' ἂν τοῦτο γένοιτο καὶ ἀπὸ τίνων ἀρξαμένων εἴκειν τοῖς ἑτέροις τὸ διάφορον παύσαιτο σασιάζον.* Cur tandem Kiesslingius *ἀρξαμένων* edidit, cum olim recte ferretur *ἀρξάμενον*?

X 3 p. 1989: *τοὺς δὲ συγγραφησομένους ὑπ' αὐτῶν νόμους κεῖσθαι ἐν ἀγορᾷ.* Lege: *ἐκκεῖσθαι.*

X 5 p. 1993: *παρασχεῖν τὰσφαλὲς ὑπισχνούμενοι.* Requiro futurum: *παρασχήσειν.*

X 8 p. 2003: *ὁ μέντοι δῆμος εἰς τὸν ἐπιόντα πάλιν ἐνιαυτὸν ἄρχοντας ἀπέδειξεν αὐτούς.* Quidni Kiesslingius ex Urbinate arripuit lectionem *τοὺς αὐτούς*?

X 10 p. 2008. In longiore periodo insertum fuit inutile fulcrum *λέγεται.* Non vacat totum locum describere.

X 12 p. 2016: *τὸ δημοτικὸν ἠγριωμένον.* Verbum *ἀγριαίνεσθαι* apud Dionysium crebro legitur, sed perfectum est *ἠγριῶσθαι*, non *ἠγριάνθαι.* Sequitur in ea re Atticorum usum, de quo Phrynichus iam praecepit apud Bekkerum p. 15. 16: *ἀγριωθείς· καὶ οὐκ ἀγριανθείς. καίτοι τὸ ἀγριαίνομαι καὶ ἀγριαίνεσθαι καὶ ἐξαγριαίνεσθαι Ἀττικῶς.* Sunt etiam alia verba in *αἰνειν*, quae similiter desciscunt ad analogiam verborum contractorum, veluti *ἀσελγαίνειν* et *τὰ ἠσελγημένα* in Demosthenis Midiana. Cobetus hoc argumentum attigit *ἐν τῷ Ἑρμῇ Λογίῳ* p. 282; ostendit v. c. *ἀκολασαίνειν* verbum esse, unde *ἀκολάσημα* et *ἀκολασητέον* derivantur apud sequiores. Omnes Dionysii locos describere nihil

Digitized by Google

opus est in re facili et nota; sed vitium remanet eluendum. Apud Euripidem legebatur Electr. 1031:

οὐκ ἠγριούμην οὐδ' ἂν ἔκτανον πόσιν,

sed quod Nauckius correxerat ἠγριώμην, id recte in textum intulit Wecklinius. Itidem apud Dionysium IX 39 p. 1850: οἱ τέως ἡσυχάζοντες δήμαρχοι τότ' ἠγριοῦντο καὶ τῶν ὑπάτων κατηγόρουν, utere eodem remedio et scribe: ἠγρίωντο. Obiter addo ἀγριαίνειν interdum etiam neutram habere significationem, v. c. I 79 p. 203.

X 15 p. 2023: τρισὶ γὰρ ἢ τέσσαρσι ταῖς πρώταις ἡμέραις τέλος εἴληφε τὰ πράγματα. Non tolerabilis illa lectio; scripserim: ταῖς πάσαις ἡμέραις, sicuti est X 25 p. 2056: ἐν ἡμέραις ἐκκαίδεκα ταῖς πάσαις.

X 15 p. 2025: App. Herdonius Capitolium occuparat et C. Claudio Sabino consuli optimum factu videtur, si necesse sit, Λατίνους τε καὶ Ἕρνικας παρακαλεῖν· ἐὰν δ' ἀνάγκη, καὶ δούλοις ἐλευθερίαν ὑπισχνεῖσθαι καὶ πάντας μᾶλλον ἢ τοὺς ἐπὶ τοιούτων καιρῶν μνησικακοῦντάς σφισι παρακαλεῖν. Nec grata est eiusdem verbi tam brevi intervallo repetitio, neque altero loco verbum παρακαλεῖν satis recte usurpatum est; placet παραλαβεῖν. Discrimen occurrit in oculos.

X 16 p. 2029: ὥσπερ πρὸς ἁπάντων ὡμολόγητο. Malo: ὡμολογεῖτο.

X 17 p. 2032. Arabat Cincinnatus agellum suum αὐτὸς ἀκολουθῶν τοῖς σχίζουσι τὴν νειὸν βοιδίοις, ἀχίτων, περιζωμάτιον ἔχων, καὶ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πῖλον. Corrigam: πιλίδιον et satis lenis videbitur mutatio, si attenderis continuo sequi vocabulum ἰδών. Ita solent diminutiva eleganter copulari: περιζωμάτιον, τοῖς βοιδίοις, πιλίδιον. Anaxandridis sunt versiculi ap. Athen. p. 105 F:

καὶ συμπαίζει καριδαρίοις
μετὰ περδικίων καὶ θρατταλίδων
καὶ ψηττα ρίοις μετὰ κωθαρίων
καὶ σκινδαρίοις μετὰ κωβιδίων,

quo loco usus est Cobetus *Mnem.* 1858 p. 247, ut eleganter emendaret in Plauti Sticho vs. 690.

Digitized by Google

X 17 p. 2034. Scribit Dionysius superesse admodum paucos δι' οὓς ἔσηκεν ἔτι τὸ τῆς πόλεως ἀξίωμα καὶ τὸ σώζειν τὴν πρὸς ἐκείνους τοὺς ἄνδρας ὁμοιότητα. Mendum manifestum est, quod simplici modo Cobetus p. 191 corrigit scribendo: καὶ σώζει ... τὴν ὁμοιότητα. Est, fateor, simplex remedium; sed etiam simplicius erit: ὥσε σώζειν. Frequentissime confunduntur ὡς et καὶ et supra quoque huius rei exemplum habuimus.

X 21 p. 2042: ἐπιτρέψας τοῖς στρατιώταις τὰ χρήματα ὠφελεῖσθαι. Insolito modo hoc dictum est; vide tamen X 21 p. 2044: τοῖς στρατιώταις ἐσθῆτα ... ὠφελεῖσθαι ἐπέτρεψεν et XI 48 p. 2280: τὰ μὲν χρήματα τοῖς στρατιώταις ὠφέλειαν ἐφῆκε ποιεῖσθαι. Rectius fortasse alibi X 25 p. 2055: τὰ δ' ἄλλα πάντα διελέσθαι κατὰ λόχους ἐπέτρεψε τοῖς στρατιώταις et X 32 p. 2075: τὰ δ' ἄλλα ... τὸν δῆμον παραλαβόντα διελέσθαι.

X 21 p. 2042: στρατοπεδεύσας ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας. Supple: (οὐ) πολλάς. Sic enim solet, cf. X 24 p. 2055; X 25 p. 2057; X 43 p. 2103. Itidem eadem de causa displicet X 21 p. 2042: πολλὰς ἐν τῇ προνομῇ διατρίψας ἡμέρας.

X 21 p. 2043: οὐ τολμώντων δὲ τῶν ἐκ τῆς πόλεως οὐκέτι χωρεῖν εἰς μάχην. Lege: ἔτι. Eandem corruptelam etiam supra notavimus.

X 23 p. 2048: ἐπιμαρτυρούμενοι Ksl.; recte olim: ἐπιμαρτυρόμενοι. Mox X 24 p. 2053: ἄνδρα τῶν ἡμελημένων μὲν διὰ πενίαν, τὰ δὲ πολέμια γενναῖον· prorsus non video quo iure Kiesslingius γενναίων correxerit.

X 25 p. 2056: κατήγαγε λαμπρότατον ἁπάντων ἡγεμόνων θρίαμβον. Lege: γενόμενον. Non semel hoc modo erratum fuit.

X 27 p. 060: οἱ μὲν ὕπατοι τὴν βουλὴν συνήγαγον ὡς περὶ τῶν ὅλων ἔσχατον τοῦτο βουλευσόμενοι· nescio quo iudicii errore Kiesslingius scripsit βουλευόμενοι, sed non pergam talia minuta annotare. Mox seq. pag.: μὴ περιιδεῖν τὰ μετὰ πολλῶν

Digitized by Google

κτηθεῖσαν ἡγεμονίαν πόνων αἰσχρῶς ἀπολομένην, uniuscuiusque est corrigere: ἀπολλυμένην.

X 30 p. 2071: τοῦ Κορβιῶνος τὰ τείχη κατασπάσας. Dici hoc solet: κατασκάψας.

X 32 p. 2076: ὁ μὲν ἀντιλέγων Γάϊος Κλαύδιος ἦν μόνος, οἱ δὲ συγκαταλέγοντες πολλοί. Haec est librorum manuscriptorum lectio, quae quum ferri nequeat, Reiskius coniecit συναγορεύοντες idque Kiesslingius adeo in textum intulit. Mihi quidem haud ita felix illa coniectura videtur et longe scribere malim: συγκαταινοῦντες.

X 34 p. 2081: ὑπηρέταις τε καὶ ἀγορανόμοις ἐπιτάττοντες ἄγειν εἰς τὸ δεσμωτήριον ἄρχοντας. Saepe Dionysius appellat aediles tribunorum ὑπηρέτας· fecerat hoc etiam praec. pag.; quocirca eiiciam glossulam τε καὶ ἀγορανόμοις.

X 34 p. 2082: ἠπείλουν ... τὰ ὅπλα περιθήσειν τοῖς πατρικίοις. Mire hoc dictum est; nonne verius est προθήσειν?

X 36 p. 2087. L. Siccius Dentatus narrat se, quum annos esset natus XXVII, anno 487 primum στρατιωτικῆς τινος ἡγεμονίας τυχεῖν, τότε μὲν σπείρας ἡγούμενον, τότε δὲ ὅλου τάγματος. Et hoc quidem facile intellectu est; sed quid est illud ἐταττόμην δ' ἔτι ὑπὸ λοχαγῶν? Kiesslingius edidit ὑπὸ λοχαγῷ, quo non multum proficimus; id tantum videmus, re fortiter gesta consulem eo anno quem dixi strenuum bellatorem ἡγεμόνα τῆς σπείρας ἀποδεῖξαι itaque *centurio* factus est. Hinc tuto credere licet eum hucusque proximo gradu a centurionatu fuisse, ut, sicubi opus esset, absentis centurionis vicem suppleret eiusque „locum teneret". Erat igitur, quemadmodum Romani loquuntur, *optio* s. *subcenturio*. Dionysius Xenophontem secutus ὑπολοχαγόν hominem potuit appellare et verum fortasse videbitur: ἐστρατευόμην δ' ἔτι ὑπολοχαγῶν.

X 38 p. 2094: ὥσαντες ἀπὸ τοῦ κρημνοῦ. Imo: κατά.

Digitized by Google

X 39 p. 2096: ὑμεῖς δ' ὦ δήμαρχοι παρακλήσεως μὲν εἰς τοῦτο τὸ ἔργον οὐ δεῖσθε· καὶ γὰρ ἤρξατε αὐτοῦ. Praestat: καὶ γὰρ ἤρξατε αὐτοί.

X 41 p. 2100: καὶ τὸ κατ' ἄλλα καὶ ἄλλα μέρη τῆς ἀγορᾶς ὑπὸ θορύβου καὶ ἀταξίας κινούμενον ἐπ' αὐτούς. Desunt haec verba in Urbinate et Chisiano, nec tamen propterea cum Kiesslingio uncinis ea circumdabo. Quam maxime genuina sunt et novum habemus argumentum non omne emendandi praesidium ex duobus libris peti debere, sed etiam reliquos esse considerandos, inter quos fortasse eminet Coislinianus 150.

X 42 p. 2102. Dionysius, quod saepe observavimus, simpliciter et perspicue admodum scribere solet, quocirca nunc notandum est contorte dictum: τῶν νόμων ... οὐθενὶ δεδωκότων ἐξουσίαν ἀναγκάζειν τοὺς δημάρχους ὑπομένειν τι τῶν ἀβουλήτων.

X 53 p. 2131: λοιμικὴ νόσος ... μεγίστη τῶν ἐκ τοῦ πρότερου χρόνου μνημονευομένων. Suppleverim in fine γενομένη.

X 53 p. 2131. Grassatur Romae pestilentia, ὑφ' ἧς οἱ θεράποντες ὀλίγου ἐδέησαν ἅπαντες ἀπολέσθαι, τῶν δ' ἄλλων πολιτῶν ἀμφὶ τοὺς ἡμίσεις μάλιστα διεφθάρησαν. Melius esse iudico: οἱ θεραπεύοντες. Sunt qui post pauca dicuntur οἱ ἐπικουρεῖν ταῖς ἑτέρων βουλόμενοι νόσοις.

X 54 p. 2136. Consules ne quid rerum agant, πρόφασιν εὐπρεπῆ προὐβάλοντο, λέγοντες ἐν χερσὶν εἶναι τὸν τῶν ἀρχαιρεσίων καιρὸν καὶ δέον αὐτοὺς ὑπάτους πρῶτον ἀποδεῖξαι· ποιήσειν δὲ τοῦτ' οὐκ εἰς μακράν. Ut oratio constet, Kiesslingius correxit καὶ δεῖν· equidem longe praeferam: ὡς δέον, quo magis appareat hunc merum fuisse praetextum. Eodem modo mox sequitur: ὡς ἑτέρους ἤδη δέον ὑπὲρ αὐτῶν σκοπεῖν.

X 60 p. 2150: πολὺ παρεισήκει δέος ... δέκα βασιλεῖς ἑλομένοις ἀνθ' ἑνός. Rectius erit: δεχομένοις.

Digitized by Google

XI 1 p. 2157: μὴ μόνον ἀκούουσα τῶν λεγομένων ἀλλὰ καὶ τὰ πραττόμενα ὁρῶσα. Inseram: (οἷον) ὁρῶσα.

XI 1 p. 2158: συνεχώρησαν Ἀθηναῖοι Λακεδαιμονίοις τείχη τε καθελεῖν τῆς πόλεως αὐτῶν καὶ ναῦς διατεμεῖν. Hoc quidem compositum non feram; minus displicet: ἐπιτεμεῖν.

XI 1 p. 2158: περιγίγνεται τὸ περὶ τοὺς ἀναγκαίους καιροὺς μεγάλα τὰς πόλεις ἐκ τῆς τοιαύτης ἐμπειρίας ὠφελεῖν. Equidem praefero: παρὰ τοὺς ἀναγκαίους καιρούς.

XI 11 p. 2184: ἐὰν δ' οὗτοι φιλοχωρῶσιν ἐπὶ τῇ παρανόμῳ δυναστείᾳ. Amat Dionysius hoc verbum coniungere cum dativo.

XI 13 p. 2188: οὐ γὰρ ἔχει λόγον, ὑφ' ὧν ἂν γένηταί τις ἐξ ἀγαθοῦ κακός, ὑπὸ τούτων πάλιν αὐτὸν ἐκ πονηροῦ γενέσθαι χρηστόν. Praestat: πάλιν αὖ.

XI 14 p. 2189. C. Claudius patruus decemviri in senatu narrat, quum Appium convenire vellet, aditu se prohibitum fuisse: τάχα δ' οὐχ ὑπὸ σοῦ κελευσθέντες οἱ παῖδες, ἀλλ' ἐφ' ἑαυτῶν γνόντες, διέκλεισάν με τῆς εἰσόδου· hoc enim vult credidisse videri, ne nimis inclementer dicat; deinde pergit: καὶ βουλοίμην οὕτω τἀληθὲς ἔχειν. Hoc quidem soloecum est, sed quod Cobetus scribit βουλοίμην ἄν, est hominis increduli qui suam coniecturam ipse reiicit. Melius huc quadrabit: καὶ εἰ βούλει, οὕτω τἀληθὲς ἐχέτω.

XI 16 p. 2194. L. Cornelius acerrima oratione decemvirorum causam tuetur et invehitur in eos qui cum C. Claudio consenserant, οὓς ἐχρῆν, εἰ οἷόν τ' ἦν φυλάττειν καὶ τοῖς νέοις παραινεῖν ἀπὸ τοῦ κρατίστου ποιεῖσθαι τοὺς ὑπὲρ τῶν καλῶν ἀγῶνας, καὶ μὴ πολεμίους ἀλλὰ φίλους ἡγεῖσθαι τοὺς περὶ τῶν κοινῶν ἀγαθῶν ἀντιπάλους. Primum facile est reponere φιλίους et de ea confusione Cobetus haud semel dixit; sed quid hic φυλάττειν? Repraesentavi Sylburgianam scripturam, nam Kiesslingius edidit: οὓς ἐχρῆν οἷόν τε δεῖ φυλάττειν, simulque appicta cruce indicavit se non esse corruptis verbis emendandis; addit autem

Digitized by Google

in adnotatione critica Reiskium corrupta verba hoc modo voluisse interpolare: *οὓς ἐχρῆν οἷον ἐντελῆ (καὶ ὁλόκληρον τοῖς πολεμίοις αὐτὴν) φυλάττειν.* Nimis mihi hoc operosum visum est: *εἰ οἷόν τ' ἦν* non sollicitaverim: solum *φυλάττειν* corruptum est. Erit aliquid audendum: latere dixerim: *φιλοκαλεῖν*, quod verbum Dionysius ab Thucydide potuit mutuari.

XI 16 p. 2194: *ὑπερβολὴ γὰρ ἀνοίας τοῦτό γε καὶ οὐ πόρρω θεοβλαβείας πεποιήκασιν οἱ πρόεδροι τῆς βουλῆς.* Vitium est valde exiguum, necdum agnitum; etenim interpolandum est: (ὃ) *πεποιήκασιν.*

XI 25 p. 2220: *καί τινας καὶ δωρεὰς τὰς μὲν διδόντων ἤδη, τὰς δ' ὑπισχνουμένων.* Legerim: *καὶ τιμάς.*

XI 34 p. 2244: *τοὺς μάρτυρας οὓς ὁ Κλαύδιος ἔφη πολλοὺς καὶ ἀξιόχρεως παρέξεσθαι.* Verum est *παρέχεσθαι*, vide modo p. 2242, extr.

XI 42 p. 2265: *ἔκριναν ... Οὐεργίνιον συλλαβόντας ἔχειν ἐν φυλακῇ.* Quam miror neminem correxisse *συλλαβόντες!* Eadem opera in proxime sequentibus scribe: *ἀνασήσαντες, ἐγκαθήμενοι* et *ἐῶντες.*

XI 43 p. 2267: *παραινῶν τοῖς λοχαγοῖς ἅπασιν ἀραμένους τὰ σημεῖα οἴκαδε ἀπάγειν τὴν στρατιάν.* Longe rectius erit: *ἅπασαν.*

XI 44 p. 2271: *τῶν ἐχθρῶν σφίσιν ἐπιθησομένων καὶ ἐπὶ τούτῳ ἥκόντων.* Lege: *τοῦτο.*

XI 44 p. 2271: *ἦκον ἡγεμόνες ἀγανακτοῦντες ... καὶ τὴν βουλὴν πείθοντες.* Legendum: *πείσοντες.*

XI 53 p. 2288: *τὸν δῆμον ἐποιοῦντο κύριον τῆς διαγνώσεως.* Exspectabam: *ἐποίουν.*

XI 57 p. 2296: *λόγον ἀπέδωκαν ὑπὲρ αὐτοῦ τοῖς προαιρου-*

Digitized by Google

μένοις. Hoc quidem sensu vacuum est; intelligam: τοῖς προσεταιριζομένοις. Vide verbum eodem modo usurpatum VII 56 p. 1442.

XII p. 173. 10 Ksl. Commendat Sp. Maelius τὴν πολιτικὴν εὔνοιαν ἧς οὐδὲ τὸν ἐξ ἀνθρώπων πλοῦτον ἡγεῖσθαι τιμιώτερον. Ita recte habet codex Escorialensis et credebamus satis notam locutionem esse. Kiesslingius tamen scripsit: ἐξάνθρωπον!

XII p. 173. 13. Hunc Maelium πατέρα καὶ κτίσην ἀπεκάλουν τῆς πατρίδος. Imo: ἐπεκάλουν.

XII p. 175. 10: ἐκέλευσεν ἔχοντι τοὺς ἵππεῖς ἥκειν. Ex iis quae supra collegi, sequitur unice verum esse ἔχοντα.

XII p. 177. 30: τοῦτ' ἔπαθε. Inutile fulcrum orationis sese in textum insinuavit.

XII p. 180. 12: ἡ γῆ πάντων ἐσπάνισεν οὐ μόνον τῶν ὀμβρίων ἀλλὰ καὶ τῶν ναματίων ὑδάτων. Vera forma est ναματιαίων, quam Struvius commendavit.

XII p. 182. 18: ἐλύθησαν καὶ τῶν οἰκιῶν συχναί, καί τινες καὶ περιετράπησαν, μάλιστα δ' ὅσαι ἐκ τῶν λίθων κατὰ τὴν διάλυσίν τε καὶ ἀπότηξιν τῆς χιόνος. Nix proprie διαχεῖται· veluti apud Xenophontem de Venat. VIII 1, quem locum nuper Leeuwenius felicissime expedivit: ... ἐὰν δὲ νότιον ᾖ καὶ ἥλιος ἐπιλάμπῃ ὀλίγον χρόνον· ταχὺ γὰρ διαχεῖται, quapropter malo τὴν διάχυσιν appellare.

XII p. 190. 10. Camillus lectores iussit ludimagistri Faliscorum ξαίνειν τὸ σῶμα μάστιξι πάνυ πολλαῖς. Facile persuadebo verum esse: πολλάς. Demosth. de F. L. § 197: ὁ οἰκέτης ξαίνει κατὰ τοῦ νώτου πολλάς.

XIII p. 194. 17. In fragmentis Dionysii sunt plurima corrupta, quae sanari nequeunt, cum nescias num forte is qui excerpsit, hic illic sua quoque verba, genuino textu deleto,

Digitized by Google

interpolaverit saepeque non multum refert, cum pleraque perexigui pretii sint. Scire tamen pervelim quid tandem Dionysius de anseribus in Capitolio tradiderit: καταβοῶντες ἅμα καὶ τοῖς βαρβάροις ὁμόσε χωροῦντες κατήγοροι γίγνονται τοῦ κακοῦ.

XIV p. 201. 18: σκοπούμενοι γὰρ ὡς μηδὲν ἔτι τοιοῦτον γενήσεται. Lege: πῶς.

XIV p. 203. 15. Camillus describit in concione arma quibus Romani se adversus Gallos tutantur: sunt iis inter alia ξίφη τε ἀμφίστομα καὶ ἀντὶ λόγχης οἷς ὁ ς, ἄφυκτον βέλος. Itane? Suntne sagittarii legionarii milites? Sed verum ante pedes positum est: ἀντὶ λόγχης ὑσσός.

XIV p. 206. 6. Romani ἅπαντα τὰ δεινὰ γενναίως ἀνέφερον. Malo: διέφερον. Cf. v. c. I 20 p. 54 et II 41 p. 322.

XV p. 210. 10. M. Valerius consul anno 343 rogantibus ipsis Campanis praesidiarios milites relinquit, ἐν οἷς τὸ πλεῖον μέρος ἀνεστίων καὶ καταχρέων καὶ τὴν οἴκοι πενίαν καὶ ἀγνωσίαν ἀσμένως ἀποδιδρασκόντων. Praeferam: ἀπόγνωσιν, quod vocabulum saepius apud Dionysium obvium est.

XV p. 212. 8: ἔκρινε μὴ λέξειν τὸ πρᾶγμα μηδ' εἰδέναι δοκεῖν. Federus recte aoristum reposuit; sed hoc non est satis, nam planissime requiritur: ἐλέγξαι.

XVI p. 222. 23. Edidit Kiesslingius: Φέρε δὴ κἂν τοῦτο πεισθέντες ἢ βιασθέντες ἢ ὅτιδήποτε παθόντες εἴξωσί γε καὶ ζῆν αὐτοὺς ἐάσωσιν, ἆρ' ἔτι σοι δοκοῦσι καὶ τὰ χρήματα αὐτοὺς ἐάσειν ἔχειν; Nempe in Ambrosiano codice legitur καί, pro quo Kiesslingius κἂν reposuit et olim certe indicativi erant εἴξουσι et ἐάσουσι. Veram lectionem aperiet VIII 25 p. 1555: ἀφαιρέσει δὲ δὴ πάντας μὲν ἀνθρώπους ... δίκας σοι δοῦναι προσῆκε ... οὐχ ἱκανὰς ἤδη παρὰ πάντων εἰσπέπραξαι δίκας, ubi Kiesslingius rectissime correxit: Φέρε εἰ δὲ δὴ et miror ipsum certam emendationem incertam esse pronunciare. Iam ad eandem normam etiam hic scribendum: Φέρε εἰ δὲ δὴ καὶ τοῦτο atque

Digitized by Google

sic optime sequetur futurum: εἴξουσί τε καὶ ζῆν αὐτοὺς ἐάσουσιν.

XIX p. 236. 10: Τυρρηνία παρ' αὐταῖς οὖσα ταῖς θύραις ἔτι ἀχείρωτος ἦν. In Vaticano libro est θύρας, quod manu ducit ad: περὶ αὐτὰς οὖσα τὰς θύρας. Cf. Cobet. p. 137 et quae adnotavimus ad IX 12 p. 1769.

XIX p. 237. 6: τῶν Ταραντίνων βουλομένων Πύρρον μεταπαλεῖν. Praestat: καταπαλεῖν. Aliter μεταπαλεῖν usurpatum fuit p. 243. 13.

XIX p. 237. 25: κατὰ κεφαλὴν ἐξωθοῦσιν ἐκ τοῦ θεάτρου. Alibi hoc κατὰ κεφαλῆς dicitur, sicuti XI 26 p. 2223 et XV 9 p. 2326.

XIX p. 238. 19: πόλεις Ἑλληνίδας ἀναρπάζειν. Dicitur hoc magis: διαρπάζειν.

XIX p. 239. 15: πόλεμον αἱρεῖσθαι. Lege: αἴρεσθαι.

XIX p. 240. 4: πᾶσι τοῖς ὀξέως μαχομένοις ὀξέως ἐπιφαινόμενον. Praefero: ἐπιφερόμενον.

XIX p. 245. 19. Supplendum: ὥςε οὐδ' (ἂν) κατὰ τοῦτο δίκαιος εἴην.

XIX p. 246. 27: δανείσματα γάρ ἐςιν, ὅσα προσλαμβάνουσιν ἄνθρωποι παρ' ἑτέρων. Lege: προλαμβάνουσιν.

XIX p. 249. 6: παίδων εὐπρεπῶν ἀφειδεῖς ἀπολαύσεις. Lege: ἐκπρεπῶν.

XX p. 257. 32: ὅ τε κατάγοιτο. L.: ὁπότε i. e. *quotiescumque*. Cf. quae diximus ad V 41 p. 940.

XX p. 260. 12: ἔγνω τὰς ὄψεις ἐκκεκαυμένος. Ita recte legitur in Codice Escorialensi estque hic usus etiam ex Platone

Digitized by Google

notissimus. Editores tamen correxerunt scilicet *ἐκκεκαυμένας!* Esse miror qui eo peritiae gradu Graecos scriptores suscipiant edere. Admonere tamen eos potuerat quod continuo sequitur: *ἀπέκτειναν τῷ πελέκει τὰς κεφαλὰς ἀποκοπέντας.*

XX p. 264. 17: *τὸν ἐξελθόντα χρυσὸν ἐκ τοῦ ἱεροῦ ναυσὶν ἐνθέμενος.* Viri docti varia tentarunt, sed omnes infeliciter. Quid si latet *συληθέντα?*

XX p. 269. 27: *ἐπὶ τοῖς ὄρεσιν ἄγραυλον καὶ πλείονα τὸν βίον εἶχεν.* Haec est Ambrosiani Codicis lectio; correctum fuit *μείονα* idque Kiesslingius recepit, qui etiam cogitavit de: *λιτόν*, deinde ampliandum censuit. Ut in desperata re, refingere possis *ὑπαίθριον.*

PLUT. SOLON. 10.

Athenienses causam Salaminiam Spartanis diiudicandam committunt: *οἱ μὲν οὖν πολλοὶ τῷ Σόλωνι συναγωνίσασθαι λέγουσι τὴν Ὁμήρου δόξαν· ἐμβαλόντα γὰρ αὐτὸν ἔπος*, sequitur notissima narratiuncula. Hic *τὴν Ὁμήρου δόξαν* quid significare possit non video. Sequitur hoc: Athenienses contra hoc argumento apud iudices usum esse Solonem affirmant: „Philaeum et Eurysacem, filios Aiacis, cives Athenienses factos in Attica consedisse, Braurone alterum, alterum Melite". Addit ipse Plutarchus: *καὶ δῆμον ἐπώνυμον Φιλαίου τῶν Φιλαϊδῶν ἔχουσι.* Immo *τόν*: „habent etiam Athenienses tribum, quae de Philaei nomine dicta est: est ea Philaidarum tribus". Etiam e sepeliendi ratione argumentum petiisse Solonem Athenienses declarant, quo demonstraret olim Atheniensium non Megarensium Salaminem fuisse. At hoc argumentum refutare conatur Hereas Megarensis et alia afferens et gravissimum hoc *μίαν ἕκαστον Ἀθηναίων ἔχειν θήκην, Μεγαρέων δὲ καὶ τρεῖς καὶ τέσσαρας ἐν μιᾷ κεῖσθαι.* Quid, obsecro, hoc ad rem pertinet quod in sepeliendo *Megarenses* discrepant ab Atheniensibus? De *Salamine* ut opinor agitur, et illa insula, non Megara urbs, quaeritur utrum Atheniensium olim fuerit an non. Ergo pro *Μεγαρέων* rescribe *Σαλαμινίων.* J. J. H.

Digitized by Google

Enumerat Plutarchus multa, quae de sepultura et de luctu apud Spartanos Lycurgus constituerat: ἔπειτα συνθάπτειν οὐδὲν εἴασεν, ἀλλ' ἐν Φοινικίδι καὶ Φύλλοις ἐλαίας θέντες τὸ σῶμα περιέστελλον. Iam pridem suspicatus eram vitii aliquid haec verba contraxisse; non enim de *moribus* Spartanorum, sed de *legibus* Lycurgi per totum caput sermo est. Recordabar autem locorum, quales apud Herodotum complures leguntur: οὐκ ἐῶν Φεύγειν οὐδὲν πλῆθος ἀνθρώπων ἐκ μάχης, ἀλλὰ μένοντας ἐν τῇ τάξι ἐπικρατέειν ἢ ἀπόλλυσθαι (7. 104) et: οὐκ ἔων ναυμαχίην ἀρτέεσθαι .... ἀλλὰ ἐκλιπόντας χώρην τὴν Ἀττικὴν ἄλλην τινὰ οἰκίζειν (7. 143) et: οὐδὲ ἔων ἰέναι ἑκαστέρω, ἀλλ' αὐτοῦ ἰζόμενον ποιέειν ὅκως ἀμαχητὶ τὴν πᾶσαν Ἑλλάδα καταστρέψεται (9. 2); unde coniiciebam hoc quoque loco eleganti ellipsi usum Plutarchum dedisse: ἀλλ' ἐν Φ. κ. Φ. ἐ. θέντας τὸ σῶμα περιστέλλειν. Restabat tamen, ut in coniectura, etsi mihi admodum probabilis videbatur, incerti aliquid, et mihi ipse, ut soleo, obloquebar. Sed forte fortuna incidi in locum, qui iam omnem dubitationem tollit. Scribit enim quicunque 'Instituta Laconica' ex pannis Plutarcheis consarcinavit, verbis leviter immutatis: συνθάπτειν δὲ οὐδὲν ἐπέτρεψεν, ἀλλ' ἐν Φοινικίδι καὶ Φύλλοις ἐλαίας θέντας τὸ σῶμα περιστέλλειν κατ' ἴσον ἅπαντας (Moral. 238D). Quod demonstrandum erat, aiunt.

Nullam opem tulit idem compilator loco, qui paullo infra in uno verbo minus recte sic edi solet: ὅθεν οὐδ' ἀποδημεῖν ἔδωκε τοῖς βουλομένοις καὶ πλανᾶσθαι ξενικὰ συνάγοντας ἤθη καὶ μιμήματα βίων ἀπαιδεύτων καὶ πολιτευμάτων διαφόρων. Si per se spectas, nihil habet offensionis ἀπαιδεύτων, nam re vera Spartiatae Lycurgi disciplina non imbutos ut incultos et rudes despiciebant, ut inter se opponantur: οὐκ ἀγεννὲς οὐδ' ἀπαίδευτον, ἀλλ' ἐλευθέριον πάνυ καὶ Λακωνικόν (Moral. 46 D). Verum inconcinnum est duobus *synonymis* interponi verbum ab eorum significatione alienum; et requiritur aliquid in eundem sensum. Scribendum existimo: βίων ἀπαδόντων, quod optime dicitur de ratione vitae *discrepante, non concinente*, ut in hoc ipso capite: προαιρέσεις ἀπᾴδουσας πρὸς τὴν καθεστῶσαν πολιτείαν et in Luciani Piscatore (C. 6): ὡς μὴ ἀπᾴδειν θάτερον θατέρου et Imag. (C. 5): ὅπως ἐκ τοσούτων μίαν τινὰ συνθεὶς οὐκ ἀπᾴδουσαν ἀπεργάσεται.

K. G. P. Schwartz.

Digitized by Google

DE AMAZONIBUS.

SCRIPSIT

J. VÜRTHEIM.

„Ἀλλ' ἄγετε, λευκόποδες, οἵπερ ἐπὶ Λειψύδριον ἤλθομεν, ὅτ' ἦμεν ἔτι, νῦν δεῖ, νῦν ἀνηβῆσαι! mulieres enim arcem obtinent, mox naves armatas conscendent, Athenas Artemisiae ad instar sunt aggressurae. Quid si equitatui quoque studebunt? Actum erit de equitibus nostris. An non putatis? At o boni, ἱππικώτατον γάρ ἐστι χρῆμα κἄποχον γυνή. Ridetis etiam? at inspicite mihi τὰς Ἀμαζόνας, ἃς Μίκων ἔγραψ' ἀΦ' ἵππων μαχομένας τοῖς ἀνδράσιν".

Sic salse senum chorus in Lysistrata fabula, quae anno 411° scenae Atheniensi mandata est. Ante sexaginta fere annos Mico Poecilam Stoam Amazonomachia ornarat, quae imago ab illo tempore nulli non civi coloribus vividissimis ante oculos stabat.

Non quo ante Miconem Amazones Athenis ignotae fuerint. Immo, familias pater πρὸς πῦρ διέλκων μετ' ἀνδρῶν ἑταίρων Φίλων cum sera crepuscula noctem traherent, factorum fortium maiorum memor semper fuerat, talium praesertim maiorum, quorum institutis, fundamento solido et aeterno, civitatem niti inter omnes constabat. Cuius autem regis prius in mentem ei veniebat quam Thesei? cuiusnam facinoris saepius quam atrocis proelii tot ante saecula sub ipsis Athenarum moenibus contra Amazones commissi? Nonne tumulos quoque apud Pnycem, pone Musaeum, pater filio monstrabat, ubi Amazones, quae Thesei manu ceciderant, erant sepultae? Quin etiam erant, peregre qui cum ivissent, alibi quoque Amazonum sepulcra, in Boeotia,

Digitized by Google

Thessalia, prope Megara, Troezena, Chalcidem conspexissent; viderant hi apud Taenarum templum Dianae dedicatum, quod hic Virginum erroribus finis esset factus; sacrificaverant ibi fortasse in aris Apollinis Amazonii.

Haud dubie homines antiqui, ipso ex solo Attico progeniti, glebae patriae coniunctissimi ac longinquis peregrinationibus minime assueti, mirabantur hostem ex Asiae penetralibus tot per terras, montes, flumina usque ad metam Peloponnesi penetrasse. Magis etiam mirabantur matres familiae, quibus vita inter parietes erat degenda, equos autem et arma et bella virorum in usum a deis immortalibus creata esse autumabant. Theseum ad Thermodontem pervenisse ibique Antiopam Amazonum reginam sustulisse, quid mirum habebat? Herculis enim exemplum secutus, iniuriarum simul auctor et ultor, per vias et invia erat vagatus. Sed feminas armatas equisque vectas etiam longius aliquando esse progressas quam ipsi Persarum regi contigisset, id humanam fidem superabat, et nisi Homerus testis fuisset Priamum Bellerophontemque acie pugnasse contra Amazonas, Asiam igitur eas habitasse, fortasse unus et alter iam tunc temporis de Amazonum origine orientali dubitasset et in Graecia potius, e. g. ad Boeotiae illum Thermodontem, earum sedem quaesivisset.

Venerunt dies quibus Herodotus historias suas variis locis coram populo recitavit. Ibi tunc auditores famam de Sauromatarum mulieribus equitantibus, venantibus, pugnantibus tam delectati quam admirati accipiebant avide: habitare has feminas in vicinia maris Caspii, nec multum discrepare ab Oeorpatum gente, quae a Themiscyra ad Thermodontem oriunda, forte autem fortuna in Europam transvecta, ad Tanain flumen novas sedes occupasset; Οἰόρπατα autem significare *ἀνδροκτόνους*. En, cogitarunt haud dubie Graeci, quibus omnes regiones ultra Tanain pro Asia erant, en, Homeri fides sera aetate probata: sunt igitur et fuerunt *verae* Amazones, feminae barbarae quidem sed mortales ut sumus ipsi. Mox Tomyris, Cyri maioris adversaria, in libris historicorum Amazonum regina fiebat; deinde Alexander Magnus iter in Indiam faciens cum Amazonibus non quidem certasse at tamen rem habuisse tradebatur. Agmina fabulosa ad Sangarii ripas circumvagantia et Phrygum campos

Digitized by Google

vastantia, quae prisci vates celebraverant, certum sibi locum in chartis geographicis neque minus certum in operibus historicis invenerant et tenebant.

Non ita multis annis post Herodoti aetatem exstiterunt scriptores, Ephorus alii, qui asseverabant Σαυροματῶν ἔθνος εἶναι γυναικοκρατούμενον, licet Historiae Pater talis rei nec volam nec vestigium apud auctores suos repperisse videretur, qui hoc solum narraverat apud Issedonas ἰσοκρατέας ὁμοίως τὰς γυναῖκας τοῖς ἀνδράσι εἶναι. Operae igitur pretium est indagare unde haec Ephori opinio oriri potuerit.

Graeci *antiquissimi* quid senserint de mulierum isocratia — ut mittamus nunc gynaecocratiam, — nemo Homero brevius expressit; Hector enim hisce verbis uxorem domum mittit:

ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα τε' αὐτῆς ἔργα κόμιζε,
ἱστόν τ' ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε
ἔργον ἐποίχεσθαι· πόλεμος δ' ἀνδρεσσι μελήσει.

Herodoti vero temporibus mulierum quae vocatur emancipatio — res procul dubio in Ionia nata — Athenis suos sibi defensores invenerat. Sophocles Antigonam παρρησίᾳ inaudita Creonti obloquutam in scenam produxerat, cum Ismena vetustioris exemplum modestiae e Thucydidis potius praeceptis (II 45) vitam instituisse videretur. Eodem modo Electra et Chrysothemis recentiorem et antiquiorem opinionem referebant. Mox Euripides cum in choricis, ubi saepius poeta suam ipsius sententiam aperit, tum in dialogis mulieres de statu suo disputantes introduxerat [1]), quod ipse censebat minime celarat. Componat mihi benevolus lector Euripidis Iphigeniam, quae exclamans: „ἔα δὲ σῶσαί μ' Ἑλλάδα!" sua sponte ad aram procedit, cum Aeschyli illa, quam vaccae instar vinculis capistroque cohibitam servi ad aram sistunt. Videbit illic mulierem liberam, suo arbitrio, quantum sors sinat, res dirigentem sibique subicientem, hic infelicem non mulierem sed rem, qualem ne Homeri quidem aequales unquam cognoverant, cuius corpus artesque emebantur, quae patiebatur omnia, faciebat volebatve nihil: feminam Hesiodeam.

1) Leo Blochius hisce diebus in libro „Alkestisstudien" fuse docteque hac de re disserens strenuum patronum „sequioris" sexus semet ipsum ostendit. Quamquam hic illic studio abreptus lenum risum movet; quivis autem intellegit quam difficile sit modum non excedere ubi amicae in honorem hoc de argumento opus conscribas.

Digitized by Google

Hominum igitur mentes cum tali contentione identidem commoverentur, audita est fama mulierum libere viventium, proprio Marte pugnantium, virorum officia viriliter exsequentium. Ubi talia feminis licerent, ibi nihil non iis licere, immo muliebre genus *imperare*, clamabant quibus antiquus status unice probus et optabilis videretur; historiarum autem scriptores tam sermones aequalium quam veteres auctores pro fontibus habentes, nimium in historiis conscribendis rhetoricae arti indulgentes [1]), famam parvam primum mox sustulerunt in auras graviterque sunt locuti de Sauromatarum gynaecocratia. Nos autem, qui e Tacito et Plutarcho novimus Germanorum mulieres pro viris contra Romanos pugnantes, castra munientes, vigilias agentes, necnon didicimus has mulieres ut honoratas sic nunquam civitatum principes fuisse habitas, nos gynaecocratiam illam suo pretio aestimantes *εἰς Σκυθῶν ἐρημίαν* sive iocorum in regionem quantocius relegabimus. Fuerunt fortasse talia instituta apud Cares olim, Lemno in insula, Coi quoque, qua de re sententiam nostram caute differemus donec *σὺν θεοῖς* his quoque rebus lux clarior lucidiorque affulserit: nunc ad propositum redeamus.

Quae semel per aures demissa in intimis hominum cordibus locum obtinuerunt, sive vera sive falsa sunt, aegre postea genus hominum eripi sibi patitur melioribusve notionibus pelli. Stet gratia sua et honor Homeri verbis:

τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι
ἥ τις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται, —

maiore tamen auctoritate vigent florentque quaecunque seris nepotibus bene servata servandaque tradiderunt qui ante fuerunt. Sic quae opinio de Amazonum origine orientali mentes antiquas occupavit, mansit haesitque ad nostros usque dies, licet huic sententiae et Graecorum religio et quae scriptores veteres tradiderunt aperte refragentur, quantum quidem videam equidem.

Sed ne materia obruamur, operam dabo ut ex ordine dispositam lectoribus praebeam diiudicandam. Itaque quam brevissime potero varias variorum scriptorum sententias duobus capitibus complexus refutare, dein meam ipsius opinionem exponere conabor.

---

1) Polyb. XII, 27: *ὁ γὰρ Ἔφορος δεινότατός ἐστιν ἐν ταῖς παρεκβάσεσι καὶ ταῖς ἀφ' αὑτοῦ γνωμολογίαις.*

Digitized by Google

Muellerus sub Amazonum personis latere statuit hierodulas illas, quibus Pontica in regione mandatus erat Comanensis deae lunaris cultus. A cuius viri doctissimi partibus stant Prellerus, Gerhardus, Stackelbergus, nisi quod hi addiderunt Amazonum pugnas et errores significare labores, contentiones, difficultates denique, quae deae assectatoribus olim fuerint patiendae et perferendae ut eius cultum per Asiam extenderent.

Fors autem tulit ut de vita moribusque Comanensium hierodularum docuerit nos auctor, qui cum bonae frugis plena proferre soleat et fide dignus ab hodiernis habeatur, nunc eo pluris sit faciendus quod Dorylai cuiusdam Comanensis sacerdotis, testis igitur oculati, fuerit cognatus. Strabonem dico.

Erant eo teste duo templa eiusdem deae, unum Comanis Ponticis ad flumen Irin, alterum Comanis Aureis in Cappadocia, utrumque plane eisdem ritibus institutum, sed hoc prius factum fuerat metropolisque a Ponticis habebatur. Ponticum illud fanum Themiscyrae in planitie uberrima, quae duobus fluminibus Iride et Thermodonte aspersa largissime humanum in usum quaevis praebebat, erat situm, Strabonis autem aetate continebat sex milia *ἱεροδούλων utriusque sexus*. Praeerat sacerdos sanctissimus, qui bis quoque anno, cum deae simulacrum ingenti pompa e templo efferebatur, diadema gestabat *καὶ ἦν δεύτερος κατὰ τιμὴν μετὰ τὸν βασιλέα*. Cumque Comana essent *ἐμπορεῖον τοῖς ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας ἀξιόλογον*, festis illis diebus undique illuc confluebant mortales ut vota solverent voverentque, plures etiam ut temporis aliquid laete peragerent, numerum incolarum luxuriose viventium impense augentes. Ibi tunc ea omnia fiebant, quae cum orientalium cultibus ecstaticis — *θεοφόρητοι* enim nuncupantur deae in publicum prodeuntis stipatores — arcte coniuncta esse scimus omnes, sive antiquos sive hodiernos spectamus. Accedebat autem ut oppidum ingenti copia mulierum corpore quaestum facientium redundaret, essetque harum pars maior ex ipsis hierodulis conscripta [1]).

Quid hinc discimus? Primum, non solas mulieres sed viros iuxta feminas templi muneribus esse functos; deinde hierodulas

1) Strabo p. 557: *πλῆθος γυναικῶν τῶν ἐργαζομένων ἀπὸ τοῦ σώματος, ὧν αἱ πλείους εἰσὶν ἱεραί.*

Digitized by Google

illas, ut in regione uberrima, non secus ac viros a strenuo labore fuisse quam maxime alienas; denique templi ipsius legibus obstrictas eas minime a virorum commercio abstinuisse sed copiam sui corporis cuilibet fecisse, deae cui serviebant gratum id acceptumque ratas.

Conferamus nunc hisce cum mulieribus Amazones, quales ex Hippolyti fabula nulli non innotuerunt. Quae virilem contactum spernunt nec nisi victae vinctaeque amorem patiuntur; vitant vitam quae intra urbium moenia et parietes molliter et languide degitur; habent in deliciis vitam illam liberam atque laetam qua fruuntur aves in silvis, virentibus in campis hinnulei. Vagantur Amazones; sedem servant hierodulae; sunt illae castae, strenuae, fortes, hae autem molles, sine nervis, impurae. Quid igitur Amazo equo vecta, Dianae socia dignissima, commune habet cum hetaera orientali?

At habuerit ante oculos Muellerus hierodulas Dianae Ephesiae, quas castissimas fuisse tradidit Plutarchus Romanis cum Vestalibus eas comparans [1]). Fac virum doctum — licet de Comanensibus aperte loquatur — cum apud Pausaniam [2]) legisset Amazones errantes usque ad Ephesum pervenisse ibique coloniam reliquisse, Ephesias voluisse hierodulas. Tunc observo Amazonum mentionem fieri tam in mytho de Ephesi origine quam in originibus Smyrnae, Cumarum, Myrinae, Grynae, Pitanae, Mytilenarum, Amastris, Sinopae, aliorum oppidorum in ora maritima sitorum; cum mari quoque Myrtoo hoc nomen fuisse coniunctum; denique hierodularum genus eiusmodi, quale Ephesi habitabat, ne ipsi quidem Graeciae ignotum fuisse.

Itaque cum tales mulieres, quae Graecis ab antiquissimis temporibus ante oculos versarentur, in Amazones abiisse minime sit verisimile, abiciamus sententiam egregii viri, quem Themiscyrae et Comanorum viciniam in errorem induxisse arbitror.

Venimus iam ad explicationem Welckeri ceterorumque virorum doctorum, qui post eum mulierum septentrionalium mores

---

1) An seni ... § 24.
2) VII, 2, 7.
3) Schol. Ap. Rhod. I 752.

Digitized by Google

laudarunt, incursiones in Asiam excogitarunt, pro mythi fundamento habuerunt.

Scio Asiam Minorem olim a Scythis Cimmeriisque late populantibus tutam non fuisse, Phryges etiam Bithynos, Mysos, e Thracia esse oriundos. Fidem habeo Straboni asseveranti [1]) sub tumulo quem

ἄνδρες Βατίειαν κικλήσκουσι,
ἀθάνατοι δέ τε σῆμα πολυσκάρθμοιο Μυρίνης,

sepultam fuisse Amazonem quae ipsis Troiae sub moenibus cecidisset. Memini Priamum et Bellerophontem, alterum Sangarii in ripis, alterum in Lycia contra Ἀμαζόνας ἀντιανείρας belligerasse. Credere non recuso securim ab Hercule Amazoni ereptam Iovi Labrandeo Lyciae numini esse traditam [2]); peltam Amazonicam κιττοῦ πετάλῳ παρεοικυῖαν gestasse Mosynoecos [3]). Amazonum denique nomen, quod hucusque frustra tentatum est, linguae graecae deberi cum negent v. d. aliunde repeti non veto. Attamen, licet multa vestigia in Asiam nos ducere videantur, licet Homeri temporibus mulieres armatae ex equis pugnantes, in Phrygia vixisse ferantur, contendere tamen ausim Amazones Graecas illas, quas ex Hippolyti fabula cognitas habemus, habendas esse in numero numinum vere Graecorum; orientalibus cum mulieribus in epico carmine laudatis nil nisi nomen commune habere Dianae illas socias, sed aut congruentes ob mores illis quoque tributum esse Amazonum nomen ex Asia translatum, aut quod potius credo, Homerum Asiae turbam fabulosam designasse nomine mythologico, quod vulgo Graeci ad immortales suas Amazones indicandas adhibere essent soliti.

Minime autem recondita aut abstrusa videbuntur argumenta quibus inductus sum ut Amazones Graeciae ipsi vindicarem. Variis enim locis Graeciae Pausanias et Plutarchus viderunt tumulos ingentes, ubi Amazones sepultas iacere fama ferebat; abundabant vero hisce sepulcris Athenae ipsae. Iam primum, si Amazones fuerunt feminae asiaticae, cur sepulcra per *totam* fere Graeciam, in Thessalia, Boeotia, Attica, Peloponneso ha-

1) XII. 573
2) Plut. Quaest. graec. 45.
3) Xen. Anab. V. 4.

Digitized by Google

bebant? Theseum sunt secutae! Mythum non nescio; at sunt secutae *per mare* Pindaro teste, qui eas in itinere Ephesi templum condidisse narrat [1]). Terrestri itinere reverterunt! Credo, licet alia suspicer coll. Plut. Thes. c. 27; at terrestre illud iter haud dubie non per Taenarum ducebat [2]); neque est verisimile mulieres equis vectas, turbam rapacem expeditiones suas e Phrygia usque ad Taenarum promuntorium extendisse.

Sed, ut omnis dubitatio tollatur, caligo dissipetur, volvamus Plutarchi Vitam Thesei, ubi inter multa fabulosa legimus verba haec: *τὴν γινομένην πάλαι θυσίαν ταῖς Ἀμαζόσι πρὸ τῶν Θησείων* (c. 27).

Erat igitur Athenis sacrum solemne ad Amazones placandas institutum. Sed quis unquam populus, cuius regionem turba praedonum aliquando infestam reddidisset, sacrificium annuum hunc ob hostem per saecula procuravit? Cum contra Gallos ad Aliam foede esset pugnatum, Romani, homines religiosissimi, diem a. d. XV Kal. Sext. Aliensem appellarunt nullique rei sive publice sive privatim agendae idoneum censuerunt atrum illum diem. Sacrificio quoque, quod quotannis exin fieret, celebrarunt? Minime; *religiosus* vocabatur, quibus diebus, Gellio teste [3]) *res divinas facere temperandum erat.* Maiores nostri a Normannis quam vehementissime violati precibus suis addere solebant: „a Normannis libera nos, o Domine!" Quot autem annos haec consuetudo valuit? nonne statim evanuit ut piratarum expeditiones fieri desiere? Neque mirum; nam simulac periculorum causas sustuleris, procurationes quoque periculorum brevi erunt sublatae. Quae lex humana tam nostris quam antiquis temporibus valuit inque futuris valebit. Neque vero admodum simile videtur Athenienses antiquissimis illis temporibus sacrificasse numini asiatico longinqua e regione Athenas traducto, vel epicis solum e carminibus cognito. Suos deos Graeci illi colebant et cum in herois cuiusdam honorem festum instituerent vel instaurarent, minime ex Asia sed ex ipsorum mythis atque moribus nova illa sacrificia novique cultus oriebantur:

---

1) Paus. VII, 2, 7.
2) Cf. Paus. III, 25, 3
3) Gell. IV, 9, 5.

Digitized by Google

non haec sollemnia Graecis,
has ex more dapes, hanc tanti numinis aram,
vana superstitio veterumque ignara deorum
imposuit.

Itaque Cimonis aequales, Thesei corpore Athenas translato, herois festum maiore quam antea apparatu agentes cum τὰ Θήσεια sacrificiis, certaminibus, ludis augerent, instituerunt ut Connidae Troezenio, quo Theseus paedagogo usus esse ferretur, quotannis aries immolaretur. Fuerat autem Connidas ille Troezeniorum θεὸς χθόνιος, ut docent Plutarchus [1]) et Hesychius i. v. Κονειδεῖς [2]).

Eodem autem tempore antiquum quoddam sacrificium, quod pedetemptim obsoleverat, cuius veram vim atque naturam non amplius perspiciebant, sacrificium olim Amazonibus *graecis* oblatum, redintegrarunt et cum Theseis coniunxerunt, ea lege ut Thesei res tam in Europa quam in Asia contra Amazones gestae illo sacro celebrarentur. Nempe οἱ μυθοποιοί, Thesei novos errores ex Herculis illis fingentes dudum de Thesei in Asiam expeditione fabulabantur, cum Graeci antiquissimi, ut videbimus infra, pugnam ipsa in Graecia cum Amazonibus commissam novissent solam. Quinimo ad Amazonomachiam apud Themiscyram habitam facinora herois ipsa in patria gesta iam sordebant, donec ingeniosus aliquis homo fingens hostem muliebrem Theseum esse persecutam, cum novo mytho coniunxit veterem et ab interitu servavit.

Quae autem fuerunt Amazones illae Graecae, divinae originis mulieres, quibus nihil praeter nomen cum asiaticis illis ex Homero cognitis commune esse puto? Quarum cultum atque nomen tam tota Graecia quam per mare Aegaeum oramque Asiae maritimam nulli non innotuisse constat, siquidem in mythis tot urbium Ionicarum, Aeolicarum, Ponticarum partes primas agunt? Quarum imago antiquis hominibus tam vivida ante oculos obversabatur, ut turbam mulierum vagantium, procul in Asia libere viventium, simulac earum fama in Ionia per-

1) Plut. Thes. 4: ᾧ κριὸν ἐναγίζουσι.
2) γένος ἰθαγενῶν i. e. αὐτοχθόνων.

Digitized by Google

crebruisset, mero nomine Amazonum satis accurate indicari putarent poetae epici? Quae cum e caelo in terras descendissent, i. e. cum mythus factus esset historia, sedes domusque in Caspii maris regionibus acceperunt a posteris, quos nuntii praesertim de Sauromatarum mulieribus in errorem induxerant.

Iam Pindarus teste Pausania [1]) Ephesiae Dianae templum conditum fuisse cecinit ab Amazonibus; accuratius autem fabulam tractavit poeta doctissimus, rerum antiquarum quam maxime curiosus, Callimachus, qui in Hymno Dianae (vss. 237 sqq.) deam ita alloquitur:

σοὶ καὶ Ἀμαζονίδες, πολέμου ἐπιθυμήτειραι
ἔν κοτε παρραλίῃ Ἐφέσου βρέτας ἱδρύσαντο
φηγῷ ὑπὸ(?) πρέμνῳ· τέλεσεν δέ τοι ἱερὸν Ἱππώ·
αὐταὶ δ' „Οὖπι ἄνασσα" περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο,
πρῶτα μὲν ἐν σακέεσσιν ἐνόπλιον, αὖθι δὲ κύκλῳ
στησάμεναι χορὸν εὐρύν· ὑπήεισαν δὲ λίγειαι
λεπταλέον σύριγγες, ἵνα πλήσσωσιν ὁμαρτῇ,
αἱ δὲ πόδεσσιν
οὖλα κατεκροτάλιζον, ἐπεψόφεον δὲ Φαρέτραι.

En igitur virgines armatae, Amazonides, circum Dianae imaginem fagino sub trunco erectam ducentes chorum; deam autem invocant verbis „Οὖπι ἄνασσα".

Upis vel Opis illud nomen, a Cicerone quoque [2]) memoratum, quadam tenus illustratur Athenaei observatione [3]), carmina Dianae in honorem cantata nominata fuisse *οὐπίγγους*. Scholion autem ad Apoll. Rhod. I vs. 972 lucem affert clariorem: *οὔπιγγος παρὰ Τροιζηνίοις εἰς Ἄρτεμιν ὕμνος.*

Troezene igitur Diana Οὖπις audiebat; ibi exercebat choros dea,

quam mille secutae
hinc atque hinc glomerantur oreades: illa pharetram
fert umero, gradiensque deas supereminet omnis.

Nec immemores sumus ipsam Troezena fabulae Hippolyti fuisse scenam, hac in urbe Amazonis illum filium vixisse mortemque obiisse, ibi praesertim sonuisse cantica quale fuit Euripideum:

---

1) VII, 2. 7.
2) Nat Deor. III 23.
3) XIV p. 619.

Digitized by Google

πότνια πότνια σεμνοτάτα,
Ζανὸς γένεθλον,
χαῖρε χαῖρέ μοι, ὦ κόρα
καλλίστα πολὺ παρθένων.

Quid multa: Troezen urbs, si quae alia, Opis Dianae eiusque sociarum cultu erat insignis. Dea illa tam terrae quam maris dominatrix potentissima et saevissima, naturae vim indomitam specie caelesti repraesentans, cuius adventum nocturnum in silvis significabant procellae stridentes, in mari fluctus commoti spumaque conspersi, licet nusquam non per Graeciam ab agricolis nautisque honoraretur, a Troezeniis ante alios anxie culta esse videtur. Sed non minore honore ibi fruebatur caterva illa nympharum, quacum per montes et maria vagari solebat Latonae filia. Vix enim nata patrem adierat virgo obsecrans:

δὸς δέ μοι ἑξήκοντα χορήτιδας Ὠκεανίνας,
δὸς δέ μοι ἀμφιπόλους Ἀμνισίδας εἴκοσι νύμφας [1]).

Nec repulsam tulerat, immo:

ἔνθεν (ibat) ἐπ' Ὠκεανόν· πολέας δ' ἐπελέξατο νύμφας
πάσας εἰνέτεας, πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους.
χαῖρε δὲ Τηθύς,
οὕνεκα θυγατέρας Λητωίδι πέμπεν ἀμορβούς [2]).

Nec immerito dea virgo nymphas oceano ortas diligebat, quae enim:

πρῶται θοὰ τόξα καὶ ἀμφ' ὤμοισι φαρέτρας
ἰοδόκους ἐφόρησαν· ἀσύλωτοι δέ φιν ὦμοι
δέξιτεροί, καὶ γυμνὸς ἀεὶ παρεφαίνετο μαζός [3]).

Suo igitur iure maritimam deam comitabantur Amazones illae e fluctibus ortae, nam et ipsa Opis matrem habebat Γλαύκην, numen maritimum, invocabatur et ipsa:

δέσποιν' ἁλίας Ἄρτεμι Λίμνας [4]),

templumque possidebat in litore ipso Sinus Saronici.

Optimae autem frugis sunt Strabonis haec de Elide verba: μεστὴ δ' ἐστὶν ἡ γῆ πᾶσα Ἀρτεμισίων τε καὶ Νυμφαίων διὰ τὴν εὐυδρίαν [5]).

---

1) Callim. H. D. vs. 13 sq.
2) ibid. vs. 42.
3) ibid. vs. 212 sqq.
4) Eur. Hipp. vs. 228.
5) VIII, 343.

Digitized by Google

Deam vero maritimam equo vehentem depictam fuisse, non est quod miremur, quoniam equus fuit fluctus commoti imago antiquissima. Hanc ob causam nummus ephesius [1]) exhibet Dianam in equo sedentem. Accedebat sane quod eadem dea lunaris fuit, sed et illam ob causam equo albo vehi solebat Diana, ut omnia numina lucifera [2]). Quod ad comites eius attinet, eas quoque eadem de causa equis esse usas per se intellegitur. Iam vidimus unam harum nympharum Ἱππώ fuisse vocatam; addam autem alterum testimonium non minoris pretii. Legimus apud Pausaniam [3]): χωρίον Ἀρτέμιδος καὶ Νυμφῶν ἐστὶν αἱ Κάρυαι· χοροὺς δὲ ἐνταῦθα αἱ Λακεδαιμονίων παρθένοι κατὰ ἔτος ἱστᾶσι καὶ ἐπιχώριος αὐταῖς καθέστηκεν ὄρχησις. Referunt igitur virgines illae Καρυάτιδες [4]) imaginem Amazonum circum Dianae Ephesiae aram saltantium, quas e Callimachi versibus notam habemus. Nam πυρρίχην fuisse illam saltationem Lucianus [5]) aperte docet; cuius haec sunt verba: Λακεδαιμόνιοι ... παρὰ Πολυδεύκους καὶ Κάστορος καρυατίζειν μαθόντες e. q. s.

Eodem autem ritu alibi quoque Dianam et Amazones celebrasse videntur virgines. Erat Pausania teste [6]) Spartae templum quoddam Dianae sacrum, ubi sancto munere fungebantur παρθένοι καλούμεναι κατὰ ταὐτὰ ταῖς θεαῖς καὶ αὗται ... quomodo? Λευκιππίδες. Quamobrem? Quoniam mortales speciem referebant Amazonum, hae autem ut ipsa Dea vehebantur *equis albis* erantque — ut utamur poetico verbo — verae λευκόπωλοι.

Res ipsa loquitur pro se: non secus ac ipsa Diana comites eius mari progenitae, cursu celerrimo campos et aequora perlustrare solitae, equis vehentes vulgo fingebantur. Erant autem armatae ut ipsa Dea lunaris: peltis lunatis, arcubus, securibus. Tali ornatu Amazo

vel intactae segetis per summa volaret
gramina nec teneras cursu laesisset aristas
vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
ferret iter celeris nec tingueret aequore plantas.

Ceterum Crusius [7]) optimo iure observavit Camillam Amazo-

1) Mionnet Suppl. VI, 435.
2) Robert Arch. Märchen tab. III.
3) III, 10, 7.
4) Polluc. IV, 104.
5) de Saltat. 10.
6) III, 16, 1.
7) Lex. Rosch. I 1835 sqq.

Digitized by Google

nem italicam, quam Vergilius [1]) vividis coloribus depinxit, non solam Penthesileam sed etiam Harpalycen in mentem nobis revocare. Fuit, si quid video, haec Harpalyce vera Amazo graeca, nomenque eius cohaerere puto cum Diana illa, cui Hippolytus, si fides Periegetae, *ναὸν Λυκείας Ἀρτέμιδος* dedicavit. Suspicatur autem Pausanias hanc *ἐπίκλησιν*, quam a voce *λύκῳ* derivat, Amazonibus quoque fuisse tributam. Haud iniuria, nisi quod nomen cum *lucendi* radice *λυκ-* cohaerere puto. Quod si quis forte contendat Lyceae nomen idcirco ab antiquis fuisse derivatum a voce *λύκῳ*, quod Amazonum vim nocendi hac imagine exprimi posse opinarentur, eum nec redarguere possim nec ducem sequi velim.

Talem autem vim Dianam cum sociis suis habuisse non facile refellet quicumque hanc turbam cum germanica illa, quae „Wilde Jagd" appellatur vel obiter comparaverit. Sic *οὔπιγγοι* fuerunt carmina *ἀλεξίκακα*, quibus agricolae saevam mortiferamque illam turbam a frugibus arcere conabantur.

Fortes autem heroes non ad carmina sed ad gladium confugiebant, certamen cum ipsis daemonibus minime detrectantes. Talis hero fuit Theseus, qui in eadem regione, ubi Periphetam, Sinim, Scironem, Cercyonem, Procrustam, tot alia monstra naturae vires nocentes referentia, e medio sustulit, Amazones quoque impugnavit. Qua de causa non modo Athenis sed et aliis locis, puta *ἐν Γενεθλίῳ*, cum iis certasse fertur. Nec non, ut magno heroi par erat, cum Amazonum praestantissimis concubuit, filiosque ex iis procreavit, quorum nomina clare indicant ipsarum matrum naturam. Sic e Perigone Sinis filia genuit *Melanippum*, ex Antiope *Hippolytum*. Nonne ipse Alexander Magnus Thesei exemplum secutus cum Amazonum regina rem habuisse tradebatur?

Antiope autem — Hippolyte quoque vocatur — postea pugnans occidit, *καὶ τὴν στήλην τὴν παρὰ τὸ τῆς Γῆς τῆς Ὀλυμπίας ἱερὸν ἐπὶ ταύτῃ κεῖσθαι* narrabant posteri. Roganti vero quae fuerit Γῆ illa *Ὀλυμπία* Plutarchus [2]) respondet fuisse cognomen ..... Lunae. Ecquid etiam dubitandum est, quin Hippolyte illa comes Dianae lunaris i. e. deae vere graecae

1) VII 803, XI 570 sqq

2) De defect. orac. 416 E.

Digitized by Google

graecoque templo honoratae, pro nympha graeca sit habenda?

Postremo suspicor et Helenam illam, quam Theseus in templo Dianae Orthiae saltantem rapuit [1]), Amazonem fuisse. Tyndareus enim, Helenae pater, cum filiae procos adigere vellet ad iusiurandum, quo Helenae maritique vitam ab omni iniuria se defensuros promitterent iuvenes, *equo mactato* per hostiae τόμια iuratos obstrinxit [2]). In Lysistrata autem fabula [3]), cum de coniurandi ratione modoque inter feminas fit sermo, una ex iis *equum album* mactari iubet, quem morem ad Amazones optimo iure unus e priscis interpretibus in scholiis refert. Nam equos ab Amazonibus immolatos commemorat etiam Pseudo-Callisth. III, 25. Nullus igitur dubito quin Tyndarei sacrificium ad Amazonum mores, Helena ipsa ad Amazones sit referenda, praesertim cum equorum mactandorum usus historicis etiam temporibus valuerit apud Scythas [4]), i. e. apud populum quocum Amazonum nomen arctissime fuit coniunctum, ubi priscorum Graeciae incolarum mores radices egerant firmissimas. Colebatur Ephesi Hecate quaedam Ἀπαγχομένη, Rhodi Ἑλένη Δενδρῖτις; haec a mulieribus Tlepolemi mortem ulciscentibus ex arbore suspensa fuisse tradebatur. Quid inter deam Ephesiam et Rhodiam, quid inter eas et Dianam, quid denique inter Dianam ipsam et Amazones interest? Nonne cuivis perspicuum, virgines illas, e quibus Dianae chorus erat constitutus, ad unam omnes rettulisse ipsius deae imaginem saepius veluti in speculis sibi oppositis repetitam. „Das Göttliche ist seiner Natur nach ein Unbegrenztes (ἄπειρον), das niemals durch eine Person, die wirklich individuell geworden ist, ganz ausgefüllt werden kann. Der Plural ist an sich etwas Abstrakteres" [5]).

Fuerunt igitur Amazones omnes Dianae, ut Diana ipsa fuit Amazo. Neque in Orientis angulo aliquo obscuro vel in Scythiae regione hiberna quaerenda est earum patria, sed ibi ubi Latonae filia primarium semper locum in hominum mentibus occupavit: *in ipsa Graecia.*

---

1) Plut. Thes. 31.
2) Paus. III, 20, 9.
3) Lysistr. vs. 191 sq.
4) Lucian. Scyth. 2.
5) V. Wilamowitz Griech. Trag. II p. 217.

Digitized by Google

DE MATRE MAGNA PERGAMENORUM.

SCRIPSIT

K. KUIPER.

Varia atque diversa hodie scriptores iudicant de rege Attalo primo. Quos admiratione tenet robur iuvenile nascentis crescentisque sub eo regni Pergameni, ii tanquam alterum Hectorem, patriae defensorem salutant τὸν Σωτῆρα, Galatas uno impetu depulsantem et, dum ovans urbem intrat, ipsum se vittis regiis coronantem. Contra alii istius modi panegyricos aversati, ministrum et pedisequum Populi Romani, Prusiae subsimilem, Servatorem illum vocant.

Equidem quoties sive laudes Attali nimias audio sive iudicia de eo severiora, libenter recurro ad Polybii sobrium illud et sanum de rege Pergameno elogium tam odio indigno quam laude rhetorica liberum, quod inter fragmenta libri XVIII (c. 41 Dind.) servatur; et praesertim relego verba verissima eademque simplicissima quibus scriptor Graecus exponit, quam fideliter Attalus πρὸς πάντας τοὺς συμμάχους καὶ φίλους τὴν πίστιν διεφύλαξε.

Nam ut eventu non carerent quae olim Arcesilaus de Pergamo vaticinatus erat:

εἰ δὲ τὸν ἐκ Διόθεν θεμιτὸν θνατῷ νόον εἰπεῖν,
ἔσσεται εἰσαῦτις πολλὸν ἀειδοτέρη,

id prae ceteris Attalus primus effecit, tam rebus bello gestis quam consiliis. Bello enim Macedonico exardescente Graeciam ab hoste defensurus urbemque suam in posterum servaturus, societatem cum Romanis iniit non vi quadam coactus sed proprio

Digitized by Google

consilio usus, quo consilio nihil fuit quod aut sapientius aut reipublicae Pergamenae magis salutare esse posset.

Livii de hac societate verba, superba illa et plane Romana, secuti nonnulli scriptores hodie quoque ex eventu severe iudicant de Attali consiliis. Magis iis placuisset Σωτὴρ ille contra Romanorum vires invictas patriam ad mortem usque defendens, quam rex sensim in clientelam Romanam delapsus. Itane, delapsus? — Aequius iudicium de Attalo ferebat Polybius, ex cuius historia hoc saltem constat, in Romanorum amicitiam eum neque socordia illapsum esse neque temeritate decidisse, sed certo consilio inductum eam quaesivisse. Societatem autem dum quaerit, sedulo dedit operam — quo in labore naviter praesto ei fuisse videntur qui in aula Pergamena antiquissimae regni historiae investigandae, sive excogitandae, incumbebant — ut arctioribus vinculis Romam cum Pergamo coniungeret quam quae contrahuntur ex belli quadam necessitate. Consanguinitatem qua Romanorum proavi cum Pergamenorum patribus coniuncti fuissent, multis disertisque testimoniis demonstrare certabant scriptores, et forsitan poetae. Novimus, quantopere illa aetate adamata fuerit ea ratio excogitandi historiam, a qua neque Alexandri scriptores neque Antiochi abstinebant — quin mox ne Iudaei quidem Palaestinenses [1]).

Aeneadum historias inventas esse a scriptoribus Pergamenis, quo arctius vinculum coniungeret gentem Romanam cum Troianis, communesque proavi essent Romae et Pergamo, hodie vix exstat qui neget. Diserte de hac re Wilamowitzius iam ante annos plus viginti ita iudicavit: „Es braucht wohl nur ausgesprochen zu werden, dass in Pergamon wesentlich die Römische Aeneassage ausgestaltet ist" (*Antig. v. Karyst.* p. 161). Sed non solum poetarum inventis priscam Romanorum historiam illustrari iussit Attalus, cultu quoque sanctissimo haec inventa corroborari, amicitiam societatemque Romanam suis sibique firmari, Romam a Pergamo sacra religione et salutari donari voluit. Hoc consilio id egit ut Matris magnae cultus solemnis Romae institueretur.

---

1) Laconicae epistulae *ἀντίγραφον* asservabant Maccabaei (Macc. I. 12. 20): *Ὀνιάρης βασιλεὺς Σπαρτιατῶν Ὀνίᾳ ἱερεῖ μεγάλῳ χαίρειν. εὑρέθη ἐν γραφῇ περί τε τῶν Σπαρτιατῶν καὶ Ἰουδαίων ὅτι εἰσὶν ἀδελφοὶ, καὶ ὅτι εἰσὶν ἐξ Ἀβραάμ.*

Digitized by Google

Duo de hac re supersunt nobis testimonia antiqua: Livii volo et Ovidii; quae enim extant apud Appianum Herodianumque in praesens neglegere praestat; quin etiam Diodorus, licet universe in illius aetatis rebus narrationem Polybianam reddat, hoc tamen loco certi antiquive testis instar esse non videtur. Livium inter et Ovidium plerisque nostrorum temporum historicis optio haud dubia fuit: historico fidem habendam esse potius quam poetae qui omnia temere fabellis exornet, omnes fere persuasissimum ad hunc usque diem habere videntur; vix unus alterve extremis annis extitit qui contra Herzbergium Ihnium Mommsenium contenderet — ut fecit Leo Bloch in Philologo LII 580, et anno insequenti E. Hoffmann in Museo Rhenano p. 93 — haud spernenda veritatis vestigia subesse narrationi Ovidianae quamvis poetice exornatae.

Utrumque testem Romanum aeque audiri oportet; et primo quidem loco, ut postulat historici, viri gravissmi, auctoritas, Livium. Is qua de causa missio ad Pergamenum regem anno Urbis 549 facta sit, hunc in modum exponit (Lib. 29. 10. 4):

„Civitatem eo tempore repens religio invaserat invento carmine in libris Sibyllinis propter crebrius eo anno de caelo lapidatum inspectis, quandoque hostis alienigena terrae Italiae bellum intulisset, eum pelli Italia vincique posse, si Mater Idaea a Pessinunte Romam advecta foret. Id carmen ab decemviris inventum eo magis patres movit, quod et legati, qui donum Delphos portaverant, referebant et sacrificantibus ipsis Pythio Apollini omnia laeta fuisse, et responsum oraculo editum: maiorem multo victoriam, quam cuius ex spoliis dona portarent, adesse populo Romano".

Quae hucusque narrat Livius non eiusmodi sunt ut tamquam ficta falsaque statim ea reicias. Surgunt quidem in animo initia quaedam dubii; subit rogare: „Quid carmen Sibyllinum aut saltem Sibyllino subsimile de Pessinunte cecinit? Noveratne Vates in agro Italo (ut nos saltem credimus) nata, noverat Pessinuntem, urbem remotissimam, in Galatiae finibus sitam?" Sed nocet nimia suspicio: Sibyllae diffidere nefas. Ecce, ex Livii verbis Latinis revocabis in lucem versus quibus usa fuerat mulier divina:

„ἀλλ' ὅταν οὐρανόθεν λᾶες πεδίονδε πέσωσι,
δὴ τότε Μητέρα δεῦρο καλεῖν ἐκ Πεσσινόεντος".

Digitized by Google

Sed mitto Sibyllae arcana; quidni carmen sine divino afflatu compositum et aliunde in Italiam advectum, Pessinuntiae deae mentionem facere potuit? Itaque ne nimis festinanter reiciamus Livii testimonium; audiamus quae narrare pergit, praesertim videamus, numqua luce ex sequentibus illustretur responsum illud, mirum et obscurum, quod legatis dedit Pythia.

Romani itaque (id quod sequentibus exponitur paragraphis) constituunt cogitare, quaenam ratio transportandae Romam deae esset; et quamvis „nullasdum in Asia socias civitates haberent," commode iis in mentem incidit „iam cum Attalo rege propter commune adversus Philippum bellum coeptam amicitiam esse". Eum in tanta re Romanorum gratia facturum „quae posset" rati, legatos Pergamum mittere constituunt. In quorum numero aptissimus ad munus sibi commissum fuit M. Laevinus, nam is paucis annis ante in Graecia bellum gerens societatem cum rege Pergami inierat.

En historicorum Romanorum ars, vel potius artificia. Res factas nullas fortasse hic reticet Livius, quae factae non sunt non, saltem hucusque nondum, fingit; tamen arte sua ipsam rerum imaginem prorsus immutat. Ordine enim commutato ita omnia disponit, ut ultro — ne imminuatur laus et honor Romae — perfecisse populus Romanus videatur quae revera ab aliis excogitata parataque essent. Difficile nobis foret haec artificia deprehendere, nisi in sequentibus scriptor, nimis rem confundens fictaque veris addens, mendacia annalium quibus utitur ipse prodidisset. Quid enim? Proficiscuntur Pergamum legati, quinque triremibus, „ut ex dignitate populi Romani adirent eas terras ad quas concilianda maiestas nomini Romano esset", magis itaque de suo quam de Matris honore solliciti!

Sed quid legati? „Asiam petentes, protinus Delphos cum escendissent, oraculum adierunt consulentes, ad quod negotium domo missi essent, perficiendi eius quam sibi spem populoque Romano portenderet. Responsum esse ferunt *per Attalum regem* compotes eius fore quod peterent; cum Romam deam devexissent tum curarent, ut eam qui vir optimus Romae esset, hospitio acciperet. Pergamum ad regem venerunt. Is legatos comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit sacrumque

Digitized by Google

iis lapidem, quam matrem deum incolae esse dicebant, tradidit ac deportare iussit".

Narrationis, iam diu nobis suspectae, fraus hoc exitu proditur. Si revera Senatus sua ipse sapientia usus non solum excogitavit Attalum regem esse a quo in Matre arcessenda auxilium sperari posset, sed etiam quantum navium maiestati populi Romani sufficere videbatur iam ornaverat et Pergamum versus mitti decrevit, actam rem egerunt legati — et muneris sui fines egrediebantur! — cum iterum Delphos petiverunt. Sin vero ad deam quaerendam profecti primum adierunt Delphos, ita facere, ut in re obscura, a Senatu iussi erant. Ita extrema narratio — antiquioris testimonii pars, quam melius Livius omisisset cum in laudem summi populi rem refingeret — falsi arguit ea quae praecedunt. Quod ut melius appareat operae pretium est conferre quae in prioribus capitibus de legationibus Pythiis dicta sunt. Videbis ex iis, neque in consilia Romanorum neque in responsa Pythiae referendo certa atque diserta a Livio tradi. Capite decimo narratur, carmen a decemviris inventum eo magis movisse patres, quod et legati qui *donum Delphos portavissent*, ambiguum quoddam sed laeti ominis responsum inde rettulissent, idemque donum memoratur libro 28. 45. 12: „legati Delphos ad donum ex praeda Hasdrubalis portandum missi *etc.*", sed neque in ipsa de Hasdrubale victoria enarranda Livius huius doni fecerat mentionem, qui libro 28. 10. 16 hisce se continet verbis: „pecuniae in aerarium tulerunt sestertium triciens, octoginta milia aeris", nec verbum habet de tali dono Polybius, qui de praeda hoc tantum dicit XI. 3: „ἀφ' ἧς εἰς τὸ δημόσιον ἀνήχθη πλείω τῶν τριακοσίων ταλάντων". Neque vero scriptor nobis facile persuadebit, Romanos donum obtulisse Pythio Apollini, cum nihil haberent quod ab eo peterent. Potius credamus, tum demum cum a decemviris moniti essent ut Delphicum deum adirent eiusque consilio in rebus divinis uterentur, tum itaque cum de Matris cultu instituendo primum sermo factus esset, simul patres ita faciendum decrevisse et dono ex hostium praeda deum placandum statuisse.

Convenit haec suspicio cum iis quae de religione Romanorum vehementer iis ipsis annis commota tam aliunde quam ex ipso Livio novimus. Externos cultus Libris Sibyllinis iam multo

Digitized by Google

ante commendatos [1]) memorant scriptores. Lectisternia anno 400 Apollini habita, graeco cultu, meminimus (Liv. 5. 13). Aesculapium ab Epidauro arcessitum anno 293 (cf. Liv. X 47) novimus. Neque dubitamus, quin sacerdotes Epidaurii petentibus Romanis libentissime tradiderint anguem sacrum quendam ex mansueto illo genere quod sola Epidaurus alere dicebatur. Saepius cultus Graecos in Sibyllarum carminibus Graece conscriptis subobscure fortasse sed haud dubie esse commendatos persuasissimum habemus. Quo tempore autem Matris magnae cultus Romanis commendari coeptus est — nam sensim nascitur non uno carminis iussu imponitur talis religio — iam pridem vehementer commoti erant animi Romanorum, nondum fortasse certo cuidam numini faventibus iis qui antiquam religionem mutare studebant, sed a prisco tamen deorum Romanorum cultu animos civium revocantibus. Haec ipse Livius optime exposuit libro 25 cap. 1. 7, ubi in rebus anni 213 enarrandis ita statuit: „nec iam in secreto modo atque intra parietes abolebantur Romani ritus, sed in publico etiam ac foro Capitolioque mulierum turba erat nec sacrificantium nec precantium deos patrio more. Sacrificuli ac vates ceperant hominum mentes". Sive Bacchica sive alia hic respicit sacra, Graeca tamen eum significare certum est. — Invaserat igitur, necdum quaero unde ortum, sed invaserat externae, i. e. Graecae religionis desiderium rem publicam Romanam. Et primum graviter incusati sunt aediles, quod ea non prohibuissent; mox M. Aemilio praetori urbano negotium a Senatu datum est, ut iis religionibus populum liberaret. Qui edixit, ut „quicumque libros vaticinos — graeca opinor carmina pleraque et venditata tamquam Sibyllina — precationesve aut artem sacrificandi conscriptam haberet, eos litteras librosque omnes ad se ante Kalendas Apriles deferret." Tum, omnibus carminibus formulis vaticinationibus sedulo inter se comparatis secrevit cum collegio quidquid falsum funestumve videbatur; si quid autem reperiebat certa auctoritate munitum vel origine divina commendatum, id librorum fatalium collectioni

1) Non persuasit mihi Hoffmann l.l. demonstrare conatus in ipsis libris Sibyllinis numquam iussum fuisse peregrini numinis cultum assumi, sed Delphicos sacerdotes iussa Sibyllae ita interpretatos esse.

Digitized by Google

adiciendum curabat. Scilicet non omnia spernenda duxisse viros sacrarum rerum peritos quos in obscura re adhibuit praetor, discimus ex iis quae sequenti anno facta sunt, cum „religio nova obiecta est ex carminibus Marcianis", quae „cum conquisitio priore anno ex SC. talium librorum fieret in M. Aemilii praetoris manus venerant" (l. 25. 12. 2). Carmina Marciana, quorum auctoritas ex eventu comprobata summa fuit apud Romanos, sacris libris addita sunt; in quibus primum publice receptam dicas Troianam Romanorum originem, hisce enim verbis incipit carmen prius (Liv. 25. 12): „Amnem *Troiugena* fuge Cannam". Videmus itaque, iam circa annum 212 Graecos qui Italiam inhabitabant — eos enim haec carmina, Graece initio scripta deinde Latine versa, sive ipsos composuisse sive e Graecia accepta venditasse hominibus Romanis certum est — operam dedisse ut Aeneam proavum Romanis probarent. Sed aliud quoque ex hac re lucramur. Si, ipso praetore iubente, in sacrorum librorum numerum acccepta sunt Marciana carmina, simul alia quaedam addita esse admodum verisimile videtur. Ex iis opinor fuit illud quod in libris Sibyllinum anno 205 *inventum* esse Livius dicit. Carmen itaque quod Matrem Idaeam arcessi iubebat, antehac decemviris non fuisse cognitum sed nuper libris fatalibus additum ultro fere et diserte ipse Livius fatetur.

Quicunque haec omnia secum reputat, non potest quin videat quanto melius, quantoque simplicius rem expositam habeat Ovidius Fast. IV. 257: „carminis Euboici fatalia verba sacerdos inspicit" *etc.* — Sed malim disputationem de narratione Ovidiana integram reservare, quoniam primum hoc nobis disquirendum est, num videatur verisimile, aut in carmine a decemviris inspecto iam indicatum fuisse, *Pessinunte* Matrem esse arcessendam, aut revera postea — id quod narrat Livius 29. 11 — Attalo duce legatos Romanos ipsam urbem Pessinuntem adiisse. Si de altera re negaverimus, actum quoque erit de priore. Nam si Pessinuntia non fuit dea, quam ab Attalo acceperunt legati, in libris quoque non ita praescriptum fuisse iure contendas.

Quid autem minus probabile, quam anno 205/4 Attalum Pessinuntem adire potuisse, aut eius precibus Pessinuntios tradidisse lapidem summa sanctitate inclytum? — „At non dede-

Digitized by Google

runt", dicat fortasse quispiam, verba referens Appiani, qui *Hann.* 56 ita rem tradit Sibyllam vaticinatam esse: „*ἐξ οὐρανοῦ τι ἐς Πεσσινοῦντα τῆς Φρυγίας, ἔνθα σέβουσιν οἱ Φρύγες θεῶν μητέρα, πεσεῖσθαι τῶνδε τῶν ἡμερῶν καὶ δεῖν αὐτὸ ἐς τὴν Ῥώμην ἐνεχθῆναι· μετ' οὐ πολὺ δέ πεσεῖν προσηγγέλθη καὶ ἐς Ῥώμην ἐκομίσθη τὸ βρέτας*". Quibus e verbis si quis efficere velit Romanis secundum Appianum non ipsum deae *βαίτυλον* traditum esse a Pessinuntiis sed novum quendam lapidem, ex animo ei suffragabor, et ultro monebo eiusmodi quid in Matris cultu saepius usu venisse, veluti ex Cyziceno Metroo sanctissimo Samothraciae templum donatum est. Sed iam anno 205 ita egisse Pessinuntios non credam. Sane, Galatas vicerat Attalus; „non tamen ita infregit animos eorum, ut absisterent imperio" (Liv. 38. 16); eos autem Galatas quos ipse anno 218 ex Europa arcessiverat ad bellum cum Achaeo gerendum, pacare non potuit postea nisi pollicitus *ἀποκαταστήσειν αὐτοὺς πρὸς τὴν διάβασιν καὶ τόπον δώσειν εὐφυῆ πρὸς κατοικίαν* (Polyb. V. 77); qui autem eos paucis annis post regionem Troianam invadentes repressit et intra fines coegit, non Attalus fuit, sed Prusias. Parum ergo idonea haec tempora, quibus sive cum hisce, sive cum ceteris Gallis Galatiam incolentibus amicitiam contraheret Attalus in rebus Graecis ceteroquin tantopere occupatus, ut plus quam semel in Graecia hibernaret, domumque redire tum tantum solebat cum vicini — veluti Prusias — agro imminebant Pergameno. Nisi autem amicitiam cum Galatis iniret, ne potuit quidem adire Pessinuntem, nam, etiamsi iam tum Pessinuntiae civitatis sacerdotes liberi et immunes essent a Galatis, fines tamen Galatiae tenebat gens ferox et Attalo infensa. Aliquot demum annis post mutata haec esse videntur. Alia profecto iam erat Pessinuntiorum condicio, minus superbi animi Galatarum, cum anno 189 Cn. Manlius Galatiae fines transgrediebatur. Tunc enim a Galatis nequaquam prohibiti, duci Romano obviam venerunt *Γάλλοι παρὰ Ἄττιδος καὶ Βαττάκου, τῶν ἐκ Πεσσινοῦντος ἱερέων τῆς Μητρὸς τῶν θεῶν, ἔχοντες προστηθίδια καὶ τύπους, φάσκοντες* — id quod vix nuntiari opus fuisse Polybius quoque, qui haec scribit, iudicasset, si cognitum habuisset Romanos iam tum Matrem *Pessinuntiam* recepisse in ipsam urbem Romam — itaque *φάσκοντες προαγγέλλειν τὴν θεὸν νίκην καὶ κράτος* (Polyb. 22. 18. 5). Ex illo tempore —

Digitized by Google

neque antea — cum fracta Antiochi potestate Eumeni stabilitum est imperium cis Taurum Galatisque imposita lex ut pacem cum Eumene servarent (cf. Liv. 38. 40), ortae sunt Pergamenorum cum sacerdotibus Pessinuntiis amicitiae, quas testificantur templum Pessinuntiae Matris ab Attalidis ἱεροπρεπῶς κατεσκευασμένον (Strabo p. 567), et litterae Eumenis ad Attidem datae regni anno tricesimo quarto (a. C. 164/3) quas in lapide incisas haud procul a ruderibus antiquae urbis Pessinuntis invenit Mordtmannus anno 1859.

Matrem itaque, cuius cultum anno 204 Romani receperunt, Idaeam fuisse, non Pessinuntiam, multa sunt quae persuadeant. Et licet in re tam obscura, quam est Sibyllina vaticinatio, nihil pro certo affirmaverim, multa movent ut suspicemur, ipsum Attalum, cui cordi fuisse novimus, ut Pergamenorum cum Romanis consanguinitatem sacris firmaret documentis, commendandi huius cultus participem fuisse. Cultum enim Cybeles in agro Cumano frequentem obscurioribus verbis in carmine Cumano Romanis commendatum fuisse, sed a Delphicis sacerdotibus disertius indicatum, simulque monitum ut ab Attalo rege Matrem peterent, id sane demonstrare non potero, verum verisimile id reddi posse non despero; cum praesertim notum sit principes Pergamenos sedulo coluisse oraculum Delphicum, cuius numen inde a regni originibus in honore fuit in urbe Pergamena. Nonne tripode ornati iam fuerunt Philetaeri nummi; non Πύθιον erat in ipsa urbe? (Paus. 9. 35. 6 Fränkel *Inscr. Perg.* 4. 286. 309).

Sed maxime ut credamus ita rem aut factam aut saltem — quod demonstrari mea pluris interest — ita in laudem Attali ab auctoribus Pergamenis narratam esse, suadet narratio Ovidiana, ad quam nunc tandem devenio. Quam percurrentibus nobis non ipsi quidem fontes Ovidiani detegentur, quos tum demum inveniemus cum forte Nicandri ἑτεροιούμενα Hermesianactisve elegias ex terrae gremio postera quaedam nobis beatior eruerit aetas, sed enchiridia quoque illa in lucem redierint, quae haud minus frequenter quam carmina Graeca a poetis Romanis adhibita esse hodie nobis persuademus. Sed hoc saltem apparebit, non ubivis in Ovidio Alexandrinorum modo vestigia deprehendi atque hic quidem, in narratione de Matre deorum,

Digitized by Google

investigantibus perlucere — quamvis subobscure — viam quae ad Pergamenos fontes ducat.

Rationem quam fere postulat aetiologia secutus, Ovidius Fastorum libro IV a suae aetatis moribus enarrandis proficiscitur. Primum itaque Cybeles depingit sacra, qualia Augusti temporibus Roma videbat (vs. 179):

Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
flabit et Idaeae festa parentis erunt.
Ibunt semimares et inania tympana tundent
aeraque tinnitus aere repulsa dabunt.
Ipsa sedens molli comitum cervice feretur,
urbis per medias exululata vias.

Haec itaque de Matris festis qualia celebrabant Ovidii aequales. Sed neque nos credimus, neque poeta nos credere voluit, eiusdemmodi antiquum quoque illum fuisse cultum, quem suadente Apolline Pythio patres receperant saeculis duobus ante Augusti tempora. Quis enim putet deum Delphicum unquam sive Graecis sive Romanis commendasse cultum cui praeessent — pro nefas — ministri castrati? Spadones si unquam toleravit religio Apollinea, tamen numquam sua sponte in ullam intulit terram. Sua igitur tempora verbo tantum tangit poeta, quo facilius ad rerum causas exquirendas descendat. Roganti ex quo sciscitetur *αἴτια*, mittit ei „doctas Cybeleïa neptes", — a Graecorum enim Rhea ne minimum quidem differt Cybele Ovidiana, — Eratoni autem contigit respondendi munus [1]).

Quae sequitur narratio de Iovis nataliciis Curetumque ac Corybantium saltationibus a solita fabulae forma una tantum

---

1) Cur praesertim Erato poetae respondet? Satis inepta est causa quam ipse Ovidius fingit: „mensis Cythereius illi cessit, quod teneri nomen amoris habet". Torquebat poetam ni fallor molesta quaedam memoria Apollonii, qui *Arg.* lib. III initio pro Apolline Eratonem invocat: „*σὺ γὰρ καὶ Κύπριδος αἴσαν ἐμμορες.*" Et hic quidem apte; quippe qui cantaturus esset *τὸν τῆς Μηδείας ἔρωτα* — cf. quoque Ovid. *A. a.* II. 16. — amoris autem nullae omnino partes in fabula quam nunc incohat Ovidius. Id ipsum vero movet nos ut putemus fuisse quoque Eratonem in carmine quod sequitur poeta Romanus, sed eum parum perspecta causa importune lusisse in eius nomine. Antiquior autem poeta Graecus, cuius hic fere evanida subsunt vestigia, carmini aetiologico quod de Curetis circa Iovis cunas saltantibus acturum esset, tamquam praesidem fortasse praeposuit eam deam, quae *ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς* (nec apud eos solos) *εὑρέτις ὀρχήσεως* dicebatur.

Digitized by Google

re discrepat, sed ea gravissima, quod in tota hac parte mirum quantum Phrygiae favet poetae; et quidem non maiori illi Phrygiae, non Sangaritidi regioni aut agri Pessinuntii finibus, verum Phrygiae quae est ad Hellespontum, agro itaque Troiano Idaeque monti ex quo descendens pius Aeneas Romam devectus erat. Quin Ovidius, plerumque Alexandrinorum fidelissimus sectator, nunc ne in loco quidem constituendo ubi Iuppiter natus sit, praeceptoribus suis Alexandrinis fidem habet. Callimachus enim doctissime, simulque frigidissime, Arcadiae Cretaeque iura tamquam aequus iudex ita diviserat ut in Arcadia natum, nutritum in insula Creta deum pronuntiaret [1]); summas ergo laudes is ipsi vindicaverat Graeciae. Apollonius nihil pro certo edixerat cum III 134 ita cantaret: *ἄντρῳ ἐν Ἰδαίῳ ἔτι νήπια κουρίζοντι.* Quapropter igitur Ovidius, qui libro V. 113 assensus ceteris poetis in Cretaeae Ides silvis Iovem occultum fuisse testetur, nunc Phrygiae montem designat? Quid movit eum nisi auctoritas scriptoris quem nunc sequitur? Fuisse autem, sive Pergamenos eos dicis, sive mavis agri Troiani incolas, fuisse homines Asianos qui laudes Iovis apud se nati et occulti sibi vindicarent, docet nos Demetrius Scepsius qui cives suos narrat *ἀντιποιεῖσθαι τῆς τοῦ Διὸς γενέσεως*, cf. Strabonem p. 469.

Stulte nimis egerim si uno tantulo indicio auctorem Ovidii me deprehendisse aut dixerim aut tacitus crediderim. Sed poetarum scriptorumque Pergamenorum tantum fuit naufragium, et praesertim poesi eorum tantopere obfuit summa laus Alexandrinae artis, ut iam in lucro ponere liceat, si quae levissima deprehendamus indicia eruditionis Pergamenae, etiamsi certum quendam auctorem nomine indicare non possimus. Fortasse tamen haud prorsus infelici sorte nunc Demetrii fecimus mentionem. Nam ecce, iterum in iis quae statim post habet Ovidius, Scepsii auctoritas erit invocanda. Molestam enim et obscuram quaestionem paucis dirimens, hic denuo Ovidius convenit cum Troianis scriptoribus. Undenam — ita quaerebant poetae eius aetatis eruditi — undenam Curetes, unde Corybantes? Et iam plerique eo acquievisse videntur ut Curetes ex Creta,

1) De Callimachi sententia dixi pluribus in *Studiis Callimacheis* II (L. B. 1898) p. 18—20.

Digitized by Google

Corybantes ex Phrygia oriundos dicerent. At Demetrius Scepsius (Strabo 469) utrosque cum Matre Phrygia coniungit nec quidquam inter eos interesse dicit. Assentitur illi iudicio Erato Ovidiana. Sed ipsa audienda sunt verba poetae:

207 Ardua iam dudum resonat tinnitibus Ide,
tutus ut infanti vagiat ore puer.
Pars clipeos rudibus, galeas pars tundit inanes;
hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.
Res latuit, priscique manent imitamina facti:
aera deae comites, raucaque terga movent.
Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant,
tibia dat Phrygios, ut dedit ante, sonos.

Videtis quam docta haec sit aetiologia. Uno igitur grege coniuncti Curetes Corybantesque deo puero praesto sunt, hoc vero discrimine, quod qui *clipeos rudibus tundunt* Curetes fuere, in quorum memoriam antistites deae postea „pro scutis tympana pulsant, raucaque terga movent"; contra Corybantes *galeas tundunt inanes*. Subtile discrimen, quod quis primus excogitaverit ignoramus. Quod ad ipsam autem rem attinet, eiusdem discriminis memoria superest quoque apud Dionysium Halicarnassensem II. 66: χορείαν ἐνόπλιον καὶ τὸν ἐν ταῖς ἀσπίσιν ἀποτελούμενον ὑπὸ τῶν ἐγχειριδίων ψόφον Κουρῆτες ἦσαν οἱ πρῶτοι καταστήσαντες, qui addit Saliorum peltas simillimas esse iis οἵας λέγονται φέρειν οἱ τὰ Κουρήτων παρ' Ἕλλησι ἐπιτελοῦντες ἱερά. Verum non potuit tale discrimen in aetiologica disquisitione constitui nisi aut certo usu cultus iubente, aut suadente etymologia. Prior vix subest causa, nam Corybantes quoque saepe dicuntur clipeos pulsasse; etymologia ergo suasit docto nescio cui scriptori, ut de se Corybantes a Curetibus hoc discrimine distingueret. Et in Curetum nomine derivando me quidem tam ratio latet, quam auctor — ne enim a verbo κρούειν duxisse eum κουρῆτας credam praeter alia me prohibet quod in hoc nomine derivando Graecus grammaticus procul dubio tam vocis *clipei* quam *pulsandi* rationem habuisset — sed cum video Corybantes ἀπὸ τῆς κόρυθος κρουομένης derivari, paene invitus iterum trahor ad eundem Demetrium. Diu enim est, ex quo molestias mihi struit id quod de eo testantur codices Strabonis 472. 21: Scepsium derivasse nomen Corybantium ἀπὸ τοῦ κορύπτοντας βαίνειν ὀρχηστικῶς, οὓς καὶ βητάρμονας

Digitized by Google

λέγει ὁ ποιητής. Conveniteне — ita subit rogare — verbum κορύπτειν i. e. κερατίζειν (cf. Theocr. III. 5) Corybantibus, τὴν ἐνόπλιον ὄρχησιν τῇ θεῷ τελοῦσιν? Num κερατῖται illi videntur et veluti Galli capita quassantes, bacchico furore correpti? Nonne potius credamus Demetrium qui cum βητάρμοσιν Homeri eos comparavit notionem τοῦ βαίνειν in eorum nomine quaesiisse et a substantivo κόρυς cum verbo βαίνειν Corybanta derivasse, non διὰ τὸ ΚΟΡΤΠΤΟΝΤΑ sed διὰ τὸ ΚΟΡΤΝ ΠΑΙΟΝΤΑ βαίνειν?

Sed in re incerta meraque coniectura subsistere nihil affert utilitatis, cum praesertim aetiologiae quae sequuntur non multa habeant, quae nos in disquisitione de Matre Idaea detineant. Duo tantum obiter notanda: et primum quidem, Ovidium, qui in tota hac carminis parte de Troiana dea, non de Pessinuntia agit, castrandi morem dum ad originem revocat, sedulo removere fabulae scenam ab Agro Troiano, Sagaritidem nympham et Dindyma summa memorans, quo postea quoque, tota peracta narratione, respexit vs. 366 — vix apto loco — denuo sic Musam interrogans suam:

Cur igitur Gallos, qui se excidere, vocamus,
cum tanto a Phrygia Gallica distet humus?

Alterum, quod operae pretium videbatur memorare, hoc est: in tribus aetiologiis quae traduntur vsbs. 215—223 longe distare Ovidium a Varrone, quem solent hodie inter poetae auctores numerare. Toto enim coelo diversa a poetae expositione Varronis fuit aetiologia quam servat Augustinus *de Civit. Dei.* VII. 24: Tellurem, Varro inquit, dicunt Matrem magnam: quod tympanum habeat, significare esse orbem terrae; quod turris in capite oppida, quod sedens fingatur, circum eam cum omnia moveantur ipsam non moveri. Quod Gallos huic deae ut servirent fecerunt, significant qui semine indigeant terram sequi oportere, in ea quippe omnia referri etc." Ovidius itaque ut in ipsis fastis ordinandis rerumque et historiis et nominibus exponendis Varronis auctoritatem sequebatur, ita in ornandis fabulis aliorum, Graecorum saepius poetarum, vestigia pressit.

Venimus tandem ad caput ipsum narrationis: „unde petita venerit Romam mater Cybeleïa". Hic vide quantopere a Liviana historia Ovidius differat. Non eo quidem quod poeticis coloribus rem illustraverit magisve quam conveniret historico exornaverit;

Digitized by Google

hic illic enim simplicior poeta et cui facilius quam Livio fidem habeas. Sed certa insunt in carmine Ovidiano signa, ut ita dicam, ἱεροῦ τινος λόγου. Attinebat — et prae ceteris id facere oportebat eius regionis scriptores, ex qua quaesita in Italiam devenerat dea — indicare fidelibus, semper fuisse in fatis ut aliquando dea Troiana sequeretur Aenean suum, non ut laborantibus subveniret nepotibus — ita enim fingere rem, quae Romanos tangebat socios, non sinebat urbana comitas Pergamenorum — sed ut a potentibus digne reciperetur, iisque δοίη νίκην καὶ κράτος. Attinebat porro lucidis monere verbis, divina Cybeles ope numquam — ne initio quidem — destitutam fuisse gentem Aeneadum. Sed gravissimum munus impositum poetis Cybeles iter in terras peregrinas cantantibus hoc fuit, ut antiquas fabulas ita innovarent totamque rem sic disponerent, ut Agro Troiano unice deberi Mater videretur, ut a Pergamenis non aliunde quaesitam sed ex propria patria Romanis traditam esse eam constaret, ut nullum unquam populum arctioribus sanctioribusve vinculis cum Romanis coniunctum fuisse luculenter appareret.

In carmine Ovidiano sive poetae Romani neglegentia sive ignorantia sive ipsa eius arte nonnulla ex hisce excidernt necesse fuit. Sed ne ea quidem prorsus sine vestigio interierunt.

Laxo vinculo cum praecedentibus aetiologiis ipsa de Cybele Romam transportata cohaeret narratio.

Dindymon et Cybelen et amoenam fontibus Iden
semper et Iliacas Mater amavit opes,

ita vs. 248 Ovidius, ex Phrygiae Maioris et Galatiae finibus in regionem paullo magis sibi notam regressus. Nam et Dindymon hocce et Cybele in Phrygia ad Hellespontum quaerenda sunt: Cybela ubique sunt sita, ubicunque colitur per Asiam Mater Cybele; Dindymon autem vinculo tam arcto cum Ida monte coniunctum memorans poeta vix aliud significare volebat quam Cyzicenum illud promunturium Rheae cultu celeberrimum. Hunc cultum Apollonius ut Argonautarum honorem augeret, Graecis vindicaverat originibus (I. 985. 1134) [1]), sed simul Cybeles di-

1) Oppugnat ea quae de Argonautis tradebant Cyziceni Demetrius Scepsius apud Strabonem I. 45.

Digitized by Google

vinam vim idem Rhodius poeta, praeter dignitatem hodie contemptus, depinxerat splendidis versibus eodem libro 1098:

ἐκ γὰρ τῆς ἄνεμοί τε θάλασσά τε νειόθι τε χθών
πᾶσα πεπείρανται νιφόεν θ' ἕδος Οὐλύμποιο·
καί οἱ, ὅτ' ἐξ ὀρέων μέγαν οὐρανὸν εἰσαναβαίνῃ,
Ζεὺς αὐτὸς Κρονίδης ὑποχάζεται.

Hanc deam primis gentis Romanae originibus adfuisse, et post saecula quinque ipsam sibi Romae poposcisse sedem, ita Ovidius narrare pergit:

Cum Troiam Aeneas Italos portaret in agros,
est dea sacriferas paene secuta rates;
sed nondum fatis Latio sua numina posci
senserat adsuetis substiteratque locis.
Post, ut Roma potens opibus iam saecula quinque
vidit et edomito sustulit orbe caput,
carminis Euboici fatalia verba sacerdos
inspicit; inspectum tale fuisse ferunt:
„Mater abest, Matrem iubeo, Romane requiras,
cum veniet casta est accipienda manu".
Obscurae sortis patres ambagibus errant,
quaeve parens absit, quove petenda loco.
Consulitur Paean, „Divom" que „accersite Matrem"
inquit, „in Idaeo est invenienda iugo".
Mittuntur proceres. Phrygiae tunc sceptra tenebat
Attalus: Ausoniis rem negat ille viris.
Mira canam: longo tremuit cum murmure tellus,
et sic est adytis diva locuta suis:
„Ipsa peti volui; ne sit mora, mitte volentem;
dignus Roma locus, quo deus omnis eat".
Ille soni terrore pavens: „Proficiscere", dixit,
„nostra eris: in Phrygios Roma refertur avos".

Nihil hoc carmine disertius est. Primum subtecte et suo more obscurius libri fatales Matrem arcessi iubent. In re dubia Apollinem Pythium adeundum censent Quindecimviri. Deus tam clare pronuntiat in monte Idaeo eam esse quaerendam et in hac re auxilium ab Attalo esse petendum, ut dubitandi locus non restet. — Huc usque omnia luce sunt clariora. Sed quae sequuntur ea Ovidius, cetera omnia magis quam locorum notionem

Digitized by Google

accuratam curans, neglegentius exposuit. Unde quaeritur dea? Ubinam adytum illud ex quo vox auditur divina, num in ipsa urbe Pergami? An hoc quoque in „Idaeo iugo" factum est? Nihil respondet Ovidius; nimirum poeta Romanus, ut in re miraculosa, haec omnia indicare prorsus non necesse habebat. Opportunissimum itaque nunc auxilium affert Varro, in libro de L. L. 6. 15 sic de festis Deae referens: „Megalensia dicta a Graecis quod ex libris Sibyllinis arcessita ab Attalo rege, Pergamo. Ibi prope murum Megalesion templum eius deae, unde advecta Romam".

Confidentius fortasse quam deceat de „Pergamenis" Ovidii fontibus loqui videor, cum certum fontem designare non possim. Conabor saltem indicia indagare quae ad auctores Pergamenos ducant. Nam equidem lenem quandam et paene emortuam memoriam Pergameni inventi in nostro carmine audire mihi videor.

Cordi erat et ipsi Attalo et eruditis hominibus qui in aula Pergami versantes rebus Attalidarum favebant, hoc inprimis demonstrare, foedera sacra Romanos inter et incolas agri Troiani antiquitate omnia superare, Matrem itaque Iliacam, quam nunc ex ipsis Attali manibus acciperent Romani, inde ab initio inceptis Aeneae mirum quantum favisse. Divini huius auxilii memoria in Vergilii Aeneide obliterata est, quoniam poeta Romanus Genetricem gentis Iuliae Iovemque Optimum Maximum omni laude extollere cupiens non potuit non neglegere Matris Idaeae merita. Sed tamen restant in hoc ipso Ovidii carmine indicia quaedam ex quibus divinari licebit, quanam fere ratione scriptorum Pergamenorum ars erudita initia Romae cum deae Troianae urbisque Pergami laudibus per fabulas divinas consociaverit.

Ovidius enim cum vs. 274 ita pergit:

Protinus innumerae caedunt pineta secures
illa, quibus fugiens Phryx pius usus erat,

fabulae Aeneidis partem tangit neglectam quidem in poeseos Romanae reliquiis hodie superstitibus, sed olim procul dubio cultam splendidiusque illustratam. Sacris navibus ex litore Troiano profectus erat, classe divino auxilio a periculis defensa. Sic cecinerant poetae Graeci; Ovidio autem Vergilioque in hac quidem re Graecorum exemplum accuratissime sequi non placebat. Nec tamen rei fama prorsus interiit, vivebatque apud

Digitized by Google

doctiores saltem homines miraculorum memoria. Quam hoc Fastorum loco Ovidius paucis verbis significat magis quam enarrat, diserte professus sacras fuisse pinus Matrisque tutela munitas, quibus Aeneas, cum Romam peteret, usus esset.

Verum non unus hic versus Ovidianus, quid de Aeneae navibus Idaeis olim traditum fuerit, nos docet. Superest eiusdem rei memoria apud Vergilium Ovidiumque multo disertior. Mutata quidem est fabula, ut postulabat Aeneidis Romanae ratio, sed priscae narrationis formam aliquatenus dignoscere, quaerentibus non admodum difficile est. Habemus enim rem exornatius enarratam a Vergilio, eandemque brevius expositam ab Ovidio. Cogito de iis quae in Aeneidis libri noni initio commemorantur.

Dum Aeneas socios Teucris quaerens abest, Turnus hortatu Iunonis incensus Aeneadum castra aggreditur. Quem ut primus e Troianis appropinquantem vidit Caicus — Pergameni fluminis memoriam nomine ille recolens! — admonet Teucros, strenueque moenia omnes defendunt. At Turnus castra sic capere se posse desperans iam meditatur, qua ratione eos in campum descendere cogat, ut acie debiliores multo profligare possit. Dolum itaque struit — et illum quidem solus nullo Iunonis auxilio machinatur, non enim haec providisse videtur regina deorum cum ad castra invadenda Turnum incitaret! Quid autem Turnus excogitat? Ut Troianos e castris eliciat taedas navibus inferri iubet. Parent Rutuli et extemplo (*vs.* 75)

> diripuere focos, piceum fert fumida lumen
> taeda et commixtam Volcanus ad astra favillam.

Expectet forsitan Aeneidis sedulus lector, in tanto periculo Teucris statim affore Venerem, ipsumve Iovem? Uterque abest. Verum — prisca fides facto, sed fama perennis! — alia dea auxiliatura accurrit, cuius deae per libros priores vix unquam mentionem fecerat poeta: Cybele adest. Causam auxilii venuste exponit Vergilius — quando enim non venusta ars Maronis? — sed ipsa rei ratio habet quod minus placeat. Versus si perlegas, quibus haec refert Maro (vs. 77—106), res in Olympo ita factas gestasque fuisse ut vates perhibet, non statim ei credas. Ecce Mater deum a filio suppliciter orans ut naves reddat incolumes! Nonne displicet in tanta dea submissio eiusmodi? Venerem si talem depingit Vergilius, filia si patrem adlocuta nobis proponitur

Digitized by Google

tristior et lacrimis oculos suffusa nitentes,

plaudimus, delectatque poeta et persuadet, sed de Cybele dubitamus.

Sed dicat aliquis absurdum esse si poetae Romani theologumena ad nostras rationes examinare velimus. Audiamus itaque accuratius num sibi constet Vergilius in ipsis rebus enarrandis. Id enim ut curet, iure nostro postulamus. Cybele — ita fere narrat — quo tempore in Ida aedificabat classem Aeneas, Iovem adierat et ab eo petiverat ut naves, ex arboribus sibi sacris factae „nullo turbine venti vincerentur". At Iuppiter navibus mortali manu factis immortalem sortem se dare posse negat — moneo, immortalitatem non petiisse Matrem! — atque talia addit quibus poetae Romani potius quam suam sententiam reddere eum dicas: parum fore laudis heroi si is nave vectus immortali „certus incerta pericula lustret"! Quod fata sinant id se facturum comiter pollicetur (*vs.* 98):

ubi defunctae finem portusque tenebunt
Ausonios olim, quaecunque evaserit undis
Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva,
mortalem eripiam formam magnique iubebo
aequoris esse deas.

Ita Iuppiter auxilium promittit iurans „per pice torrentes atraque voragine ripas". Verumenimvero iam diu „portus tenent Ausonias" naves Troianae, necdum promissum solvit! Quin, cum summum adest periculum, cum faces afferunt Rutuli, cum flamma ad caelum escendit, nusquam Saturnius. Sola adest Cybele, quae nec Iovis promissi mentionem facit, nec Iovem implorat, sed pro sua divina invictaque potestate — quanto dignius! — ita pronuntiat:

114 Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves
neve armate manus; maria ante exurere Turno
quam *sacras* dabitur *pinus*. Vos ite solutae,
ite deae pelagi; *Genetrix iubet.*

Haec decent τὴν Βασίλειαν. Talis Matris magnae est potestas. Nec igitur mireris quod ipsae Nereides recens creatae cum deinde (X. 220) miraculum quo formam immortalem induerint Aeneae exponant, unice Cybeles in eo potestatem agnoscant. Quocum convenit Ovidius, nunc quoque narrationis fabulosae

Digitized by Google

formam antiquam propriamque multo fidelius servans quam Vergilius. Hic enim de Iovis Optimi Maximi Aeneaeque dignitate sollicitus, corrigere fabulam volebat, Saturnioque nimis subtiliter θεολογουμένῳ — velutsi damnaret falsamque pronuntiaret narrationem quam poeta suus reiecisset — eas dedit partes quae Cybelae propriae erant. Ovidio contra nulla mutandi causa erat, is ergo quae in fabula Cybeles potestatem unice laudante invenerat fidelius sequitur; nihil de dis philosophantibus, nihil de Iove fabulatur: Cybele est, quae a Rutulorum facibus naves defendit, Cybele affert opem, non suppliciter de Iove impetratam sed Navisalviae ipsi debitam. Iam transtra fumant (*Met.* XIV. 535):

cum memor has pinus Idaeo vertice caesas
sancta deum Genetrix tinnitibus aëra pulsi
aeris et inflati complevit murmure buxi,
perque leves domitis invecta leonibus auras
„Irrita sacrilega iactas incendia dextra,
Turne!" ait, „eripiam, *nec me patiente cremabit*
ignis edax *nemorum partes et membra meorum*".

Sequuntur imbres grando procella, extinguitur ignis sola potestate eius deae ex cuius nutu pendent

ἄνεμοί τε θάλασσά τε νειόθι τε χθών.

Fabulae formam primariam hanc fuisse, eamque a Vergilio rectius libro X quam libro IX servatam esse mihi persuasissimum est. Ceterum nec fugiet quemquam, quam diversa doceat ipsa narratio ab iis quae in nympharum vitis accidere posse theologia priscorum hominum crediderat; et concedat quivis, vetustae origini vix adscribi posse hanc fabulam, quae prorsus absit ab antiqua Aeneae historia. Unde igitur nata est? Quaenam eam peperit causa? Aeneadum gloriae augendae non inservit, non cultus cuiusdam explicandi gratia excogitata esse videtur. Si quid video, debetur fertili ingenio poetae cuiusdam cui cordi fuit Matris magnae potestatem maiestatemque qualis in ipsa Aeneae sorte conspiceretur, celebrare.

In antiquissimis de Aenea historiis nulla navium mutatarum memoria proditur, sed crematae classis mentio fit inde ab initio, et cum ipsis Aenadum fabulae principiis arcte ea traditio cohaeret. Classem autem incendisse, id iis qui primi de Aeneae adventu deque urbe Roma ab eo condita scripserunt, non culpa

Digitized by Google

videbatur, non opprobrium, sed laus. Quod testatur Hellanicus apud Dionysium (I. 22): *Αἰνείαν φησὶν ἐκ Μολοττῶν εἰς Ἰταλίαν ἐλθόντα μετ' Ὀδυσσέως οἰκιστὴν γενέσθαι τῆς πόλεως. ὀνομάσαι δ' αὐτὴν ἀπὸ μιᾶς τῶν Ἰλιάδων Ῥώμης. ταύτην δὲ λέγει ταῖς ἄλλαις Τρῳάσι παρακελευσαμένην κοινῇ μετ' αὐτῶν ἐμπρῆσαι τὰ σκάφη, βαρυνομένην τῇ πλάνῃ. ὁμολογεῖ δ' αὐτῷ καὶ Δαμάστης ὁ Σιγειεύς.* Apparet ex extremis verbis ea quidem aetate de sacris navibus nondum cogitasse scriptores Graecos, sed iam tum i. e. quinto saeculo, scriptori Sigeo, Troadis igitur incolae, cognitum fuisse quale Troiani haberent consanguinitatis vinculum cum Romanis. Et diu post eadem fere de navibus Aeneae credere homines pergebant, non enim longe distant ab Hellanico — quod saltem attinet navium sortem — ea quae in libro ps.-Aristotelico *de Mir. Ausc.* c. 109 traduntur: *τὰς Τρῳάδας ... εὐλαβηθείσας μὴ πικρᾶς δουλείας τύχωσιν ὑπὸ τῶν ἐν ταῖς πατρίσι προυπαρχουσῶν τοῖς Ἀχαιοῖς γυναικῶν, λέγεται τὰς ναῦς αὐτῶν ἐμπρῆσαι, ἵν' ἅμα μὲν τὴν προσδοκωμένην δουλείαν ἐκφύγωσιν, ἅμα δ' ὅπως μετ' ἐκείνων μένειν ἀναγκασθέντων συναρμοσθεῖσαι κατάσχωσιν αὐτοὺς ἄνδρας.* Ipsi quoque Vergilio, quando ex multis quae ei suppetebant Aeneadum historiis eam sibi formam eligebat quae et herois sui et gentis Iuliae honorem maxime posset augere, antiqua traditio magna ex parte se commendabat. Classem divina vi praeditam, naves quibus sors immortalis promissa esset non postulabat, ne ferebat quidem epos Vergilianum. Certe de nymphis Idaeis nullo modo cogitavit, Matri magnae partem vix tribuit in sorte herois sui administranda, Cybelen ne memoravit quidem cum initia itineris Aeneae hunc in modum exposuit libro III:

classemque sub ipsa
Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae.

Verum si constat, ante Vergilium Pergamenos scriptores poetasve de Aenea nonnulla nova excogitasse — non enim Alexandrini fuerunt quibus Aeneidem debuit Vergilius![1]) — si reputamus, Demetrium antiquam Aeneae dominationem Scepsi urbi suae vindicare, si legimus, secundum Agathoclem Cyzicenum „vaticinio Heleni impulsum Aeneam Italiam petivisse portantem

1) Certe Simmias Rhodius Philetae discipulus parum favebat gentis Romanae conditori, quandoquidem in „Gorgone" *Αἰνείαν φησὶ δοῦναι γέρας Νεοπτολέμῳ*, qua in re antiquiores fabulas non sine consilio refingebat. (cf. schol. in Eur. Andr. 14).

Digitized by Google

suam secum neptem Ascanii filiam Rhomam" (Fest. p. 290 M.), denique si videmus quot fabulis et quam variis haec Aeneae historiae pars a scriptoribus Asianis sit exornata, nonne adducimur ut credamus mira quaedam de pinetis illis, „quibus Phryx pius usus erat" a poeta vel scriptore Pergameno esse enarrata?

Ex Pergamenis itaque originibus natam esse fabulam de navibus in nymphas mutatis, id suspicari saltem non absurdum est. Argumentum Pergamo aptissimum. Non enim Aeneae modo virtutem extollere illi poetae cupiebant, sed hoc praesertim cordi iis erat ut illustri exemplo docerent, Romanorum proavum, ex agro Troiano oriundum, illinc profectum esse summa Matris Cybeles tutela munitum; non tamquam alter Ulixes „terris iactatus et alto" in Italiam pervenisse putandus erat sed a periculis defensus ab ipsa Matre Idaea et sic „certus incerta pericula lustrans". Neque vero oportebat aliis heroibus postponi Troianum. Quid, — ita illi secum — Iasoni fuerit Minervae ope navis *αὐδήεσσα*, velocitate superans mortales naves [1])? Argo itaque illa, postquam senio confecta ac dissoluta est, immortalem adipiscetur sortem, eamque — id quod gravius est — debebit arti Alexandrinorum poetarum: iam caelum inhabitat et

Κυνὸς μεγάλοιο κατ' οὐρὴν ἕλκεται Ἀργώ, [2])

at navis Idaea putrescet aut conflagrabit? Non sinit hoc aut Cybeles maiestas aut dignitas artis Pergamenae. — Cybeles maiestatem haud temere memoro; an dubitemus quin in Pergamenis seu scriptis seu carminibus penes Cybelen fuerit tutela Aeneae ex patria egredientis? Etiamnunc ex poetarum Romanorum narratione id efficere licet! Tamquam digito Ovidius adstantem deam monstrat *Fast.* IV. 251:

cum Troiam Aeneas Italos portaret in agros,
est dea sacriferas paene secuta rates.

---

1) Apud Apollon. I. 524 columbas vincit celeritate, quod fere miraculi instar. Maioris autem deprehendimus miraculi indicium in Plin *h. n.* 13. 52 „Alexander Cornelius arborem *eonem* appellavit ex qua facta esset Argo". In voce corrupta latere *αἰώνιον* iam diu viderunt viri docti.

2) Arat. *phaen.* 342. ps.-Erat. *Cat.* 35 Αὕτη διὰ τὴν Ἀθηνᾶν ἐν τοῖς ἄστροις ἐτάχθη, πρώτη γὰρ αὕτη ναῦς κατεσκευάσθη καὶ ἀρχηθὲν ἐτεκτονήθη φωνήεσσα·... δὲ γενομένη πρώτη τὸ πέλαγος διεῖλεν ἄβατον ὂν, ἵν' ᾖ τοῖς ἐπιγιγνομένοις παράδειγμα σαφέστατον. Iuiuria delent editores verba *καὶ — ἐτεκτονήθη*. Lacunam statuere post *φωνήεσσα* praestat, quam suppleas addendo *τοιαύτη*.

Digitized by Google

Et Vergilius, quamquam ab eius consilio Cybeles mentio fere aliena erat, tamquam imprudens semel saltem Romanorum numinum oblitus in Idaeae religionis memoriam incidit. Aen. II 772 Creusa quaerenti coniugi obviam facta primo quidem ita causam indicat cur se relinqui in patria sit necesse, quasi Romani poetae sententiam de dis suis sequatur (vs. 777):

non haec sine numine divum
eveniunt; nec te hinc comitem asportare Creusam
fas aut ille sinit *superi regnator Olympi;*

sed decedens aliam profitetur doctrinam, nempe talem quae regem deorum superiori summittat potestati (vs. 788):

„sed me *magna deum genetrix* his destinat oris".

Utri sententiae credam, equidem non dubito. Extremis enim verbis antiquam de Creusae fatis famam tangit poeta cuius famae memoriam servavit Pausanias X. 26. 1: *„ἐπὶ δὲ τῇ Κρεούσῃ λέγουσιν ὡς ἡ θεῶν Μήτηρ καὶ Ἀφροδίτη δουλείας ἀπὸ Ἑλλήνων αὐτὴν ἐρρύσαντο."*

Quid autem secundum Pergamenos fecit Cybele Idaea ut Aeneae subveniret eunti? Res non obscura. Iam saepius vidimus eam obiter significatam ab Ovidio. Haud inconsulto enim is tradit (minime fictum illud!) navem qua Cybeles signum Romam transportatum esset, Attalo iubente factam esse *ex sacris Idaei montis pinetis*, quae materies quam sancta fuerit, Vergilius quoque exponere non neglexit. Ipsa Mater sic *Aen.* IX. 85 de arboribus suis:

Pinea silva mihi multos dilecta per annos,
lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,
nigranti picea trabibusque obscurus acernis;
has ego Dardanio iuveni cum classis egeret
laeta dedi.

Lignum ex Idaeis arboribus nullo discrimine a ceteris omnibus trabibus seiungendum esse, si contra me contendat quispiam, non habeo certa quibus me defendam argumenta: mathematicis rationibus id quod suspicor demonstrare nequeo. Quin fatebor Vergilium ipsum, primo quidem obtutu, contra me facere videri. Is enim cum antiquiorem de navium incendio fabulam, ex Italia in Siciliam consulto ab eo relegatam, V. 604—700 exposuit, nulla impeditus est religione quominus duas e sacris iis navibus a matronis Troianis concremari sineret. Libro autem IX ea quae

Digitized by Google

reliquis donatur immortalitas secundum poetam Iovis solius muneri deberi videtur. Verumenimvero, ut mittam, quod saepius monui, Vergilium hic quidem non in eadem sententia persistere, vide num causa vera muneris prorsus lateat. Accurate legens fatearis necesse est naves immortalem sortem non ideo nancisci, quod Aeneam, tantum heroem, tuto cum penatibus per maria portassent, sed quia vellet Cybele hoc iis prodesse, quod suis in montibus ortae essent; quia, ut Ovidii verbis idem apertius significemus, „nemorum partes et membra" Idaeorum olim fuissent. Interitu itaque caruerunt *quoniam Matris Idaeae pinus sacrae interire non possunt* [1]).

Poetis, quibus Vergilius elementa venustae de navibus mutatis fabulae debet, Graecis, vel potius Pergamenis, ipsa fere terra Troiana suadebat, ut cum Aeneae sorte consociarent, quae de Cybela nymphisque Idaeis tradita essent. Meminerant inprimis ipsarum nympharum, ceteras divina origine et potestate antecedentium. Recordabantur Herophilen Sibyllam ex Idaea nympha ortam esse, Curetes Matris ministros cum Nymphis consanguinitate coniunctos, Virgines Idaeas cantu suavi Matrem comitatas [2]). Earum memoriam cum heroe Troiano num potuerant non consociare? Vix quidquam, excepta Venere matre, unquam cum Aenea fuerat coniunctius quam Nymphae Idaeae ex eo die quo eum Venus pepererat (B 821)

Ἴδης ἐν κνημοῖσι θεὰ βροτῷ εὐνηθεῖσα.

Ipsae puerulum recens natum in saltibus Idaeis educaverant ὀρέσκοιοι βαθύκολποι: viri adulti quae iter tutarentur aptiores gratioresve excogitari nullae comites poterant.

Invitabat ad fingendum aliquid et nymphis et heroe suo dignum incerta illa ac totiens variata doctrina de vita sorteque virginum

---

1) Ipse Aeneas, cum ceteroquin vel Iovem vel Venerem precando adire soleat, tandem X. 252 Matris Idaeae recordatur, postquam naves ab ea servatas audiit:

Tu mihi nunc pugnae princeps, tu rite propinques
augurium Phrygibusque adsis pede diva secundo.

Ipsam autem Aeneae navem Cybeles tutela munitam esse eodem demum libro docet poeta vs. 156:

Aeneia puppis
prima tenet, rostro Phrygios subiuncta leones.

Hanc navem superstitem Romae fuisse affirmat Procopius B. G. 4. 22.

2) Paus. 10. 12. 4. Hesiod. fr. 43. Kink. Pind. Pyth. 3. 77.

Digitized by Google

divinarum. Ipse hymnus in Venerem ambiguitate quadam haud indocta ita de arboribus nympharum sacris edixerat vs. 265—70:

τῇσι δ' ἅμ' ἢ ἐλάται ἠὲ δρύες ὑψικάρηνοι
γιγνομένῃσιν ἔφυσαν ἐπὶ χθονὶ βωτιανείρῃ,
καλαὶ τηλεθάουσαι· ἐν δ' οὔρεσιν ὑψηλοῖσιν
ἑστᾶσ' ἠλιβάτοις· τεμένη δέ ἑ κικλήσκουσιν
ἀθανάτων.

Quantum in hac de nympharum fato arboribus suis consorti quaestione laboraverint homines Graeci, novimus omnes; et fortasse nusquam latius quam in hac re vagatus est poetarum animus credulus ac sibi indulgens. Praesertim autem eo saeculo quo Alexandriae Pergamique florebant litterae, poetae eruditi in eiusmodi ἀπορίαις sibi placebant. Callimachus, qui ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδει, nymphas arboribus suis iudicabat coaevas, homerici hymni auctoritati obtemperans [1]). Poetam Alexandrinum plerique sequuntur Romani (velut Ovidius *Fast.* IV. 232). Sed de sorte nympharum alius aliter: teste Apollonio II 480 quondam caesa arbore nympha ei qui evellerat „νηκερδὴ πόρεν οἶτον ὀπίσσω", superstitem arbori nympham fuisse putabat ergo Rhodius poeta; alii ex arbore nympham nasci posse credebant, — cf. Pausan. X. 32. 9 — alii in arbores nonnumquam nymphas abiisse narrarunt. Quid itaque fingere Aeneidis auctoribus non licebat? Qui, ut suspicor, sic fere disputabant: Si Magna Mater ex Idaeae silvae arboribus naves Aeneae fieri iussit, tunc certe noluit illa nymphas pineas sibi dilectissimas evulsis arboribus interire". Quid igitur accommodatius erat, quam ut fingerent, nave ex sacris arboribus iussu divino structa *non emortuas esse nymphas*, sed proficiscenti per mare Aeneae socias esse additas? Itaque Pergameni illi poetae non ex navibus, ut Vergilius, nymphas Naiades fecerunt, sed ita rem ornaverunt, ut comitantibus nymphis ex ὁμηλίκων ἐλατῶν natis tutissimus per maria heros Troiugena veheretur.

Ita si olim in Aeneidis Pergamenae initiis res fere ficta est, non mirabimur profecto agri Troiani Phrygiique accolas operam dedisse, ut sanctissimae rei memoria renovaretur in Cybeles signo transportando. Quin, a vero non abhorret, ab Attalo rege —

1) Conferri possunt quae de hac re disputavi *Stud. Call.* II 144—148.

Digitized by Google

qui ipse quoque libellum „de pulchra picea Idaea" composuit — ita rem ordinatam esse, ut ex monte Ida trabes ad sacram navem faciendam arcesserentur. Certe, auctor ille qui in laudem regis Pergameni populique Romani conscripsit ἱερὸν de transportata dea λόγον sic fabulam disposuisse videtur. Extant enim, nisi omnia me fallunt, huius narrationis certa quaedam indicia in iis quae confuse admodum in Fastis refert Ovidius. Qui postquam narravit deae signum invito paene Attalo (quod non in vituperationem regis sed in laudem signi sanctissimi dicitur) ex Megalesio productum, ac navem ex Idaeis arboribus aedificatam esse, iter deae marinum describit. Cuius itineris ambages post adventum ad Lesbum peractae non habent quod miremur; per mare enim Icarium evecta dea Cretam adit, tum Siciliam Sardiniamque, ea praesertim loca visens quae sive Matris cultu praeclara sive propter Aeneae, cuius imitatur iter, nota erant. Quodsi altius petitam hanc explicationem putes, tamen necesse est admittas, cum ordine locorum non pugnare deae iter, quamvis longiore circuitu peractum. Sed de iis quae praecedunt id dici non poterit. Ecce in Ida caeduntur arbores, aedificatur navis sacra ad ipsas, opinor, montis radices, iam „caelestum matrem concava puppis habet". Proficiscitur — quonam?

277 Illa sui per aquas fertur tutissima nati,
longaque Phrixeae stagna sororis adit,
Rhoeteumque rapax Sigeaque litora transit
et Tenedum et veteres Ëetionis opes.
Cyclades excipiunt.

Miram mehercle narrat peregrinationem! Nam quae navis primum Hellespontum tum Rhoeteum Sigeumque tangit, ex Propontide fere adveniat necesse est. Nisi mavis constituere sacram navem ex Ida monte, nescio qua causa, devectam esse per flumen Aesepum, Granicumve! Verum id conici prohibent verba poetae; per *stagna* enim *Nati* i. e. per Neptuni undas marinas ad Hellespontum pervenit. Auget confusionem versus 280. Nam ex Tenedo navis illa, cursum tenens Romam versus, non altum petit, non Lesbum advehitur, sed litora Troadis legens longe recedit in eam partem quae Italiae contraria est, Theben ut visat? Haec nimis confusa sunt quam ut soli neglegentiae poetae Romani, in geographicis haud semel peccantis, tribui

Digitized by Google

liceat. Causas autem si quaerimus, quae in tam mirum errorem Ovidium inducere potuerint, hoc omnino et ante omnia tenendum mihi videtur, non temere mentionem factam esse Thebes ὑποπλακίης. Thebanus ille campus „carmine homerico celebratus", qui ad sinum Adramyttenum situs erat (cf. Liv. 37. 19; Strabo pag. 612) duplicem ob causam mentione in nostro carmine dignus erat. Et primum quidem quoniam decebat peregrinationem ad urbem nepotum suorum indidem a Matre Idaea iniri, unde olim Aeneae classis profecta esset nempe ex Antandro. Sed praesertim ad memorandum Thebes campum auctores Pergamenos alia incitare poterat causa. Agri Thebani nomen haud minus sanctum erat ipsis Pergamenis quam Aeneae nepotibus, urbs Eetionis enim patria fuit Andromaches; atque ex Andromache et Neoptolemo natus erat heros ille Pergamus, cuius in honorem Eurypylus, Telephi filius, olim urbem a se conditam Pergamum nominaverat [1]). Hoc igitur loco et Graecae gentis et Pergamenae et Romanae coniunctissima est memoria. Quam rem ab Euphorione traditam esse non est quod neglegamus.

Quoniam autem ab hoc loco fere incipere necesse fuit iter Cybeles, expectes ita rem dispositam fuisse, ut primum Pergamo devectam deam ad litus Antandri reciperet sacra navis ex ligno Idaeo structa, tum Lesbum profecta Cyclades peteret. — Verum longe diversa narrat Ovidius! — Concedo, sed eius verba tam omnino non concoquenda dixerim, ut coniectura quadam opus sit. Si ex Pergami portu profecta est navis Cybelen portans, verisimile est eum portum fuisse Elaeam. Legitur autem in Stephani Byzantii libro: Ἔλλα, χωρίον Ἀσίας Ἀττάλου βασίλεως ἐμπόριον. Πολύβιος ις'· τὸ ἐθνικὸν Ἐλλαῖος. Quam urbem si quis contendat ab Elaea diversam non fuisse, ex animo adstipulor, dummodo ne corrigat nomen apud Stephanum, quod vetat ordo literarum, collocatum enim est vocabulum inter Ἐλισύκους et Ἐλλάδα. Mihi novum documentum hoc nomen esse videtur, quanto studio principes Pergameni curaverint, ut Graecorum memorias antiquissimas suae vindicarent patriae. Si autem in Graeco de Cybeles itinere carmine narratum fuerit, navem Ἔλλης λιμέν' ἀμείψαι, — quibus verbis

1) Paus. I. 11. 1. Euphor. apud Serv. *ad Buc.* 6. 72.

Digitized by Google

indicabatur Pergami portus Elaea sive Hella — quid mirum, Ovidium de Hellesponto cogitasse, et ut tamen Thebas aut Antandrum quod in fonte suo memoratum inveniret ne omitteret, navem ex Hellesponto per litora Rhoetei illuc deduxisse.

Quae hucusque disputavi si non prorsus in errore versantur, hoc saltem constitui posse videtur: fuisse quondam, notaque fuisse poetis Latinis, et narrationem Pergamenam de Aenea sub Matris tutela sacris navibus profecto ex ora Troadis, et carmen de Idaeae matris adventu Pergamenum, quo carmine et diserte et vere narratum esset ex ipsa urbe Pergamo Matrem, non Pessinuntiam sed Idaeam i. e. Troianam, Romam advenisse.

Restat, ut breviter — nam cultum deae Romanum accurate tractare non meae est provinciae — quaeram, quando fere apud Romanos fama nata esse videatur, sive placere iis coeperit, deam quam Megalensibus colerent non ex Ida sed Pessinunte esse adductam.

Nempe Idaeae matris cultus initio non multo magis quam Bacchica sacra distabat a solemni Graecorum Romanorumque religione, et lapsu temporum demum in eo succreverunt externae superstitionis caerimoniae ususque barbari, quibus homines Asiatici Deam Terrae praesertim propitiari credebant. Matrem magnam quam coluit Pindarus nemo credit semivirum comitatum adiunctum sibi habuisse; Gallos castratos laudari nemo contendit qui audit Bacchas Euripideas celebrantes utpote beatum,

ὅστις εὐδαίμων
τελετὰς θεῶν εἰδὼς
βιστὰν ἁγιστεύει,
καὶ θιασεύεται ψυχὰν
ἐν ὄρεσσι βακχεύων
ὁσίοις καθαρμοῖσιν,
τά τε ματρὸς μεγάλας ὄρ-
για Κυβέλας θεμιτεύων
ἀνὰ θύρσον τε τινάσσων
κισσῷ τε στεφανωθεὶς
Διόνυσον θεραπεύει.

Ergo P. Cornelium, cum in salum nave evectus ab sacerdotibus deam reciperet, simul cum ea turbam spadonum laete salutasse

Digitized by Google

credamus? Μητραγυρταὶ, opinor, statim adfuerunt; ἄνδρα Φρύγα et γυναῖκα Φρυγίαν Phrygio cultui inde ab initio additos fuisse non nego; sed nullus tum quidem in Phrygiae deae cultu Romano „sua membra secandi impetus" cognitus erat, quin ne hoc quidem pro certo licebit affirmare, βαίτυλον fuisse deam quae, ut Ovidius ait

ipsa sedens plaustro porta est invecta Capena.

Cultus matris Idaeae, quam ne Livius quidem, nisi uno illo loco quo de adventu eius exponit, unquam Pessinuntiam vocat, primis temporibus non excessit castae severaeque religionis modum. Cum anno 186 senatusconsulto cautum est „nequa Bacchanalia Romae neve in Italia essent", ne verbo quidem in Matris cultum animadvertere necesse videbatur. Et vide, quam procul absint ab omni externa superstitione ea quae spectantur in lege Fannia, viginti quinque annis post SC. de Bacchanalibus lata, qua „iubentur principes civitatis qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, iurare apud consules verbis conceptis, non amplius in singulas coenas sumptus esse facturos quam centenos vicenosque aeris, praeter olus et far et vinum etc." (Gell. II. 24).

Sed aliquot annis post, cum, sicut ubique in Cybeles religione fiebat, ita Romae quoque crevisset horridarum ille caerimoniarum amor quo furor Corybantius miseros homines abripiebat, cum magis magisque fama inclaruisset rituum orientalium, exeunte ita fere saeculo ante Christum secundo, Idaeam matrem apud se habere non satis visum est Romanis. Pessinuntii templi summa sanctitas tum iam diu iis cognita erat. Quam aedem Attalidae tantopere coluerant, eam heredes Attali colere non destiterunt. Et cum iam prae sanctissimo ritu Pessinuntio sordere videretur cultus Idaeae Matris antiquior, nasci coepit apud Romanos cupido recipiendi ipsum, Pessinunte quod asservabatur, βρέτας. Ea cupido quando expleta sit, possis efficere ex iis quae narrat Plutarchus in Vita Marii c. 17: περὶ τοῦτον δέ πως τὸν χρόνον (i. e. circa annum 102) ἀφίκετο καὶ Βατάκης ἐκ Πεσσινοῦντος, ὁ τῆς μεγάλης Μητρὸς ἱερεὺς, ἀπαγγέλλων ὡς ἡ θεὸς ἐκ τῶν ἀνακτόρων αὐτῷ ἐφθέγξατο νίκην καὶ κράτος πολέμου Ῥωμαίοις ὑπάρχειν. τῆς δὲ συγκλήτου προσθεμένης καὶ τῇ θεῷ ναὸν ἐπινίκιον ἱδρύσασθαι ψηφισαμένης, τὸν Βατάκην εἰς τὸν δῆμον προελθόντα καὶ ταῦτα βουλόμενον εἰπεῖν

Digitized by Google

ἐκώλυσε δημαρχῶν Αὔλος Πομπήιος, ἀγυρτὴν ἀποκαλῶν καὶ πρὸς ὕβριν ἀπελαύνων τοῦ βήματος· ὃ δὴ καὶ μάλιστα τῷ λόγῳ τοῦ ἀνθρώπου πίστιν παρέσχεν. οὐ γὰρ ἔφθη τῆς ἐκκλησίας λυθείσης ὁ Αὔλος εἰς οἶκον ἐπανελθεῖν καὶ πυρετὸς ἐξήνθησεν αὐτῷ τοσοῦτος ὥστε πᾶσι καταφανῆ γενόμενον καὶ περιβόητον ἐντὸς ἑβδόμης ἡμέρας ἀποθανεῖν.

Pessinuntiae deae tum demum templum Romae conditum esse, vel saltem matrem Idaeam nondum eo tempore sub eo nomine coli solitam, iure ex eo loco effici posse dixerim. Resistentibus autem non nullis Romanis receptam esse Pessinuntiam docet triste Pompei fatum. Sed grave est et non neglegendum discrimen inter Plutarchum atque Diodorum, qui itidem de Batacae adventu uberrime refert (fr. 36. 6). In cuius narratione et alia quaedam differunt a Plutarcheis, et inprimis hocce: quod secundum Diodorum Bataces nuntiavit *τὸ ἱερὸν τῆς θεοῦ μεμιάνθαι καὶ δεῖν αὐτοὺς* (an *αὐτοῦ*?) [1]) *δημοσίᾳ καθαρμοὺς ἐπὶ τῆς Ῥώμης συντελεσθῆναι.* Utriusque testimonia si conferas haud absurdum videbitur conicere, secundum auctores Diodori eo ipso anno a Bataca lapidem quendam Pessinuntium Romam adportatum esse, saltem non multo post et *βρέτας τι* Pessinuntium et cultum deae orientalem adfuisse. Tum demum valere coepit de religione Cybeles Romana id quod scribit Augustinus *Civ. D.* 7. 26: „At vero ista Magna deorum Mater etiam Romanis templis castratos intulit atque istam saevitiam moremque servavit: credita vires adiuvare Romanorum exsecando virilia virorum".

Et ne tum quidem omnibus certa ac probata fuisse videtur fama de signo deae ex Galatia adportata; nec solus erat Varro, qui Idaeam Pessinuntiae praeponerat. Cicero enim vide, quam caute de Pessinuntia matre disserat in oratione *de harusp. resp.* Asserit ille quidem (12. 29) *ex ultimis terris* esse arcessitam, § 27 autem „sacra ista" inquit „maiores nostri ex Phrygia Romae collocarunt"; parum opinor definite. Cum vero § 28 Pessinuntem „ipsam sedem domiciliumque Matris deorum" salutat, hoc so-

1) sc. *τοῦ ἱεροῦ*. Quidquid id est, non dicunt verba Graeca quod ea dicere putat Ihnius V. 200: „kündigte an, dass ihr Heiligtum in Rom entweit sei und von Staatswegen gereinigt werden müsse".

Digitized by Google

lum addit, maiores illum locum tam sacrum habuisse, „ut cum refertam urbem atque Italiam fanorum haberemus, tamen nostri imperatores maximis et periculosissimis bellis huic deae vota facerent eaque in ipso Pessinunte ad illam principem aram et in illo fano locoque persolverent". Itane Cicero scripsisset si credidisset ipsum sanctissimum deae lapidem Pessinunte advectum in Palatio asservari?

AD PLUTARCHUM.

Rom. 29 (Sint.). Cum Romani Gallos repulissent necdum vires suas recuperassent, Latini admoto exercitu oratorem miserunt: nihil aliud se velle quam antiquam iamque languescentem familiaritatem connubio renovare, mitterent ergo Romani virgines viduasque, tum

εἰρήνην ἔσεσθαι καὶ φιλίαν αὐτοῖς, ὡς ὑπῆρξε πρὸς Σαβίνους ἐκ τῶν ὁμοίων.

L. ἐξ αἰτιῶν ὁμοίων.

Romanis ergo bellum metuentibus neque tamen hanc conditionem ut acciperent a se impetrantibus, Philotis ancilla dolo vitari posse utrumque docuit: ipsam cum aliis ancillis formosis, cultu liberali ornatas mitterent:

εἶτα νύκτωρ τὴν Φιλωτίδα πυρσὸν ἄραι, τοὺς δὲ Ῥωμαίους ἐπελθεῖν μετὰ τῶν ὅπλων καὶ χρήσασθαι κοιμωμένοις τοῖς πολεμίοις.

L. ἐγχρίμψασθαι, aut, si ne hic quidem hiatus in textu Plutarchi ferri potest, χρίμψασθαι. Nam doli hoc primarium est consilium ut necopinato Romani quam proxime ad hostes accedant. V. sequentia.

Victis Latinis feriae sunt institutae nonarum Caprotinarum, in quibus ancillae ἀγείρουσι περιιοῦσαι καὶ παίζουσιν.

Quid *colligunt* ancillae? An stipem? Non opinor, sed solita sibi ubertate Plutarchus scripsit: ἀθύρουσι — καὶ παίζουσιν. Plenae enim ludi et festivitatis eae feriae sunt. Cf. Cam. 33, ubi solum participium παίζουσαι legitur.

Public. 22 (Sint.). Insidias ponunt Sabini, praedatoresque praemissos iubent ὅταν τῇ πόλει προσελάσωσιν ὑποφεύγειν, ἕως ἂν ἐμβάλωσιν εἰς τὴν ἐνέδραν τοὺς πολεμίους. Praemissorum illorum est hostes non in insidias *coniicere* sed *illicere*. Suspicor ergo Plutarchum scripsisse οἱ πολέμιοι, ita ut ἐμβάλωσιν „intransitivum" esset. J. J. H.

Digitized by Google

AD ALCIPHRONIS EPISTULAS.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Alciphronis rhetoris Epistularum libri IV. Annotatione critica instruxit M. A. Schepers. Groningae apud J. B. Wolters ann. MCMI.

Solidae doctrinae nec vulgaris sagacitatis specimen nuper dedit vir doctissimus M. A. Schepers dissertatione academica, qua continetur nova editio Alciphronis, nova re vera dicenda non tantum quod praeter aliorum undique sedulo collectas coniecturas permultas cum ipsius tum magistri H. J. Polak exhibet, sed etiam largissimam variarum lectionum copiam ex Alciphronis codicibus partim denuo collatis ab editore.

Hac igitur locupletissima recensione gratus utens scribam nonnulla, quae post plurimas plurimorum in hoc scriptore lucubrationes utiliter notari posse mihi videntur.

Lib. I 8, 2. *τὰ ἡμέτερα, ὡς οἶσθα, παντελῶς ἐστιν ἄπορα καὶ βίος κομιδῇ στενός· τρέφει γὰρ οὐδὲν ἡ θάλαττα. ὁ λέμβος οὖν οὗτος ὃν ὁρᾷς ὁ κωπήρης, ⟨ὁ⟩ τοῖς πολλοῖς ἐρέταις κατηρτυμένος, Κωρύκιόν ἐστι σκάφος, λῃσταὶ δ' Ἀτταλῆς τὸ ἐν αὐτῷ σύστημα. οὗτοί με κοινωνὸν ἐθέλουσι λαβεῖν τοῦ τολμήματος, πόρους ἐκ πόρων* [*εὐμεγέθεις*] *ὑπισχνούμενοι. πρὸς μὲν οὖν τὸν χρυσὸν ὃν ἐπαγγέλλονται καὶ τὴν ἐσθῆτα κέχηνα, ἀνδροφόνος δὲ οὐχ ὑπομένω γενέσθαι οὐδὲ μιᾶναι λύθρῳ τὰς χεῖρας κτἑ.* Ineptissime ex mea quidem sententia hic additum est *καὶ τὴν ἐσθῆτα*, quam tanti fecisse miserum Eucolymbum, qui Glaucae suae haec scribit, iure mireris. Haud paullo melius mentio fieret de pira-

Digitized by Google

tarum vita pigra, luxuriosa vel dissoluta, ut legimus III 34 (70), 5: *ἐγὼ δὲ αὖος ὢν ὑπὸ τῆς τῶν ἀναγκαίων ἐνδείας λιμοταῖς τισι Μεγαρικοῖς ἐκοινώνησα, ἔνθεν ὁ βίος μοι ἀργὸς ἐξ ἀδικίας πορίζεται.* Noli tamen putare quidquam hic a librariis peccatum esse, nam procul dubio ita quamvis inepte scripsit rhetor, intempestive recordatus versus Homerici Od. *α* 165

ἢ ἀφνειότεροι χρυσοῖό τε εἵσθητός τε

similiumque multorum.

I 10, 2. *πολλάκις οὖν σώζονται ὑπ' ἀσφαλείας οἱ προμηθούμενοι φυλάξασθαι τὸν κίνδυνον· εἰσὶ δὲ οἳ, παραδόντες ἑαυτοὺς ἅπαξ τῷ πελάγει, ὑπ' ἀμηχανίας τῇ τύχῃ τοὺς οἴακας ἐπιτρέψαντες ⟨εἶ-ασαν ἑαυτοὺς ἀνέμοις καὶ κύμασι⟩ φέρεσθαι.* Teste editore, sic locum hiantem coll. I 15 (= 12), 3 explendum putat Polak, aptissime sane, modo concinnius scribatur *ἐῶσιν*.

I 13 (= III 3), 4. *καὶ ὤμοσα κατ' ἐξωλείας ἐμαυτοῦ μήποτ' ⟨ἂν⟩ ὑπομεῖναι παρά τινα τῶν ἐν πόλει δανειστῶν ἐλθεῖν μηδ' ἂν ⟨εἰ⟩ φθάνοιμι λιμῷ κατασκλῆναι.* Optime sic locum constituerat Hercher, quem Schepers secutus, non debuit suo marte voculam *ἂν* post *μηδ'*, ubi rectissime repetita legitur, expellere.

I 15 (12), 3. *ἡμῖν δὲ οὐ μόνον τοῖς ταύτην ποιουμένοις τὴν ἐργασίαν, ἀλλὰ καὶ πᾶσιν ἁπαξαπλῶς ὅσοις μὴ περιουσία [πλούτου] πρόσεστι, σπουδάζεται ἔστιν οὗ δυναμένοις τῇ εἴλῃ θέρεσθαι.* Recte Schepers *πλούτου* delevisse videtur, sed quod deinde tentat *σπουδάζεται περὶ τοῦ δύνασθαι τῇ εἴλῃ θέρεσθαι* neque satis apte dictum est neque mutandi facilitate commendatur. Expectatur *ubi fieri potest*, quod nescio an Alciphron expresserit scribendo *οὗ ἔστι δυναμένοις* (sc. *αὐτοῖς*) ad similitudinem notarum formularum *ἔστι μοί τι βουλομένῳ, προσδεχομένῳ, ἀσμένῳ* et similium.

Ibidem § 6 *πλὴν ἐμέ γε ταῦτα οὐκ ἔτερπεν οὐδὲ γὰρ οὐκ ὀλίγοι τῶν ὁμοβίων καὶ μάλιστα ὁ πικρὸς Γλαυκίας Τελχῖνος ἦν μοι βασκαίνων βαρύτερος.* Vix sufficere videtur Cobeti coniectura *ἐπεῖδον* pro *οὐδέ*, nam expectatur potius increpandi aliquod verbum, aut si *ἐπεῖδον* bene coniectum est, in sequentibus *τῶν ὁμοβίων, ὧν μάλιστα ὁ πικρὸς Γλαυκίας κτέ.*

Digitized by Google

II 3 (I 24), 2. *καρπῶν δὲ εὐφορίας γενομένης ἐκτίσομεν 'αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώιον', ἐάν τις ἀφθονία γένηται.* Ultima verba turpiter abundantia num genuina sint dubito.

II 19 (III 22), 2. *ἀργαλέος ἄνθρωπος καὶ δριμύς, γνωμίδια καὶ προβουλευμάτια συνεχῶς ἐπὶ τῆς πνυκὸς Ἀθηναίοις εἰσηγούμενος.* Quia *προβουλεύματα* sunt senatus, non privati hominis, vide ne correctum oporteat *βουλευμάτια*, coll. Ar. Eq. v. 100 *ἢν γὰρ μεθυσθῶ, πάντα ταυτὶ καταπάσω | βουλευματίων καὶ γνωμιδίων καὶ νοϊδίων*, quem iam Bergler attulit, nihil tamen h. l. mali suspicatus. — Mox sequitur: *δείσας μή τι πάθοιμι κἀγὼ καὶ ταῦτα τοιούτου ⟨τοῦ⟩ δεσπότου ὄντος, τὴν κλέπτιν ἀλῶπεκα συλλαβὼν ἐβουλόμην παραδοῦναι.* Formulae *καὶ ταῦτα*, *idque* hic aperte locus non est. Scripserim *δείσας μή τι πάθοιμι κἀγὼ διὰ ταῦτα*, scilicet quod Polyalsus servus, cui hoc mandatum fuerat, vulpium rapacitatem non cohibuerat. Praeterea autem malim *ἐβουλόμην ⟨αὐτῷ⟩ παραδοῦναι* vel potius *⟨θανάτῳ⟩ παραδοῦναι*, sed sine ulla controversia in ipsis sequentibus: *ἀλλ' ἡ μὲν οὐχ ἥκε· Πλαγγὼν δὲ τὸ Μελιταῖον κυνίδιον, ὃ τρέφομεν ἄθυρμα τῇ δεσποίνῃ προσηνές, ὑπὸ τῆς ἄγαν λιγνείας ἐπὶ τὸ κρέας ὁρμῆσαν κεῖταί σοι τρίτην ταύτην ἡμέραν ἐκτάδην νεκρὸν ἤδη μυδῆσαν* absurdum est praesens *τρέφομεν* de cane iam mortuo et corrigendum *ὃ ἐτρέφομεν*. Pro *μυδῆσαν* autem malim, quamquam rescribere non audeo, *μυδῶν*.

II 21 (III 24), 2. Non recte editor lectionem *μυροπωλείοις* lectioni *μυροπωλίοις* praetulit. *Μυροπώλιον* unice Graecum est, ut *ἀρτοπώλιον*, *παντοπώλιον*, *ταριχοπώλιον* etc. In sequentibus notanda *αἶγες δὲ ἐκεῖναι* sine articulo et § 3 *καὶ τῇ σκαπάνῃ προσανέχων ὑπὸ τῇ δικέλλῃ καὶ τῇ σμινύῃ τῆς μὲν τρυφῆς ἐπιλήσεται*, cuius usus praep. *ὑπό* cum dativo pro genetivo nullum aliud apud Alciphronem exemplum offendi. — Ibidem *παθὼν δὲ γνώσεται οἷόν ἐστι τὸ τὴν ἄγροικον σωφροσύνην ἀσπάζεσθαι.* Editor de suo dedit *⟨μὴ⟩ ἀσπάζεσθαι*, fieri potest ut recte. Cf. tamen Eur. Med. 34 *ἔγνωκε δ' ἡ τάλαινα συμφορᾶς ὕπο | οἷον πατρῴας μὴ ἀπολείπεσθαι χθονός*, ubi contra negationem abesse malis, quare olim ibi *δή* pro *μή* proponebam. Cf. Iph. Aul. 490 *πρὶν τἀ πράγματ' ἐγγύθεν | σκοπῶν ἐσεῖδον οἷον ἦν κτείνειν τέκνα.*

Digitized by Google

II 25 (III 28), 3 *τῆς Φάρυγγος*. Forma Attica est *Φάρυγος*. Codicum lectio utrum librariis an rhetori debeatur sciri iam nequit.

II 28 (III 31), 1. Notandum *ὑφ' ἑνὶ περιβόλῳ κατοικοῦντας* pro *ἐν ἑνὶ περιβόλῳ*, quod expectes.

II 30 (III 32), 2. *τρίτην ταύτην ἡμέραν* [*ἔχω καὶ*] *ἔτι σοι καρηβαρῶ*. Recte sic Hercher. Editor „sed vid. ad II 18 (III 21) § 2". Ubi nihil tamen, quod huc pertineat, annotatum reperio.

II 32 (34), 3. *δέχου δὴ οὖν με μισθωτὸν κατ' ἀγρόν, πάντα* [*ὑπομένειν*] *ἀνεξόμενον ὑπὲρ τοῦ τὴν ἀπλήρωτον ἐμπλῆσαι γαστέρα*. Cum Herchero deleto *ὑπομένειν* pro *ἀνεχόμενον* dubitabundus *ἀνεξόμενον* rescripsit Schepers addens „Fort. *ὑπομένειν* servandum erat et putandum *ἀνεχόμενον* idem fere valere ac *ἕτοιμον ὄντα* vel simile quid". Quod haud facile credam, sed fieri potest ut rhetor dederit *πάντα ὑπομένειν ἂν δεξάμενον*, i. e. *ὃς δεξαίμην ἂν πάντα ὑπομένειν*, aut lenius etiam *ἂν* ⟨*δ*⟩*εχόμενον κτἑ.*

II 33 (35), 2. *καὶ ὡς ἕκαστος* ⟨*εἶχε*⟩ *δυνάμεως ἢ περιουσίας συνεισηνέγκαμεν, ὁ μὲν κριὸν ὁ δὲ τράγον ὁ δὲ κάπρον, ὁ* ⟨*δὲ*⟩ *πένης πόπανον ὁ δ' ἔτι πενέστερος λιβανωτοῦ χόνδρους*. De meo addidi *δέ*.

II 36 (38), 1. *Φρύγα οἰκέτην ἔχω πονηρόν* [*ὃς ἀπέβη τοιοῦτος ἐπὶ τῶν ἀγρῶν*]· *κτἑ*. Verba inclusa cum Meinekio delet Schepers annotans: „Iam antequam Eudicus eum emit, *ὁ Φρύξ* erat *πονηρός*". Nec sane, si *ἀπέβη* genuina est lectio, defendi possunt, tolerabiliora futura, si primitus fuerit *ἀνεφάνη*.

II 39 (41), 1. *πρὶν* [*φθάσαι*] *διαφθαρῆναι παντελῶς*. Ita cum Herchero Cobetum secutus Schepers. Subdubito tamen an rhetoris potius quam interpolatoris culpa *φθάσαι* in codicibus additum sit, quia si primitus legebatur *πρὶν διαφθαρῆναι*, nulla probabilis causa erat cur quis illud adscriberet. Nec sane peius dicitur *πρὶν φθάσαι διαφθαρῆναι* quam nos in quotidiano sermone dicimus „voor dat zij *eerst* —".

Digitized by Google

III 1 (4), 3. *ὡς νῦν ἐγώ σοι αὖος ὑπὸ λιμοῦ καὶ αὐχμηρός.* Ne aut cum Lambino *αὐχμῆς* (= *αὐχμοῦ*) conicias aut post *αὐχμηρός* excidisse putes *ὑπὸ δίψης*, cf. II 4 (I 25), 3 extr. *λιμῶδες καὶ αὐχμηρὸν ἐρυγγάνειν.*

III 2 (5), 1. *χθὲς δείλης ὀψίας Γοργίας ὁ Ἐτεοβουτάδης συμβαλών μοι κατὰ τύχην χρηστῶς ἠσπάσατο κτέ.* Frustra editor ad I 22 (19), 2 latinismum esse putat *χρηστῶς ἠσπάσατο*, *comiter salutavit*; numquam enim vocabula *χρηστός* et *χρηστῶς* latinis *comis* et *comiter* respondent. Quin autem tradita lectio corrupta sit dubitari nequit, sive Meineke recte *ὁ χρηστὸς* vel *ὁ χρυσοῦς* coniecit, sive latet adverbium, velut *χαριέντως*, *εὐχαρίτως*, *ἐπιχαρίτως*, quod tamen minus crediderim, quia verbum *ἀσπάζεσθαι* nude adhiberi assolet.

III 4 (7), 2. *⟨τοῖς⟩ μαθηταῖς ἐπέταττεν Φοράδην ἀνελεῖν.* Sic olim bene correctum est pro *ἀνελών*, licet antiquior graecitas postulasset hoc sensu *ἀνελέσθαι*, usurpans activam formam pro *ἀποκτεῖναι*. — § 6 *ἄμεινον γὰρ [ἐπὶ] θύμοις καὶ ἀλφίτοις διαβόσκειν τὴν γαστέρα.* Non male *ἐπὶ* delevit editor praepositionem ex loco superiore huc descendisse putans. Nisi forte legendum: *ἄμεινον γάρ ἐστι κτέ.*

III 5 (8), 1. *ἴθι ⟨καὶ⟩ λαβὼν τὴν σύριγγα καὶ τὰ κύμβαλα ἧκε περὶ πρώτην φυλακὴν κτέ.* Quantocius dele voculam *καὶ* pessime additam ab editore, quam vel si in omnibus libris legeretur sine ulla dubitatione abicerem. Quid quaeso usitatius quam *ἴθι* additum imperativis, ut *ἄγε* et *φέρε*. Optime vero mox idem § 2 *χωρίον* ab infelici Naberi coniectura *χρυσίον* defendit.

III 11 (47), 1. *προχόην ὑφελόμενος ἀργυρᾶν Φανίου τοῦ πλουσίου δρόμῳ δοὺς φέρεσθαι — ἦν γὰρ ἀωρία τῆς νυκτός — ἠπειγόμην σώζειν ἑαυτόν. κύνες δὲ ἐξαίφνης οἰκουροὶ περιχυθέντες ἄλλος ἀλλαχόθεν χαλεποὶ καὶ βαρεῖς τὴν ὑλάκην ἐξήεσαν Μολοττοὶ καὶ Κνώσιοι, ὑπ' ὧν οὐδὲν ἐκώλυσέ με [ὡς ἡδικηκότα τὴν Ἄρτεμιν] διεσπάσθαι μέσον.* Nihil omnino qui haec scribit Horologius contra Dianam peccaverat. Vix igitur dubito quin verba a me

Digitized by Google

inclusa debeantur sciolo mythi de Actaeo a canibus suis devorato intempestive recordato. Ipsum Alciphronem sic errare non potuisse habeo persuasum.

III 12 (48), 5. *μήτε οὖν ἐς νέωτα εἴη μήτε μὴν νικῴη ὁ θεοῖς ἐχθρὸς Λικύμνιος.* Coniecturis, quarum nulla mihi satisfacit, addatur haec mea: *μήτε οὖν ἐς νέωτα ἔτι μήτε μὴν ⟨ὕστερον⟩ νικῴη ὁ θεοῖς ἐχθρὸς Λ.* De *μήτε μὴν* cf. II 8 (III 11), 1 *οὔτε τῶν κοινῶν παιδίων οὔτε μὴν τῆς κατ' ἀγρὸν διατριβῆς.*

III 13 (49), 1. *ἀνάγκη με σκάνδικας ἐσθίειν καὶ γήθυα ἢ πόας ἀναλέγειν καὶ τῆς ἐννεακρούνου πίνοντα πίμπλασθαι τὴν γαστέρα.* Malim *κἀκ τῆς ἐννεακρούνου κτέ.*

III 15 (51), 3. *καὶ σκύτεσι καὶ τοῖς ἄλλοις ἱμᾶσιν ἀντὶ παιδιᾶς πλήττοντες.* Coniecturas vide apud Schepersium. Mihi sufficere videtur *καὶ [τοῖς] ἄλλοις*, *et flagellis et aliis loris.*

III 16 (52), 2 extr. *καὶ οὐκ ἀρκοῦνται τῇ τῶν ἀφροδισίων ἀθέσμῳ πλησμονῇ, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐκ τῆς οἰκίας σκεύη καθ' ἓν ἐκλαμβάνουσι.* Pars librorum *καθ' ἓν ὡς ἐπέμφωρα λαμβάνουσι.* Schepers probat Seileri coniecturam: „Fort. adscripserat librarius *ὥσπερ φῶρες.*" Ita, sed vix id adscripsisset, nisi aliud verbum invenisset quam *λαμβάνουσι* sive *ἐκλαμβάνουσι.* Quare suspicor genuinam lectionem esse *ἐκφοροῦσι*, cuius *ἐκλαμβάνουσι* et *ὥσπερ φῶρες λαμβάνουσι* sint interpretamenta.

III 17 (53), 2. *ἀπορίᾳ δὲ τόπου δραμὼν ἐπὶ τὴν Ποικίλην — καὶ γὰρ οὐκ ἠνώχλει ταύτην οὐδὲ εἷς τῶν ἀδολέσχων τουτωνὶ Φιλοσόφων — κεῖθι τῶν πόνων ἀπέλαυον.* Fort. *καὶ γὰρ οὐκ ἠνώχλει ⟨τότε⟩ ταύτην* — vel *οὐδὲ εἷς ⟨τότε⟩ τῶν ἀδολέσχων κτέ.* Nam Poecilen hos frequentasse cum aliunde constat, tum ex ipso Alciphrone, ut III 28 (64), 1 et alibi.

III 18 (54), 2. *ἐπεὶ γὰρ εἰς ἐμαυτὸν ὅλας τὰς ἐκθέσεις συνελεξάμην, ἀπορία δὲ ἦν αὐτοῖς παντελὴς ἀργυρίου, ἐπ' ἐμὲ πάντες ὥρμησαν.* Hic unicus locus esse videtur ubi *ἔκθεσις* vocatur, quod nos *inzet* appellamus.

Digitized by Google

III 19 (55), 3. *ὁ ῥυσότερον τῶν βαλαντίων ἔχων τὸ πρόσωπον.* Iniuria verba sanissima tentat editor. Passim talia leguntur apud sequiores. Ceterum melior forma est *βαλλάντιον.* — § 10 *τὸ γὰρ θέαμα καὶ τὴν θυμηδίαν παρεῖχεν οὐδεὶς τῶν εἰς τοῦτο κεκλη-*[ρω]*μένων.* Locus laborare videtur.

III 23 (59), 2. *καὶ καλαύροπα ἔχειν καὶ σύριγγα καὶ τιάρᾳ Φρυγίῳ στέγειν τὴν κεφαλὴν ποιμαίνειν τε καὶ εἶναι κατὰ τὴν Ἰδην.* Cur verba *καὶ εἶναι* addita sint, non perspicere me fateor.

III 25 (61), 2. *ὅσον τὸ δι ἄφον* (sic) *τοῦ ὑβρίζοντος.* Propemodum certa mihi videtur Polakii correctio *τὸ ἀνάξιον.*

III 26 (62), 1. *μυστήριον ἐν αὐταῖς τρέφεται* ⟨*τοῦ*⟩ *ταῖν θεαῖν ταῖν Ἐλευσινίαιν ἀσφαλέστερον.* Non sic cum editore supplendum, sed ⟨*τῶν*⟩ *ταῖν θεαῖν κτἑ.* Nullum enim est mysterium Eleusinium, sed sunt mysteria, quae nefas est *ἐξορχεῖσθαι.* Cf. III 36 (72), 1.

III 26, 3. *ἡ ἐπιτύμβιος γραῦς, ἣν Ἔμπουσαν ἅπαντες οἱ κατὰ τὴν οἰκίαν καλεῖν εἰώθασιν ἐκ τοῦ πάντα ποιεῖν καὶ βιάζεσθαι.* Cur Alciphron notissimum locum Demosthenis de Cor. de Aeschinis matre sic variaverit, ut *βιάζεσθαι* scriberet pro necessario *πάσχειν*, omnino me latet. Sensu passivo procul dubio verbum accipiendum est, et suspicor fere nihil aliud esse quam interpretamentum verbi *πάσχειν*, quod Alciphroni quoque reddendum sit.

III 29 (65), 2. *οὐ τὴν πατρῴαν οὐσίαν τὰ δὲ ἐκ δικαίων αὐτῷ ποριζόμενα σπαθᾷ.* Iniuria Schepers cum Seilero *αὐτῷ* dedit pro *αὐτῷ.* Dicitur quidem *σπαθᾷ τὰ αὐτοῦ*, sed *τὰ αὐτῷ ποριζόμενα.* Graeci enim eandem normam secuntur quam nostrates: „hij brengt door wat door *hem* (non *zich*) verworven wordt". Qua versione simul haec verba tueor ab editoris coniectura *πεπορισμένα.* Mercator, de quo sermo fit, negotio suo fungi non desinebat, ut arbitror.

III 30 (66), 5. *ἐκείνας μὲν οὖν περιπαθῶς κοπίδα λαβὼν ἀπερ-*

Digitized by Google

ρίζωσα. Cobet „*κοπίδι ἀπορριζοῦν* facilius rhetores scribunt quam sani intellegunt". Verissime. Nisi forte culpa est librariorum, Alciphron autem recte et ordine scripserat *ἀπέθρισα*.

III 34 (70), 4. *ὥστε αἱ μὲν οἰκίαι τῶν πλουσίων πᾶσαί μοι* ⟨*τὸ*⟩ *λοιπὸν ἀπεκέκλειντο*. Articulum de suo addidit Schepers, quo vix opus mihi videtur, quia *λοιπόν* = *ἤδη*, *iam*, sententiae sufficit. Idem valet de loco IV 10 (I 38), 5, quem similiter refinxit. Recte vero articulum delevit III 13 (49), 2 *ἐπειδὴ δὲ* [*τὸ*] *λοιπὸν ἐγώ σοι μεσαιπόλιος* (nisi forte melius, ut ipse animadvertit, *τὸ λοιπὸν*, ut glossema ad *τὸ λειπόμενον*, prorsus delebimus) et in fragm. V (VI), 6 [*τὸ*] *λοιπὸν εὐτρεπεῖς ἐπὶ τὴν εὐωχίαν ἦμεν*.

III 36 (72), 4 *οὐκ ἔφθη γὰρ τὰ κατ' ἐμὲ ὁ δεινὸς ἐκεῖνος πρεσβύτης τῇ βουλῇ κοινούμενος, καὶ ἡπιάλῳ συσχεθεὶς εἰς τὴν τρίτην ἀπέψυξε*. Expectabam *ἀλλ' ἡπιάλῳ κτέ*. Secuntur haec: *καὶ ὁ μὲν ἐκτάδην κεῖται,* ⟨*τὰ*⟩ *πρὸς τὴν ἐκφορὰν τῶν οἴκοι παρασκευαζομένων, ἐγὼ δὲ ᾗ ποδῶν εἶχον ᾠχόμην καὶ σώζομαι οὐχ ὑπὸ τοῦ τῆς Ἀτλαντίδος* [*Μαίας*] *παιδὸς ψυχαγωγηθείς, ἀλλ' ὑπὸ τῶν ποδῶν καὶ τοῦ τολμήματος τὴν ἐλευθερίας πορίσας ἀτραπόν*. In *πορίσας* non temere haesit editor, sed ne *πορισάμενος* quidem valde mihi placeret. Cogitavi de scribendo *πορευθείς*, sed ne plura hic laborent vereor propter verborum *ὑπὸ τῶν ποδῶν καὶ τοῦ τολμήματος* obscuritatem. Salutem enim suam Oenochaeron nulli debebat audaciae, sed fortunae et pedum velocitati. Si *ψυχαγωγηθείς* genuinum est, non potest aliter accipi quam accepit Cobet (licet dissentiat editor), sed quomodo quaeso aliquis *σώζεσθαι* dici potest, qui ducitur ad inferos? Quare nescio an rhetor dicere voluerit, hominem non dei alicuius ut Mercurii ope (quemadmodum saepe fiebat in fabulis) sed sua tantum velocitate sospitatum esse. Intellegerem igitur locum sic scriptum: *καὶ σώζομαι οὐχ ὑπὸ τοῦ τῆς Ἀτλαντίδος παιδός, ἀλλ' ὑπὸ τῶν ποδῶν, τὴν τῆς ἐλευθερίας πορευθεὶς ἀτραπόν*, ut *ψυχαγωγηθεὶς* et *καὶ τοῦ τολμήματος* tribuantur interpolatori.

III 38 (I 21), 1. *ᾤμην γὰρ αὐτόν, εἰ τεθναίη αὐτῷ ὁ πατήρ, χύσιν ἐργάσεσθαι τῆς οὐσίας πολλὴν κτέ*. Requiro *ἔκχυσιν*, ut

Digitized by Google

verbum ἐκχεῖν (non χεῖν) et *effundere* passim usurpantur *consumendi* et *dilapidandi* sensu.

III 39 (I 22), 2. ἐγὼ δὲ πρὸς ταῦτα ἕκαστα ἐχθρὰ βλέπων ἀνέμενον ἐπαφήσειν ἐμαυτὸν ἐγχανὼν τῷ πλακοῦντι. Sana grammatica postulat ἐπαφεῖναι, ut I 10, 4 recte et ordine scriptum est ἀναμείναντες οὖν ἀπολῆξαι τὸ κλυδώνιον, et ita inde ab Homero omnes construunt hoc sensu *expectandi* verba. Hom. μένον δ' ἐπὶ νέσπερον ἐλθεῖν.

III 40 (I 23), 1. Meinekium rectissime contra libros χύμα pro χῦμα edentem sequi debuit Schepers; χῦμα aeque pravum est ac foret χεύμα. — § 2 ἐβουλευσάμην οὖν — δραμεῖν εἰς τὰς θόλους [ἢ τὰς καμίνους] τῶν βαλανείων. Non plane apud me constat, utrum cum Cobeto verba ἢ τὰς καμίνους delenda sint an τῶν βαλανείων, quod adscribi potuit ad verba εἰς τὰς θόλους. Cf. III 6 (42), 3 καταλήψομαι τὰς ἐγγύθεν καμίνους καὶ τῷ πυρὶ ὁ δύστηνος θάλψομαι. Sed fortasse hinc noster locus interpolatus est. — Magna laborant difficultate ipsa sequentia: ἀλλ' οὐδὲ ἐκεῖσε συνεχώρουν οἱ τῶν ὁμοτέχνων περὶ ταὐτὰ κυλινδούμενοι (καλινδ.?)· καὶ γὰρ αὐτοὺς ἡ παραπλησία θεὸς ἠνώχλει [Πενία]. ὡς οὖν ᾠσθόμην οὐκ εἶναί μοι εἰς ταύτην εἰσιτητόν, δραμὼν ἐπὶ τὸ Θρασύλου βαλανεῖον [ἰδιωτικῆς οἰκίας], εὗρον τοῦτο κενόν, κτέ. Frustra enim quaesiveris quo referendum sit εἰς ταύτην. Procul dubio requiritur εἰς ταύτας, scil. τὰς θόλους, si recte Cobet delevit ἢ τὰς καμίνους, sin minus, εἰς ταῦτα.

III 41 (74), 1. ὑβρίζεσθαι πρὸς τοῦ τρέφοντος, εἰ καὶ ἀνόσιον, φορητόν, ἅπαξ ἐκδόμενον τὸ σῶμα τοῖς προπηλακίζειν ἐθέλουσιν ἕνεκα τῆς ἀθεμίτου γαστρός· τὸ δὲ καὶ ὑπὸ τῶν συμπαρόντων, πολλῷ βαρύτερον. Ὑβρίζειν quidem ἀνόσιον dici potest, sed vix recte ὑβρίζεσθαι. Num forte vera lectio est δύσοιστον? *Contumeliis affici a rege, quamvis vix ferendum tolerabile tamen.* Sed malim etiam ἀνύποιστον, quod suggessit mihi amicissimus P. Groeneboom, praeceptor gymnasii Rhenotraiectini.

IV 2 (I 30), 1. εἰ γὰρ αἰτοῦσαι παρὰ τῶν ἐραστῶν ἀργύριον οὐ τυγχάνομεν ἢ [τοῖς διδοῦσιν αἱ] τυγχάνουσαι ἀσεβείας κριθησόμεθα,

Digitized by Google

πεπαῦσθαι κρεῖττον ἡμῖν τοῦ βίου ταῦτα. Sic deletis quae uncinis saepsi oratio optime procedere mihi videtur. Aliorum coniecturas vide apud Schepersium.

IV 6 (I 34), 3. σὲ γὰρ περιβάλλουσα κοιμᾶσθαι μᾶλλον ἐβουλόμην ἢ τὸ παρὰ πάντων σοφιστῶν χρυσίον ⟨ἔχειν⟩. Optime quidem dicitur παρὰ πάντων ἀνθρώπων, sed dubito tamen an requiratur παρὰ πάντων ⟨τῶν⟩ σοφιστῶν.

IV 10 (I 38), 3. τὸ γὰρ θρυλούμενον ὑπὸ πάντων, ὡς πονηραί, ὡς ἄπιστοι, ὡς πρὸς τὸ λυσιτελὲς βλέπουσαι μόνον, ὡς ἀεὶ τοῦ διδόντος, ὡς τίνος [γὰρ] οὐκ αἰτίαι κακοῦ τοῖς ἐντυγχάνουσι, διαβολὴν ἐπέδειξεν ἐφ' ἑαυτῆς ἄδικον. Alterum γάρ, quod non huius loci videtur, expungere non dubitaverim. — Optime infra § 5 verba ὡς χρηστὸν ἦθος οὐκ εἰς εὐδαίμονος βίου προαίρεσιν δαίμων τις ὑπήνεγκεν editor mihi tribuere videtur lectori dolenti talem puellam quaestum corpore fecisse. — In § 8 κεῖται δὲ ἡ πάσαις μέλουσα χάρισι κωφὴ λίθος καὶ σποδιά procul dubio Gratiae intellegendae sunt, itaque Χάρισι scribendum fuerat.

IV 11 (I 39), 3. οἷον ἡμῶν ἐγένετο τὸ συμπόσιον — τί γὰρ οὐχ ἅψομαί σου τῆς καρδίας; — ὅσων χαρίτων πλῆρες κτέ. Clarius scripsisset τί γὰρ οὐ (vel οὐχὶ) διηγούμενος ἅψομαί σου τῆς καρδίας; Quamquam non contendo rhetorem ita scripsisse. Sed § 7 requiro ὡς ἐπὶ τὴν ἄγνον κατῆμεν ⟨τὴν⟩ πλησίον τῆς Μενέφρονος οἰκίας. Cf. III 5 (8), 1 ἐπὶ τὸν χρυσοῦν στενωπὸν ⟨τὸν Reiske⟩ ἐπὶ τὴν ἄγνον.

IV 13 (II 1), 1. πέφρικα καὶ δέδοικα καὶ ταράττομαι καὶ ἀποστρέφομαι ὡς τὸν ἥλιον, μὴ ἐπικαῶ τὰ ὄμματα. Mirus verborum ordo. Transponendum arbitror δέδοικα καὶ πέφρικα coll. Av. Nub. 1133, sive inde sumsit rhetor, sive integrum senarium aliunde. — § 3 καὶ ὄψομαί τί με διαθήσει. Recte fortasse Schepers interpretatur „quid me facturus sit" (nempe ille πολιορκητὴς ὢν ἐκπολιορκήσω. Dubito tamen an ita scribendum sit πῶς με διαθήσει. Eadem de causa IV 14, 1 διοικεῖ rectius in διοχλεῖ quam in διέθηκε Cobet emendasse videtur.

Digitized by Google

IV 14 (II 2), 1. *ἐπιστολὰς ἀδιαλύτους μοι γράφων.* Coniecturis addatur *ἀδιαπαύστους*, coll. infra § 3 extr. *μᾶλλον ἢ τὰς ἐπιστολὰς αὐτοῦ τὰς ἀδιαπαύστους ἀνέξομαι.* Saepius verba ΛΥΕΙΝ et ΠΑΥΕΙΝ confusa esse novimus. — § 2 *ἐμὲ δὲ ἀφέτω τὴν φυσικῶς κυρίαν ἐμαυτῆς ἀστομάχητον καὶ ἀνύβριστον.* Quin vox corrupta sit cum plerisque criticis non dubito. Propter verba sequentia *ὄντως ἐγὼ πολιορκητὴν ἔχω τ[οι]οῦτον* (sc. Epicurum) verum esse suspicor *ἀπροσμάχητον, inoppugnatam.* — § 5 *ἐξ ἐκείνου τοῦ χρόνου πάντα μοι τἀγαθὰ πέμπων οὐ διαλέλοιπεν, ἐσθῆτα, χρυσία, θεραπαίνας θεράποντας, Ἰνδὰς Ἰνδούς. τἆλλα σιωπῶ ἀλλὰ τὰ μικρότατα προλαμβάνει τᾶς ὥρας, ἵνα μηδεὶς φθάσῃ με γευσαμενος.* Voculae *ἀλλὰ* hic locus non est. Scribendum suspicor *ἅμα ⟨δὲ⟩ κτἑ., simul autem in minutissimis anni tempestates praecipit, ne quisquam ante me gustet.*

IV 15 (II 3), 5. *προτρέπεται* (Ptolemaeus) *βασιλικῶς ὑπισχνούμενος τὸ δὴ λεγόμενον τοῦτο τὰ τῆς γῆς ἀγαθὰ ⟨ἥκειν? Polak⟩ καὶ ἐμὲ καὶ Φιλήμονα· καὶ γὰρ ἐκείνῳ γράμματα κεκομίσθαι Φασί· καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Φιλήμων ἐπέστειλέ μοι τὰ ἴδια δηλῶν ἐλαφρότερα κτἑ.* Recepit Schepers lenissimam sane Hirschigii correctionem *Φησί*, sed vel sic emendata haec verba displicent propter formam orationis sequentis *καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Φιλήμων*, quae optime se habeat, si ea verba statim exceperint verba *καὶ ἐμὲ καὶ Φιλήμονα.* Quare nescio an interposita *καὶ γὰρ — Φασί* non Alciphroni, sed lectori cuipiam sint tribuenda.

Fragm. IV § 2. Supplendum *ἀλλὰ μεγάλην εἶχεν ἄλυσιν ⟨χρυσῆν⟩ — ἀξία γέ ἐστιν ἐν ἀλύσει διατελεῖν πλὴν οὐχὶ χρυσῇ — Φάσματος ἔχουσα πρόσωπον.* Permirum est neminem, quod sciam, sensisse quam sit necessarium hoc supplementum, quod quo errore exciderit fallet neminem.

Fragm. V (VII) § 2. *μακάριον ἐκεῖνο τὸ χωρίον ὅποι βαδίζετε, ὅσας ἕξει συκᾶς.* Niciae *τοῦ λασταύρου* verba ad meretrices. Quin subsit iocus obscoenus non dubitandum. Num corrigendum *ὅσα ἕξει σῦκα*; scil. quando vos, quibus singulis suum est *σῦκον*, ibi eritis? Quod vulgatur certe non intellego. — § 10 *εἶτα γαλάκτινα ποικίλα τὰ μὲν μελίπηκτα τὰ δ' ἀπὸ ταγήνου —*

Digitized by Google

πυτίας μοι δοκῶ καλοῦσιν αὐτὰ καὶ σκώληκας. Adnotat editor „δοκῶ] δοκεῖ Seiler sine iusta causa." Immo iustissima, nam δοκῶ ita tantum ferri potest, si abest μοι: πυτίας, δοκῶ, καλοῦσιν αὐτά, itaque pronomen retinentes δοκεῖ corrigere cogimur. — § 18 ἐαρίσασαι δ' οὖν καὶ ἀναξανθεῖσαι τοὺς στομάχους ἐκραιπαλῶμεν μάλα νεανικῶς. Coniecturis ἐρανίσασαι, ἐρείσασαι, ἄρσασαι nihil me iudice proficitur. Suspicor ῥαΐσασαι. — Paullo ante § 17 corrigendum ἔτι μέντοι ἃ (pro ὃ) μάλιστα ἡδέως ἐφάγομεν, θριδακῖναι καὶ σέλινα.

AD PLUTARCHUM.

Coriol. 32 (Sint.). „Cum Homerus dicit τῷ δ' ἄρ' ἐπὶ Φρεσὶ θῆκε θεά, aliaque in eandem sententiam, plerique (αὐτοῦ) καταφρονοῦσιν ὡς ἀδυνάτοις πράγμασι καὶ μυθεύμασιν ἀπίστοις τὸν ἑκάστου λογισμὸν τῆς προαιρέσεως ἄπιστον καθιστάντος." Vitiosa haec esse vel repetitio ἀπίστοις ... ἄπιστον declarat, et nihili est λογισμὸς προαιρέσεως ἄπιστος. Homines isti minime infirmi hoc poetae vitio dant quod miraculis suis mentem humanam (λογισμόν) expertem faciat liberi arbitrii (προαιρέσεως). Respondet (paulo post) philosophus noster: οὐκ ἀναιροῦντα ποιεῖ τὸν θεόν, ἀλλὰ κινοῦντα τὴν προαίρεσιν. Legendum censeo ἄμοιρον (*expertem*).

Deinde dicuntur dii in rebus gravioribus homines incitare vel retinere ἀρχαῖς τισι καὶ Φαντασίαις καὶ ἐπινοίαις. E praecedenti ἀρχῆς vitio natum istud ἀρχαῖς censeo, atque ἠχαῖς repono.

Ibid. 38. „Fieri non potest" philosophus noster ait „ut simulacrum aliquod clara voce loquatur; ὅπου δὲ ἡμᾶς ἡ ἱστορία πολλοῖς ἀποβιάζεται καὶ πιθανοῖς μάρτυσιν ἀνόμοιον αἰσθήσει πάθος ἐγγιγνόμενον τῷ Φανταστικῷ τῆς ψυχῆς συναναπείθει τὸ δόξαν, ὥσπερ ἐν ὕπνοις ἀκούειν οὐκ ἀκούοντες καὶ βλέπειν οὐ βλέποντες δοκοῦμεν." Arena sine calce! Fortasse sic Plut. scripsit: ὅπου ... μάρτυσιν, ὅμοιον αἰσθήσει πάθος ἐγγιγνόμενον τ. Φ. τ. ψ. συναναπείθειν τὸ σῶμα δόξειεν ἄν: si historia per testes probatos nos cogit (eiusmodi miracula revera facta esse credere), sic fortasse rem explicare possimus (δόξειεν ἄν) ut aliqua res, rei quam sensibus percipimus similis, qua „phantasia" nostra afficitur, simul et corpori nostro praesentiam suam probet.

J. J. H.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur e pag.* 178).

LXXXVII.

AD FORMULAM ACTIONIS ARBITRARIAE.

Naufragia collegit Lenel (*Beiträge zur Kunde des Edicts* (1878) p. 55 sqq.) eorum, qui ante ipsum in integrum restituere conati sunt actionis formam, quae de eo sumitur, quod certo loco dari oporteat. Ipse quoque tunc eius iudicii formulam composuit (op. cit. p. 79), mox in edicto (p. 195) alia commutavit. De illa priore postea videbo, recentior utique haud magis arridet quam ceterorum ἀποτυχήματα. Dicam, quam ob rem èt illis veteribus èt edicti instauratori in ipso edicto parum feliciter res cessisse videatur. Nempe credebant illi et credit nunc hic latere verba formulae sub iurisconsultorum interpretationibus, quae supersint in Digestis (l. 2 pr., § 8, l. 8 D. 13. 4), adiecta constitutione Alexandri (c. un. C. 3. 18), ubi legimus in hanc actionem venire, *quod alterutrius interfu(er)it suo loco potius, quam in eo quo pet(a)tur solvi.* Quam tamen opinionem ipse refellerat eo quod l. 2 § 8 D. 13. 4 legitur Labeonem demum, quem secutus sit Iulianus, *etiam actoris (utilitatis) habu(isse) rationem*, sed postea excogitavit potuisse Iulianum hoc ipsum, quum edictum ordinaret, formulae verbis exprimere. Obstat huic sententiae sermo Ulpiani (§ 8 cit.): *nunc de officio iudicis*

Digitized by Google

huius actionis loquendum est, utrum quantitati [1]) [contractus] *debeat servire* etc., apparet enim formulae verbis nihil exprimi, quo *quantitati* vetetur *servire* iudex, sed omne omnino quod de utilitate vel actoris vel etiam rei [2]) legitur, ut propter illam excedatur [3]), propter hanc vero minuatur [4]) condemnatio, officio iudicis receptum esse citra praeceptum ius dicentis. Quamobrem in vetere formula, si tanti est [5]), effingenda ante omnia tenere debemus commentariorum in hac specie nullam esse utilitatem ut e quibus indicium capi non possit, deinde talem quaerendam esse formulam, quae conveniat negotii, quod proponatur, naturae. Est autem eiusmodi: ut iudicetur quantum Romae dari oporteat pro eo quod Ephesi debeatur. Quidni igitur in haec fere verba iudicium a praetore datum credemus: *iudex esto. Si paret N. Negidium A. Agerio HS X milia Ephesi dare oportere, quanti id nomen Romae esse arbitratus eris, eius iudex condemnato* et reliqua. Quae formula intellectu non recedit ab ea, quam finxerat Lenel: *si paret — oportere, iudex arbitratu tuo condemnato.* Edictum praemiserat [6]), Institutionum (§ 33*c* (i. f.) IV 6) ratione habita, huiusmodi: *de eo quod certo loco dari oportet* [7]), *ita iudicium dabo, ut utilitas illo loco solvendi salva sit promissori.* Nunc dubitat (*das* E. P. p. 196) fueritne omnino edictum, quod possint Institutionum verba ad formulam pertinuisse, quam refellit opinionem Ulpianus l. 2 § 8 cit. (D. 13. 4). Possunt quidem nec ad edictum nec ad formulam scripta esse sed supposita [8]), sicut supposita multa sunt

---

1) Eam intelligo, quae futura sit sola locorum differentia inspecta (cf. l. 3 D. 13. 4).

2) Ergo si praetoris demonstratione *utilitas solvendi salva est promissori* (§ 33*c* (i. f.) Inst. IV 6), fuit ea edicti, non formulae, conceptio. Quod nunc quidem Lenel (*das* E. P. p. 196) in dubium revocat.

3) Ex adversa parte mora interveniente (l. 2 § 8, l. 8, l. 10 D. 13. 4).

4) Omnino (l. 4 § 1 D. 13. 4), nisi mora causae sit.

5) Non delinquere eum puto (delinquere putat Lenel, *Ztschr. der Sav.-St.* II (1881) p. 15 sq ; *das* edict. (1883) p. VIII, sed vid. ibi not. 3), qui commentariorum auxilio destitutus, tamen ad quandam probabilitatis normam, artis praecepto nullo neglecto, veteres formulas effingere studeat.

6) Op. cit. p. 60.

7) Nonne *oportebit*?

8) Suspecta mihi sunt verba *idque etiam praetor monstrat.*

Digitized by Google

in Ulpiani commentario (Paling. 782—784). Ut ecce l. 2 pr. scribere qui potuit *arbitraria actio utriusque utilitatem continet* etc., paulo post (§ 8) demonstraturus, quam sit id ipsum dubitationis plenum? Qui deinde l. 2 § 1 hanc actionem *ex stipulatione veni(re)*, quum sit a praetore introducta [1])? Ergo cancellanda sunt pr. et § 1. Quod sequitur: *si quis Ephesi decem aut Capuae hominem dari stipulatus experiatur* genuinum est, quippe quo remittitur § 3 (vv. *in proposito*); reliquam partem § 2 stare non posse sequens efficit [2]). In ipsa § 3 genuina non videntur: *damus igitur actori electionem petitionis.* Nihilo minus est evidens emblema in § 7: *idem Iulianus tractat, an is qui Ephesi sibi aut Titio dari stipulatus est, si alibi Titio solvatur, nihilo minus possit intendere sibi dari oportere. et Iulianus scribit liberationem non contigisse atque ideo posse peti quod interest. Marcellus autem et alias tractat et apud Iulianum notat posse dici* [et si mihi alibi solvatur] *liberationem contigisse* [quamvis invitus accipere non cogar]: *plane si non contigit liberatio, dicendum ait superesse petitionem integrae summae, quemadmodum* etc. Quae sequitur § 8 maxima quidem sui parte genuina est. Attamen cogitarine potest actionis arbitrariae formula, quae permittat iudici quantitati *contractus* servire? Putat quidem Lenel (in edicto) talem a se propositam [3]), sed manifesto errat. Est enim longe aliud quantitatem servare, aliud *quantitati servire* [4]). Vitium haec quoque sonant: *ut si interfuisset rei Ephesi potius solvere quam eo loco quo conveniebatur ratio eius haberetur* et paulo post *in hanc* [5]) *arbitrariam quod interfuit veniet et quidem ultra legitimum modum usurarum* [6]). Etiam l. 4 pr. Tribonianum agnoscere mihi videor: *quod si Ephesi petetur, ipsa sola summa petetur* [nec amplius quid, nisi si quid esset stipulatus vel si temporis utilitas intervenit]. Plane eorum quae praecedunt interpolationis indicia cumulare supervacuum duxi, quia arbitror harum rerum peritos mecum

1) Cf. l. 1 D. 13. 4.

2) Iam vidit hoc Glück XIII § 846 (p. 311).

3) P. 195 (ima): „*auf eine derartige Fassung kann bezogen werden, was Ulpian in* fr. 2 § 8 h. t. *sagt.*"

4) Ergo iam supra *contractus* cancellavimus.

5) Nota *hanc.*

6) Corrigit Lenel *ultra centesimam.*

Digitized by Google

statim facturos esse; quod autem ad hunc locum attinet, intelligo probare me debere. Videtur is Cuiacio [1]) *singularis*, quum alias de *summa* [2]) actio non occurrat, qua *temporis utilitas* aestimetur, id est ut adiciatur tantum, quantum actoris interfuerit tunc potius solutum esse. Palam enim est (cf. l. 7 pr. D. 13. 4) ad bonae fidei iudicia Ulpiani sermonem pertinere non posse. Ergo putat Cuiacius certae pecuniae actionem, si temporis utilitas interveniat, in arbitrariam transferri, quod multi refutare aggressi sunt, quos laudat Glück [3]), vincet tamen Cuiacius, nisi ea actio Triboniano redhibebitur.

LXXXVIII.

QUID SIT IN REM ACTIO.

Actio si intelligitur verborum conceptio, qua demonstretur quid in iudicium veniat, species est in rem actio, cuius intentio solam actoris personam habeat (Gai. IV § 87), veluti *cum aut corporalem rem intendimus nostram esse aut ius aliquod nobis competere* [4]). Sin autem actio intelligitur ius persequendi, convenire videtur definitio Ulpiani [5]), ut sit in rem actio: *per quam rem nostram, quae ab alio possidetur petimus*, id est: quae ius in re habenti [6]) cum possidente competit, ut is restituat possessionem, *ubi enim probavi rem meam esse, necesse habebit possessor restituere, qui non obiecit aliquam exceptionem* [7]). Alioquin si definimus [8]) in rem actionem eam esse, quae nec e contractu veniat nec e delicto, definiverimus nihil, quia con-

---

1) Paris. I p. 1316 E.

2) Quae laudat Glück, XIII § 846[18] (p. 317) aut ad fundum pertinent aut ad factum.

3) XIII § 846 (p. 316—319).

4) Negativa actio hac ratione in personam est

5) L. 25 D. 44. 7.

6) Extendaturne in rem actio ad eum, qui olim dominus fuerit, quaesivimus cap. LXII.

7) L. 9 D. 6. 1.

8) Cf. Gai. IV § 2 (= § 1 Inst. IV 6); Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 129.

Digitized by Google

tractuum genus est infinitum. Ut ecce ad exhibendum actio si videbitur quasi e contractu esse, quidni rei vindicatio? Sed falluntur ii quoque, quibus videatur sufficere definitio: in rem actionem eam esse, quae proprietatis causam contineat, id est quae nascatur e dominio eve iure in re [1]); includunt enim (quod nolunt) condictionem furtivam et legis Aquiliae actionem. Ergo teneamus Ulpiani [2]) definitionem, ut sit in rem actio quae competat habenti ius in re adversus possidentem ut is restituat possessionem [3]), nisi obiecerit *aliquam exceptionem* [4]), *datur* enim exceptio *ex multis causis ei qui possidet* [5]), veluti quod rem pignori acceperit, quae exceptio dicitur [6]) *pignoratitia*, sed hoc saeculo adeo plerumque delituit ut neque in edicti restitutione compareat neque numerari soleat pignoris originem tractantibus inter praetoria instituta, quibus creditori pignoratitio prospiciatur [7]). Plane, quod credi iubet Ulpianus possessorem omnimodo ad restitutionem compelli, *qui non obiec(er)it aliquam exceptionem*, id non indistincte ita servatur, quia nonnumquam iure civili tutus est possessor. Veluti si quis usumfructum usumve legitime quaesierit, is iure prohibebit intrare dominum [8]) nec indigebit auxilio ius dicentis. Ex diverso praetorium qui defendit usumfructum sibi, is adversus rei vindicationem [9]) vel negativam actionem [10]) exceptione se tuebitur *de re ususfructus nomine tradita*. Superficiarius quoque exceptione utetur adversus vindicantem iure dominii eaque in factum, quia *cui damus actionem, eidem et exceptionem competere multo magis quis dixerit* [11]). Nec dubitabimus propter ius in agro vectigali similem accommodare exceptionem, quia par est

---

1) „*Die aus den dinglichen Rechten sich ergebenden Ansprüchen*" (Windsch. (1879) § 43).
2) L. 25 D. 44. 7.
3) Ergo, ut sit in rem actio, tria concurrere oportet, quorum si vel unum defuerit, erit in personam actio.
4) L. 9 D. 6. 1.
5) L. 1 § 4 (i. f.) D. 43. 17.
6) L. 6 § 9 D. 10. 3.
7) Cf. e. g. Herzen, *Origine de l'hypothèque* (1899) p. 88[1].
8) L. 10 § 4, l. 12 pr. D. 7. 8; cf. l. 11 eod. (= § 1 Inst. II 5).
9) L. 7 pr. D. 7. 9.
10) L. 11 § 2 D. 20. 1.
11) L. 1 § 4 D. 43. 18.

Digitized by Google

ratio. Alioquin datur in rem actio adversus omnem possidentem, nec interest, utrum civiliter possideatur an naturaliter [1]), sed debet omnis possessor aut formulam petitoriam subscribere aut ipsam restituere possessionem eo excepto, quod cavit Constantinus [2]) de eo qui alieno nomine possideat, qui, si *statim in iudicio dominum nomina(verit)*, absolvitur [3]). Ceterum, quia genus est in rem actio, videndum de speciebus eius. Sufficit utique unam in rem actionem dari, ut nunc apud Anglos constitutum est [4]); at iure Romano plures numero inveniuntur in rem actiones: rei vindicatio, actio Publiciana, actio Serviana, actio de superficie, actio vectigalis, quae competunt vel iure dominii [5]), vel hypothecae vel superficiei vel quod habemus in agro vectigali ad possessionem persequendam aut nudam, cuius generis est Serviana [6]), aut cum sua causa, cuius generis sunt reliquae. De causa propriam actionem iure Romano nullam esse èt Basilicorum interpres [7]) observavit èt apud Occidentales Hesse [8]); erat actio iure Anglico [9]). Falso referuntur inter in rem actiones eae quae sunt de universitate, quae mixtam causam habent, tam in rem, quam in personam, quod explicavimus supra (cap. LXXXII); referuntur falso actio confessoria et negativa, quae non competunt in possessorem eius quod petitur [10]), sed confes-

---

1) Ulp. l. 9 D. 6. 1.

2) c. 2 C. 3. 19 (= *Cod. civ.* art. 1727).

3) Hodie apud Transrhenanos non sufficit dominum nominavisse, nisi in iudicium is veniat (*Civilprozessordn.* (1879) § 73).

4) Kerr, *the students Blackstone* (1887) p. 320: „*claims to possession of real property are now asserted by the one universal remedy of an action.*".

5) Apud nos etiam usufructuario datur ipsa rei vindicatio (*B. W.* art. 828).

6) L. 16 § 4 D. 20. 1 (ia. l. 41 § 1 D. 5. 3). Alio sensu *nudam* possessionem avocare Serviana dicitur l. 66 pr. D. 21 2 (cf. l. 38 § 3 D. 45. 1; l. 3 pr. D. 19. 1), qua de re diximus supra (cap. LXX).

7) sch. 2 ad Bas. 23. 3. 10.

8) *Jahrb. f. Dogmat.* VIII (1866) p. 28.

9) Kerr, op. cit. p. 320: „*a second action lay to recover the mesne profits*"; p. 321: „*the claim for mesne profits may now ..... be combined with the claim for possession.*"

10) Credit quidem Hesse, *Jahrb. f. Dogmat.* VIII (1866) p. 45 sq., definitioni satisfactum, quod detur actio adversus possessorem (cf. l. 5 § 1 D. 7. 6; l. 15 D. 8 5), non interesse, cuius rei possessorem. Eadem fuerit oportet opinio Roberti Pothier (*Introd. génér. aux coutumes* no. 110 „*l'action réelle est celle que celui qui est propriétaire d'une chose ou qui a quelque droit dans cette chose a contre le posses-*

Digitized by Google

soria in eum qui servitute quacumque non iure prohibet [1]), negativa in eum qui veluti servitutem usurpat nec is utique possidet. Sin utique possideret adhuc maneret non possidere eum id quod petatur. Possideret enim servitutem, peteretur fundi libertas. Adeo autem confessoria et negativa non persequuntur possessionem ut *et possessori compet(a)nt* [2]). Similiter non est in rem actio nudae proprietatis vindicatio [3]), quam èt Gaius [4]) agnoscit èt Paulus [5]), quia ne actio quidem [6]), sed actionis simulacrum [7]); est actio, non tamen in rem actio, quam accommodat condicionalis hypothecae nomine ad cautionem interponendam, non possessionem auferendam, Marcianus [8]). Haud magis est in rem actio quantitatis vel modi vindicatio, de qua dicetur infra (cap. CX), quia quantitatis vel modi dominium non intelligitur [9]), debet autem omnis in rem actio propter ius in re competere. Atqui dicendum videtur Paulo Laband [10]), si hoc obtineat, in rem non esse Publicianam actionem, quae non sit ex iure in re sed ex priore actoris possessione [11]), quasi non sufficiat possessio, quae apud eum priorem fuerit, ut petitor in ea re *plus iuris* habeat (l. 2 D. 43. 17). Item iure Saxonico rerum mobilium vindicationem esse in rem actionem plerique

---

seur, pour qu'il soit tenu de lui délaisser la chose ou de le . . . . laisser jouir du droit qu'il y a").

1) L. 10 § 1 D. 8. 5.

2) L. 5 § 6 D. 7. 6; cf. l. 6 § 1 D. 8. 5.

3) Cf. Francke, *Commentar* etc. p. 188—191.

4) L. 19 pr. D. 22. 1.

5) L. 33, l. 35 pr. D. 6. 1. Cf. quoque Marcell. l. 26 D. 31.

6) Est actio, si quis non competere sed dari sibi oportere nudam propietatem intendit (§ 9 Inst. II 20).

7) De simulacris actionum diximus cap. L.

8) L. 13 § 5 D. 20. 1.

9) Docet quidem Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 210 (p. 486) quantitatis esse dominium, sed confundit dominium et vindicationem. Rectius Pothier, *Prêt de consomption*, no. 9: „*on ne peut concevoir ce droit sans un corps certain et déterminé*" Windsch. (1891) § 226*a* not. 2: „*dingliche(s) Recht an einer generisch bestimmten Sache (ist unmöglich).*" Adsentiendum nihilominus est èt Caesari (B. G. VI 22 § 2) èt Holtio (*Verhandelingen* (1851) p. 178) èt Georgio Waitz (*Verfassungsgesch.* I (1880) p. 125) si modus agri suppetat debitae etiam bonitatis (Waitz p. 121 sq.), non multum interesse inter eum qui *agri modum certum* vindicare possit et qui *fines habe(a)t proprios.*

10) *Vermögensr. Klagen* (1869) p. 51.

11) „*dieselbe ist . . . . auf kein dingliches Recht, sondern auf die* bonae fidei possessio *gestützt.*"

Digitized by Google

negant, quum detur commodatario. Quos refellit Heusler [1]) hoc argumento: commodatario, cui dominus utendum dederit [2]), iure Saxonico ius in re tribui („*der Commodatar hat ein dingliches Recht*"). Docet idem [3]), ubi sint in re iura, ibi necessario existere in rem actiones („*dingliche ..... Rechte erzeugen dingliche ..... Klagen, eines bedingt das Andere mit Notwendigkeit*"). Qua in re tot paene sunt errores quot verba: primum, quia ius in re esse potest sine ulla actione, modo alia ratione, veluti per exceptionem, obtinere possit [4]): deinde, quia sunt in re iura, ex quibus nulla in rem actio decurrere possit, qualia sunt iura praediorum; postremo quia omnibus in re iuribus potest sufficere negativa. Nisi enim discretae sunt actiones, potest adversus rem quoque possidentem ab eo qui plus iuris in ea re habeat sic agi: ius ei non esse invito se possidere [5]). Qua ratione, apud veteres Germanos quae subesse creditur ab Andrea Heusler [6]) actio in rem, proprie est negativae genus, intenditur enim: adversarium *malo ordine invasisse* [7]) vel *malo ordine possidere* [8]), idque ipsum est quod decantari solet [9]): apud veteres Germanos semper [10]) ex delicto vel quasi ex delicto agi solitum, cui sit consequens

---

1) *Institutionen* I (1885) p. 395; II (1886) p. 210[1]. — Cf. *Cour des bourgeois* 214 (Franken, *franz. Pfdr. im MA.* (1879) p. 335).

2) Hoc supplendum videtur. Cf. Bruns, *Recht des Besitzes* (1848) p. 315 (post not. 1).

3) *Institutionen* I p. 385.

4) Ergo verum est, quod scribit Savigny, *Verm. Schr.* V p. 12, iuri sufficere, si sit eius qualiscumque defensio („*Schutz*"); non recte addit (p. 13) dominium nullum esse sine vindicatione („*ohne Realklage*"). Rectius Gans, „*über röm. Obligationenrecht* (1819) p. 6 summa: „*es könnte*, iuquit, *ein Eigenthum gedacht werden ohne Vindicationsrecht*", licet superiori testimonium dicat Ulpianus l. 27 § 2 D. 34. 2 (*non videtur suum esse quod vindicari non possit*) et in pignore Gaius l. 27 pr. D. 9. 4 (*nullum .... pignus est cuius persecutio denegatur*). Quem refellit Dernburg, *Pfandrecht* I p. 124, specie interpretandi.

5) Similiter cum eo qui servitute prohibeat: ius ei non esse prohibere.

6) *Institutionen* I § 78 (p. 387).

7) Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 512[3]; Huebner, *Immobiliarprozess der fränk. Zeit* p. 34 sqq.

8) Brunner, op. cit. II p. 512[6]; Huebner, op. cit. p. 40 sqq.

9) Vid. e. g. Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* IV § 14; VI § 133 (p. 268); Planck, *Gerichtsverf.* I p. 367; Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 328; Huebner, *Immobiliarproz.* p. 1, p. 34.

10) Ita: semper.

Digitized by Google

a reo potissimum omnem ibi disceptationem coepisse [1]). Non enim dubitare debemus, quin negativa, sicut confessoria, quasi ex delicto [2]) sit actio. Apud Saxones quidem in rem actionis iam èt nomen [3]) èt res [4]) apparet. Similiter ut apud veteres Germanos de *malo ordine* actio, ita apud Athenienses ἐξούλης δίκη proprie negativa est, quae competit κατὰ τῶν ἐξειργόντων, sive possident sive non, ἐπεργασίας δέ τις ..... εἴργοιτο [5]). Potest nihilominus Atheniensibus vera in rem actio cognita fuisse et potest apud hos ipsos notio in rem actionis inventa esse, siquidem codicum fide nec optimorum nec tamen contemptibilium (F, Q) apud Demosthenem (XLI § 7) legendum est: (ὁ νόμος) οὐκ ἐᾷ διαρρήδην, εἰς ἃ τις ἀπετίμησεν εἶναι δίκας. Sed habent ceteri ὅσα τις. Ab in rem actionibus diversae sunt *ex* adversarii *possessione* [6]) actiones, quas appellat Demosthenes (XLI § 10) πρὸς τοὺς ἔχοντας (δίκας), his enim includuntur quidem actiones in rem [7]), sed includuntur etiam in personam nonnullae, veluti ad exhibendum actio [8]), ex iniusta causa condictio [9]), metus causa actio [10]), quae sine dubio competunt in possidentem, noxalis denique actio [11]) de qua ambigitur competatne simpliciter in possidentem an in dominum possidentem [12]). Non

---

1) Bethmann-Hollweg, op. cit. VI § 133 (p. 268): „(*das germanische Recht*) *stellt anstatt des klägerischen Rechts die Schuld des Beklagten in den Vordergrund*"; Planck, op. cit. I p. 688: „*das deutsche Recht .... von der Vertheidigung ausgehend* etc."

2) Windsch. (1891) § 198. Haud magis iure Romano (Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 86), quam Germanico (Huebner, *Immobiliarproz.* p. 45), quod non iure fit absque personae vitio („*objektives Unrecht*") non coercetur.

3) *Ssp.* I 70 § 1; III 79 § 2; *uf gut. Richtst. Ldr.* 5 § 1 (cf. *Ssp.* II 3 § 1): *um gut.*

4) Planck, *Gerichtsverf.* I p. 364. Res quidem ipsa, licet raro, tamen apud veteres Germanos quoque aliquando occurrit (Huebner, *Immobiliarproz.* p. 48/9).

5) Harpocrat. v. ἐξούλης. Cf. Meier et Schoemann, *Att. proz* p. 486 (Lipsius p. 666).

6) L. 24 § 2 D. 5. 1; l. 23 D. 9. 4.

7) L. 24 § 2 D. 5. 1.

8) L. 3 § 15 D. 10. 4.

9) L. 25 (i. f.) D. 25. 2.

10) L. 14 § 5, l. 16 pr., § 1, l. 18 D. 4. 2.

11) L. 23 D. 9. 4. In personam esse noxalem, neque pignus persequi, quam sententiam non multum abest quin expresserit Bekker (cf. Karlowa, *Rechtsgesch.* II 1 p. 106), demonstratur l. 42 § 1 D. 9. 4, nec obstat l. 45 § 1 D. 30 (cf. l. 13 § 1 D. 19. 1).

12) Quod tractavimus cap. LXXXVI.

Digitized by Google

abhorrens videtur, postquam disputavimus de in rem actione, quaerere, quid sit ius in re; porro, quid sit dominium. Observandum igitur est pleraque ac fere omnia iura sic competere, ut obligent aliquam personam vel certam vel incertam; quaedam sic, ut simpliciter obligent, quae hodie *impersonalia* [1]) dici coeperunt [2]). Horum [3]) rursus sunt quaedam, quae *sine (rebus)* esse non possunt (cf. § 3 Inst. II 3); proinde *(re) sublat(a) ips(a) quoque tolli necesse est* [4]); haec in re iura recte dicuntur, modo natura sui superesse ius nequeat re sublata; alioquin, si res tamquam condicio extrinsecus accedat, non propterea ius in re erit. Veluti servitus quia est ius faciendi vel prohibendi quid [5]) in praedio alieno ius in re est; sed nihil ad rem facit, quod esse debeat fundus cui serviatur, nam hoc accessit auctoritate constituentium et potest remitti [6]). Itaque ratione praedii servientis servitus ius in re est, sed respectu alterius praedii magis ex re quam in re, sicut e syngraphe actio apud eos, apud quos syngraphe tesserae instar est [7]). Eorum autem iurium, quae sunt in re, pleraque aliquam dominationem habent, cuius generis est ipsum dominium; itaque sic definit Dernburg [8]): proprietatem esse ius dominandi generale [9]), quod tamen aeque convenit superficiei, emphyteusi, usufructu. Nam horum quoque dominis, sicut domino proprietatis, quidquid in re facere permittitur, nisi iure prohibeantur. Veluti fructuarius locum religiosum facere non potest invito domino, sed ne domino quidem hoc licet invito fructuario (§ 9 Inst. II 1). Alii sic definiunt: proprietatem esse ius in re absolutum, modo nihil ei detrahatur [10]), nec dicunt quomodo maneat absolutum post partis sui detractionem. Est

1) Apud Germanos: „*absolute Rechte*".

2) Faure, *Nederlandsch procesrecht* I (1879) p. 208.

3) Illorum etiam, velut obligatio ut certa res detur. Quamquam diversum putat Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 83 not. 2 (i. f.).

4) pr. Inst. II 4.

5) Non iusta est servitutis definitio l. 15 § 1 D. 8. 1 eo pertinere eam, *ut (in suo quis) aliquid patiatur vel non faciat.* Siquidem tale ius personam obligaret.

6) L. 1 D. 8. 5.

7) Aliud dabit exemplum Heusler, *Institutionen* I (1885) p. 343[1].

8) *Pandekten* I (1892) § 192 (p. 443).

9) „*Recht genereller Herrschaft*". Hoc Latine dicitur *ius utendi fruendi* (pr. Inst. II 4).

10) Cf. Windsch. § 167, maxime: „*das Eigenthum ist als solches schrankenlos aber es verträgt Beschränkungen.*

Digitized by Google

revera dominium rei id quod superest [1]) post cetera omnia in ea re iura; quod non magni refert invenisse, sed refert observare, quam suae artis valde imperiti sint, qui ne hoc quidem invenire potuerunt [2]). Abutuntur autem illi falsa illa definitione, ut demonstrent domino in re sua vel pignus vel aliud ius [3]) competere non posse, quem errorem proprio capitulo, id est IX, refutare conati sumus, quamquam non sum nescius iustae indignationi pares fuisse víres nullo modo. Ideo autem domini interest suae rei pignus habere, quia alioquin ceteris omnibus, quibus in ea re ius sit, inferior futurus est; est enim non summa potestas domini, sed infima [4]). Quamobrem qui domino adversus eos, qui ante pignori acceperunt, quod nonnumquam est admittendum, consultum volunt nec audent ei ex causa ius pignoris adsignare, ne reclametur a dialecticis, ei facile solent eo delabi, ut pignoris persecutionem omnino denegent [5]) cum damno creditorum, quum sufficiat pignus domino dari vel conservari. Veluti quum servus noxae datus vel ductus sit aedesve possessae e secundo decreto, novi domini [6]) propter damnum vel propter *impensas quas in refectionem feceri(t)* [7]) causa iustior est quam veterum creditorum, quamobrem oportet eum creditori vel usufructuario veteri [8]) quasi taciti pignoris ratione praeponi *etsi* [9]) *possidere et (usu)capere ei permissum*

---

1) Itaque quum nihil superest praeter nomen domini, non est dominium, veluti detracto usufructu quae dicitur *nuda proprietas* interim proprietas non est (cf. Grot. *Inleiding* II 38 § 6). Ceterum non semper propter usumfructum proprietas erit nuda (Gai. II § 91).

2) Dialectici intelligantur.

3) Nescio cur in usufructu placeat aequitas Bernhardo Windscheid (1891) § 226a[12].

4) Summam esse potestatem domini credit Jörs, *röm. Rechtswissenschaft* (1888) p. 178[2]: *„eine höhere Gewalt über die Sache als die durch das Eigenthum verliehene gibt es nicht"*.

5) Novum est exemplum apud ipsum Iustinianum, Nov. 136 c. 3 (i. f.), recentius etiam apud Henricum Dernburg *Pfandr.* II p 245.

6) L. 2 § 1 D. 2 9; l. 26 § 6 D. 9. 4; l. 1 pr. D. 23. 5; l. 15 § 16 D. 39. 2.

7) L. 44 § 1 D. 39. 2. Cf. l. 15 § 31, § 34 eod.

8) Novis creditoribus, id est, quibus ipse rem obligaverit, praeponendus non est quia omni pignoris conventioni *solida res inesse videtur* (l. 15 § 2 D. 20. 1). Ergo si concurrunt veteres et novi creditores, portionem domini auferre debent novi creditores, in eo quod plus est veteres potiores esse.

9) Legitur: *si*, quod corrigendum fuit, quia ex primo decreto sine dubio pignus competit.

Digitized by Google

fuerit [1]) vel etiam usuceperit [2]) vel per aes et libram dominus extiterit [3]). Removendi creditores in totum causa non est; attamen videmus interdum creditori et usufructuario iuris sui persecutionem denegari [4]), salva absentibus in integrum restitutione [5]), ideo quia creditum est domino ratione pignoris subveniri non posse. Similis est is, qui *servum captum ab hostibus redemerit;* huius enim protinus fit servus [6]), non pignoris vinculo subicitur ut redemptus liber. Sed dominium eius sub condicione resolvitur pretio oblato, quasi nunc postliminio redierit [7]). Ergo pendet interim ius creditorum, quia necdum postliminio homo redisse videtur et *post dimissum redemptorem* tum denique *in veterem obligationem revertitur* [8]). Est in his omnibus speciebus dominium pro pignore, id est pignoris loco, constitutum, quod apparet vel maxime in eo, qui ab hostibus redimitur, haberet enim pignus qui redemit, si liberum redemisset. Perinde, si non defenditur damni infecti vel noxae vel deditur noxae, *pro pignore* actor vel servum *abducit vel* aedes *possidet* [9]). Sufficeret enim ei pignus dare vel primo decreto datum conservare. In aliis quoque speciebus evenit, ut dominium sit loco pignoris, veluti ex causa fiduciae quae cum creditore fiat [10]), item, quum ea lege, ut tantundem reddatur, res obligantur [11]), pacto denique reservati dominii. Nec mirari debemus proprietatem interdum esse pignoris loco, quum sit usus fructus loco in re quae usu consumatur [12]), et appareat dominus pro custode in testamento Galli cuiusdam [13]) et in cum amico fiducia [14]). Plane

---

1) L. 12 D. 39. 2.
2) L. 44 § 1 D 39. 2.
3) L. 17 § 2 D. 7. 1.
4) L. 27 pr. D. 9. 4; l. 15 § 25 D. 39. 2.
5) L. 26 § 6 D. 9. 4; l. 15 § 22, § 33, l. 19 pr. D. 39. 2.
6) L. 12 § 7 D. 49. 15.
7) L 12 § 7 cit.
8) L. 12 § 12 D. 49. 15.
9) L. 23 D. 15. 1. — Cf. l. 114 § 12 D. 30.
10) Gai. II § 60. — Verum hoc esse fatetur Dernburg, *Pfandr.* I p. 491: „*es (ist) gar wohl möglich, dass man ..... der Verpfändung wegen ein ..... Recht überträgt*".
11) Windsch. (1891) § 224[1] (ia. § 226*a* not. 2). Cf. l. 7 D. 46. 5.
12) § 2 Inst. II 4.
13) Bruns, font. (1893) no. 99 I 25—27.
14) Gai. II § 60. Cf. praeterea Thalel. sch. 1 διάρρητο ad Bas. 12. 2. 33 (in iudicio

Digitized by Google

qui dominium *pro pignore* habet, is non omnimodo proprietati adiectum ius pignoris habere existimandus est [1]), sed ita, si iusta causa subest, cur anterioribus creditoribus praeferatur, sicut est in causa damni, nec alia ratione tutus est, sicut in redempto.

---

divisorio, inquit, ὁ δικαστὴς γίγνεται (τῶν πραγμάτων) δεσπότης, ἵνα ὡς ἔχων αὐτῶν ἐξουσίαν, ὡς βούλεται, προσκυρώσῃ).

1) Sic existimat Dernburg, *Pfandr.* I p. 491: »*bei der* fiducia ..... *war also* (*der Gläubiger*) *Eigenthümer und Pfandgläubiger zugleich*".

(*Continuabuntur*).

AD THUCYD. VII 56.

Syracusani Atheniensium copias aggressuri secum reputant **καλὸν σφίσι τὸ ἀγώνισμα φανεῖσθαι**, nam, hodie si vincant, **ὑπό τε τῶν ἄλλων ἀνθρώπων καὶ ὑπὸ τῶν ἔπειτα πολὺ θαυμασθήσεσθαι**: *fore ut et ceteri homines et posteri magnopere se admirentur.*

Hocce igitur temporis articulo Syracusani id potissimum mente volvisse dicuntur, quid sera posteritas de iis esset dictura? Satisne absurde? Et quaenam haec est oppositio *ceterorum* hominum et *posterorum*? Opponi possunt posteri *aequalibus* vel *atavis*; huius vero enuntiati initium eiusmodi est ut *loci*, non *temporis* requiratur indicium, quo a ceteris mortalibus distinguantur certae alicuius urbis regionisve incolae. Denique quid sibi vult **πολὺ** illud, quod veluti e nubibus est suspensum? Mutetur **ἔπειτα πολὺ** in **ἐκεῖ ἐπὶ πολύ**.

Si vicerimus, — sic secum Syracusani, — *èt per ceteram Graeciam crescet nostrum nomen èt* — quod praesertim nostra refert — **ἐνθάδε**, *in ipsa Sicilia, homines nos longe lateque suspicient.* J. v. L.

Digitized by Google

TACITEA.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur e pag.* 209.)

IX.

Agam nunc de locis quibusdam, ubi ab uno vocabulo pendent omnia, cuius vero sensu non accurate perspecto aut iniuria sit interdum sollicitata lectio tradita aut perversa proposita coniectura, aut parum intellectum Taciti consilium, denique aliquis levior graviorve commissus error; plerumque tamen hic coniecturis quibusdam refellendis dabo operam, quae mihi aut videantur inutiles aut id in textum inducere quod noluerit Tacitus.

Ann. XI, 2. „Neque data senatus copia (sc. Valerio Asiatico, in quem calumniatores immiserat Messalina et irata ipsi et hortis eius inhians): intra cubiculum auditur, Messalina coram, et Suillio corruptionem militum, quos pecunia et stupro *in omni flagitio* obstrictos arguebat, exin adulterium Poppaeae, postremo mollitiam corporis obiectante."

Sic Mediceus; recipitur plerumque Rhenani coniectura *in omne flagitium*, iniuria, ut mihi videtur. Non enim hic agitur de aliquo Valerii consilio, *cuius causa* milites ille obstrinxerit, sed de *condicione*, in quam milites adduxerit pecunia scortisque praebendis. Et qui illud in *omne flagitium* probant, de facinore aliquo forti et periculoso, quod cum militibus suis perpetrare voluerit Valerius, cogitare videntur, cum e contrario vox illa *mollitiem* potius significat et quamvis pravitatem, quae

Digitized by Google

neglecta disciplina militari in exercitu exsistere soleat. Hunc errorem evitavit Dio LX, 29, qui de militibus ad impudicitiam a duce pellectis hic agi putavit, sed alium commisit errorem, quem Tacitus verbis *mollitiam corporis* refutat. Sic sponte ad leniorem adducimur emendationem quam Rhenani illa est: *omni flagitio obstrictos* (omisso *in*): dicebantur ab accusatore milites, quibus tam facilem se praestitisset Valerius, vitae molli et minime militari *ita assuefacti ut iam divelli inde et ad bonam frugem reduci non possent.* Hoc est *obstrictus alicui rei*, hoc etiam H. II, 37 requiritur, ubi Mediceus habet: „(non credo) legatos ac duces, magna ex parte luxus egestatis scelerum sibi conscios, nisi pollutum obstrictumque *meritis* suis principem passuros", sed cum deterioribus *moribus* legendum esse demonstrare sum conatus: pravi illi et corrupti duces non alium imperatorem sunt passuri quam qui *suis moribus obstrictus* i. e. eidem addictus pravitati sit.

XI, 3. Liberum mortis arbitrium Valerio permittendum censet Vitellius et „eandem clementiam" ipse quoque suadet imperator: „Hortantibus dehinc quibusdam inediam et lenem exitum, remittere beneficium Asiaticus ait, et usurpatis, quibus insueverat exercitationibus, lauto corpore, hilare epulatus .... venas exsolvit."

Quid est *remittere beneficium*? Interpretes sic accipere videntur ut sit: beneficio *non uti*. At cui haec clementia liberi mortis arbitrii data est, ea *non uti* non potest: quocunque modo moritur, ipse illius mortis auctor fit; ille etiam qui (XVI, 9) restitit percussoribus et pugnans cum armatis tamquam in acie cecidit, tamen illam mortem elegit ipse. Opponuntur inter se *remittere* et .... *intendere*: *intendit* quicunque ad extremum usque finem in aliqua re perseverat, *remittit* qui parce et modice agit. Si fecisset Valerius id quod amici suadebant, ut aliquot dies ad moriendum sumeret, beneficium *intendisset* i. e. plane abusus eo esset; nunc, dum mortem sibi consciscit illo tempore usitatissimam et brevissimam, *remittit beneficium* i. e. parce et verecunde eo utitur. Cf. A. I, 8: „Conclamant patres corpus (Augusti) ad rogum umeris senatorum ferendum. *Remisit* Caesar e. q. s." i. e. nimios illos honores minuit.

Ipse ille locus (XVI, 9), quem modo commemorabam, ab

Digitized by Google

inutili coniectura vindicari potest, si memores sumus quid revera sit *remittere* et quae accurata eius verbi interpretatio.

„Silanus" (ait Tacitus) .... „municipio Apuliae, cui nomen Barium est, clauditur. Illic — a centurione ad caedem misso corripitur; suadentique venas abrumpere animum quidem morti destinatum ait, sed non *remittere* percussori gloriam ministerii."

In codice est quidem *peremittere*, sed (sic certe Ritterus refert) correctum in *remittere*, deteriores *permittere* habent, e coniectura, ut opinor, eaque vetustissima; nam cum *remittere* Tacitus scripsisset, suprascripsisse aliquem *permittere* suspicor, unde illud *peremittere* natum sit. Et etiamnunc coniectura illa identidem fautores invenit, non reputantes quam ineptum illa Silanum reddat. An putemus iuvenem illum, quamvis praevalidum, serio credidisse inermem se armatos milites cum centurione victurum, et prohibiturum quominus ministerio suo fungerentur? Et ut iam faciamus illud eum credidisse, quid sibi vult istud *gloriam*? *„Non remittam"* ait *„gloriam ministerii* sed intendam illam et augebo; faciam ut cum quam maxima gloria ministerio vestro perfungamini, corpus meum quantum potero defendam et sic facultatem vobis praebebo ad forte edendum facinus: tamquam in acie pugnabitis".

A. XI, 22. „Dolabella censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui quaesturam adipiscerentur. (Sequitur longior locus de quaestoribus eorumque numero sensim aucto). Post lege Sullae viginti creati supplendo senatui, cui iudicia tradiderat. Et quamquam equites iudicia reciperavissent, quaestura tamen ex dignitate candidatorum aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellae velut venumdaretur".

Locus impeditior videtur quam revera est. Memores modo simus *aut* apud Tacitum non eam habere emphasin quam habeat apud Ciceronem, sed fere esse: modo — modo, nunc ... nunc. Cf. c. 38 „(Messalina) tunc primum fortunam suam introspexit ferrumque accepit, quod frustra *iugulo aut pectori* admovens ictu tribuni transigitur"; i. e. *modo iugulo modo pectori*. Sic et hic *distinguuntur* aetas liberae reipublicae post Sullam, et aetas imperatoria ante Dolabellae legem: stante republica ex dignitate candidatorum concedebatur quaestura, post amissam libertatem

Digitized by Google

ex facilitate tribuentium (i. e. principum). Postremo hic quoque utamur observatione nostra (v. p. 199 sq.) de binis sententiis a Tacito in singulas coartatis, apparebit loci argumentum sic decurrere: „quamquam iudicia, adempta senatoribus, reddita sunt equitibus, numerus tamen quaestorum imminutus non est, ergo semper fuit honor ad quem haud ita difficulter homines perveniebant; certe nulla constabat pecunia sed primum (stante republica) ex dignitate candidatorum, post (aetate imperatoria) ex facilitate tribuentium concedebatur".

Cf. Ann. IV, 48. „Mox versi in luxum et raptis opulenti omittere stationes lascivia epularum, aut somno et vino procumbere". Errat editor, qui hic post *stationes* virgulam ponit, et sic res prorsus easdem inter se opponit. An quidquam interest inter *lascivia epularum procumbere* et *somno et vino procumbere?* At si virgulam, id quod recte ceteri faciunt editores, post *epularum* ponimus, et recordamur quam parum sit emphatica apud Tacitum particula *aut*, aptissimam hanc nanciscimur sententiam: modo prae epulis suis stationes omittebant, modo illo tempore iam ebrii procumbebant.

Ann. XI, 28. (Allato rumore de nuptiis istis Silii Messalinaeque, Claudii liberti, suae metuentes potentiae, acerbissime in Messalinam invehuntur):

„Subibat sine dubio metus reputantes hebetem Claudium et uxori devinctum multasque mortes iussu Messalinae patratas. Rursus ipsa facilitas imperatoris fiduciam dabat, si atrocitate criminis praevaluissent, posse opprimi damnatam ante quam ream; sed in eo discrimen verti, si defensio audiretur utque clausae aures etiam confitenti forent".

Hic omnia confunduntur, neque ulla agnoscitur cogitationum deliberationumque series, nisi quid sit *sine dubio* tenemus: *concedentis* illud est. Sic enim disputat Tacitus: „si quis me roget: nonne ergo Messalinam liberti isti metuebant, respondeam: profecto metuebant eam, sed e. q. s.".

Quod autem ad illud *utque* pertinet, brevitate Tacitea positum censet Nipperdeius hoc sensu: „et quod efficiendum esset ut . . .". Sed tam contorte locutum Tacitum vix credibile, atque istud *et quod* parum aptum est vinculum ad sequentia annectenda praecedentibus. Ergo sic potius locum explicem ut dicam in

Digitized by Google

voce *discrimen* esse *metus* notionem, ergoque *utque* esse i. q. *et ne non*. Hoc igitur dicit Tacitus: „in eo discrimen vertebatur si defensio audiretur, (hoc metuebatur) ne non clausae aures etiam confitenti essent", sive: „*ne paterent* aures Claudii etiam confitenti". Optime inter se opponuntur *si defensio audiretur* et *etiam confitenti* i. e. non se defendenti sed simpliciter confitenti et nil nisi veniam petenti. Hic erat omnis libertorum metus: ne nancisceretur Messalina facultatem hebetem sibique devinctum maritum quocunque tandem modo alloquendi.

A. XII, 22. „Agrippina ... Lolliae infensa ... molitur crimina et accusatorem ... exim Claudius inaudita rea multa de claritudine eius apud senatum praefatus ... addidit perniciosa in rempublicam consilia et materiem sceleri detrahendam: proin publicatis bonis cederet Italia".

Hic quid sit *addidit* vix quisquam dubitare potest: Claudius, ut Lollia non poenam passa sed clementiam experta videretur, primum de nobilitate eius praefatur, deinde *in sententia dicenda sic perrexit* ut crimina ei obiiceret. Sed videamus nunc quod XVI, 17 legitur: (tamquam Pisonis conscius et Annaeus Mela accusatur; ille autem):

„quae tum promptissima mortis via, exsolvit venas, scriptis codicillis, quibus grandem pecuniam in Tigellinum generumque eius Cossutianum Capitonem erogabat, quo cetera manerent. Additur codicillis tamquam de iniquitate exitii querens ita *scripsisset*, se quidem mori nullis supplicii causis, Rufrium autem Crispinum et Anicium Cerialem vita frui infensos principi".

Sic codex, et possunt haec utcunque intelligi, dummodo ét ante *tamquam* ét post *scripsisset* virgula ponatur. Sed vel sic plusquamperfectum *scripsisset* vix ferendum videtur, et totum illud *additur tamquam scripsisset* nimis contorte est enuntiatum. Nihil vero perversius quam lectio *scripsisse*, quam nonnulli probant, verbo *additur* eam praebentes structuram, quam *dicitur*, *fertur* simm. habere solent. Miror equidem neminem, cum de *codicillis* aliquid legisset et deinde in *addendi* verbum incideret, *de altera codicillorum parte*, quam *addiderit* Mela, cogitasse. Sed excipiendus hic Draegerus, qui totum illud *tamquam de iniquitate exitii querens ita scripsisset* delendum censet, quae coniectura, quamvis mihi arrideat, paulo tamen violentior videtur. Ergo

Digitized by Google

expunctis tantummodo verbis *ita scripsisset*, quae tam languida sunt ut in nullo scriptore nedum in Tacito ferri possint, pro *additur* legendum censeo *addidit* vel potius *addit*, quod quam facile in *additur* corrumpi potuerit quisque videt; quo vitio semel commisso, ut tamen aliquo modo cohaereret sententia, istud *ita scripsisset* postea est insertum.

Ann. XV, 59. „Immotus his (amicorum admonitionibus Piso) et paululum in publico versatus, post domi secretus animum adversum suprema firmabat, donec manus militum adveniret, quos Nero tirones aut stipendiis recentes delegerat: nam vetus miles timebatur *quamquam* favore imbutus".

Sic Mediceus, sed haud dubie verum vidit Rhenanus, qui *tamquam* proposuit. Quid enim? Erga utrum militum *favor* esse et cogitari potest, erga ducemne suum, rite creatum riteque ipsis praepositum, an erga eum, qui fidem eorum sollicitare studet? Equidem non dubito quin inepte milites *imperatori suo favere* dicantur, sed recte *favere* dicuntur ei, qui *largitione* utitur *adversum amicos et ignotis quoque* (c. 48); illam autem e militibus ii soli experiri potuerunt, qui iam aliquamdiu in castris erant. Cf. H. II, 85: „tertia legio exemplum ceteris legionibus praebuit (sc. ad Vespasianum transgrediendi): octava erat ac septima Claudiana, *inbutae favore Othonis*". Otho enim ubique apud Tacitum non verus ac legitimus legionum atque totius imperii dux est, sed turbidus homo qui a legitimo imperatore Galba partem militum haud bonis artibus ad se allexerit. Et tamen hunc ex Historiis locum quidam afferunt ad vocem *quamquam* nostro Annalium loco tuendam. En quo ducere possit homines novicium istud studium quamvis certis obloquendi emendationibus! De duobus aliis vocabulis, quae et ipsa ad modestos et seditiosos cives militesque pertinent, neque satis accurate intelligi solent, mox agemus.

Coniunctionem *nam* et ab aliis scriptoribus et a Tacito saepe illi inservire figurae, quae *praeteritio* dicitur, norunt omnes, neque tamen ubique a viris doctis observari illud videtur. Velut hic est locus de morte Paulinae, Senecae uxoris (A. XV, 64):

„At Nero nullo in Paulinam proprio odio, ac ne glisceret invidia crudelitatis, iubet inhiberi mortem. Hortantibus militibus servi libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum

Digitized by Google

an ignarae. Nam, ut est vulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis petivisse, deinde oblata mitiore spe blandimentis vitae evictam".

Dubium non est quin illo *nam* significet Tacitus se spernere et contemnere istos maledicae multitudinis rumores. Sic enim pergit: „cui addidit paucos annos, laudabili in maritum memoria et ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset *multum vitalis spiritus egestum*".

Sed ad bene intelligendam Taciti mentem iam satis est recte interpretari coniunctionem *an*. Etenim *incertum an* ita ut *haud scio an* non est *dubitantis* sed *affirmantis* (cf. Nipp. a. h. l.). Hoc ergo dicit Tacitus: „in vita servi ac liberti Paulinam retinuerunt, cum iam quid ageretur, utpote morti proxima, nesciret. Nam quod vulgus perhibet ... id ego nihili facio". Quid sibi velit Furneaux hac annotatione: „the expression *incertum an* appears to be usually affirmative, and to suggest a probability rather than a doubt; *and although the context here points the other way* e. q. s." non assequor.

Propter particulam *nam* et hunc inspiciamus locum H. I, 89:

„Sed vulgus — sentire paulatim belli mala — quae motu Vindicis haud perinde plebem attriverant, secura tum urbe et provinciali bello, quod inter legiones Galiasque velut externum fuit. Nam ex quo Divus Augustus ... (sequuntur quaedam de rerum statu imperantibus Augusto Tiberio Caio Claudio Nerone, deque Neronis fine). Tum (sc. Othone et Vitellio de imperio certantibus) legiones e. q. s.".

Sic ergo ratiocinatur Tacitus: „tum demum veri belli mala populus sensit, quae quamdiu in Gallia contra Vindicem pugnabatur, ad urbem usque non penetraverant; de tempore quod fuit inde ab initio Augusteae aetatis usque ad Neronis finem *taceri hic potest*: nullum enim tum bellum fuit".

Unum animi causa locum addo, ubi egregie perspicuitati consultum fuisset, si praeteritionis causa eadem usus esset coniunctione Tacitus, sed qui nunc satis obscurus evasit, cum aliter sit conformatus; Ann. III, 64:

„(propter Liviae valitudinem) supplicia ludique magni ab senatu decernuntur, quos pontifices et augures et quindecimviri

Digitized by Google

septemviris simul et sodalibus Augustalibus ederent. Censuerat L. Apronius, ut fetiales quoque iis ludis praesiderent. Contradixit Caesar, distincto sacerdotiorum iure et repetitis exemplis: neque enim unquam fetialibus hoc maiestatis fuisse. Ideo Augustales adiectos, quia proprium eius domus sacerdotium esset, pro qua vota persolverentur".

Quoniam Tiberius sic Apronium refutat: „noli hoc argumento uti quod et Augustales hic a me adiecti sint summis sacerdotibus: hoc est sacerdotium proprium eius domus, pro qua vota persolvuntur", multo melius eum intelligerem, si sic Tacitus scripsisset: *nam Augustales ideo adiectos* e. q. s. [1]).

Ann. XV, 65. „Fama fuit Subrium Flavum cum centurionibus occulto consilio, neque tamen ignorante Seneca, destinavisse, ut post occisum opera Pisonis Neronem Piso quoque interficeretur, tradereturque imperium Senecae, quasi insontibus claritudine virtutum ad summum fastigium delecto".

Ad hunc locum illustrandum mira quaedam disputat Nipperdeius de consciis sontibus et insontibus. Aliquanto melius locum sic accipit Furneaux: „quo facto ipsi *insontes viderentur*, utpote qui ipsum quoque occidissent Pisonem, et vivorum probissimo clarissimoque tradere imperium". Sed hoc quominus illam interpretationem probemus obstat, quod nunc *quasi* iungendum est cum solo *insontibus*, cum tamen magis etiam ad *claritudine virtutum delecto* pertineat. Et omnino cum adiectivo *insons* hic Tacitus utitur, illud simpliciter atque aperte *τῷ conscius opponit*: alii sunt sontes (conscii coniurationis) alii *insontes* (coniurationis non participes). Unice vera ergo est atque adeo necessaria Acidalii correctio *insonti et* (pro *insontibus*): imperium Senecae delatum nemo non mortalium esset probaturus: insons enim ille erat neque sanguine aspersus, praeterea claritate virtutum summo dignus fastigio.

---

1) Praeteritionis, quae coniunctione *nam* fit, nullum est apud Tacitum luculentius exemplum quam quod XIII, 37 legitur: „Corbulo ... dispertit vires, ut legati praefectique diversos locos pariter invaderent (sc. Armeniam). Simul regem Antiochum monet proximas sibi praefecturas petere. Nam Pharasmanes interfecto filio Radamisto quasi proditore, quo fidem in nos testaretur, vetus adversus Armenios odium promptius exercebat", i. e. Pharasmanem admonere opus non erat: sponte ille et libenter bellum Armeniae inferebat.

Digitized by Google

A. XVI, 19. De Petronii vita ante acta postquam quaedam narravit Tacitus, qui Neronis sit factus amicus demonstravit, denique cur et quo modo a Tigellino tamquam conscius Pisonianae coniurationis accusatus sit exposuit, sic pergit:

„Forte illis diebus Campaniam petiverat Caesar, et Cumas usque progressus Petronius illic *attinebatur*. Nec tulit ultra timoris aut spei moras (sequuntur de morte eius ea quae vulgo nota)".

Hic *attinebatur* sic explicat Furneaux: „deprehensus erat et custodiebatur", parum recte, si quid video. Non enim sic nude *attineri* dicitur qui vinclis, carcere, custodia coërcetur [1]), sed is, cui morae aliquid incidit quominus iter inceptum persequatur. Sic hic Petronius, cum periculi aliquid odorari coepit, obviam Neroni proficiscitur, haud dubitans quin, si Neronem convenisset, parata sibi salus esset; sed Cumis inopinati quiddam incidit, quod quominus Neronem conveniret impediebat, ergo ipse ibi mortem sibi conscivit. Cumas ad eum pervenisse nuntium, quo de

---

1) Hoc sensu cum *attinendi* utitur verbo Tacitus, semper aut cum *carcere, custodia* simm. illud iungit, aut eiusmodi vocabula in proxima ponit vicinia, aut denique aliquo modo efficit ut dubitari non possit quin artiore sensu illo hoc verbum sit intelligendum:

A. III. 36 attineri publica custodia; VI, 19 qui carcere attinebantur; VI, 23 extractum custodiae iuvenem (nam in Palatio attinebatur); XIII, 15 praetoriae cohortis tribuno, cuius cura attinebatur damnata veneficii Locusta; XV, 57 Volusii Proculi indicio Epicharin attineri.

Ceteris locis omnibus *attinendi* verbum de quavis proficiscendi, eundi, agendi mora ponitur, clareque his demonstratur, ubi nulla custodiae vinculorumque significatio cum eo sit coniuncta vel in eius vicinia posita, de custodia vinculisque non posse cogitari. Sunt autem hi:

A. I, 35 ferrum deferebat in pectus ni proximi dextram vi attinuissent; II, 10 ni Stertinius arma et equum poscentem Flavum attinuisset; II, 52 ut Tacfarinas lectos viros castris attineret; III, 3 ut par maeror et matris exemplo avia quoque et patruus attineri viderentur; III, 71 pontificis maximi qui flaminem attinuisset; VI, 17 signatum argentum fisco vel aerario attinebatur; VI, 27 oblitus Arruntium, ne in Hispaniam pergeret, decimum iam annum attineri; XII, 13 iuvenem summam fortunam in luxu ratum multos per dies attinuit apud oppidum Edessam; XII, 68 Agrippina Brittannicum demorari ne cubiculo egrederetur; Antoniam quoque et Octaviam sorores eius attinuit: XIII 27 quos vindicta patronus non liberarit, velut vinclo servitutis attineri; XIII, 46 si ultra unam alteramque noctem attineretur (Poppaea a Nerone); XIII, 53 ne tamen segnem militem attinerent; XIV, 25 attineri a se Vologaesen pro pignore amicitiae ostentantes; XIV, 56 quasi valetudine infensa aut sapientiae studiis domi attineretur; H. II, 14 ni victorem exercitum attinuisset obscurum noctis.

En exhausta materia! Omisi tantum paucos illos locos, ubi *quod attinet ad* legitur.

Digitized by Google

rebus Romae gestis ita edoceretur ut de se quoque actum esse intelligeret, vel ibidem ei mortem indictam, facile e cetera narratione, licet illud disertis verbis dictum non sit, effici potest. In fine capitis praecedentis vel illud omittitur, qua re vel quo modo ei *defensio adimatur* (ademptaque defensione): et tamen hoc non ita facile mente suppleas.

H. I, 36. „Strepere cuncta clamoribus (sc. in castris praetorianis, ubi Otho imperator proclamabatur) et tumultu et exhortatione mutua, non tamquam in populo ac plebe variis segni adulatione vocibus, sed ut quemque affluentium militum aspexerant, prensare manibus, *complecti armis*, collocare iuxta e. q. s.".

Est quidem paulo exquisitius dictum *complecti armis*, sed non tam obscure ut ad desperationem ultimam legentes adducat, qua tamen illi pulsi videntur commentatores, qui *armis* a nom. *armi* derivarint [1]). Quod quam absurdum sit apparebit, si reputaveris de *singulis* militibus *singulos* commilitones complectentibus sermonem hic esse. Sed estne revera *armis* (τοῖς ὅπλοις) *complecti* tam mira locutio? Nonne multo magis rem ipsam aptissime significat? Si quis miles, altera manu clipeum altera telum aliquod tenens, alterum complectitur, ita ut pone tergum eius clipeus telo tangatur, nonne revera τοῖς ὅπλοις eum complectitur? Certatim hic ab editoribus affertur vs. Aeneidis XII, 433:

Ascanium fusis circum complectitur armis.

Quis autem id facit? Nempe Aeneas, qui modo, sanato iam vulnere, denuo arma induit; *armis* ergo, id est *armatis brachiis*, filium amplectitur. Nam Virgilii editores, illic quoque *armos* significari annotantes, ludere videntur. Et quod c. 38 legitur: *aperire deinde armamentarium iussit* (Otho), non, ut opinor, hinc apparet hactenus inermes *omnes* fuisse milites.

H. I, 81. (Ubi milites mortem omnibus, qui in convivio apud Othonem aderant, senatoribus minitantes irrupere, et ipse Otho propere convivas abire iussit): „tum vero passim magistratus proiectis insignibus, vitata comitum et servorum frequentia, senes feminaeque per tenebras diversa urbis itinera,

1) Immemores nusquam illud *armi* apud Tacitum legi, neque adhiberi posse ubi de hominibus sermo sit.

Digitized by Google

rari domos, plurimi amicorum tecta, et ut cuique humillimus cliens incertas latebras petierunt".

Adiectivo *incertas* non clientium habitationes, ut tam humiles, tamque in aliquo urbis angulo reconditae, ut haud facile a persequentibus praetorianis inveniri possint, describuntur, sed *iudicium* ipsius Taciti, triste atque severum, eo continetur; hoc enim dicit: „si res in summum fuisset adducta discrimen, prodituri patronos suos illi clientes erant".

H. III, 23 et 25. Nondum satis accurate lucideque demonstratum esse opinor quid esset (in narratione de proelio Cremonensi) *agger viae* et quid *limes viae*. Certe in errore hic versatus est Nipperdeius quique c. 25 eandem quam ille distinctionem praebent. Sic enim ibi edunt: „laxati ordines (sc. Vitellianorum) abrumpuntur; nec restitui quivere impedientibus vehiculis tormentisque per limitem viae. Sparguntur festinatione consectandi victores". At sic *limes viae* idem fit quod *agger viae*, siquidem c. 23 legimus: „Vitelliani tormenta in aggerem viae contulerant". At ipsa sermonis latini indoles obstat quominus vocabula tam diversa, quam sunt *limes* et *agger*, unquam idem significent, neque, si tamen sumimus factum hic esse quod fieri non possit, totius narrationis sic ratio constat. At transposita distinctione simul et narrationem nanciscimur bene decurrentem ét utriusque vocabuli *limes* et *agger* significationem non solum aptam sed quae unice ipsorum conveniat naturae. Sic enim c. 25 legendum est: „Laxati ordines abrumpuntur; nec restitui quivere impedientibus vehiculis tormentisque. Per limitem viae sparguntur festinatione consectandi victores". Nunc *agger viae* fit ipsa via, quae rectissime sic appellatur, quoniam via, in planitie exstructa, revera *agger* est. Et *limes viae* adiacentis agri margo quidam est, neque tamen nimis angustus, quoniam per eum *sparguntur* Flaviani milites. Et quid factum narratur? Non solum Vitelliani ordines suos restituere obstantibus vehiculis tormentisque non possunt, sed eadem illa obstacula quominus Flaviani propius accedant et manus cum iis conserant impediunt: hi ergo de viae aggere decurrunt, per adiacentem campum volitant et alio loco denuo aggerem viae conscendunt, sed, ut fit, dum nemo quemquam commilitonem ante se patitur, non iuxta viam currunt sed per limitem illum sparguntur.

Digitized by Google

H. III, 29. „(In Cremona oppugnanda) acerrimum tertiae septimaeque legionum certamen; et dux Antonius cum delectis auxiliaribus eodem incubuerat. Obstinatos inter se cum sustinere Vitelliani nequirent e. q. s.".

Quaerat fortasse quispiam *obstinatos inter se* quid sit; ipsa narratio accurate lecta illud docebit: in conscendendis moenibus legiones certabant inter se, etenim Antonius (c. 27): „vallum portasque legionibus attribuit, ut *discretus labor* fortes ignavosque distingueret". Erat ergo omnium inter se militum certamen, in quo nemo cuiquam cedere volebat. Cf. IV, 3: discordibus municipiorum animis magis *inter se*, quam contumacia adversus principem.

H. V, 25. Iam Batavos belli taedet; iam nihil diuturno profectum bello queruntur; quoniam ad imperium pervenerit Vespasianus, inepte simulari pro illo bellum a se geri; minime esse Romanorum intolerabile imperium. Sequuntur haec ipsius Taciti verba: „Honestius principes Romanorum quam Germanorum feminas tolerari. Haec vulgus; proceres atrociora: Civilis rabie semet in arma trusos; illum domesticis malis excidium gentis opposuisse".

Si recte vim verbi *opposuisse* intelligo, hoc Civili vitio a proceribus datur, quod proprias iniurias sibi illatas a Romanis, et totius gentis Batavorum excidium tamquam in libra posuerit, in altera alterum lance, quodque tunc illi propriae iniuriae idem habere momentum visae sint, quod populi totius pernicies; et nunc eum suum dolorem illum communi omnium excidio compensare clamant.

A. I, 17. (Pescennius Pannonicas legiones ita ad discordiam impellit ut duram sortem legionariorum cum facili quaestuosaque praetorianorum conferat militia, additque):

„non obtrectari a se urbanas excubias: sibi tamen apud horridas gentes e contuberniis hostem aspici".

Lepidum venustumque hic particula *tamen* habet colorem, egregieque refert τὸ ἦθος et eius qui loquitur et eorum ad quos oratio habetur, sed nisi egregie fallor, rarissime sic ponitur; mihi certe aliud exemplum nunc in promptu non est. Sic enim conqueritur Pescennius: „non obtrecto urbanas excubias, suus illis stet honor ... sed quocunque tandem modo de aliis copiis

Digitized by Google

iudicat aliquis, nos, negari illud non potest, semper in mediis versamur periculis". (Belg. *dan toch maar*).

Ann. III, 1. „Postquam (Agrippina) duobus cum liberis, feralem urnam (quae Germanici continebat cineres), egressa navi defixit oculos, idem omnium gemitus, neque discerneres proximos alienos, virorum feminarumque planctus ..."

Hactenus omnia planissima sunt: proximi alias magis lugere mortuum solent quam alieni, et plangere omnino mulierum magis est quam virorum. Sed nunc insigni brevitate haec adduntur:

„nisi quod comitatum Agrippinae longo maerore fessum obvii et recentes in dolore anteibant".

Quibus non respiciuntur proxime praecedentia (virorum feminarumque planctus), sed cuncta quae ab *idem omnium* initium habent. Hoc ergo dicit Tacitus: „hoc unum in *communi omnium* luctu erat discrimen quod e. q. s.".

III, 41. De motu Andecavorum et Turonorum et alia leguntur et haec:

„Turoni legionario milite, quem Visellius Varro inferioris Germaniae legatus miserat, oppressi — Aviola duce et quibusdam Galliarum primoribus, qui tulere auxilium, quo dissimularent defectionem magisque in tempore efferrent".

Inaudito prorsus modo hic *efferendi* verbum opponitur verbo *dissimulandi* ut fere *promere* significet et *defectionem efferre* sit *palam deficere*. Nam quem locum Furneaux hic affert, VI, 9, longe alia eius est ratio. Ibi enim agitur de audacia M. Terenti equitis Romani, qui liberrima ad Tiberium oratione habenda suam Seianique amicitiam defendit. Haec ergo oratio tantum valuit ut non solum ipse absolveretur sed morte multarentur accusatores „quia repertus erat" Tacitus ait „qui efferret quae omnes animo agitabant". *Efferre* autem et *animo agitare* inter se opponi, nemo, ut opinor, mirabitur. Et quod vir acutissimus eodem trahit II, 63, humani patitur aliquid: ibi enim *efferre* est usitatissimum illud *laudibus efferre* s. *extollere*: „extat oratio, qua magnitudinem viri ... extulit".

Ann. IV, 3. Nota res est *paelicem* dici mulierem non ratione habita *viri*, qui eam amat (Belg. „bijzit"), sed vel iustae uxoris vel cuiusvis mulieris, quae ab eodem viro amatur (Belg. „mede-

Digitized by Google

minnares"). Sic Semele est paelex non Iovis sed Iunonis. Semel Tacitus alio modo illud nomen adhibuisse videtur, sed tantum *videtur*, nam si recte eum interpretaris, apparet ibi quoque a solito usu eum non recedere. Est locus ubi de Seiani Liviaeque agitur nuptiis: „Pellit domo Seianus uxorem Apicatam, ex qua tres liberos genuerat, ne paelici suspectaretur".

i. e. non „ne Livia, Seiani paelex (= adultera) aemulationem iustae uxoris metueret", sed „ne ipse Seianus propter Apicatam paelici (rivali) *eius* suspectus esset".

Ann. IV, 30. Locus est de Vibio Sereno, quem suus filius accusat; is, cum quaestio de servis habita adversa sibi fuisset, iram vulgi metuens profugit, sed a Tiberio retrahitur et exsequi accusationem cogitur. Nam vetus erat Tiberii in reum odium propter quaedam ab illo petulantius dicta:

„ea Caesar octo post annos rettulit, medium tempus varie arguens, etiamsi tormenta pervicacia servorum contra evenissent".

Primo aspectu *etiamsi evenissent* hic positum videri possit pro *quamquam evenerant*, sed non ex Taciti verum ex Tiberii mente ea vocabula posita sunt; is enim sic disputans est intelligendus: „*quamvis* pervicacia servorum tormenta contra *evenerint*, tamen damnandus Serenus est, nam ante octo annos maledixit mihi, et postea quoque unum et alterum fecit quod mihi molestum esset". Fabulam ergo de lupo et agno nobis Tiberii oratio in mentem vocat.

Ann. IV, 34. Cremutius Cordus ut demonstret se nihil commisisse quod Brutum et Cassium laudaverit, et alia affert exempla et hoc:

„Titus Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus in primis, Cn. Pompeium talibus laudibus extulit, ut Pompeianum eum Augustus appellaret: neque id amicitiae eorum offecit".

Plerumque illo vocabulo *fides* notum illum Livii *candorem* laudari viri docti putant; sed illa quidem *virtus* quid hic sibi vult? Quomodo inde Cremutius argumentum petere potest ad verba sua tamquam innocua defendenda? *Fides* intelligitur hic fides erga principem et omnino erga τοὺς ἐν τέλει βεβῶτας: est eius qui in praesenti rerum condicione et praesenti reipublicae statu acquiescit et de novis rebus ne somniat quidem. Est ergo quod Francogalli „loyauté" appellant. Talis fuit Livius et ob

Digitized by Google

eam rem multum est in eius exemplo praesidii Cremutio.

Quodsi quis me rogat, quid ergo sit *oppositum* fidei, in promptu est responsum. Est *discordia*, quod vocabulum Tacito in deliciis esse videtur, neque tamen semper suo sensu accipitur. Dabo unum et alterum locum:

H. I, 53. „Caecina aegre passus (sc. se a Galba peculatus accusatum) miscere cuncta et privata vulnera reipublicae malis operire statuit. Nec deerant in exercitu semina discordiae, quod et bello adversus Vindicem universus adfuerat nec nisi occiso Nerone translatus in Galbam atque in eo ipso sacramento vexillis inferioris Germaniae praeventus erat".

Accuratius fuerat hic *agri fertilis* imagine uti, in quo discordiae semina suum sibi facile invenirent nutrimentum: angebat enim eos conscientia intelligebantque non posse se Galbae videri partibus ipsius ex animi sententia deditos. Sed quaecunque est cetera loci sententia, *discordiam* esse mentem eorum qui facile a praesenti desciscant imperatore apertum est. Cf. c. 60 „Ne in Britannia quidem dubitatum. Praerat Trebellius Maximus, per avaritiam ac sordes contemptus exercitui invisusque. Accendebat odium eius Roscius Caelius, legatus vicesimae legionis, olim *discors*" i. e. ad resistendum provinciae praesidi propensus. Et paulo post „*eoque discordiae ventum*", ubi non de militibus *inter se* litigantibus sed de militibus *adversus ducem suum* contumacibus agitur.

H. II, 7. Cur Mucianus Vespasianusque nondum imperii frena in manus sumere velint et aliis verbis describitur et hisce:

„Nec referre Othonem an Vitellium superstitem fortuna faceret. Rebus secundis etiam egregios duces insolescere: discordiam his, ignaviam, luxuriem; et suismet vitiis alterum bello alterum victoria periturum".

Sollicitat haec Madvigius et: „discordia militum ignavia luxurie et suismet vitiis e. q. s." proponit. Sed leviusculum videtur argumentum, quo vocem *his* oppugnat, quam dum mutat, tollit luculentam hanc oppositionem: *egregios duces* et *his*, militibusque ea praebet vitia, quae tamquam propria Othonis Vitelliique legentibus dudum nota sunt. Denique, quod gravissimum, veram vocis *discordia* vim non agnoscit. Perstringuntur Otho Vitelliusque tamquam *pravi milites*, qui contra legitimum ducem arma

Digitized by Google

sumpserint. Sic enim Mucianus et Vitellianus, viri militares, ratiocinantur: „qui parere nesciunt non diu imperabunt". Egregieque illam sententiam confirmat ipsius Taciti de Caecinae militibus iudicium: „quantumque hebes ad sustinendum laborem miles, tanto *ad discordias* promptior".

Denique hic moneo egregie a Furneaux, et, nisi fallor, ab illo primo, horum verborum, quae peculiare aliquid habent et orationis Taciteae indolem diserte produnt, vim esse illustratam: A. III, 29 *ac tamen*; A. III, 69 *ambitione aliena*; A. IV, 11 *alioqui*; A. IV, 31 *cum arceretur*; A. VI, 3 sq. *prorsus*.

(*Continuabuntur*).

AD HORATII SERM. I, 1, 15 SQQ.

si quis deus „En ego" dicat
„iam faciam quod voltis: eris tu, qui modo miles,
mercator; tu, consultus modo, rusticus: hinc vos,
vos hinc mutatis discedite partibus. Eia,
quid statis?" nolint; atqui licet esse beatis —
quid causae est merito quin illis Iuppiter ambas
iratus buccas inflet neque se fore posthac
tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?

His in versibus suspicionem mihi movet praecipue nimis abruptum illud *atqui licet esse beatis*, quae verba neque cum superioribus neque cum insequentibus satis arte cohaerent. Ne te morer, lector, audi — ut Horatii ipsius scrinia compilem — quo rem deducam: quod modo *atqui* fuit adiecta s littera huc illuc duas in partes divisum discedat, ut mutata distinguendi ratione sic constitutus locus evadat:

nolint; at, quis (= quibus) licet esse beatis,
quid causae est merito quin illis Iuppiter ambas cet.

Conferendum est carminis initium, ubi similem in modum sibi invicem respondent *qui* et *ille* pronomina.

MORTIMER LAMSON EARLE.

Digitized by Google

AD ARISTOPHANIS PLUTUM.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur e pag.* 224).

Vs. 535 sqq. — In editione Velseni haec lego: „ἔχειν in vs. 545 sq. interpositis 543 et 544 omitti potuisse non videtur". Quae errori non comici neque priscorum librariorum sed ipsius Velseni debetur observatio. Quod ut demonstrari possit, altius repetenda est res.

Irridet Chremylus Paupertatem mortalibus utilissimam se esse perhibentem:

535 σὺ γὰρ ἂν πορίσαι τι δύναι' ἀγαθόν; — πλὴν Φῴδων ἐκ βαλανείου,
καὶ παιδαρίων ὑποπεινώντων καὶ γραϊδίων κολοσυρτόν!

In quibus verbis neglegentius denuo apparet genus loquendi. Si quid mutandum ducerem, Blaydesium sequerer pro Φῴδων scribentem Φῳδάς γε, non Bentleium κολοσυρτόν in κολοσυρτοῦ mutantem; nam necessarium esse hunc accusativum mox videbimus. Sed aut egregie fallor aut ipse poeta orationem ita variavit, ut prius a πλήν particula suspenderet genetivum (Φῴδων), dein ipsi verbo πορίσαι subiungeret sequentia: κολοσυρτόν et — paucis interiectis — infinitivum ἔχειν. Nam haec sunt coniungenda, et hanc ob causam accusativum modo dixi necessarium.

Videamus igitur quae sequuntur:

Φθειρῶν δ' [1]) ἀριθμὸν καὶ κωνώπων καὶ ψυλλῶν οὐδὲ λέγω σοι
ὑπὸ τοῦ πλήθους, αἳ βομβοῦσαι ...

1) τ' codd.; correxit Kuster.

Digitized by Google

sed pergere non licet priusquam absurda haec verba corrigantur, si liceat; sin minus, tententur certe. Nam inepte *susurrare* dici *pulices*, qui ultimi commemorati sunt, non est quod multis verbis demonstrem. Prius pulicum, dein culicum si fieret mentio, nihil insoliti molestive haberet eiusmodi synecdoche, sed ut nunc habet textus, supra quam dici potest est absurdus. Quid igitur? alione ordine haec disponere post alios conabimur? an lacunosa et fortasse conclamata dicemus? Non opinor, sed animalcula molesta ut exturbentur inde quo audacter insiluerunt auctor sum, ut locus fiat aliis animalculis, quae item mortalibus sunt molestissima sordiumque comites constantes, huic vero enuntiato salutifera. *Muscas* dico, quae quando non coniunctim cum culicibus commemorantur? At temeraria haec coniectura? Non opinor, nam facile potuit fieri ut mentis errore librarius alterum bestiolarum genus nimis bene sibi notum substitueret alteri; potuerunt etiam — et hoc est quod suspicor — litterae ΜΤΙΩΝ casu turbari, dein ΙΤΜΩΝ in ΨΤΛΛΩΝ abire.

Absit igitur ut de hisce animalculis valeat id quod de pulicibus a puella formosa interemtis canebat olim Esseiva:

„non vos hominum eximet ore
„longa dies, sua dum constabit gratia Musis".

Mea certe si quid valent vota, *canori* hi *pulices* quantocius delebuntur.

Sed pergo.

Φθειρῶν δ' ἀριθμὸν καὶ κωνώπων καὶ μυιῶν οὐδὲ λέγω σοι
ὑπὸ τοῦ πλήθους [1]*), αἳ βομβοῦσαι περὶ τὴν κεφαλὴν ἀνιῶσιν,*
ἐπεγείρουσαι καὶ φράζουσαι· „πεινήσεις!" — „ἀλλ' ἐπανίστω!" —

de quibus verbis in transitu observo, particulam *ἀλλά* non *adversativam* nunc esse sed *hortativam*. „Esuries!" pauperi clamant culices et muscae circumstrepentes, „esuries, nisi quam primum ad opus quotidianum te accingas". At etiam dormitat ille: „quin surge igitur!" denuo sopitum increpant [2]).

πρὸς δέ γε τούτοις ἀνθ' ἱματίου μὲν ἔχειν ῥάκος, ἀντὶ δὲ κλίνης
στιβάδα σχοίνων κορέων μεστήν, ἣ τοὺς εὕδοντας ἐγείρει·
καὶ Φορμὸν ἔχειν ἀντὶ τάπητος σαπρόν, ἀντὶ δὲ προσκεφαλαίου

1) Verba *ὑπὸ τοῦ πλήθους* ut sint sincera vereor; languent certe.
2) *Ge zult hongerlijden! — Maar sta dan toch op!!*

Digitized by Google

λίθον εὐμεγέθη πρὸς τῇ κεφαλῇ· σιτεῖσθαι δ', ἀντὶ μὲν ἄρτων
μαλάχης πτόρθους, ἀντὶ δὲ μάζης Φυλλεΐ' ἰσχνῶν ῥαφανίδων·
ἀντὶ δὲ θράνου στάμνου κεφαλὴν κατεαγότος, ἀντὶ δὲ μάκτρας
πιθάκνης πλευράν, ἐρρωγυῖαν καὶ ταύτην. ἆρά γε πολλῶν
ἀγαθῶν πᾶσιν τοῖς ἀνθρώποις ἀποφαίνω σ' αἴτιον οὖσαν;

Tandem ad illos versus perventum est, quorum causa hunc locum tetigi. Sic igitur haec omnia procedunt — neque novi quid nunc dicam, nam duobus abhinc saeculis verum indicavit Bergler —: σὺ δύναιο ἂν πορίσαι κολοσυρτὸν παιδαρίων καὶ γραδίων, καὶ πρὸς τούτοις ἔχειν Φορμὸν (μὲν) ..., λίθον δὲ ..., σιτεῖσθαι δὲ ..., κεφαλὴν δὲ θράνου ..., πλευρὰν δὲ πιθάκνης κτἑ. — Verbum πορίσαι adscivit obiecta duo: accusativum κολοσυρτόν et infinitivum (accusativi vicem obeuntem) ἔχειν, a verbo ἔχειν autem suspensa sunt nomina Φορμός, λίθος, κεφαλή, πλευρά, et infinitivus σιτεῖσθαι (= σῖτος). Dicitur nunc ἔχειν σιτεῖσθαι, ut alibi δὸς κύσαι vel ὁ οἶνος ἡδύς ἐστι πιεῖν.

Nullo igitur vitio horum versuum structura laborat.

Levior est quaestio quae pertinet ad vs. 587:

οὔκουν τούτῳ δήπου δηλοῖ τιμῶν τὸν πλοῦτον ἐκεῖνος;

Chremylus Paupertatem de Iove rogat. Quo loco Cobeto verum videbatur δῆλος, ut dici solet alibi. Non tamen video quid vitiosi sit in lectione vulgata, cum *accusativus* certe participii in eiusmodi enuntiatis et apud alios sit frequens et apud nostrum sit lectus supra (vs. 269):

δηλοῖς γὰρ αὐτὸν σωρὸν ἥκειν χρημάτων ἔχοντα.

Ismenae autem Sophocleae si licuit dicere: δηλοῖς τι καλχαίνουσ' ἔπος, et Thucydidi: ὁ πόλεμος οὗτος ... ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων σκοποῦσι δηλώσει μείζων τῶν τρωϊκῶν γεγενημένος, quidni Aristophani licuerit eadem verborum structura uti, in ea praesertim fabula cuius dictio peculiaria habeat multa. Accedit autem argumentum minime contemnendum: οὔκουν δῆλός (ἐστι) τιμῶν significat: *nonne igitur apparet eum ... magni facere?* οὔκουν δηλοῖ τιμῶν idem valet quod: οὔκουν δηλοῖ ἑαυτὸν τιμῶντα, *nonne igitur ostendit* (iis quae modo dixi) *magni se facere?* Quod aliquanto vividius est enuntiatum. Illud erat placide rogantis, hoc est assensum extorquentis.

Digitized by Google

Vs. 594—597. *Hecaten modo roga qualia sint paupertatis illa bona; haec enim ait*

τοὺς μὲν ἔχοντας καὶ πλουτοῦντας δεῖπνον κατὰ μῆν' ἀποπέμπειν,
τοὺς δὲ πένητας τῶν ἀνθρώπων ἁρπάζειν πρὶν καταθεῖναι,

singulis sibi noviluniis a divitibus mitti cenas, quas vixdum ab iis depositas abripi a pauperibus — ferarum scilicet vulturumque aemulis.

„Cenas Hecates", quae in triviis ei, utpote Ἐνοδίᾳ καὶ Χθονίᾳ, quovis mense ineunte offerebantur, quamprimum ab hominibus esurientibus devoratas esse dicit Chremylus. Cuius verba egregie illustrat Ariston quidam apud Demosthenem, qui adversarii testes denigrans ex infimae plebeculae faece protractos perhibet et merito „Triballos" sive feros dici, qui ne cenas quidem Hecates abiectave victimarum viscera aspernentur. Porcorum scilicet canumque, non hominum, hic erat cibus. Divitibus ex opibus suis superat quod pia mente offerant diis: at pauperes vix in triviis inveniunt quo stomachum sedent latrantem. Illi ferunt dapes, hi κυνηδὸν eas rapiunt.

Videmus verborum structuram neglegentiorem esse, verbi enim καταθεῖναι non idem quod vicini verbi ἁρπάζειν esse subiectum, sed rediri ad subiectum versus proximi. Itaque expectabatur: πρὶν ἐκείνους καταθεῖναι. Nam poetae mentem non erat assecutus is qui sic haec interpretabatur: pauperes dapes Hecatae tollere priusquam deposuerint, i. e. omnino nullas ferre. Quod et languidum foret argumentum et ab hoc loco alienum, aptius enim foret ad iram Hecatae movendam quam ad miseram istiusmodi hominum vitam ob oculos ponendam.

Ipsius autem comici, non librariorum hoc esse vitium, — si sit vitium — persuasum mihi est, multum igitur abest ut probabilem ducam coniecturam quae proposita est: πρὶν κατακεῖσθαι.

Vs. 660—662.

ἐπεὶ δὲ βωμῷ πόπανα καὶ προθύματα
καθωσιώθη „πέλανος Ἡφαίστου Φλογί",
κατεκλίνομεν τὸν Πλοῦτον κτέ.

Haec Carionis verba quoniam infelici admodum coniectura tentavit Bergk μέλανος pro πέλανος scribens, suspicari licet non omnibus lectoribus perspicua esse.

Digitized by Google

Cothurnatam dictionem nunc — ut saepe ἐν ῥήσεσιν ἀγγελικαῖς — imitatur comicus. Meram enim tragoediam hi trimetri sapiunt. Verbum καθοσιοῦν, cui locativus βωμῷ (= ἐπὶ τοῦ βωμοῦ) sociatus est, sic adhibitum habes etiam in verbis nuntii Euripidei de Oreste, quem mactatum falso crediderant:

ὃν τοῖσδε βωμοῖς θεὰ καθωσιώσατο.

Vox πόπανα notabile nihil habet, saepius enim apud comicos redit; sed προθύματα, quae in quotidiano sermone θυλήματα dicebantur potius, — lectionem alteram (e glossemate natam) θυλήματα hoc loco scholia commemorant — e tragoedia sunt desumta; conferri possunt e. g. Iphigeniae moriturae querelae: „προθύματ' ἔλαβεν Ἄρτεμις". Hae autem placentae in ara combustae esse eleganter — aut si mavis, tumide — his verbis dicuntur: *in ara flamma Vulcani sunt consecratae libum*, i. e. *ita ut fierent* πέλανος *sive libum*. Proxima sono sunt haec verba nuntii Euripidei:

ἐπεὶ δ' ἅπαν
κατηνθρακώθη θῦμ' ἐν Ἡφαίστου φλογί.

Cara autem tragicis, ut καθοσιοῦν et προθύματα, est πέλανος vox, neque apud nostrum alibi obvia. Nec causa latet. Nempe „πέλανον" — unus e caelitibus ait apud Sannyrionem:

πέλανον καλοῦμεν ἡμεῖς οἱ θεοί,
ἃ καλεῖτ' ἀσέμνως ἄλφιθ' ὑμεῖς οἱ βροτοί.

Nomen σεμνότερον est πέλανος, vulgatum ἄλφιτα, illud deorum heroum sacerdotum linguae accommodatum, hoc sermoni quotidiano. Quae verba claram lucem accipiunt e notissima saeculi V^{i} inscriptione de primitiis frumenti Cereri et Filiae debitis ($\frac{1}{600}$ hordei, $\frac{1}{1200}$ tritici), ubi praestantissima pars frumenti a reliquo secerni iubetur ut placentae inde sacrificentur diis, hoc autem dicitur „θύεν ἀπὸ τῶ πελάνο". Vocatur igitur illic πέλανος pars frumenti ipsis deis destinata: — ἄλευρα vel ἄλφιτα quae erant, πέλανος fiunt cum caelitibus destinantur [1]). Prisca vox nonnisi *in re sacra* et apud poetas permansit.

Vs. 668 sq. — Paucis interiectis sic pergit Cario:

ὡς δὲ τοὺς λύχνους ἀποσβέσας

1) Vid. Dittenberger ad Syll. 13^{38}.

Digitized by Google

ἡμῖν παρήγγειλεν καθεύδειν τοῦ θεοῦ
ὁ πρόπολος, —

ubi metri causa Bothe et Porson eosque secuti alii multi scripserunt παρήγγειλ' ἐγκαθεύδειν, trimetrum sic efficientes numerosiorem, at idem verborum sensum corrumpentes. Et *vitiosum* esse trimetrum caesura carentem, quem praebet vulgata, nemo contendet, alienum vero hinc esse *incubandi* verbum certum mihi videtur. Cui ut sit locus, sumamus oportet *extra aedem* versatos esse hactenus; at dudum eam intrasse eos apparet e ceteris Carionis verbis: *Litavimus, dein Plutum intus in lecto collocavimus nobisque strata subitaria paravimus ipsi; tum extinxit lucernas aeditumus et dormire nos iussit.*

Vs. 845. — Simile quid observare habeo de verbis Carionis ad Iustum virum. Pluto hic palliastrum lacerum tritumque affert donarium; cui Cario:

μῶν οὖν ἐμυήθης δῆτ' ἐν αὐτῷ τὰ μεγάλα;

Quo loco Venetus omittit particulam οὖν. Et quoniam invita lingua particulae μῶν, quae e μὴ οὖν (ὦν) concrevit, subiungitur nunc οὖν, speciem habet lectio Ravennatis:

μῶν ἐνεμυήθης δῆτ' ἐν αὐτῷ τὰ μεγάλα;

cum praesertim simili composito utatur Iustus vir Carioni respondens:

οὔκ, ἀλλ' ἐνερρίγωσ' ἔτη τρία καὶ δέκα.

Et tamen falluntur qui sequuntur Ravennatem. Nam μῶν οὖν licet dici non potuerit quamdiu sensere homines particulae μῶν ipsum οὖν inesse, comici tamen aetate nonnunquam ita locutos esse et alii loci testantur et Pacis versus:

μῶν οὖν ὅμοιον καὶ γυλίου στρατιωτικοῦ; [1]).

Vitiosum igitur non est id quod plerique praebent codices; id vero quod habet Ravennas certo laborat vitio. Vide modo quid inter Carionis et Iusti viri verba intersit. Hic praepositioni ἐν more prisco sed nunquam intermortuo vim adverbii localis tribuens ἐνερρίγωσα dicit, quod rectius scriberetur ἔν ἐρρίγωσα — nisi praestaret non temere talia novare. Nam non vera composita loquendi hoc genus parit, sed pro re nata cuivis verbo prae-

1) Pac. 527; cf. Aesch. Choeph. 177 Eur. Andr. 82.

Digitized by Google

mitti potest illud ἐν. Sic e. g. apud nostrum Athenae urbs dicitur πᾶσι κοινὴ ἐναποτεῖσαι χρήματα, lodix μαλθακὴ ἐγκατακλινῆναι, thorax ἐπιτήδειος ἐναποπατεῖν, apud Herodotum planities Marathonia Boeotia Thriasia vocantur ἐπιτηδειόταται ἐνιππεῦσαι, ἐνστρατοπεδεύσασθαι, ἐμμαχέσασθαι, Dorisci littus ἐπιτήδειον ἐνδιατάξαι στρατόν, apud Euripidem Penthei nomen ἐνδυστυχῆσαι ἐπιτήδειον dicitur, pluraque eiusmodi facile possunt colligi. Cuiusmodi locis scribe: πόλις κοινὴ ἐναποτεῖσαι ἐν αὐτῇ, πεδίον ἐπιτήδειον ἐνιππεῦσαι ἐν αὐτῷ, ὄνομα ἐπιτήδειον ἐνδυστυχῆσαι ἐν αὐτῷ — et meras habebis sordes pro elegantia Attica.

Itaque ut ad nostrum locum redeam, Carionis verba „ἐν αὐτῷ" idem valent quod in Iusti viri responso praepositio „ἐν" verbo ῥιγῶν praemissa; vitiosum autem est ἐμμυηθῆναι ἐν αὐτῷ, et mero errore particulam ΟΤΝ vel ΘΝ ab altero librario in ϵN mutatam esse, ab altero per haplographiam post ΜΩΝ omissam, satis luculenter, ut spero, iam apparet.

Vs. 737 sq. — De his Carionis ad heram verbis, in quibus aliquantisper haesi et Blaydesium haesisse video, dicendum est aliquid:

καὶ πρίν σε κοτύλας ἐκπιεῖν οἴνου δέκα,
ὁ Πλοῦτος, ὦ δέσποιν', ἀνειστήκει βλέπων.

Coniecit Blaydes κοτύλας σ' ἄν, non recte, si quid video, licet olim mihi persuaserit. Hoc enim significaret: *prius quam tu decem cotylas* — tres fere litras — *ebibere potuisses si adfuisses;* — at nulla mulieri pocula praesto fuissent in Aesculapii fano, absurdum igitur id foret. Vulgata vero vertenda est: *prius quam tu decem cotylas ebibas* sive *ebibere soles.* Adest autem nunc in scena vinum, quod hera Carioni attulit.

Non quo negem insoliti quid habere hoc enuntiatum, et Carionem, si voluisset accurate loqui, dicturum fuisse fortasse: θᾶττον ἢ σὺ ἐκπίοις ἄν vel θᾶττον ἢ σὺ ἐκπίνεις κοτύλας δέκα vel simile quid. Sed omnino nego *vitiosum* esse aut textum aut ipsa quae poeta dedit verba.

Vs. 976. — *Erat mihi* — queritur vetula —

μειράκιον Φίλον,

Digitized by Google

πενιχρὸν μέν, ἄλλως δ' εὐπρόσωπον καὶ καλὸν
καὶ χρηστόν.

In his verbis quid displicere possit non video. Alcaei versiculi: „πενιχρὸς δ' οὐδεὶς πέλετ' ἔσλος οὐδὲ τίμιος" fortasse anus recordata, vel potius dicti popularis quod etiam Alcaeus carmini olim inseruit, amatorem *pauperem quidem* fuisse sibi ait *sed tamen pulcrum probumque*; epitheta autem εὐπρόσωπον καὶ καλὸν καὶ χρηστὸν et aptissimam gradationem efficiunt hanc: *facie totoque adeo corpore pulcrum et ingenii egregii*, et defendi possint, si opus videatur, collato Anaxandridis versiculo simili:

Θεολύτη μάλ' εὐπρόσωπος καὶ καλή.

Sed fac nescio quam ob causam vitiosum tamen nostrum locum censeri: vel sic tamen reicienda erit coniectura Meinekii, quam etiamnunc nonnullis satis placere miror:

εὐπρόσωπον χἀπαλόν,

quae sunt bene graeca, sunt eleganter dicta, sunt vere Aristophanea, sed ... ab hoc loco sunt quam maxime aliena. Non strenui indefessique iuvenis hoc est epitheton, sed puellae aut... cinaedi. *Agatho* sic laudatur noto nostri loco:

σὺ δ' εὐπρόσωπος, λευκός, ἐξυρημένος,
γυναικόφωνος, ἁπαλός [1]), εὐπρεπὴς ἰδεῖν.

Itaque hoc quoque loco nihil novasse praestat, opinor.

Vs. 989. καὶ ταῦτα τοίνυν οὐχ ἕνεκα μισητίας
αἰτεῖν μ' ἔφασκεν, ἀλλὰ φιλίας οὕνεκα,
ἵνα τοὐμὸν ἱμάτιον Φορῶν μεμνῇτό μου.

In hisce verbis aniculae incredibilem amatoris sui modestiam enarrantis immerito Blaydes suspectas habet particulas τοίνυν et ἕνεκα. Quarum prior pronominis cui subiuncta est vim adauget: *talia erant quae ille me rogabat, et ne haec quidem rogasset, nisi monumenta mei secum ferre voluisset semper.* Pro posteriore expectabatur sane ὑπό, sed prior enuntiati pars alteri nunc assimulatur, ut iocus possit captari. Nam μισητίαν *avaritiam* intellegit mulier, ut homo sordide avarus diis sua vota „οὐκ ἀποδοῦναι μισητίᾳ" dicitur in Avibus; auditoribus vero aliud quid sonat illa vox, quoniam in libero virorum sermone *feminae*

1) Nostrum *poezel.*

Digitized by Google

virosae, ἄπληστοι, μάχλοι, καταφερεῖς contemtim vocabantur μισηταί. Itaque *amoris mercedem* dicere videtur anus, invita sane et nihil eiusmodi suspicata.

Operae videtur pretium in transitu observasse, etiam alibi in hac fabula particulam ἕνεκα liberius adhibitam esse, itemque διά praepositionem, ita ut plus uno loco dubium sit utrum prospiciatur an respiciatur, causane indicetur an consilium.

Vs. 1004. *Nil mirum* — Chremylus ait — *alium nunc animum esse iuveni quam antehac:*

ἔπειτα πλουτῶν οὐκέθ' ἥδεται φακῇ.

In hoc versu quid tantopere displiceat ut variis coniecturis tentandus videatur — proposita enim sunt ἐπεί γε πλουτῶν, ἐπεὶ ζηπλουτῶν, νυνὶ δὲ πλουτῶν — non satis perspicio: id perspicere mihi videor, sanum esse.

Naturalis verborum ordo hic est: πλουτῶν ἔπειτα οὐκέτι ἥδεται φακῇ, in quibus abundat ἔπειτα, ut passim apud nostrum. Traiectio autem particulae minime eiusmodi est ut suspicionem moveat. Nam quidni in ἔπειτα particula collocanda eadem libertate usus fuerit comicus qua in εἶτα? quam particulam participio saepius ita praemisit, e. g. in verbis Strepsiadis:

εἶτα τῷ πατρὶ | πιθόμενος ἐξάμαρτε,

i. e. τῷ πατρὶ πιθόμενος (= ἐὰν πίθῃ τῷ πατρί) εἶτα ἐξάμαρτε. Eandem autem traiectionem admittit particula ὅμως, e. g. in verbis Isiciarii:

ἀλλ' ὅμως οὗτος, τοιοῦτος ὢν ἅπαντα τὸν βίον,
κἄτ' ἀνὴρ ἔδοξεν εἶναι,

i. e.: ἀλλὰ τοιοῦτος ὢν ὅμως ... ἔδοξεν εἶναι.

Necessaria autem nostro loco est particula consecutiva, quam critici removere certatim conati sunt, ἔπειτα *exinde*. Λίμου καὶ γραίης χαλεπὴ κρίσις, ut de vetulae amatore egeno dicitur in Anthologia; *olim* igitur πεινῶν iuvenis noster, ut ille, ἠὔχετο γραῦν, vetulam quam famem malebat tolerare; at *nunc* sordes illas aspernatur.

Vs. 1082 sq.

οὐδ' ἂν διαλεχθείην διεσπλεκωμένῃ
ὑπὸ μυρίων ἐτῶν γε καὶ τρισχιλίων.

Digitized by Google

Ab et *ὑπό* praepositiones passivo subiciuntur ubi de animantibus, non ubi de rebus fit sermo. Estne igitur vitiosum hoc loco *ὑπὸ ἐτῶν*? Fuit qui id arbitraretur, perperam tamen, nam *ioco*, non errori debetur insolita haec structura. *Ne alloquio quidem dignam habeo vetulam illam vitiatam a sexcentis* ... nam satis magnus hic est numerus, neque Romani ut Graeci *tredecim* dicunt ad numerum rotundum (*een dozijn*) indicandum, ... *a sexcentis* igitur — — expectatur *amatoribus*, sed probra probris cumulans iuvenis protervus *annos* dicit. Illud etiam gloriolam aliquam habuisset, si tot viris aliquando certe placuisset: haec contumelia est mera.

In transitu observo, neque huc pertinere quae de verbo *διαλέγεσθαι* amatorium commercium interdum — ut *συγγίγνεσθαι* — significante annotarunt prisci grammatici [1]), neque *ἔτην* substantivum, quod cum glossatore interpretes recentiores huc traxerunt. Quae neque Aristophanea est vox, neque si esset, huc conveniret.

Vs. 1092 sqq. — Intrat Chremyli aedes iuvenis. At sequitur vetula: — ille pedem retrahit. *Quid reformidas*? ridens iam Chremylus:

οὐ γὰρ βιάσεταί!

Cui iuvenis:

πάνυ καλῶς τοίνυν λέγεις.
ἱκανὸν γὰρ αὐτὴν πρότερον ὑπεπίττουν χρόνον.

Satisne hos versus intellegunt lectores hodierni? Dixeris obscuros esse non posse, apertum enim esse lusum quem praebet verbum *βιάζεσθαι*. „*Vim ista tibi non inferet*" Chremylus ait, de muliere dicens id quod proprie de solis viris potuit dici. Quo verbo arrepto iuvenis redit ad vindemiatorum linguam, qua modo usi sunt *τρυγός* et *τρυγοίπου* mentionem facientes. „*Facile credo*" — retorquet — „*ex isto dolio nihil vi prorupturum, quod tam sedulo subleverim equidem*". Quorum verborum ultima certe explicationem non requirunt.

Nihil novi observo? facile credo. Sed qui fit igitur ut Blaydes proponat:

οὐ γάρ τι βιάσεταί σε. — πάνυ καλῶς λέγεις,

1) Vid. Hyperid. fr. 171 Blass, Ar. fr. 343, Poll. II 124 V 92 sq.

Digitized by Google

pellectus vitio Veneti, in quo ante *βιάσεται* legitur dittographema *τι* (*τιμιάσεται*)? Nam vides addito pronomine *σε* plane corrumpi atque aboleri verborum illum lusum. Dicebatur *βιάζεσθαι* mustum effervescens, quod nondum *ἀπέζεσε καὶ ἀφύβρισεν*, ut Alexidis (fr. 45) verbis utar; sed *obiectum* nullum admittit verbum eo sensu adhibitum.

Vs. 1128 sqq.:

Merc. οἴμοι δὲ κωλῆς, ἣν ἐγὼ κατήσθιον!
Car. ἀσκωλίαζ' ἐνταῦθα πρὸς τὴν αἰθρίαν.
Merc. σπλάγχνων τε θερμῶν, ὧν ἐγὼ κατήσθιον!
Car. ὀδύνη σε περὶ τὰ σπλάγχν' ἔοικέ τι στρέφειν.
Merc. οἴμοι δὲ κύλικος ἴσον ἴσῳ κεκραμένης!
Car. ταύτην ἐπιπιὼν ἀποτρέχων οὐκ ἂν φθάνοις;

Annorum praeteritorum *pernas* succulentas, dein *viscera* lugubri voce deflet Mercurius esuriens luctuque tripudians; „*κωλῶν*" autem mentio echo quandam habet in verbis Carionis proterve Olympio illudentis: „*ἀσκωλίαζ' ἐνταῦθα*", *perge modo salisubsule! sub divo solum calcibus ferias per me licet: intus ad nos non intrabis!*

Quod vero *viscera* olim in sacris sibi oblata desiderat Mercurius, *viscerum dolore eum* — post nimis copiosam, credo, cenam — *torqueri* perridicule ex eius verbis corporisque motu efficere se fingit Cario. Cuiusmodi dolores proprie dicebantur *στρέφειν τὴν γαστέρα*. Nam *σπλάγχνων* nisi in re sacra mentionem facere poetarum erat, non dictionis vulgatae, et recte — ut redeamus ad id quod supra observatum est — hanc proposuerit quis proportionem:

σπλάγχνα : *γαστήρ* = *πέλανος* : *ἄλφιτα*.

Itaque voce hac Cario non uteretur nunc nisi verborum fieret lusus.

Optime autem cohaeret locus neque obscuri quicquam utrivis ioco inest, nisi quod versus 1131, quem talem supra excripsi qualis legitur in Veneto, integrior quidem est illic quam in ceteris codicibus, — hi enim *πρός* habent omnes pro *περί*, — non tamen omnino integer. Vide autem quam pusilla vitia maiorum causa existere possint. Nam errore vulgatissimo et in litteratura minuscula paene necessario e litteris *-σστ-* evanuit sigma alterum. Comicus dederat

Digitized by Google

ὀδύνη σε περὶ τὰ σπλάγχν' ἔοικέ τι⟨ς⟩ στρέφειν,

sed in codicibus recentioribus longe plurimis legitur ἔοικ' (vel ἔοικεν) ἐπιστρέφειν, Hemsterhuys autem ἔοικ' ἔτι στρέφειν coniecit, multis plaudentibus, licet ἔτι particula non minus hinc sit aliena quam ἐπι- praepositio. Aptissimum vero in Carionis ore est indefinitum τις: *nescio qui viscerum dolor vexare te videtur.*

Itaque hoc quoque loco lectionem, quam praebet codex ceteris praestantior, servandam esse patet, nisi quod una quae intercciderat littera est supplenda.

Quamquam *alio* vitio, eoque aliquanto graviore, hos versus laborare suspicor. Nam quid languidius, quid venustum minus excogitari potuit, quam ut Mercurius prius diceret: *vae pernam, quam comedere solebam*, dein: *vae viscera calida, quae comedere solebam!* Certum mihi videtur non comico sed librariis deberi iteratum „ἐγὼ κατήσθιον". Nullo negotio certe unusquisque nostrum excogitet aliquid quod sit aptius, e. g. hoc:

σπλάγχνων τε θερμῶν, ὧν ⟨κατεβρόχθιζον τότε⟩!

Denique dicendum est aliquid de ultimo versuum quos supra excripsi. Ubi sibi constans Cario — meminimus enim qualia in Aesculapii templo designaverit — ventris oppleti medicinam deo donat ... πορδήν. Ita autem loquitur quasi remedium aliquod — κυκεῶνά τινα βληχωνίαν — ei praebeat ἐπιπιεῖν ad sedandos ventris illos dolores. Et gestu aperte, quae est eius impudentia, indicat quid demonstrativum αὕτη sibi velit. Blaydesii vero infelicissima est suspicio, *alapam* deo infringi. Qualia etiam in effrena illa iocandi libertate intolerabilia opinor fuissent visa Atheniensibus, neque causa est ulla cur *feriatur* nunc Olympius miser et demissus; omnem denique dubitationem — si quis etiam dubitet — eximit id quod statim sequitur Mercurii dictum: *estne ut succurras amico?* Quae verba non esse eius qui modo vapularit vix opus est hic dici. Risum mancipii patienter perferre abiecti est dei: vapulare et tamen amicum se dicere Carionis, id delirantis foret.

Vs. 1144. *Quae offerre mihi solebas, ipse dein comedebas*, Mercurius queritur. *Et optimo quidem iure* — ait Cario:

οὐ γὰρ μετεῖχες τὰς ἴσας πληγὰς ἐμοί,

Digitized by Google

ὁπότε τι ληφθείην πανουργήσας ἐγώ.

Paullo neglegentius — εἷς γὰρ λόγος μοι δεῦρ' ἀεὶ περαίνεται — haec sunt enuntiata. Accuratius enim locutus fuisset Cario, si aut dixisset: οὐ γὰρ (τὸ) ἴσον μέρος τῶν πληγῶν μετεῖχες ἐμοί, quemadmodum supra (vs. 225 sq.) Chremylus dixit: ὅπως ἂν ἴσον ἕκαστος ἐνταυθοῖ παρὼν | ἡμῖν μετάσχῃ τοῦδε ... μέρος, quem locum conferri iubent scholia, aut: οὐ γὰρ εἶχες τὰς ἴσας πληγὰς ἐμοί, quemadmodum in Ranis Dionysus ad Xanthiam: τί δῆτα ... οὐ καὶ σὺ τύπτει τὰς ἴσας πληγὰς ἐμοί;

Minime tamen *vitiosa* sunt quae nostro loco leguntur; absit igitur ut scribamus: οὐ γὰρ σύ γ' εἶχες τὰς ἴσας πληγὰς ἐμοί vel: οὐ γὰρ μετεῖχες οὐδὲ τῶν πληγῶν σύ γε, — quae propositae sunt coniecturae, — aut novi quid excogitemus ipsi.

Vs. 1190. — Chremylus Iovis sacerdotem, qui ad se confugit, his verbis consolatur:

θάρρει· καλῶς ἔσται γάρ, ἢν θεὸς θέλῃ.
ὁ Ζεὺς ὁ Σωτὴρ γὰρ πάρεστιν ἐνθαδί,
αὐτόματος ἐλθών [1]).

Quae infelicissima coniectura vexavit vVelsen αὐτόΤατος proponens. Quam cur suaserit nescio, nam *sponte* venisse quidni dicatur deus. *Ipsissimum* vero venisse Iovem Servatorem si perhiberet nunc Chremylus, apertum proferret mendacium; nam *Plutus* est is quem dicit. *Is Iuppiter, is Servator, quem dicebus modo, in hisce is adest aedibus, quo sponte sua venit.* Adest apud nos ipse Divitiarum deus: τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν, et tibi quoque apud nos erit locus.

1) Sic Venetus; non recte Ravennas aliique ἥκων.

Digitized by Google

AD LUCIANUM.

SCRIPSIT

K. G. P. SCHWARTZ.

Prometheus es in verbis. Labem concepit quod C. 1 medio legitur: καίτοι πόσῳ δικαιότερον ὑμεῖς ἂν εἰκάζοισθε τῷ Προμηθεῖ, ὁπόσοι ἐν δίκαις εὐδοκιμεῖτε ξὺν ἀληθείᾳ ποιούμενοι τοὺς ἀγῶνας· ζῶντα γοῦν ὡς ἀληθῶς καὶ ἔμψυχα ὑμῖν τὰ ἔργα καὶ νὴ Δία τὸ θερμὸν αὐτῶν ἐστι διάπυρον· καὶ τοῦτο ἐκ τοῦ Προμηθέως ἂν εἴη, πλὴν εἰ μὴ διαλλάττοιτε κ.τ.λ. Vides quid rei sit. Intermortua rhetorum et sophistarum lucubratio forensi operae opponitur, quae de media hominum vita sumpta veram et praesentem rerum humanarum reddit imaginem. In hac qui studium ponunt, causarum actores et patroni, cum Prometheo comparantur, idque *duabus* de causis; altera quod apud eos *spirant* et *vivunt* omnia; altera quod *igneo* quodam fervore eorum excandescit oratio. Comparantur, inquam, immo comparari debuerant; nam nunc quidem librariorum culpa una pars enuntiati intercidit, siquidem verba καὶ τοῦτο ἐκ τοῦ Προμηθέως ἂν εἴη nonnisi ad *proxima* referri ex usu loquendi ulla ratione possunt. Cui malo medeberis sententiamque restitues interpunctione post διάπυρον in virgulam mutata pro ἐστι id quocum propter similitudinem facillime confunditur: ὅτι reponendo: καὶ νὴ Δία καὶ τὸ θερμὸν αὐτῶν ὅτι διάπυρον, καὶ τοῦτο ἐκ τοῦ Προμηθέως ἂν εἴη. Quo facto ex manca integra evadet oratio.

In Cap. 5 supplendum: εἰ μὴ καὶ ἡ μῖξις ἐναρμόνιος (εἴη) καὶ κατὰ τὸ σύμμετρον γίγνοιτο. Sed hoc leve; gravius aliquanto laborat quod in C. 7 in hunc modum edi solet: δέδια

Digitized by Google

τοίνυν μὴ αὖθις ὅμοιόν τι τῷ Προμηθεῖ τῷ σῷ πεποιηκὼς Φαίνωμαι τὸ θῆλυ τῷ ἄρρενι ἐγκαταμίξας καὶ δι' αὐτὸ δίκην ὑπόσχω· μᾶλλον δὲ μὴ καὶ ἄλλο τι τοιοῦτος Φανείην ἐξαπατῶν ἴσως τοὺς ἀκούοντας καὶ ὀστᾶ παραθεὶς αὐτοῖς κεκαλυμμένα τῇ πιμελῇ, γέλωτα κωμικὸν ὑπὸ σεμνότητι Φιλοσόφῳ. Hic antequam ipsum tuber curamus verrucas exstirpemus. Primo καὶ κατ' ἄλλο τι requiri iam indicavit Fritzschius; deinde verbum q. e. ἴσως quid hoc loco valeat prorsus non video et commendo πως; tertio copula post ἀκούοντας inducenda: lectores decipiens *ossibus* adipe coopertis *appositis*. Restat tamen quod magis offendat quodque adeo ipsi sententiae ne minus recte accipiatur periculum faciat. Apparet vitium eo quod sine ulla probabili causa post subiunctivos Φαίνωμαι et ὑπόσχω optativus Φανείην praeter expectationem infertur. Non sane ignoro quantopere in his modis pro arbitrio paene adhibendis sibi Graecorum scriptores indulgeant; persaepe in oratione obliqua optativum ponere ubi sermonis regula subiunctivum requirere videatur, et contra. Verum enimvero etiam a summa libertate licentia tamen abesse et potest et debet; nec quidquam habet excusationis neque in verbis neque in loci structura haec subita et inopinata modorum permutatio. Huc accedit quod verba μᾶλλον δέ, si quid video, sententiae non satis sunt accommodata. Quotiescunque ea apud Lucianum occurrunt, — eique in maximo usu sunt — haec est eorum natura ac vis, ut in prioribus posita et enuntiata ex parte retractentur, infirmentur certe et attenuentur. Quod in nostrum locum non quadrat; nihil enim ex praegressis negatur aut refellitur; quin etiam *novum argumentum* affertur quo demonstratur eum qui Dialogum et Comoediam in unum confuderit Promethei similem esse. Hoc ut appareat et eadem opera vitium syntacticum tollatur, locum ita refingo: καὶ μάλιστα, εἰ καὶ κατ' ἄλλο τι τοιοῦτος Φανείην; i. e. vereor ne poenam meritam accipiam, *idque eo magis, si etiam in alia re talis reperiar.*

In *Nigrini* prooemio nunquam concoquere potui quod amicus subiratus Luciano exprobrat: οὔθ' ὁμιλίας μεταδίδως οὔτε κοινωνεῖς τῶν ὁμοίων λόγων. Interpretantur: sermones inter aequales et voluntate ac moribus similes. Cum tamen vix credibile videatur in prosa oratione quemquam tam audaci metaphora

Digitized by Google

usum, ut sermones inter consimiles habitos ipsos similes diceret, vitii aliquid verba contraxisse suspicor, cui succurrere possis: τῶν μετὰ τῶν ὁμοίων λόγων reponens. Ab altero articulo ad alterum describentis oculus erravit.

Notum dicendi genus, recentioribus vero minus usitatum quodque propterea variis modis corrumpi solet, obscuratum est C. 7 in verbis: ἐν πελάγει καὶ νυκτὶ πολλῇ φερόμενος ἐς πυρσόν τινα τοῦτον ἀποβλέπω, ubi sine dubio dederat: ὡς ἐς πυρσόν τινα τοῦτον (Nigrinum sc.). Utiliter conferri potest quod C. 4 legitur: ὥσπερ ἐκ ζοφεροῦ τινος ἀέρος τοῦ βίου τοῦ πρόσθεν ἐς αἰθρίαν ἀναβλέπων.

Quot et quantis molestiis conflictantur quos rei familiaris angustiae 'aliena' coëgerunt 'vivere quadra'! De media nocte est surgendum, tota urbe discursandum, ut fores superbi divitis oppugnent πρὸς τῶν οἰκετῶν ἀποκλειόμενοι, κύνες, καὶ κόρακες (ita ego olim pro κόλακες et persuasi Sommerbrodtio) καὶ τὰ τοιαῦτα ἀκούειν ὑπομένοντες (C. 22). Haec sanissima; nec quod minus placeant ideo adscripsi, sed quia egregie faciunt ad locum haud absimilem vitio, quod adhuc omnes latuit, liberandum. Est locus, quem volo, in libello de Mercede Conductis (C. 10), ubi eadem haec matutina clientium ridetur salutatio: ἔωθέν τε ἐξανιστάμενον περιμένειν ὠθούμενον καὶ ἀποκλειόμενον καὶ ἀναίσχυντον ἐνίοτε καὶ ὀχληρὸν δοκοῦντα. Itane vero? Importuni et molesti *videntur*? Cuinam videntur? Et *nonnunquam* videntur? Cur non semper? Apage ineptias et repone quod unice verum est: ἀκούοντα. Dum turba premuntur et excluduntur insuper a servis aliquando sugillantur.

Inde a Cap. 35 longa, me iudice nimis longa, instituitur comparatio inter sapientum praecepta et castigationes et tela a sagittario in destinatum coniecta. Alia nimio impetu arcu expulsa οὐ μένει ἐν τῷ σκόπῳ, ἀλλὰ διελθόντα κεχηνυῖαν μόνον τῷ τραύματι τὴν ψυχὴν ἀπέλιπεν; alia debili manu emissa ne perveniunt quidem ad scopum; alia denique secundum artem a perito prudentique sagittario in adversum directa ingenti nec tamen nimia vi scopum feriunt: τὸ δὲ ἐνεχθὲν εὖ μάλα ἐντόνως

Digitized by Google

καὶ διακόψαν ἄχρι τοῦ διελθεῖν μένει (an ἐμμένει?) τε καὶ πολὺ τοῦ Φαρμάκου ἀφίησιν. Nonne adversis frontibus inter se pugnant ἄχρι τοῦ διελθεῖν, i. e. eo usque ut scopo transfixo sagitta ultra volet — nam hunc sensum verbo διελθεῖν inesse verba supra a me laudata luculenter demonstrant — et μένειν? Una littera eximenda est et legendum: ἄχρι τοῦ διελεῖν, *ita ut diffindatur*. Ad quem usum verbi conferatur e plurimis D. D. 8. 1: δίελέ μου τὴν κεφαλήν. Eandem confusionem notaveram in Apol. C. 11: διελὼν δὴ καὶ ἰδίᾳ καταθεὶς ἑκάτερον σκόπει pro διελθών restituens.

Varie tentatum est quod in *Iudicio Vocalium* (C. 2) Mss. exhibent: δέος δὲ οὐ μικρόν μοι ἐπὶ τοῖς τῆς ἀποθλίψεως ἐπέρχεται τῆς ἐμαυτοῦ. Pro certo nihil affirmare ausim, sed loci ratio ad ἐνίοτε ducere videtur nec litterarum ductus repugnant. In C. 6 non dederat, opinor, οὐκ ἂν ἠκούσθη μόνον, sed τὸ ὅλον, *omnino* non audiretur. Sic in Timonis C. 16: μήτε ἀφεξομένους τὸ παράπαν μήτε προησομένους τὸ ὅλον.

Timon. C. 9: καὶ μὴν οὐ παροπτέος ἀνὴρ οὐδὲ ἀμελητέος· εἰκότως γὰρ ἠγανάκτει δυστυχῶν· ἐπεὶ καὶ ὅμοια ποιήσομεν τοῖς καταράτοις κόλαξιν ἐκείνοις ἐπιλελησμένοι ἀνδρὸς τοσαῦτα μηρία ταύρων τε καὶ αἰγῶν πιότατα καύσαντος ἡμῖν ἐπὶ τῶν βωμῶν. Qui haec non optime procedere intellexerunt, Fritzschium auctorem secuti pro imperfecto praesens tempus ἀγανακτεῖ restituunt. Perperam. Relege totum caput; apparebit omne studium ad id conferre regem deorum ut ingrati animi crimen in virum optime de se meritum repellat et amoliatur; non aliqua sua culpa factum esse, ut ad turpissimam paupertatem osor generis humani delapsus sit; sibi enim prae innumeris negotiis et metu sacrilegorum, auribus strepitu et clamore peierantium et violantium et rapientium sonantibus, iam diu ne vacavisse quidem oculos in terram Atticam coniicere: διὰ ταῦτα — his defensionem absolvit — καὶ τοῦτον ἀμεληθῆναι ξυνέβη πρὸς ἡμῶν οὐ Φαῦλον ὄντα. Ex quo colligitur superioribus hanc sententiam inesse debuisse: Iure nobis ob adversam fortunam Timon succenseret, si nos quoque viri qui tot et tantis sacrificiis nos coluit obliti eadem fecissemus quae exsecrandi isti

Digitized by Google

adulatores; et Graeca in hunc modum esse refingenda: *εἰκότως γὰρ ἂν ἠγανάκτει δυστυχῶν, εἰ καὶ ἡμεῖς ὅμοια ἐποιήσαμεν τοῖς καταράτοις κόλαξιν ἐκείνοις.* Error inde natus est, quod *ἄν*, ut fit, post *γάρ* parum discernebatur.

Ibid. C. 12: *οὗτοι δὲ οἱ λάροι τῇ πενίᾳ ξυνέστωσαν, ἣν προτιμῶσιν ἡμῶν.* De sanitate scripturae ambigitur, quoniam alibi propter voracitatem, non propter stoliditatem lari male audiunt. Conferatur tamen *κέπφος*, de *homine fatuo* vulgo usitatum, et Anglorum *gull*, quo creduli, quibus verba facile dantur, notari solent; unde etiam verbum *to gull* et adiectivum *gullible* derivantur. Et Timonis *stultitiam* hic recte tangi, apparet ex Cap. 8, ubi eidem a Mercurio *ἄνοια καὶ εὐήθεια καὶ ἀκρισία περὶ τῶν φίλων* obiicitur. In fine C. 16 pro soloeco *βαδίζειν ἔνθα ἂν ἐθέλοι* aut *ἐθέλῃ* corrigendum aut delenda particula.

Ibid. C. 37: *ἐμοὶ δὲ τοῦτο ἱκανὸν ἦν, πάντας ἀνθρώπους ἠβηδὸν οἰμώζειν ποιῆσαι.* Ad coactam interpretationem confugiunt Sommerbrodtius ceterique, qui haec manifesto vitiosa tuentur; hypothetice scilicet loqui Timonem; quod ab eius persona alienissimum, cui nihil satis nisi omne genus humanum pessumdet insignique calamitate affligat. Itaque ut offensionem tollerem molestum *ἦν* olim expungebam; ut recte ad sententiam, ita origine vitii non satis perspecta. Est enim profecto illud *ἦν* merum describentis *παράραμα* pro *ἦν*, et dederat Lucianus: *ἦν πάντας ἀνθρώπους ἠβηδὸν οἰμώζειν ποιήσω.*

In C. 53 non fero: *οἴμοι τὸ μετάφρενον* pro *τοῦ μεταφρένου*; neque in iis quae mox de ficto et guloso illo aretalogo: *προσέτι καὶ λόγοι ἐπὶ τῇ κύλικι, τότε δὴ μάλιστα, περὶ σωφροσύνης καὶ κοσμιότητος· καὶ ταῦτα ἤδη ὑπὸ τοῦ ἀκράτου πονηρῶς ἔχων καὶ ὑποτραυλίζων γελοίως* infeliciter admodum interpositum *φησιν*, verbum de *dissertante* philosopho minime aptum et ab eo additum qui non satis assequeretur quo sensu *καὶ ταῦτα* a Graecis passim adhibeatur.

Quod in C. 56 legitur: *ὁ δὲ τρίβων οὗτος ἧς βούλει πορφυρίδος ἀμείνων* in memoriam mihi redigit locum Plutarchi in

Digitized by Google

libello de Mulierum Virtutibus (255 E), ubi perquam inepte edi solet: *Ἀρεταφίλα δ' ἡ Κυρηναία παλαιὰ μὲν οὐ γέγονεν, ἀλλ' ἐν τοῖς Μιθριδατικοῖς καιροῖς, ἀρετὴν δὲ καὶ πρᾶξιν ἐνάμιλλον τῇ βουλῇ τῶν ἡρωίδων παρέσχεν.* Ipsum Oedipum haec ad incitas redigant! Dispellentur tenebrae lenissima mutatione *ᾗ βούλει* vel *βούλῃ* — nam de hac terminatione nihil pro certo affirmari potest — rescribendo: *cuivis heroidum;* quo facto iam nihil difficultatis supererit.

C. 57: *ἐμοὶ δὲ ἱκανὸν εἰ* (lg. *ἦν*) *ταυτηνὶ τὴν πήραν ἐκπλήσας παράσχῃς οὐδὲ ὅλους δύο μεδίμνους χωροῦσαν Αἰγινητικούς.* Thrasycles ille capite raso, sordido detritoque pallio amictus et *peram ex humero suspensam gerens* in scaenam prodit. Omnibus notus est *στροφὸς ἀορτήρ* Homericus, et apud Lucianum frequens *πήραν ἐξημμένος, ἐξηρτημένος.* Quomodo fieri potest ut qui ipse pera cinctus ad alterum accedat, ut sibi peram illam *praebeat* vel *porrigat,* hunc alterum roget? *Παρέχομεν* aliis ea, quibus carent ipsi aut indigent; sic Dicaeopolis inter cetera mendicitatis instrumenta ut sibi peram commodaret — *πήραν παρασχεῖν* — Euripidem rogare poterat. Thrasyclem vero quod ipse habeat, Timon non habeat, a Timone petere absurdum. Quid sit legendum, indicabunt loci quales in Apol. C. 3: *ἀλλὰ μηδ' ἄλλῳ παράσχῃς ἐπελθεῖν τὰ γεγραμμένα,* et Imag. C. 6: *καὶ μὴν ἤδη σοι ὁρᾶν παρέχει γιγνομένην τὴν εἰκόνα* et Galli C. 28: *τὸ δεξιὸν τοίνυν ὅτῳ ἂν ἐγὼ ἀποσπάσαι παράσχω* et Hermot. c. 40: *οὐ παρέχων ἀναγνῶναι;* et in Plutarchi Moralibus 67a: *ὁ Ἀχιλλεὺς παρεῖχε τῷ Πατρόκλῳ σιωπῇ καταφέρειν αὐτοῦ πολλὰ τοιαῦτα* et 84a: *Φρῦνιν οἱ ἔφοροι ταῖς ἑπτὰ χορδαῖς δύο παρεντεινάμενον ἠρώτων πότερον τὰς ἄνωθεν ἢ τὰς κάτωθεν ἐκτεμεῖν αὐτοῖς παρασχεῖν ἐθέλει.* Ex his similibusque liquido apparet verbum *παρέχειν* cum Infinitivo iunctum nonnumquam idem valere atque *ἐφιέναι, ἐπιτρέπειν, συγχωρεῖν concedere, permittere, facultatem dare, sinere.* 'Contentus ero', inquit 'si mihi hanc peram auro explere permiseris — *ἐκπλῆσαι παράσχῃς,* etiamsi ne duo quidem capiat modios Aegineticos'.

(*Continuabuntur*).

Digitized by Google

PARALIPOMENA LYSIACA.

SCRIPSIT

H. J. POLAK.

(*Continuantur ex Vol. XXIX pag.* 443).

Ad orationes quartam et quintam, vel potius ad has satis obscuras orationum lacinias, non multum habeo quod sit operae pretium afferre; ad quintam nihil; ad quartam paucis disputandum erit de iis quae leguntur §§ 15—17. Versatur fragmentum in defensione rei, qui rixa exorta propter servam amicae loco communi aere emtam ab adversario vulneris praemeditati arcessitur apud Areopagum. Postulaverat reus ut serva, primaria omnium contentionum causa, ad testimonium per tormenta dicendum sibi traderetur. Recusat adversarius, liberam esse fingens; at servos suos offert, quorum testimonium ad rem nihil conferre posse reus contendit. (§ 15) *οὐ γὰρ δήπου τήν γε τούτου πρόκλησιν πιστοτέραν ὑμᾶς νομίζειν δεῖ τῆς ἡμετέρας, ἐφ' οἷς τοὺς αὐτοῦ οἰκέτας ἠξίου βασανίζεσθαι. ἃ μὲν γὰρ ἐκεῖνοι ἤδεσαν, — — — καὶ ἡμεῖς ὁμολογοῦμεν· εἰ δὲ μεταπεμφθέντες ἢ μή — — — —, ἐκείνη μᾶλλον ἂν ἤδει.* In his male me habuerat, ut Contium olim, *ἐφ' οἷς*, quod nunc sanum esse Thalheimio adsentior, etsi eius versionem („sc. de iis rebus de quibus") vix intellegere me fateor. Immo vero est i. q. *ὅτι ἐπὶ τούτοις κτλ.*, („quod horum criminum causa"); eodem sensu dictum atque ea quae § 13 leguntur (*ἐπὶ ταύτῃ τ. αἰτίᾳ βασανισθείη ἄν*). In fine resecandum cum Cobeto et Herwerdeno *ἄν* ante *ἤδει*, quod quomodo defen-

Digitized by Google

dant qui retinent, non reperio. Iterativum certe non est, neque magis dubitativum quisquam dixerit. Sed nihili haec sunt prae ingentibus molestiis quibus paragraphi sequentes premi videntur. Quae ex editorum fide sic scripta atque divisa existimo in libro Palatino: (§ 16) *ἔτι δὲ τοὺς μὲν τούτου οἰκέτας ἰδίους ὄντας τούτου εἰ ἐβασανίζομεν, ἀνοήτως ἄν τι τούτῳ χαριζόμενοι καὶ παρὰ τὴν ἀλήθειαν ἐμοῦ κατεψεύσαντο· αὐτὴ δὲ ὑπῆρχε κοινή, ὁμοίως ἀμφοτέρων ἀργύριον κατατεθεικότων, καὶ μάλιστα ᾔδει. διὰ ταύτην ἅπαντα τὰ πραχθέντα ἡμῖν γεγένηται, καὶ οὐ λήσει οὐδὲν ἐν ταύτῃ.* (§ 17) *ἔγωγ' ἂν ἴσον εἶχον βασανισθείσης, ἀλλ' ἀπεκινδύνευον τοῦτο· κτλ.* In his, quae primo obtutu lacera videntur, certe tam *ἀσυνδέτως* enuntiata ut merito lacunae suspicionem moveant, et scriba Laurentiani C olim haesit, quem de more secutus est Bekkerus [1]), et recentiorum criticorum optimi quique, Taylorus, Marklandus, Dobraeus, Scheibius, Cobetus, Rauchensteinius, Blassius, Kayserus, Sauppius, Herwerdenus, Halbertsma, Franckenius, Hartmannus, alii, diversissima proposuerunt. Quorum conamina in alia omnia abeuntium, quae pleraque perscripsit Thalheimius et ipse a coniectura non abstinens, hic neque repetam neque pensabo, nam infinita res foret; pauca afferam speciminis loco, unde appareat quantopere haec quae descripsi viros doctos torserint. Cobetus primo post *ἀνοήτως ἄν* lacunam statuebat, post Marklandi inventum *εἰκότως* probans, quod contra Herwerdenus factum nolebat, ipse cum Halbertsma *ἀνοήτως αὐτῷ τοῦτο χαριζόμενοι* suadens. Idem in proecdosi *μάλιστα ᾔδει* delebat, adsentiente nunc Thalheimio, qui pro codicis lectione *καὶ οὐ λήσει οὐδὲν* cum Marklando *καὶ εὖ ᾔδειν <ὅτι> οὐδὲ ἐν ταύτῃ κτλ.* mavult, quod vel in textum recepit suum. Pro his Blassius Lysiam scripsisse potius autumabat: *καὶ οὐκ ἐλελήθει με ὅτι οὐδὲ κτλ.* In sequentibus pro *ἴσον εἶχον* Scheibio duce *ἄνισον εἶχ.* pluribus placuit, quo iam C ducere videbatur *οὐκ ἴσον* pro *ἂν ἴσον* scribens coniectura aperta; fuitque hic novus dubitationum et mutationum fons. Parco ceteris, potiusque

1) E C Bekkerus quae in fine § 16 leguntur sic constituit, ut integritatis *speciem* prae se ferrent: *διὰ ταύτην ἅπαντα τὰ πραχθέντα ἡμῖν γεγένηται, καὶ οὐ λήσει οὐδὲν αὐτήν. καίτοι ἔγωγ' οὐκ ἴσον εἶχον βασανισθείσης, ἀλλ' ἀπεκινδύνευον τοῦτο.*

Digitized by Google

simpliciter indicabo quomodo locus, meo quoque iudicio haud integer, sed non tam flagitiose corruptus quam plerisque criticis visus est, adscitis aliorum quorundam coniecturis in integrum restituendus videatur. Scripserim: (§ 16) *ἔτι δὲ τοὺς μὲν τούτου οἰκέτας ἰδίους ὄντας εἰ ἐβασανίζομεν, <οὐκ> ἀνοήτως ἄν τι τούτῳ χαριζόμενοι καὶ παρὰ τὴν ἀλήθειαν ἐμοῦ κατεψεύσαντο· αὕτη δὲ ὑπῆρχε κοινή, ὁμοίως ἀμφοτέρων ἀργύριον κατατεθηκότων, καὶ διὰ ταύτην ἅπαντα τὰ πραχθέντα ἡμῖν γεγένηται.* (§ 17) *Καὶ οὐ λήσει οὐδέν' <ὅτι οὐδ'> ἐν ταύτῃ ἔγωγ' ἂν ἧσον εἶχον βασανισθείσῃ, ἀλλ' ἀπεκινδύνευον τοῦτο· πολὺ γὰρ περὶ πλείονος τοῦτον ἢ ἐμὲ φαίνεται ποιησαμένη, καὶ— — —ἐξαμαρτοῦσα· ἀλλ' ὅμως ἐγὼ μὲν εἰς ταύτην κατέφυγον, οὗτος δὲ οὐκ ἐπίστευσεν αὐτῇ.* Sunt haec, opinor, tam aperta ac facilia, ut interpretem fere non desiderent. Adversarius meus — reus inquit — servos suos testes obtulit. At horum testimonium et inutile est et vero etiam periculosum mihi fieri potest. Etenim haud inepte facient, si inter tormenta vel contra veritatem crimina in me congerant quo dominum sibi devinctiorem reddant. At mulier illa et utriusque nostrum est et quomodo revera res sibi habeat optime tenet. Et sciebam equidem — pergit — ne in huius quidem testimonio me satis tuto confidere posse, — etenim illum pluris quam me eam facere apertum est, — verumtamen ipse hoc esse periclitandum censui, adversarius ne huic quidem quamvis aperte faventi confidere audet. Nonne itaque eum mentientem sentitis?

Videamus nunc pauca de singulis. Initio ferri non posse duplex *τούτου* vidit Herwerdenus, qui prius expunxit. Malui alterum delere, cum et sic numerosius cadat oratio et *ἰδίους ὄντας* per chiasmum opponatur sequentibus *ὑπῆρχε κοινή*. Deinde non accedo eidem Herwerdeno post Halbertsmam rescribenti: *ἀνοήτως αὐτῷ τοῦτο χαριζόμενοι*, et verba haec, ut praecedens *ἐβασανίζομεν*, *de reo* accipienti. Nam cum sic subiectum mutetur, in sequentibus et addendum esset *οὗτοι καὶ παρὰ τ. ἀλήθειαν κτλ.*, et ipse Herwerdenus, cum voce *ἄν* carere non possimus, illam post *ἀλήθειαν* inserere propter coniecturam suam est coactus. Immo vero omnia *de servis* intellegenda, et aut cum Marklando et Cobeto *ἀνοήτως* mutandum in *εἰκότως*, aut et facilius multo et huius orationis colori accommodatius inserendum *<οὐκ>*, quod sexcenties in codd. vel multo quam Palatinus est melioribus

Digitized by Google

cum sententiae detrimento elapsum est [1]). Αὕτη pro αὐτὴ omnes corrigendum esse viderunt, βασανισθείσῃ post Blassium et Thalheimium scripsi, [μάλιστα ᾤδει], quae varia lectio videtur eorum quae i. f. § 15 leguntur, damnaverunt Herwerdenus olim, nunc Thalheimius. Tandem gratus ab eodem Herwerdeno sumsi οὐ λήσει οὐδέν' pro οὐδὲν, in ceteris quae immutata servanda existimo ab eius iudicio dissentiens.

Plura enotavi ad orationem sextam, quae et ipsa pessime habita est et lacunis scatet omnem interdum supplendi spem eludentibus, quod inprimis valet de magno illo hiatu post § 49, ubi uno folio Palatini abscisso decem fere paragraphos desiderari monuit Thalheimius. Spuriam esse orationem, id est Lysiae esse abiudicandam, et veterum nonnulli sensisse videntur et nunc inter omnes constat neque est cur ipse contra dicam; sed cum

---

1) Vitii pervulgati e codd. testimonia proferre nihil opus. Sed fortasse hoc in transcursu monere haud abs re fuerit. In Isocratis Or. VIII (περὶ Εἰρήνης) § 24 editur ex Urbinatis auctoritate: ὅπου γὰρ Ἀθηνόδωρος καὶ Καλλίστρατος, ὁ μὲν ἰδιώτης ὁ δὲ φυγάς, οἰκίσαι πόλεις οἵοί τε γεγόνασιν, ἧπου βουληθέντες ἡμεῖς πολλοὺς ἂν τόπους τοιούτους κατασχεῖν δυνηθεῖμεν. Omnia recte, nec multum variant codices deteriores. Sed in papyro antiquissimo, quo maior orationis pars partim lacere partim integre continetur, quique editori Kenyoni (*Classical Texts* etc. p. 64) primi p. Chr. saeculi visus est, haec ita conformata legimus: —— βουλη. ἡμεῖς ἂν πολλοὺς τόπους τοιούτ. κατασχεῖν οὐκ ἂν *** θείημεν. Scriba sine dubio voluit οὐκ ἂν <δυνη>θείημεν, absurde ut nihil supra. Quod ad Palatinum nostrum attinet, negatio (οὐ, μή) in eo perperam deëst Or. VIII § 17 (οὐκ addid. Reisk.), IX § 12; X § 15; XII § 61; XIII § 78 (ὅτι <οὕτω> οὕτω primus Stephanus); ib. § 86; XX § 8; XXI § 15; XXVI § 6 (ubi Contii et Taylori ἀδύνατον praetulit Thalheim.); ib. § 8; XXVIII § 12 i. f.; XXX § 10. Latius serpserat malum Or. XIII § 49, ubi X: δεῖ γὰρ αὐτὸν ἀποδεῖξαι —— κἂν δύναιτο οὐδέποτε ἀποδεῖξαι, pro quo Vindobonensis liber ὃ οὐκ ἂν κτλ., C ὅπερ οὐκ ἄν, nuperrimus editor praetulit, quod suaserat Contius, <ἀλλ' οὐ>κ ἂν δύν. οὐδέπ., praeterea cum Scheibio alterum ἀποδεῖξαι delens. Aliquotiens contra negatio cum sententiae detrimento abundat, saepiuscule μή ex syllaba finali praecedentis vocabuli male adhaerens, nonnunquam etiam οὐ, ut Or. XIII § 20 i. f.: ὡς τοιούτοις οὐκ οὖσι, ubi mera est dittographia, et XXIV § 20: πλεῖστοι μὲν (sc. φοιτῶσι) ὡς ἐγγυτάτω τῆς ἀγορᾶς κατεσκευασμένους, ἐλάχιστοι δὲ ὡς οὐ πλεῖστον ἀπέχοντας αὐτῆς, bellissime pro ὡς <τοὺς> ἐγγ. τ. ἀγ. κατεσκευασμένους et ὡς τοὺς πλεῖστον ἀπέχ. αὐτῆς, quod vitium utrumque procuravit Stephanus. Tandem de nostro loco observandum, id quod Kayserus per litteras Scheibio indicaverat, „Lysiam sibi tale aliquid scripsisse videri: καίτοι (vel simpliciter καὶ) οὐ λήσειν ἡγούμην οὐκ ἴσον ἔγωγε ἔχων βασανισθείσης ταύτης", a tradita lectione nimis illud recedens, eodem redire atque ea quae pressius ad Palatini apices ipse supra proposui.

Digitized by Google

de hac summa rei consentiant de ceteris in diversissimas sententias abeunt harum rerum periti. Sunt qui Ruhnkenium secuti (*H. Cr. Oratt. Gr.* in *Opp.* I p. 324) rhetoris recentioris fetum existiment, sunt qui rhetoricum quidem opus putent sed Atticorum oratorum aetate supparis rhetoris, sunt denique qui revera in iudicio habitam censeant, quorum opinioni et ipse accedo [1]). De scriptore omnis mihi quaestio vana videtur, nam quod Bergkius Theodorum Byzantium orationem scripsisse autumat, collatis quae de homine nobis ignoto leguntur apud Platonem (*Phaedr.* p. 266[e]), Diogenem Laertium (II § 104: ἔνατος Βυζάντιος, ἀπὸ λόγων πολιτικῶν.), Suidam s. v. (ἔγραψε κατὰ Θρασυβούλου, κατὰ Ἀνδοκίδου, καὶ ἄλλα τινά·), ea ita comparata videntur ut testimonium ferant immensae Bergkii doctrinae et ingenii in paucis sollertis, adeo ut res non improbabilis dici possit sed neutiquam certa [2]).

Or. VI § 5: τοὺς ἄλλους Ἕλληνας, οἳ ἕνεκα ταύτης τῆς ἑορτῆς <ἔρχονται> ἢ θύειν βουλόμενοι ἢ θεωρεῖν. Veniendi verbum excidisse apparet, quod alii aliter supplendum censuerunt. Thalheimius ἔρχονται probavit olim a Reiskio porrectum et stabilitum collato Andocide (I § 32). Sed ibi est: ὑπὲρ τῶν Ἑλλήνων οἳ τῆς ἑορτῆς ἕνεκεν ἔρχονται δεῦρο, quapropter aut nostro quoque loco adverbium addendum aut praeferendum <πάρεισιν>, quod etiam Marklandum olim suasisse video.

Or. VI § 11: καὶ ἔλαχεν Ἀνδοκίδης <ὢν add. Reisk.> καὶ πεποιηκὼς ἃ [οὗτος] πεπόληκε περὶ τοὺς θεούς. Mirum quod neque Thalheimius neque editorum plurimi, ii inprimis qui Reiskianum supplementum comprobaverunt, senserunt quam importunum sit illud οὗτος post ἃ additum, quasi qui sic indicetur non et ipse

1) Atque prorsus ita i. a. etiam Blass (*Att. Bereds.*[2] I p. 566 seqq. I. a. „Mir scheint die Masse des Thatsächlichen und die gesammte lebensvolle Färbung jeden Gedanken an Fiktion alsbald abzuweisen"); eumque secutus Jebb (*Att. Oratt.* I p. 277—281).

2) Commemorari Lysiae quoque orationem κατὰ Θρασυβούλου ab Harpocratione octies, sed aliquoties addito εἰ γνήσιος, opportune monuit Blassius I 259. Quapropter cum eo existimo, — modo eius verba recte cepi, — utramque orationem vel Alexandriam vel Pergamum ἀδεσπότως perlatam ab aliis Theodoro ab aliis Lysiae esse adscriptam.

Digitized by Google

sit Andocides. Qui sensit Herwerdenus expuncto nomine proprio in eius locum οὗτος transferre cogitabat. Sed multum praestat Reiskiana ratio, qua probata eliminandum erit pronomen in usitatissimo hoc Graecis dicendi genere et inauditum et ineptum. Quis ferat e. gr. ἔγραψεν ἃ γ' οὗτος ἔγραψ(ε)? Recte dicitur § 35 τίς τῶν μεγάλων κακῶν αἴτιος ἐγένετο; οὐκ αὐτὸς οὗτος, ποιήσας ἃ ἐποίησεν; nostro loco non recte.

Or. VI § 13: Ἀλλὰ λέξει δεινὸν εἶναι, εἰ ὁ μὲν μηνυτὴς τὰ ἔσχατα πείσεται, οἱ δὲ μηνυθέντες τῶν αὐτῶν ὑμῖν ἐπίτιμοι ὄντες μεθέξουσι. καίτοι οὐχ ὑπὲρ αὐτοῦ ἀπολογήσεται ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων κατηγορήσει. τοὺς μὲν οὖν ἄλλους οἱ ἐπιτάξαντες καταδέξασθαι ἀδικοῦσι τοῦ αὐτοῦ ἀσεβήματος αἴτιοί εἰσιν· εἰ δ' ὑμεῖς αὐτοκράτορες ἦτε καὶ ἐστὲ οἱ ἀφελόντες τὰς τιμωρίας τῶν θεῶν, ἀλλ' οὗτοι αἴτιοι ἔσονται. Nihil attinet singillatim difficultates exponere quibus hic locus vexatissimus premitur; adeo in oculos incurrunt. Quas descripsi lectiones sunt Palatini codicis, tam absurdas interdum, ut sententiis plane nec caput, aiunt, nec pes constet. Prior tamen paragraphi pars dudum in integrum restituta est adhibitis coniunctis Sluiteri Cobetique emendationibus, quas Herwerdenus recepit, Thalheimius sprevit, hisce: καίτοι <οὕτως> οὐχ <ὅπως> ὑπὲρ αὐτοῦ ἀπολογήσεται, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων κατηγορήσει, quibus adscitis etiam καὶ, quod Dobraeo, Franckenio, aliis offensioni fuit, optime stabilitur. Adsciscendum praeterea <καὶ> τοῦ αὐτοῦ ἀσεβήματος αἴτιοί εἰσιν, quod omittit X, addit C, ex coniectura sine dubio, sed certa. Sed multo peius habita sunt quae sequuntur, quae vereor ut editor in integrum restituerit rescribendo εἰ δ' ὑμεῖς αὐτοκράτορες ἤδη ἔσεσθε οἱ ἀφελόντες τὰς τιμωρίας τ. θεῶν, quae, verum ut fatear, Palatini lectionibus non multo dilucidiora videntur. Contulerunt plurimi critici ad loci integritatem restaurandam, quorum quod ad sensum optime me iudice rem administravit Franckenius proponens: εἰ δ' ὑμεῖς αὐτοκράτορες ἀφήσετε ὑμεῖς ἔσεσθ' οἱ ἀνελόντες τὰς τιμὰς τ. θεῶν. (p. 50) Et huius et Dobraei emendationibus insistens locum ita constituerim ipse: εἰ δ' ὑμεῖς αὐτοκράτορες ὄντες (sic Dobraeus et ante eum Reiskius pro ἦτε) κατ<ελεήσετε τοῦτον, ὑμεῖς> ἐστὲ οἱ ἀφελόντες τὰς τιμωρίας τῶν θεῶν ἀλλ' οὐχ ἕτεροι αἴτιοι ἔσονται,

Digitized by Google

quae vel sic non optime enuntiata sunt, — oportebat enim initio sententiae: *περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων οἱ ἐπιτάξαντες καταδέξασθαι αὐτοὺς ἀδικοῦσι κτλ.*, — sed tamen ut sententiarum nexus satis commode percipi possit. Ita enim ratiocinatur: dicet fortasse indignum esse si index mulcabitur, indicati ab eo optimo civitatis iure fruentur. At, etiamsi hi sontes fuerint, huius rei culpa in eos redundabit qui vos ut eos reciperetis coegerunt. Hunc vero si vos, qui nunc in democratia vestri iuris estis, misericordia moti absolvetis, *vos* deorum vindictam sustuleritis, non alii. Supplevi *κατελεήσετε*, quo tendere videtur insanum *καὶ* inter corruptum *ἤτε* et *ἐστὲ*, quod verbum § 3 huius orationis legitur in consimili sententia, ut et sensui satisfiat et litterarum reliquiis.

Or. VI § 14: Sequitur: *καίτοι καὶ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ — — ὁμολογῶν μὲν ἀδικεῖν ἀποθνήσκει, ἐὰν δὲ ἀμφισβητῇ ἐλέγχεται, καὶ πολλοὶ οὐδὲν ἔδοξαν ἀδικεῖν*, corruptum et ipsum. Rem notissimam, nostris moribus sensuique plane repugnantem, commemorant etiam Aeschines Or. I §§ 91, 113; Demosth. Or. XXIV § 65; Aristoteles Πολ. Ἀθ. c. 52 § 1. In verbis requiro <ὁ> *ὁμολογῶν μὲν ἀδικεῖν*, fere ut Cobetus qui, adsentiente Herwerdeno, *ὁμολ. μέν <τις>* inserebat, et Franckenius <ὁ> *μὲν ὁμολογῶν* proponens. Quod ipse volo palaeographiae rationibus magis convenit, neque, ut viri docti censere videntur, a linguae ratione abhorret. Satis erit adscribere Isocrat. Or. 2 § 16: *ὅπως οἱ βέλτιστοι μὲν τὰς τιμὰς ἕξουσιν, οἱ δ' ἄλλοι μηδὲν ἀδικήσονται*, eiusdemque Or. 7 § 44: *εἰδότες τὰς ἀπορίας μὲν διὰ τὰς ἀργίας γιγνομένας, τὰς δὲ κακουργίας διὰ τὰς ἀπορίας*, ubi hic ordo ex ΓΕ est repositus. In seqq. neque probo quod ex Marklandi coniectura et alii dederunt et nuperrimus editor neque quod Tayloro, Lobeckio, Scheibio, Herwerdeno placuit: *καὶ ἀπολύεται οὐδὲν δόξας ἀδικεῖν*, hoc praeterea a tradita lectione nimis recedens. Causas reddet Franckenius. Multos — orator inquit — insontes absolvit Areopagus, vel — Lobeckium si sequimur — et qui insons repertus est absolvitur. „Nihil est in his, cur tam magnificum Areopagi praeconium proferatur. — — — Quid enim quis aliud a quovis exspectaret iudicio?" (Francken C. L. p. 48.) Praeterea miror unde pluralis repente venerit,

Digitized by Google

cum omne argumentationis pondus consistat in ἐὰν δ' ἀμφισβητῇ. Vox πολλοὶ est in C; X praebet κ. πολλοῦ οὐδὲ δόξαν ἀδ., unde potius effinxerim: ἐὰν δ' ἀμφισβητῇ, ἐλέγχεται, καὶ πολλάκις οὐδ' ἔδοξεν ἀδικεῖν, quae interprete non egent. Similiter fr. 43 (44): οὐχ ἱκανόν, ὦ ἄνδρες δικασταί, τοῖς ἐπιτρόποις ὅσα πράγματα διὰ τὴν ἐπιτροπείαν ἔχουσιν, ἀλλὰ καὶ διασῴζοντες τὰς τῶν φίλων οὐσίας συκοφαντοῦνται ὑπὸ τῶν ὀρφανῶν πολλοί., ubi ad meam certe mentem Naberus evidenter correxit πολλάκις, ne commemoratum quidem a Thalheimio.

Or. VI § 20: ἐλπίζω μὲν οὖν αὐτὸν καὶ δώσειν δίκην, θαυμάσιον δὲ οὐδὲν ἄν μοι γένοιτο. οὔτε γὰρ ὁ θεὸς παραχρῆμα κολάζει, [ἀλλ' αὕτη μέν ἐστιν ἀνθρωπίνη δίκη] — πολλαχόθεν δὲ ἔχω τεκμαιρόμενος εἰκάζειν, ὁρῶν καὶ ἑτέρους ἠσεβηκότας χρόνῳ δεδωκότας δίκην, καὶ τοὺς ἐξ ἐκείνων διὰ τὰ τῶν προγόνων ἁμαρτήματα — ἐν δὲ τούτῳ τῷ χρόνῳ δέη πολλὰ καὶ κινδύνους ὁ θεὸς ἐπιπέμπει τοῖς ἀδικοῦσιν, ὥστε πολλοὺς ἤδη ἐπιθυμῆσαι τελευτήσαντας τῶν κακῶν ἀπηλλάχθαι. ὁ δὲ θεὸς τέλος τούτῳ λυμηνάμενος τῷ βίῳ θάνατον ἐπέθηκεν. Paragraphus vel in hac oratione corruptelarum farragine longe corruptissima, quam sic constituit Thalheimius. Iam primum cum Dobraeo et Herwerdeno delendum [δίκην] post δώσειν, e statim praecedentibus (ἐπὶ τ. ἐ. προφάσει δοίη δίκην) male repetitum. Praeterea requiro et ipse quod Cobetus suppleverat, suppressit Hartmannus, Herwerdenus reduxit: θαυμάσιον δὲ οὐδὲν ἄν μοι γένοιτο <εἰ νῦν ἀποφύγοι.>; aliter enim admiratio illa nimis est fatua. Omnes accusatores sperant se reum condemnaturos, neque ante hoc tempus Andocides accusatus est, ut nihil si additur ridicula hic sit illa diatribe de diis peccata sero vindicantibus. Deinde οὐδὲ γὰρ ὁ θεὸς κτλ. editum oportebat, quod Reiskius olim vidit, plurimi editores comprobaverunt. Tum parum recte, me quidem iudice, Thalheimius Halbertsmae obtemperavit verba: ἀλλ' αὕτη μέν ἐστιν ἀνθρωπίνη δίκη delenti; credo, ob μὲν nihil sibi quod respondeat habens in concitata sententiarum serie. Sed de talibus aut retinendis aut eiiciendis alios aliter sentire posse ultro fateor. Certius est in seqq. aut cum Herwerdeno requiri: ὁρῶν καὶ ἑτέρους ἠσεβηκότας χρόνῳ δεδωκότας δίκην <καὶ αὐτοὺς> καὶ τοὺς ἐξ ἐκείνων, aut lenius: <ὡς> καὶ τοὺς ἐξ ἐκείνων. Sed omnium pes-

Digitized by Google

sime laborat ultima sententia *ὁ δὲ θεὸς κτλ.*, cui plurimi quidem succurrere conati sunt, quorum tentamina recensere nihil est necesse, sed — verba sunt Herwerdeni — „nemodum sanavit", adeo ut pro conclamata iam habeatur [1]). Iudicet inprimis ipse an ceteris felicior fuerim: *ὁ δὲ θεὸς τέλος τούτων* [2]) *ἀνηνάμενος τῷ βίῳ θάνατον ἐνέθηκε.* „Sacrilegis" inquit „numen divinum terrores et pericula immittit, ut mors beneficium iis videatur. At deus, finem his malis denegans, vitae mortem immiscuit," argute dictum pro: vitam iis tribuit mortis terroribus refertam. Obiicietur fortasse, *ἀναίνεσθαι* oratorum non esse. Lysias certe non adhibuit, neque proposuissem quamvis flagitante sententia, si hanc orationem Lysiae auctoris haberem. Sed praeter Platonem et Xenophontem dixit Demosthenes, non solum personatus ille *τοῦ Ἐρωτικοῦ* scriptor, sed orator ipse, idque in oratione iudiciali nihil ambitiosioris ornamenti habente. Nempe occurrit Or. LXI § 48: *οὐχ ὡς ἀναινόμενος δὲ ταῦτα διορθοῦμαι τὴν τῶν σοφιστεύειν ἐλομένων δόξαν*, et Or. XXXVI (*ὑπὲρ Φορμίωνος*) § 31 *bis*: *εἰ δὲ πρὸς γένους δόξαν ἀναίνει Φορμίωνα κηδεστήν κτλ.* et paulo post: *εἶθ' ὅς ἐστιν ὁμοιότερος σοῦ τῷ σῷ πατρί, τοῦτον — — ἀναίνει;* Et quoniam semel ad hunc locum perveni, hoc obiter adnotare liceat quod uberius persequi non est huius disputationis, aliquanto plura quam quis existimaverit etiam apud oratores Atticos legi vocabula, quae ab ipsorum sermone vulgo aliena putantur. Exempli gratia pono *ἀσχάλλειν* (Demosth. Or. 21 § 125), *ἀμείβεσθαι* (id. Or. 20 § 6), *ἀλᾶσθαι* (i. a. Isocr. Or. 4 § 168), *ἀποφυγγάνειν* (Demosth. Or. 23 § 74), *ἀθρεῖν* (i. a. Isocr. Or. 5 § 43), *ἀληδών* (id. Or. 8 § 40), *ἐπαυρέσθαι* (Andoc. Or. 2 § 2; Hyperid. Or. 1 p. 11 Bl.), *ἐπικυδές* (Isocr. Or. 4 § 139), *ζωγρεῖν* (id. Or. 12 § 194), *κλέος* (i. a. Dem. Or. 22 § 77), *ἐν τοῖς τῶν πέλας* (Isocr. Or. 11 § 47), *ὀδυνᾶσθαι* (Aeschin. Or. 1 § 58), *ὀδύρεσθαι* (Isocr. Or. 4 § 169; Or. 15 § 65), *ὄμματα* (Aeschin. Or. 1 § 102 et saepp.), *ὁμοθυμαδόν* (Dinarch. Or. 2 § 20; Or. 3 § 7) — *κοὐχ ἅπαντ' ἐκφέρω* [3]). Quae omnia

1) „Sententiam corruptam *ὁ δὲ θεὸς — — — ἐπέθηκεν, cui nemodum mederi potuit*, ne negotia exhiberet legentibus inclusi". (Hartman).

2) *τούτων* Scaligeri est, Palatinus ceterique omnes, ut videtur, *τούτῳ* habent.

3) Dixit de hoc Isocratis usu quaedam Aristot. *Rhett.* III, 7, de Hyperidis Her mog. *π.* Ἰδ. Β, 11.

Digitized by Google

utrum ex poetarum lectione et auditione manaverint an ex aliis dialectis se in quotidianum sermonem Atticum sensim insinuaverint, ut etiam qui severiore verborum delectu uterentur scriptores ea adhibuerint subinde, difficile diiudicatu est; mihi tamen longe maior pars a poëtis profecta videtur. Ad Lysiam ut revertar paragraphique de qua agimus sententiam, locum celebratissimum de sera numinis vindicta pertractaverunt et alii bene multi et verus Lysias in fragmento orationis *κατὰ Κινησίου* (fr. 53 (54 Herw.) §§ 3 et 4), ex qua longiore *ῥήσει* haec excerpo: *τὸ μὲν γὰρ ἀποθανεῖν ἢ καμεῖν νομίμως κοινὸν ἡμῖν ἅπασιν ἐστί, τὸ δ' οὕτως ἔχοντα τοσοῦτον χρόνον διατελεῖν καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀποθνήσκοντα μὴ δύνασθαι τελευτῆσαι τὸν βίον τούτοις μόνοις προσήκει τοῖς τὰ τοιαῦτα ἅπερ οὗτος ἐξημαρτηκόσιν.*

Or. VI § 21: *σκέψασθε δὲ καὶ αὐτοῦ Ἀνδοκίδου τὸν βίον ἀφ' οὗ ἠτέβηκε<ν>, [καὶ] εἴ τις τοιοῦτος ἕτερός ἐστιν.* Mihi, ut olim Reiskio, *καὶ* delendum videtur ex praecedenti syllaba male repetitum, quamquam recentissimis editoribus, Herwerdeno et Thalheimio, aliter visum. Non enim hoc vult orator, ut iudices et vitam Andocidis ante actam considerent et si quae alia huic similis est, quod et ab eius mente alienum et fere in hac argumentatione ridiculum mihi videtur, sed hoc unum proponitur, quantopere huius vita a ceterorum discrepet curis et anxietatibus exercita, quo magis documento sit veritatis eorum quae praecedunt, tali modo deum punire solere sacrilegos.

Or. VI § 28. Verbo moneo, mihi ut Herwerdeno scribendum videri: *ἔφευγε μὲν — — —, ἔφευγε δὲ — — —, ἔφευγε δ' <εὐθὺς> εἰς οὓς [τὸ πρῶτον] ἀφίκοιτο τόπους.* Nempe *εἰς οὓς* extrivit antecedens *εὐθὺς*, quo facto sententiae explendae causa additum est *τὸ πρῶτον*, quasi idem significaret.

Or. VI § 29: *καταπλεύσας δὲ ἐκεῖθεν δεῦρο εἰς δημοκρατίαν εἰς τὴν αὐτοῦ πόλιν τοῖς μὲν πρυτάνεσιν ἔδωκε χρήματα.* Varie haec correcta; simplicissimum mihi videtur *εἰς δημοκρατουμένην ἤδη τὴν αὐτοῦ πόλιν*, fere ut Taylorus olim, qui provocavit ad

Digitized by Google

Andoc. Or. I § 88. Sed exempla dictionis usitatissimae ubique sunt obvia.

Or. VI § 33: *εἰς τοσοῦτο δ' ἀνασχυντίας ἀφῖκται ὥστε — — — ἤδη δημηγορεῖ καὶ ἐπιτιμᾷ καὶ ἀποδοκιμάζει τῶν ἀρχόντων τισι κτλ.* Halbertsma *καὶ ἀποδοκιμάζει* delebat cum verbum dativum non regat, „vix recte". (v. Herw.) Potius transponendum, sed non cum Reiskio, Cobeto, Herwerdeno post *τισί*, quod minus numerose ad aures accidit, sed post *δημηγορεῖ*, ut sit: *ἤδη δημηγορεῖ καὶ ἀποδοκιμάζει καὶ ἐπιτιμᾷ τῶν ἀρχ. τισί.* Verbum casu in archetypo omissum et in margine suppletum in perversam sedem se insinuavit.

Or. VI § 36: *εἶτα τῶν μὲν ἀγαθῶν δεῖ τούτῳ χάριν εἰδέναι, ὅτι ἐμήνυσε, — — — τῆς δὲ ταραχῆς καὶ τῶν κακῶν ὑμεῖς αἴτιοί ἐστε, ὅτι ἐζητεῖτε τοὺς ἠσεβηκότας;* Cur Herwerdenus et Hartmannus epexegesin *ὅτι ἐμήνυσε* proscripserint et oppositione stabilitam et respicientem quae paulo ante (§ 35) dicta sunt, non video.

Or. VI § 44: *καὶ οἱ μὲν ἄλλοι μηνυταί, ὁπόσοι ἐπ' αἰσχραῖς αἰτίαις ἐξηλεγμένοι σφᾶς αὐτοὺς ἐμήνυσαν, ἓν γοῦν ἐπίστανται, μὴ ἐνοχλεῖν τοῖς ἠδικημένοις.* Ita X, perverse. Sed vitium grammaticum in *ἐξηλεγμένοι* neminem editorum fefellit; hoc miror, sententiae vitium quod verbo *ἐμήνυσαν* sine dubio inest et alios fefellisse et vero etiam Cobetum (Hartmannum) et Herwerdenum. Apparet enim oratorem hoc dicere: ceteri indices, qui quamvis turpissimorum criminum convicti tamen *periculo se subtraxerunt*, unum hoc certe sciunt quam remotissimos degere a conspectu vestro, ne praesentia sua vos irritent. Qua cum sententia quomodo quadret *μηνύειν* non facile quis viderit. Neque vidit Thalheimius, qui *ἐξήτησαν* coniecit et in textum recepit, ut esset: qui poenam suam deprecati sunt. Sed aut vehementer fallor aut hoc dicitur *ἐξαιτεῖσθαι*, non *ἐξαιτεῖν*. Quapropter melius fuerit rescribere *σφᾶς αὐτοὺς ἐξέλυσαν*. Exempli gratia affero Polyb. XVI 6 § 12 i. f.: *κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν οἱ πρὸς τοὺς Ῥοδίους ἀγωνιζόμενοι τῶν Μακεδόνων, πάλαι κακῶς πάσχοντες, ἐξέλυον αὐτοὺς ἐκ τοῦ κινδύνου.*, et Cebetis

Digitized by Google

Tabulam c. 24 i. f.: *ἐξ οὗ οὐ δύνανται ἐκλῦσαι ἑαυτοὺς τῶν δεινῶν οἷς δέδενται, ὥστε σωθῆναι.* Vitium hinc repetendum, quod cum in archetypo nonnulla vix distingui possent, ex Θ***TCAN factum est frequentissime in hac oratione occurrens *ἐμήνυσαν*.

Sequitur de iisdem ceteris indicibus: *ἡγούμενοι ἀποδημοῦντες μὲν Ἀθηναῖοι καὶ ἐπίτιμοι [δόξειν εἶναι], ἐπιδημοῦντες δὲ παρὰ τοῖς πολίταις τοῖς ἠδικημένοις πονηροὶ δόξειν καὶ ἀσεβεῖς εἶναι.* Sic haec constituit nuperrimus editor, in eo laudandus quod ex Palatino reduxit *Ἀθηναῖοι* non sine acumine dictum, pro quo *ἀθῷοι* vulgo, *ἀζήμιοι* Emperius; attamen „neutrum verum, quia poena liberati erant" (Thalh.); *ἀγαθοὶ* Roegholt, multo debilius quam Palatini codicis lectio. Sed multo minus probaverim eundem Thalheimium *δόξειν εἶναι* una litura delentem. At vero negari nequit in his aliquid esse turbatum; *δόξειεν εἶναι* (post *ἐπίτιμοι*) est in X, et nusquam oppositio illa inter *δοκεῖν* et *εἶναι*, ab Aeschylo inde decantata, ineptius adhibita est quam in huius enuntiati exitu. Cur enim indices illi civibus suis pravi *videantur*, impii *sint*, non facile quis exputet. Aliter rem expedire conatus est Herwerdenus, retento post *ἐπίτιμοι* cum X *δόξειν* (ita enim corrigendum esse patet) *εἶναι*, expunctis cum Halbertsma et Cobeto in sequentibus et *δόξειν* et *εἶναι*. Sed ita neque unde in finem verba illa pedem intulerint perspicitur, ut hac quidem in re Thalheimii ratio potior videatur oppositionem inesse intellegentis, et non magis quam huius coniectura probata *arguta oppositio*, quae toti huic paragrapho inest, satis apparet. Apparebit verbis sic digestis: *ἡγούμενοι ἀποδημοῦντες μὲν Ἀθηναῖοι καὶ ἐπίτιμοι δόξειν [εἶναι], ἐπιδημοῦντες δὲ παρὰ τοῖς πολίταις τοῖς ἠδικημένοις πονηροὶ [δόξειν] καὶ ἀσεβεῖς εἶναι.*

Or. VI § 48, 49: *Ἀνδοκίδης δὲ ἀπαθὴς τούτων τῶν κακῶν γενόμενος ***** εἰς τὴν σωτηρίαν τῇ πατρίδι, ἀξιοῖ νυνὶ μετέχειν τῆς πόλεως, ἀσεβῶν ἐν αὐτῇ.* Verba amissa plurimi ita sarserunt: *<καὶ οὐδὲν συμβαλόμενος>*, videlicet *ὁμοιοτέλευτον* quaerentes ut appareat cur exciderint. Quo artificio cum orator noster non Gorgiano vel Isocrateo more utatur sed tantum ut oppositioni pondus addat, videndum annon forte praestet *<καὶ οὐδὲν παρασχών> εἰς τ. σωτηρ. κτλ.* Sed res est minimi momenti.

Digitized by Google

Statim post leguntur corrupta et lacera haecce: *ἀλλὰ πλουτῶν γὰρ καὶ δυνάμενος τοῖς χρήμασι καὶ βασιλεῦσιν ἐξενωμένος καὶ τυράννοις — ἃ νυνὶ κομπάσει, ἐπιστάμενος τοὺς ὑμετέρους τρόπους — ποίαν εἰσφορὰν **** τούτῳ ἀγαθὸν γένοιντο, καὶ ἐπιστάμενος ἐν πολλῷ σάλῳ καὶ κινδύνῳ τὴν πόλιν γενομένην, ναυκλήρων οὐκ ἐτόλμησεν ἑπαρθεὶς σῖτον εἰσάγων ὠφελῆσαι τὴν πατρίδα.* Multis multorum coniecturis adiutus, inprimis Thalheimii, qui unus intellexit hic „non de pristinis sed de futuris tributis quaeri," totum locum sic constituerim: *ἀλλὰ πλουτῶν γὰρ — — — καὶ βασιλεῦσιν ἐξενωμένος καὶ τυράννοις — — — ποίαν εἰσφορὰν <εἰσοίσει ἀνθ' ἧς ἂν τοιοῦτον> αὐτῷ ἀγαθὸν γένοιτο; ὃς*[1] *ἐπιστάμενος ἐν πολλῷ σάλῳ καὶ κινδύνῳ τ. πόλιν γενομένην, ναυκλήρων οὐκ ἐτόλμησεν εἰς Πειραιᾶ σῖτον εἰσαγαγὼν ὠφελῆσαι τὴν πατρίδα.* Singulorum conamina perscripsit editor, e quibus *εἰσαγαγὼν* in C est, *ὅς* pro *καὶ* post Reiskium Franckenio debetur, sed utrumque (*ὃς καὶ*) requirenti. Ipse, praeterquam quod verba supplenda paullo aliter ordinavi quam suaserat editor, pro voce *ἑπαρθεὶς* sine dubio corrupta, quam alii aliter vel mutaverunt vel suppleverunt, dedi — audacius sane — *εἰς Πειραιᾶ*, non daturus nisi in ceterorum participii sive supplementis sive mutationibus aut supervacanea (ut Westermanni *ἀποροῦσι*) aut a loci sententia aliena (ut *<οὐδὲ κέρδει> ἑπαρθεὶς* Reiskii et Herwerdeni) deprehendissem. Unus Scheibius in *ἑπαρθεὶς* substantivum (*ἐπὶ πράσει*) latere suspicatus est, sed quod proposuit et ipsum ad sententiam nihil confert proprii. Contra quod suadeo *εἰς Πειραιᾶ* minime est superfluum, cum de frumento Samum subministrato nulla controversia esset, in Piraeum quoque ut a Cypro veniret se auctorem fuisse ipse affirmaret (Or. 2 § 20 seqq.), inimici negasse videantur. Tandem hoc quoque observandum videtur, minus recte Herwerdenum Halbertsma auctore expunxisse post *ἐν πολλῷ σάλῳ* verba [*καὶ κινδύνῳ*], credo, ne vox figurata et propria copularentur.

---

1) Ὃς unus recentiorum editorum Herwerdenus dedit. Franckenio *ὃς καὶ* requirenti opposuerim, *καὶ* pro *καίπερ* prosae Atticae non videri. Ὅς in X elapsum lexicographorum opera restitutum esse Or. VII § 10, supra observatum est. Similiter deest Or. XIV § 30; XX 28; XXVI § 12; conferri etiam potest Or. XVII § 2, ubi in *δανεῖσαι καὶ ὧν κτλ.* (sic X) sententia flagitante copulam e dittographia ortam expunxerunt certatim editores.

Digitized by Google

Sed fuerunt in talibus damnandis nimis suspicaces nostri imprimis critici antiquiores. Quid Cobetus v. c. censuerit de illis Demosthenicis: *ἡ πρώτη πρόφασις καὶ μικρὸν πταῖσμα πάντ' ἀνεχαίτισεν καὶ διέλυσεν* (Or. II § 9) et: *αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰς ἁμαρτίας τῶν ἀνθρώπων εἰσίν* (ps.-Demosth. Or. XI § 13) coll. iisdem ex *Olynthiaca secunda* § 20, omnibus philologis est notissimum [1]). Equidem de ipsius Demosthenis loco (II § 9) Cobeto adsentior, licet aliter censeat Blassius Plinii praesertim auctoritate nisus (*Epp.* IX, 26 § 9), sed ipsa imitatoris verba in oratione *de Philippi Epistula* ostendunt quantopere vulgus oratorum illam synonymorum congeriem adamaverint quae orationem faceret rotundiorem. Quid quod et Demosthenes ipse saepissime, monente quoque Dionysio Halicarnassensi (*De Dem.* c. 58), et — quamquam rarius — Isocrates exactissimus verborum artifex copulaverunt quae nobis fere risum movent? Adeo multum abest ut Cobeto adstipuler in universum de Demosthene adseverante: „non solet otiose *ἰσοδύναμα* cumulare — — Demosthenes *qui numquam orationi verba inutilia admiscet.*" (*N. L.* p. xvij) Coniunxit tamen — pauca tantum proferam — *κλάειν καὶ δακρύειν* in *Midiana* § 187; *οὐδαμοῦ πώποτε Μειδίας τῶν συνηδομένων οὐδὲ τῶν συγχαιρόντων ἐξητάσθη τῷ δήμῳ* ibid. § 202; et sic *ἥδεσθαι καὶ χαίρειν* Orat. XIX § 140; *οὐδὲ δέδοικα οὐδὲ Φοβοῦμαι Mid.* § 200 i. f., quemadmodum *δέει καὶ Φόβῳ* copulavit Or. XXI § 124, multo quam Herodotus (IV 115) otiosius [2]); *ἐξαπατῶν καὶ Φενακίζων Mid.* § 204; *σκέψασθε καὶ θεωρήσατε* Or. XXIII § 29; *ἠγανακτήσατε καὶ χαλεπῶς ἠνέγκατε* ibid. § 167; *Φαιδρὸς καὶ γεγηθώς* Or. XVIII § 323; *ἀρχαῖα καὶ παλαιά* Or. XXII § 14. Coniunxit Isocrates, — quae tamen paullo dissimiliora sunt, — *ἐπισχεῖν καὶ οὐκ ἐπειχθῆναι* Or. IV § 175; *ὑποδεῖξαι καὶ ποιῆσαι Φανερόν* Or. V § 12; *ὑπερεορακέναι καὶ καταπεφρονηκέναι* ibid. § 100; *δηλῶσαι καὶ διελθεῖν* Or. VII § 63; *μαίνεσθαι καὶ παραφρονεῖν* Or. VIII § 41; *εἰς θόρυβον καὶ ταραχήν* Or. XV § 123; *οὐδὲν ἠδικηκότας οὐδ' ἡμαρτηκότας* ibid. § 144 (coll. Lys. Orr. XXIV § 26, XXV § 26), multumque abest ut

1) Cfr. Cobeti VL² p. 327 et Praefat. ad N. L. p. xvij.

2) Minus otiose etiam Isocrat. Or. XV § 169: *ἐπαυσάμην τοῦ δέους καὶ τῆς ταραχῆς ταύτης.*

Digitized by Google

haec sola exempla sint. Et miremur nostrum oratorem, minime Demostheni et Isocrati aequiparandum, copulasse *ἐν σάλῳ καὶ κινδύνῳ?* [1])

Tandem Or. VI § 53 commemoro pulchram Blassii correctionem *ποῖον φίλον, ποῖον συγγενῆ, ποῖον δημότην* pro codd. lectione *δικαστήν*. Cum emendatio apud Herwerdenum non perscripta sit, nostros homines eam latuisse suspicor. Mihi quidem, collatis imprimis Orr. XXI § 6, XXVII § 12, ut Thalheimio evidens videtur.

Or. VII § 1: *οὕτως ἀπροσδοκήτως αἰτίαις καὶ πονηροῖς συκοφάνταις περιπέπτωκα, ὥστ', εἴ πως οἷόν τε, δοκεῖ μοι δεῖν καὶ τοὺς μὴ γεγονότας ἤδη δεδιέναι περὶ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι.* Pace Herwerdeni aliorumque traditam utcunque lectionem tuentium dictum esto, eam mihi non modo „frigidum admodum iocum" videri, quae Franckenii sententia erat (C. L. p. 53), sed etiam malesani auctoris esse. Qui *nati non sunt*, de iis praedicari ne a iocantibus quidem vel exaggerantibus quidquam potest. *Τοὺς μηδὲν κακὸν πεποιηκότας*, quod Cobetus reponebat, non tantum adeo a codicis lectione distat, ut rescribere hoc magis sit quam emendare, sed ita exaggeratio quoque deëst, quae exspectatur post *εἴ πως οἷόν τε*. Non male Vollgraffius: *τοὺς ἄρτι γεγον.*, sed et argutius est et pressius ad litteras quod post Reiskium sero vidi: *τοὺς μή<πω> γεγονότας*. Contulerim Aeschin. Or. I § 134, ubi inter se opponuntur *υἱεῖς τοὺς μηδέπω γεγονότας* et *τοὺς δ' ἤδη γεγονότας*, ad breviorem formam nostri Or. XXIV § 6, Andoc. Or. I § 7; 149. Praeterea cum Tayloro requiro *ἀπροσδοκήτοις*, quod sequens *πονηροῖς συκοφάνταις* tantum non flagitat, pro quo et ipso valde arridet, ut Franckenio olim, Augerii *πονηραῖς συκοφαντίαις*.

Or. VII § 12: *ἐγὼ τοίνυν, ὦ βουλή, ἐν μὲν τῷ τέως χρόνῳ, ὅσοι με φάσκοιεν δεινὸν εἶναι καὶ ἀκριβῆ καὶ σὺδὲν ἂν εἰκῇ καὶ*

1) Prorsus similiter Aeschines, orator multo quam noster disertior, Or. II § 38 i. f.: *τοῦτο δ' ἦν ἄρ' ἀγχόνη καὶ λύπη τούτῳ*, ubi mihi nondum tam prorsus quam Dobraeo, Cobeto (*Orat. Inaug.* p. 141), Blassio, Leeuwenio (ad *Acharn.* 125) liquet, „*λύπη* glossema videri" (Dobr. *Advv.* I p. 325 = 330).

Digitized by Google

ἀλογίστως ποιῆσαι, ἡγανάκτουν ἄν, ἡγούμενος μᾶλλον λέγεσθαι ὥς μοι προσῆκε. Locus multorum coniecturis infamis. Ac primum quidem plerique editores cum Tayloro addunt <ἢ> post λέγεσθαι. Sed quid est μᾶλλον λέγεσθαι? Cum praeter Fuhrium nemo intellegat, divinando succurrere sententiae plures conati sunt. Quod ex horum conaminibus praetulit Thalheimius et in textum recepit: ἡγούμενος μ' ἄλλον λέγεσθαι <ἢ> ὥς μοι προσῆκε, Meutzneri commentum est prima specie ingeniosum, sed tantum abest ut Lysiacum existimem ut multum verear num Graecum sit. Ad sensum quanto melius nostrates Halbertsma et Herwerdenus, quorum ille μᾶλλον ἐπαινεῖσθαι, Herwerdenus paullo propius ad codicis scripturam μᾶλλον εὐλογεῖσθαι coniecit. Vel pressius simul et quod ad sententiam modestius ipse legam: ἡγούμενος μεῖζόν <τι> λέγεσθαι <ἢ> ὥς μοι προσῆκε. Cfr. v. c. Platonis qui dicitur *Hipp. Min.* 15, p. 372d: τοιοῦτός εἰμι οἷός πέρ εἰμι, ἵνα μηδὲν ἐμαυτὸν μεῖζον εἴπω. Idem prorsus vitium μᾶλλον pro μεῖζον cernitur e. g. in papyro *secundi* a. Chr. saeculi, ut editori videtur, quo continetur tertia ex epistulis Demostheni a veteribus tributis, § 28 (in Kenyonis *Classical Texts from Papyri in the British Museum* p. 61); adeo vetusti eiusmodi errores sunt.

Or. VII § 14: οὗτος μέντοι οὐκ ἂν ἔχοι ἀποδεῖξαι οὔθ' ὡς — — — οὔθ' ὡς ἐγὼ ἄπειρος τῶν παρ' ὑμῖν κινδύνων. Fieri potest ut fallar, sed unice intellego: τῶν παρ' ὑμῶν κινδύνων. Et sic ex Thalheimii apparatu nunc Meutznerum quoque censuisse comperio.

Or. VII § 18: εἰ τοίνυν καὶ ταῦτα παρεσκευασάμην, πῶς ἂν οἷός τ' ἦν πάντας πεῖσαι τοὺς [παριόντας, ἢ τοὺς] γείτονας, οἳ οὐ μόνον κτλ. Mirum recentissimos editores obtemperare noluisse Dobraeo, Kaysero, Scheibio, optime resecanda esse verba uncinis inclusa monentibus. Nam quod referunt ad § 20, nihil causae est cur iam nunc praetereuntium mentione interiecta, quae recte sequitur § 20ª, pervertatur artificiosa gradatio quae instituitur a paragrapho inde 16ª (οἰκετῶν — μεμισθωμένων — γειτόνων) a propioribus ad remotiores. Accedit quod de his tribus consciorum generibus plura dicuntur, praetereuntes obiter tantum et in transcursu hic commemorantur et quodammodo intercalantur.

Digitized by Google

Tandem *πεῖσαι*, quod optime habet de vicinis minus benevolis, cum largiendi quoque notio insit, ridicule dicitur de casu praetereuntibus, quos a reo operi intento ne conspectos quidem esse par est. Supervacuum existimo plura argumenta ad emblema me iudice manifestum arguendum conquirere; quibus haec non sufficiunt, alia non persuadebunt.

Or. VII § 22: *καίτοι εἰ Φῄσ· μὴ δεῖν τὴν μορίαν ἀφανίζοντα τοὺς ἐννέα ἄρχοντας ἐπήγαγες — — —, οὐκ ἂν ἑτέρων ἔδει σοι μαρτύρων.* Ita X. Nihil verius quam quod Aldinae margo porrexit: *μ' ἰδεῖν* pro *μὴ δεῖν*, pluribus ut supra monui editoribus probatum. Nec tamen omnibus, cum de antecedentibus etsi haud dubie corruptis ambigatur quomodo restituenda sint. Hinc maximus editorum criticorumque dissensus, inter quos fuere qui ulterius progressi cum Fuhrio *καίτοι εἰ εὐθύς* (*εὐθέως* Albrecht) *μ' ἰδὼν* requirerent. Multo me iudice rectius Marklandus olim *ὅτε* inserebat post *εἰ*, quem Herwerdenus secutus est et Thalheimius. Sed simul et lenius et accuratius, — etenim *ὅτε μ' εἶδες* bene se habet, *ὅτε Φής μ' ἰδεῖν* non item, — rescribetur quod suadeo: *καίτοι εἰ, <ἐπεί> Φής μ' ἰδεῖν τ. μορ. ἀφανίζοντα, τοὺς ἐννέα ἄρχ. ἐπήγαγες κτλ.* Si, *quoniam* tuis te oculis me malefacientem vidisse adseveras, archontes vel Areopagitas testes advocasses cett., ut omne argumentationis pondus sit in verbo *ἰδεῖν*. Ceterum vix opus est ut addam, ex mea quoque sententia hic non serio agere reum, sed accusatorem testium penuria laborantem qui quod factum non erat affirmarent lepide ludibrio habuisse.

Or. VII § 23. Statim sequitur: *δεινότατα οὖν πάσχω, ὃς εἰ μὲν παρέσχετο μάρτυρας, τούτοις ἂν ἠξίου πιστεύειν, ἐπειδὴ δὲ οὐκ εἰσὶν αὐτῷ, ἐμοὶ καὶ ταύτην ζημίαν οἴεται χρῆναι γενέσθαι.* Haec: *δεινότατα πάσχω, ὃς ἠξίου κτλ.* sincera esse omnino non possunt. Rauchensteinii inventum *ὅτ' εἰ μὲν παρέσχετο κτλ.*, quo plerique acquiescunt, mihi quidem non admodum placet. Nam ut concedam *ὅτε* significare posse, quod necessario requiritur, *quoniam*, — qua de re nonnihil licet dubitare [1]), — vel sic hic

1) „Ὅτε causal s. 19 § 5". (Rauch.) Idem ad Or. XIX § 5: „ὅτε wie oft ὁπότε

Digitized by Google

enuntiandi modus magis Latinus foret quam Graecus. Graeci post *δεινὰ πάσχω* simm. aut *εἰ* ponunt aut *relativum* quod in Palatino adest. Quapropter malo lacunulam hic statuere sic, opinor, supplendam: *δεινότατα οὖν πάσχω <ὑπὸ τούτου>, ὃς εἰ μὲν παρέσχετο μάρτυρας κτλ.*, quod post Hamakerum et Frohbergerum sero vidi.

Or. VII § 27: *πότερον δέ μοι κρεῖττον ἦν, —— δημοκρατίας οὔσης παρανομεῖν ἢ ἐπὶ τῶν τριάκοντα; καὶ οὐ λέγω ὡς τότε δυνάμενος ἢ ὡς νῦν διαβεβλημένος, ἀλλ' ὡς τῷ βουλομένῳ τότε μᾶλλον ἐξὸν ἀδικεῖν ἢ νυνί.* Inepta ratiocinatio. Si sub triginta viris, cum peccandi licentia regnaret, reus tamen delinquere *non potuit*, minime hinc consequitur eum democratia restituta truncum sacrae olivae non excidisse. Probaret quod posuit, si tunc quoque *cum impune delinquere posset noluit*; idque quod orator dare necessario debuit traditae lectioni non inesse, nostrates saltem critici optime perspexerunt. Quorum Franckenius anceps haerebat inter *μέγα δυνάμενος* et *ὡς τότε δυνάμενος ἢ καὶ νῦν ὑμῖν διαβεβλημένος*, Herwerdenus antea malebat *τότε διανοούμενός τι ὧν νῦν διαβέβλημαι*, quod tamen in posteriorem editionem non recepit, ut in procurando quam in detegendo vitio minus felices fuisse dicendi sint. Multo facilius Lysiae manus restituetur, si scribamus: *καὶ οὐ λέγω ὡς τότε δεόμενος ἢ ὡς νῦν διαβεβλημένος*. De peccandi impunitate oligarchiae temporibus conferri possunt quae leguntur Or. XXV § 16; XXVI § 5; de verbo v. c. fr. 16: *προσῆλθον αὐτῷ λέγων ὅτι—— ἄπειρος εἴην πραγμάτων καὶ οὐδὲν δεόμενος εἰσιέναι εἰς δικαστήριον*; Or. XII § 61; *ἐγὼ γὰρ δέομαι*

---

quoniam, 12 § 36". At. m. i. neque Or. XIX § 5 *ὅτε*, neque Andoc. Or. I § 7, quae prorsus eadem esse dudum observatum est, *ὁπότε* valent *quoniam*, sed, ut assolent, *ubi*, quod vel addito apud hunc vocabulo ἤδη comprobatur (*ὁπότ' οὖν ἤδη πολλὰ τοιαῦτα γεγένηνται* (l. -νηται), *εἰκὸς ὑμᾶς ἐστι μήπω τοὺς τῶν κατηγόρων λόγους πιστοὺς ἡγεῖσθαι*). Non magis praesidii satis est in Or. XII § 36 (*ὅτε διὰ χειμῶνα οὐχ οἷοί τ' ἔφασαν εἶναι τοὺς ἐκ τ. θαλάττης ἀνελέσθαι*), ut locum relegenti patebit; neque ita post Marklandum Fritzschius et Cobetus existimaverunt, eo loco *ὅτι* coniicientes, inutiliter, ut mihi quoque videtur, sed ita ut statuatur, *ὅτε*, quemadmodum saepius *ὅπου*, poni identidem ubi expectaremus *ὅτι* causale, neque tamen prorsus idem utrumque valere atque promiscue adhiberi posse. Similiter equidem iudico de Demosth. Or. XVIII § 114.

Digitized by Google

ἀναπαύσασθαι, et sic saepius apud unumquemque scriptorem Graecum [1]). Contrarium vitium Isaeum obsidet Or. II § 30 i. f., ubi codd.: καὶ ἡμεῖς, ἵνα δὴ πραγμάτων ἀπαλλαγῶμεν ὥς τε δηώμεθα, οὕτως ἐπιτρέπομεν, pro qua malesana scriptura recte Schoemannus ὡς ἂν δυνώμεθα rescribendum suasit. Tandem, quod obiter commemoro, in fine periodi nostrae ἀλλ' ὡς — — ἑξόν (ita Augerius) multo mihi praestare videtur coniecturae Gebaueri ἀλλὰ — — ἐξῆν, quam a Thalheimio receptam nollem.

Or. VII § 28: πῶς δ' ἂν — — ἐκ τούτου τὴν μορίαν ἀφανίζειν ἐπεχείρησα τοῦ χωρίου, ἐν ᾧ δένδρον μὲν οὐδὲ ἕν ἐστι, μιᾶς δ' ἐλάας σηκός, ὡς οὗτός φησιν εἶναι. Ita X. Quod cum stare non possit, ex Meutzneri coniectura scripserunt μ. δ' ἐλ. σηκός, ὡς οὗτός φησιν, ἦν et Herwerdenus et Thalheimius. Est hoc accuratissime dictum ac prorsus logices legibus conveniens, sed nescio quomodo oratio aliquid habet abrupti et minus numerose cadit ad aures. Quapropter haud scio an praestet, etsi minus accurate enuntiatum: μιᾶς δ' ἐλάας σηκός, ὃν οὗτός φησιν εἶναι.

Or. VII § 36: καὶ μὲν δή, ὦ βουλή, φανερὸν εἶναι εἰπεῖν ὅτι κτλ. Arena sine calce, quam et X praebet et ceteri ut videtur libri, hic quoque a Palatino pendentes. Continuam orationem restituere per se res est facillima, ediditque Thalheimius ex Fuhrii sententia: φανερὸν εἶναι <πᾶσιν> ἡγοῦμαι ὅτι, in quibus πᾶσιν ex Marklandi penu est. Atque solet sane sic Lysias, quod demonstravit Fuhrius allatis Or. XXII § 19, III § 36, XIV § 34. Attamen ita neque unde ἡγοῦμαι venerit neque cur πᾶσιν exciderit facile quis exputet. Utrique rei melius consuletur, si partim cum vulgata quae dicitur sic scribatur: καὶ μὲν δή — — φανερὸν <οἶμαι> εἶναι ἅπασιν ὅτι κτλ. Absorpsit οἶμαι sequens εἶναι vel propter consimilem pronuntiationem; in flagitiose corrupto εἰπεῖν latere putem, quod breviore forma plurimi requisiverunt, ἅπ<α>σιν. Nam et hoc modo solent oratores, v. c. Isocrates Or. XIV § 23: οἶμαι γὰρ ἅπασι

1) Utrumque verbum copulavit Isocr. Or. XII § 40: (χρὴ) ταῖς πόλεσι παριστάναι μὴ — — — τὰς σώζεσθαι δεομένας πρὸς τὰς σώζειν δυναμένας, et (Lys.) Or. 2 § 64.

Digitized by Google

φανερὸν εἶναι διότι προσήκει κτλ. Addo eiusdem Orat. XII § 249; XIII § 2 (οἶμαι γὰρ ἅπασιν εἶναι φανερὸν ὅτι κτλ.).

Or. VII § 41: ἐρήμου τοῦ οἴκου γενομένου, μητρὸς δὲ πάντων ἐνδεοῦς. Etsi libenter Herwerdeno do, subaudiri posse ex antecedentibus γενομένης, tamen et propter membrorum aequabilitatem et propter facilitatem emendandi post Frohbergerum inserendum duco <οὔσης>.

(*Continuabuntur*).

AD PLUTARCHUM.

Lyc. 27 (Sint.). ἀνελὼν δεισιδαιμονίαν ἅπασαν ἐν τῇ πόλει θάπτειν τοὺς νεκροὺς καὶ πλησίον ἔχειν τὰ μνήματα τῶν ἱερῶν οὐκ ἐκώλυσε. Nullus hic *sacris* locus, sed, quemadmodum a sequentibus συντρόφους ποιῶν ταῖς τοιαύταις ὄψεσι καὶ συνήθεις τοὺς νέους apparet, πλησίον ἔχειν οὐκ ἐκώλυσε significat: „in sua cuique vicinia habere" et de *privatis privatorum* sepulcris agitur. Legendum ergo ἡρίων. Cf. Naberum ad vitam Thesei 17 (Mnem. 28 p. 161). — τὰ μνήματα τῶν ἡρίων ubertas est Plutarcho non indigna.

Num. 1 (Sint.). οἱ δὲ Πυθαγόραν μὲν ὀψὲ γενέσθαι ... Πυθαγόραν δὲ τὸν Σπαρτιάτην κτἑ. — Docet hic Plutarchus duos fuisse Pythagoras, quorum alter, Spartanus, Numae tempore vixerit, alter, philosophus Samo oriundus, multo post. Sed quis sic duos homines inter se opponit ut alterum nude Πυθαγόραν appellet, alterum Πυθαγόραν τὸν Σπαρτιάτην? Ergo aut post μὲν inserendum est τὸν Σάμιον (vel τὸν Φιλόσοφον) aut sic scripsit Plutarchus: οἱ δὲ τὸν μὲν Σάμιον (vel Φιλόσοφον) ὀψὲ γενέσθαι et suprascriptum nomen Πυθαγόραν has dedit turbas.

J. J. H.

Digitized by Google

TACITEA.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur e pag.* 347.)

X.

Iam in praecedenti capite unum et alterum tractavi locum (A. IV, 48; H. III, 23 et 25), ubi ad obtinendum sanum sensum, qui latebat etiam, satis erat alia uti distinctione. Nunc paulisper in eodem genere subsistam, et transponendis virgulis aliisve distinctionibus lucem afferre conabor locis vel obscuris vel sensu cassis; plerumque tamen leni hac medicina non gravis aliquis tolletur morbus, sed Taciteus restituetur color solitusque Taciteae vocis sonus.

Ann. XI, 15. Queritur Claudius quod negligatur ars haruspicina, quae saepe reipublicae tantopere profuerit:

„Et laeta quidem in praesens omnia, sed benignitati deum gratiam referendam, ne ritus sacrorum inter ambigua culti per prospera oblitterarentur".

Structuram verborum admodum impeditam sic supplendo explicat Nipperdeius: „gratiam referendam (impediendo) ne". Sed quis unquam eiusmodi aliquid omittit et acumini legentium inveniendum relinquit? Quid quod ne supplemento quidem illo nascitur aliquid quod sensum praebeat huic loco idoneum. Sic enim illud ratiocinantem inducit Claudium: „nunc quidem laeta sunt omnia (nec haruspicina nobis opus est), *sed* diis gratias referamus cavendo ne haruspicina oblitteretur". Multo rectius,

Digitized by Google

ut opinor, hoc foret: „*quoniam* nunc benignitate deorum haruspicina nobis opus non est, *tanto magis* aequum est nos gratias iis referre cavendo e. q. s.". Sed, nisi egregie fallor, sic Tacitus scripsit: „et laeta quidem in praesens omnia, sed benignitati deum gratiam referendam. Ne ritus — oblitterarentur". Aptissime gravi hac admonitione orationem suam Claudius finit: „ne ..... oblitterentur", recteque sic narratio nunc pergit: „factum ex eo senatusconsultum e. q. s.". Praeterea ipsa quoque quae antecedunt: „sed benignitati deum gratiam referendam" nunc multo fiunt disertiora. Hoc enim dicit Claudius: „in praesens laeta omnia sunt, non hercule, nostra opera: nos enim etiam in gravissimis rebus socordes sumus, sed singulari deorum benignitate, quibus aequum est gratum nos testari animum donis victimisque". Nos quoque saepe hominem negligentem socordemque sic vituperamus: „Deo te gratiam referre decet quod res tam bene cesserit".

Ann. XII, 16. Romani adversus Mithridatem Bosporanum socios assumunt Aorsos et cum illis laborem partiti eum aggrediuntur:

„sic pulsus hostis, ventumque Sozam, oppidum Dandaricae, quod desertum a Mithridate ob ambiguos popularium animos, obtineri relicto ibi praesidio visum".

Non, hercule, Mithridates ille, qui per vim totum Dandaridarum regnum occupavit, subito tam ignavus pavidusque factus est, ut oppidum Dandaridarum, propter paucorum oppidanorum ambiguos animos, subito desereret; et si deseruisset, suspectos illos omnes, ut opinor, prius trucidasset. Sed propter ambiguos illos animos *Romani* in oppido, quamvis desertum iam esset ab hoste, praesidium reliquere. Sic ergo distingue: „Sozam, oppidum Dandaricae, quod desertum a Mithidate, ob ambiguos popularium animos obtineri relicto ibi praesidio visum". *Populares* hic *oppidanos* significare recte annotat Furneaux, sed quod addit non esse eos *Mithridatis* cives, qui per vim oppido est potitus, indicio est eum, licet omittat virgulas, quae apud Nipperdeium post *Mithridate* et *animos* leguntur, tamen prave sententiam distinguere. Addendum erat: non posse eos antiquo sensu *Romanorum* dici populares.

H. I, 44. De caede Pisonis haec legimus:

Digitized by Google

„Nullam caedem Otho maiore laetitia excepisse, nullum caput tam insatiabilibus oculis perlustrasse dicitur, seu tum primum levata omni sollicitudine mens vacare gaudio coeperat, seu recordatio maiestatis in Galba, amicitiae in Tito Vinio quamvis inmitem animum imagine tristi confuderat: Pisonis ut inimici et aemuli caede laetari ius fasque credebat".

Post *confuderat* non distinctio maior sed virgula est ponenda; coordinationem, ut loquuntur grammatici, hic habemus pro subordinatione, estque totius loci *seu recordatio — credebat* schema hoc: „seu, cum in Galba et Vinio gaudium aliquatenus certe minuebatur, de Pisonis morte laetitia plena perfectaque erat".

H. I, 66. „Lento dein agmine per fines Allobrogum ac Vocontiorum ductus exercitus, ipsa itinerum spatia et stativorum mutationes venditante duce", (Valens ille est, alterius exercitus Vitelliani dux) „foedis pactionibus adversus possessores agrorum et magistratus civitatum, adeo minaciter, ut Luco (municipium id Vocontiorum est) faces admoverit, donec pecunia mitigaretur".

Languidissima sententia multo fiet elegantior si sic distingues: „venditante duce foedis pactionibus, adversus possessores agrorum et magistratus civitatum adeo minaciter, ut Luco e. q. s." Foede paciscebatur et venditabat spatia itinerum et stativorum mutationes, atque in ea nundinatione tam diris adversus possessores agrorum et magistratus civitatum minis utebatur ut Luco e. q. s. Quod nunc unum exemplum sequitur, e quo quibus *adversus magistratus tantummodo* usus sit minis apparet, tolerabilis est durities. Multo certe ingratius in tradita ab editoribus distinctione illud *adeo minaciter* e. q. s. praecedentibus sine ullo adiicitur vinculo.

I, 76. De provinciis exercitibusque, quae a partibus Othonis stabant, et alia narrantur et haec:

„Idem Africae obsequium, initio Carthagine orto; neque exspectata Vipstani Aproniani proconsulis auctoritate Crescens, Neronis libertus (nam et hi malis temporibus partem se reipublicae faciunt), epulum plebi ob laetitiam recentis imperii obtulerat, et populus pleraque sine modo festinavit: Carthaginem ceterae civitates secutae".

Nihil vidi hac distinctione perversius, qua nobis exhiberi videntur duae res, quae quomodo inter se cohaereant videt nemo:

Digitized by Google

obsequium illud (erga Othonem) quod Carthagine initium habuit, ét Crescentis illius consilium, quo plebem eodem adduxit. Sed sic incide locum: „idem Africae obsequium, initio Carthagine orto, neque expectata V. A. proconsulis auctoritate: Crescens e. q. s.", omnia erunt planissima et optime decurrent: primum docemur Africam a partibus Othonis stetisse eamque rem Carthagine natam esse sed non proconsulis exspectata auctoritate; deinde, quaerentibus quis ergo, si proconsul rei auctor non fuit, auctor exstiterit, narratur nobis de Crescentis consilio, quo ille Carthaginem ad Othonem transtulerit, quod exemplum tota sit secuta provincia.

H. II, 7. „Non fallebat duces (i. e. Vespasianum Mucianumque) impetus militum, sed bellantibus aliis placuit expectari bellum. cum In victores victosque numquam solida fide coalescere."

Lacera lectio *bellum. cum In* est in codice. Lenissima haud dubie Pichenae est correctio *belli exitum*, vereor tamen ut vera sit, tam pulchre in voce *expectari* sententia finitur: *bellantibus aliis placuit exspectari*, hoc vere Taciteum est. Accedit quod paulo post haec iisdem ducibus tribuitur opinio: „nec referre, Vitellium an Othonem superstitem fortuna faceret". Cur ergo *belli exitum* exspectandum censeant? Nam ille alterutrum faciet victorem. Nova ergo sententia vel verbis *bellorum civilium* vel *belli civilis* incipit. Quamcunque enim recipimus lectionem, eadem evadit sententia, quae verane an falsa sit nunc non disputo.

H. II, 16. Pacarius Corsicae procurator in verba Vitellii iurare incolas, occisis iis qui resistere audent, cogit. At ubi belli incommoda sentiuntur et quam prope absit Othonis classis reputatur, poenitere cives nimis festinati obsequii incipit:

„Et aversi repente animi, nec tamen aperta vi: aptum tempus insidiis legere. Digressis, qui Pacarium frequentabant, nudus et auxilii inops, balineis interficitur."

Arena sine calce haec est; ut bene coagmentata nascatur sententia, mutata distinctione et lenissima duorum vocabulorum emendatione opus est et sic legendum:

„Et aversis repente animis, nec tamen aperta vi, aptum tempus insidiis legere: digressis e. q. s.".

Digitized by Google

H. II, 72. De falsi Scriboniani exitu haec leguntur:

„(vulgus credulum et quidam militum statim aggregabantur) cum pertractus ad Vitellium interrogatusque, quisnam mortalium esset: postquam nulla dictis fides et a domino noscebatur, condicione fugitivus, nomine Geta, sumptum de eo supplicium in servilem modum."

Omnia hic perturbant qui post *pertractus* vel post *interrogatusque* verbum *est* inserunt; sed illi quoque colorem obscurarunt Taciteum, qui maiorem post *esset* posuerunt distinctionem, pro qua si virgula erit posita, denuo Tacitum agnoscemus; a *cum pertractus* sententiam orditur tamquam sic fere eam clausurus: *servili supplicio affectus* est, sed, sponte illius consilii immemor, pro eo *sumptum de eo supplicium i. s. m.* ponit. Neque est, ut opinor, durum ἀνακόλουθον: *cum pertractus ... sumptum de eo supplicium.*

H. III, 11. Postquam narravit de tumultu inter Antonii milites orto, deque Tampi Flaviani periculo, cui se ille vix subtraxerit, sic scriptor pergit:

„Legiones, velut tabe infectae, Aponium Saturninum, Moesici exercitus legatum, eo atrocius aggrediuntur quod e. q. s."

Haec cito, primum ut appareat quid intersit inter sermonem Taciteum et orationem eorum qui simpliciter loquuntur scribuntque. Simplicissimum hoc erat et scriptoris sententiae aptissimum: „Aponium ... aggrediuntur, eo atrocius quod", nam novae narrationis, quae adnectitur, argumentum hoc est quod nunc se in alium ducem convertit militum ira, cui illud „eo atrocius quod e. q. s." explanandi causa additur. Sed maluit Tacitus more suo diversas res in unam contrahere sententiam. Deinde ut sequenti capite scriptoris nostri usum contra pravam defendam distinctionem sed speciosam, et quae, nisi fallor, ab uno alteroque editore iam est admissa. Est autem ille locus nostro admodum similis. Post narratas turbas in Flaviano exercitu haec leguntur:

„Ne in Vitellii quidem partibus quietae mentes exitiosiore discordia non suspicionibus vulgi, sed perfidia ducum turbabantur."

Sponte se offert coniectura post *mentes* maiorem esse ponendam distinctionem, sic enim omnia fiunt planissima et ad intelligendum expeditissima. Et tamen nemo eam probet nisi qui

Digitized by Google

in Tacito hospes sit: de industria enim Tacitus in unam sententiam coegit et rem novam, quam praecedenti adnectit, et rei novae explanationem.

H. III, 13. Defecit a Vitellio classis, Caecina legiones quoque suas ad Vespasianum transfert; iamque in eius iuraverunt verba milites, iam dereptae sunt Vitellii imagines, praescriptumque Vespasiani nomen, cum subito illos facti sui poenitet, reputantes se, strenuos illos Germaniae bellatores, nulla clade accepta, manus tradere Othonianis istis saepe fugatis copiis:

„Ut *tot* [1]) armatorum milia velut grex venalium exuli Antonio dono darentur (octo nimirum legiones unius classis accessionem fore), id Basso id Caecinae visum".

Sic distinguunt editores, perversissime: ne alia argumenta addam, ab *id .. visum* nunc pendet *ut — darentur*, quae certe absurda structura est, neque sic pronominis *id* constat ratio, ut taceam quam inepte nunc illa repetatur. Visne ipsos milites audire querentes et tantum non singultantes? Sic distingue:

„Ut tot armatorum milia velut grex venalium exuli Antonio dono darentur? octo nimirum legiones unius classis accessionem fore! Id Basso, id Caecinae visum?"

Quam pulchra est haec structurarum varietas, quam graviter lamenta, militum nunc, tamquam iusta oratio, clauduntur gravissimo illo *id — visum*!

H. III, 84. Post multa ad urbem et in ipsa urbe proelia tandem Flaviani castra praetoria aggrediuntur omnibus adhibitis rebus, quibus validissimae solent oppugnari urbes:

„Contra Vitelliani, quamquam numero fatoque dispares, inquietare victoriam, morari pacem, domos arasque cruore foedare; suprema victis solacia amplectebantur."

Sic in editionibus distinguitur, tamquam si tres diversae res a Vitellianis peractae enumerentur, a quibus seiungendum sit istud *suprema victis solacia amplectebantur* ..... quod ita seorsum positum aut sensum habet nullum aut plane obscurum. Verum arctissime iungenda sunt *inquietare victoriam morari pacem*: iudicium his verbis scriptoris continetur de militibus defendentibus etiam castra nec statim eo victores recipientibus; auctore Tacito

1) Insertum a Rittero, haud dubium quin recte.

Digitized by Google

non de victoria certare vel Vitelli imperium vindicare illud fuit: *inquietabant* tantummodo Vitelliani *victoriam* et *pacem morabantur*; haec sunt eiusdem rei nomina duo. Tum hoc addit victis unicum solacium esse solere caedem sanguinemque, quod tunc Vitelliani quoque victi sint amplexi. Ergo sic legamus: „contra Vitelliani ..... inquietare victoriam, morari pacem; domos arasque cruore foedare, suprema victis solacia, amplectebantur" ut *domos — foedare* quodammodo sit verbi *amplectebantur* obiectum et appositionis loco habeat *suprema victis solacia.*

Ann. III, 49. Clutorium Priscum, vanum illum poetam, sola Vitellia testimonio suo iuvabat:

„sed arguentibus ad perniciem plus fidei fuit."

Non virgula hic opus est ad scriptoris sententiam declarandam; monendum tantummodo est ne — id quod vulgo fit — *ad perniciem* cum *arguentibus* iungatur, quae intolerabilis est verbositas. Cum *plus fidei fuit* iungendum illud est, ut hoc dicat: „qui grave dicebant testimonium plus valebant, ad miserum reum perdendum."

(*Continuabuntur*).

HORAPOLL. I 55.

Nuper cum versarer in Avium fabulae Prolegomenis conscribendis et de Epope avium rege nonnulla chartis mandarem, incidi in Horapollinis quendam locum a viro docto Oder indicatum, ubi haec leguntur:

ὅθεν καὶ ἐπὶ τῶν θείων σκήπτρων κουκούφα προτίμησίς ἐστιν.

Upupae, cui aegyptiace *κούκουφος* vel *κουκούφας* nomen fuit, fit mentio. „Horapollo redet von dem Vorzuge (*προτίμησις*) den „der Wiedehopf vor andern Vögeln habe".

Quod si dicere voluit Horapollo, mire locutus est; sed aut egregie fallor aut interpretes lusit error librarii, quem arguere videtur *ἐπί* praepositio. Legatur: *ἐπὶ τῶν θείων σκήπτρων κουκούφα προτομή ἐστιν.*

Lenior correctio foret *πρότμησις*, sed frustra quaero locos ubi *πρότμησις* — de qua voce vid. scholia ad Hom. Λ 424 et van Herwerden in Lexico suppl. et dial. s. v. — id quod *προτομή* valeat, *effigiem corporis partem superiorem exhibentem* (*εἰκόνα ἕως τοῦ ὀμφαλοῦ*). *Κυρίως δὲ ἐπὶ τῶν ἀλόγων ζώων ἡ προτομὴ ἐλέγετο* (Hesych.). J. v. L.

Digitized by Google

AD CATULLI CARMEN XXXXVIIII.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit pessimus omnium poeta,
Tanto pessimus omnium poeta
Quanto tu optimus omnium patronus.

Catullus quod ut in re Ciceroni bene nota materiam ipsam, ad quam pertinet hoc poemation, non tetigit, hinc par est coniecturarum quasi quandam segetem laetam provenisse. Verba haec Baehrensii [1]) sunt, qui ceterorum coniecturis acriter et cum indignatione quadam perstrictis facere tamen non potuit quin fiducia summa suam in re incerta commendaret sententiam.

Totam segetem diligenter collectam exposuit Robinson Ellis [2]), qui ipse Balsaccium secutus agi in hac gratiarum actione de causa aliqua a Tullio defensa arbitratus est. Nuper vero Hartmannus noster de Cantoribus Euphorionis disputationem edidit, quam magnis laudibus nostrates multi extulerunt. In qua cum de Catulli arte multa doctissime et elegantissime exposuit tum de poematio quod supra descripsi suam pronuntiavit sententiam, quae ceteris omnibus adeo mihi videtur probabilior ut argumentorum eius summam cum exteris quoque communicare velim, quo facto de meo novi quiddam additurus sum. Ita fere Hartmannus argumentatus est:

1) Catulli Veronensis Liber interpr. Aem. Baehrens. Lipsiae 1885, p. 251.
2) A Commentary on Catullus. Oxford 1889, p. 169.

Digitized by Google

Hoc primum verisimile videtur in lepido nostro poematio, nihil dictum esse quod non commode dictum sit. Deinde verisimile est, rem fuisse parvi momenti pro qua gratias agit poeta, quam aut ignorat historia aut satis dignam non habuit quae traderetur posteris. Quod si verum est, ipsa gratiarum actio non nisi res quaedam minoris momenti putanda est vel exordii loco adhibita, — opposita vero „pessimus poeta" et „optimus patronus" summum totius carminis consilium. Catullus optime novit quid de se ac de sociis suis Cicero sentiret, etsi iam mortuus erat cum acerba illa et morosa iudicia hic evulgavit. Gloriatur autem se inter pessimos illos poetas numerari, novum novi temporis cantorum genus. Simulatque ei causa aliqua offertur cur ad Ciceronem mittat epistolium, facere non potest quin pauca iocetur de sententia quam de se suisque dixerit orator insignissimus. Id quidem fecit modo suavissimo, sed tamen poemation nostrum defensio quaedam est in certamine literario, ad iudicium latum responsio qualiscumque atque ea quidem magni momenti. Quae cum ita sint, carmen intellegere non possumus nisi hoc consideremus, Catullum esse et se esse gloriari ex Cantoribus Euphorionis unum [1]).

Quis non videt Hartmanni interpretationem demum nostro carmini vim suam ac leporem omnem reddidisse?

Iam mihi liceat de anno quo scriptum sit a Catullo, pauca disserere.

Ellis coniecit Catulli gratiarum actionem eo tempore habitam esse quo Cicero orationes *Cum senatui gratias egit* et *Cum populo gratias egit* pronuntiavisset, quod huius orationis verba (VII. 16): *Cn. Pompeius vir omnium qui sunt fuerunt erunt virtute sapientia gloria princeps* sibi in mentem vocarent Catulli:

Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis,

ita ut anno 57 a. C. exeunte scriptum esset.

Si eiusmodi verborum similitudines pro indiciis afferre licebit ad operis alicuius natalicia efficienda, locum Ciceronianum adhibere posse mihi videor qui Catulli verbis aliquantulo similior

1) De Kring van Catullus door Prof. J. J. Hartman (Onze Eeuw I. 4 p. 765).

Digitized by Google

sit. Est in oratione quam pro Murena habuit, in fine c. XIII. Orator postquam iuris scientiam lepidissime derisit atque eos modo ad iuris studium devenire affirmavit qui oratores evadere non possent, laudibus extollit oratoris artem. Quo facto ita pergit:

> In qua si satis profecissem, parcius de eius laude dicerem; nunc nihil de me dico, sed de iis qui in dicendo magni sunt aut fuerunt.

Nonne ad hunc locum spectare videtur tota Catulli adlocutio? [1])

Hoc quoque de loco quem attuli admonendum videtur, orationis partem admodum fuisse conspicuam. Quod de oratione pro Murena habita Niebuhrus scripsit [2]): „Sie ist gar nicht gehörig gewürdigt, namentlich nicht von Juristen, die sich zu irrenden Rittern des groszen Rechtsgelehrten Servius Sulpicius aufgeworfen haben. Man bedenkt nicht die Gemütsstimmung des Redenden, sondern fühlt sich in kleinen Äusserungen beleidigt. Jahrhunderte pflanzte sich das fort, man verkannte wie unschuldig hier Cicero sowohl über die stoische Philosophie wie über die Juristen spottet", id vel maxime valuisse credendum est ipso tempore quo habita est oratio, cuius haec pars praecipue Romanorum omnium animos in se converterit. Quid quod orator ille, qui tantam iam eloquentiae gloriam adeptus esset ut oratorum omnium facile princeps haberetur, de se tam εἰρωνικῶς locutus est! An cuiquam persuasum non sit omnes Ciceronis aequales verba „nunc nihil de me dico, sed de iis qui in dicendo magni sunt aut fuerunt" cum risu aut audiisse aut cum aliis communicavisse? Sic poematio advenit mica salis haud parva, si Catullus in gratiarum actione sua ipsis Ciceronis verbis, quae in omnium ore tunc erant, utitur simulque ea redarguit. Ut supra vidimus, iam Hartmannus docuit carmen esse in certamine literario velitationem, et novum eius sententiae argumentum me praebuisse opinor.

Probe scio in eiusmodi rebus vix umquam omnibus constare: verisimillimum tamen iam videri puto, carmen compositum esse brevi post orationem a Cicerone pro Murena habitam sive in fine anni 63 a. C. vel ineunte anno 62.

---

1) Iisdem verbis poeta postea usus est in Carm. XXI et XXIV.

2) Vorträge über Röm. Gesch. III. 25.

Digitized by Google

AD ARISTOPHANIS PLUTUM.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur e pag.* 360).

III.

Nunc locos aliquot indicabo, quibus coniectura prodesse posse me spero.

Vs. 115 sq. *Videor mihi* — Chremylus ad Plutum ait —

ταύτης ἀπαλλάξειν σε τῆς ὀφθαλμίας
βλέψαι ποιήσας,

quae neque olim lectoribus placuerunt, — in scholiis enim profertur lectio altera, de qua posthac nobis erit disputandum, nunc unum dico, multo esse deteriorem quam vulgatam, — neque satis placuere Meinekio. Hic enim verba „βλέψαι ποιήσας" Pluti fecit et interrogandi signo clausit. At sic misere languent quae sequuntur:

μηδαμῶς τοῦτ' ἐργάσῃ.
οὐ βούλομαι γὰρ πάλιν ἀναβλέψαι.

Bis enim idem iam dicit deus. Comicus dedisse mihi videtur:

(οἶμαι) ταύτης ἀπαλλάξας σε τῆς ὀφθαλμίας
βλέψαι ποιήσειν.

Non visum Pluto reddendo morbum oculorum sanaturus est Chremylus, sed morbo sanato restituet ei videndi facultatem.

Quid istud? dein exclamat Chremylus auribus suis vix cre-

Digitized by Google

dens: *oculos restitui tibi vetas?!* Et Cario addit: *ad infortunium iste homo natus est!* Tum Plutus:

ὁ Ζεὺς μὲν οὖν εἰδὼς τὰ τούτων μῶρ' ἔμ' εἰ
πύθοιτ' ἂν [1]) ἐπιτρίψειε.

Quae verba corrupta et turbata esse quivis videt, neque quicquam prosunt collati loci ubi pronomen με vel σε verbo suo praemittitur: τίνες εἰσί μ' οἱ ζητοῦντες, vel με κἠν ὁ Ζεὺς ἴδῃ, alia huiuscemodi. Longius etiam a vero aberrarunt critici, qui εἰδὼς mutarunt in οἶδ' ὡς (quod habet margo codicis recentis) et ἔμ' εἰ in ἔπη (sic codices quidam recentiores). Nam μῶρ' ἔπη *tragoediae* est:

ταῦτ' ἐστὶ τἄπη μωρίας πολλῆς πλέα,

vel: ἥκιστα πρὸς σοῦ μῶρον ἦν εἰπεῖν ἔπος,

non est huius loci, cui parodiae ne levissimum quidem inest vestigium, immo omnino aliena inde est parodia et dictio cothurnata. Neque recte Kuster invexit futurum ἐπιτρίψει, proponens: ἐπεὶ πύθοιτ' ἂν ἐπιτρίψει με, — id certe vitiose pro ἐπὴν πύθηται. Nam Plutus non dicit: *si fiet hoc, perdet me Iuppiter*, quemadmodum Prometheus in Avibus:

σίγα, μὴ κάλει μοι τοὔνομα,
ἀπὸ γάρ μ' ὀλεῖς, εἴ μ' ἐνθάδ' ὁ Ζεὺς ὄψεται,

sed: *nolo, nam hoc si fieret, Iuppiter me perderet.*

Alii aliter, sed partem veri praebet scholion, quod qui scripsit, non μῶρA sed μῶρE intellegebat, ut olim vidit Bergler. Qua observatione usus sic corrigo locum:

ὁ Ζεὺς μὲν οὖν τάχιστ' ἂν ἐπιτρίψειέ με,
ὦ μῶρ', ἐπεὶ πύθοιτο.

In qua lectione cetera satis probabilia mihi videntur, dubium vero esse τάχιστα libenter concedo. Nam licet certum videatur in traditae lectionis litteris ειδωστα latere *adverbium*, non constat id fuisse τάχιστα, sed etiam alia possunt proponi, e. g.: ἁπλῶς ἂν ἐπιτρίψειέ με vel: ἁπαρτί μ' ἐπιτρίψειεν ἄν, — quae tamen longius a lectione vulgata recedunt. Ne quis autem proponat ἴσχιστα, quod suasit vVelsen, tragicae hoc esse dictionis observo; et ne κάκιστα, ut in sermone quotidiano dicebatur, coniciat quispiam, hoc addo, verbi ἐπιτρίβειν sive

1) ἄν om. V.

Digitized by Google

comminuendi nunquam sic augeri vim ut ἀπολλύναι (κάκιστ' ἀπόλοιο, κάκιστ' ἀπολούμενος). *Nudum* constanter adhibetur, quippe quod per se satis sit validum; ἐπιτριβείης et similia dicebantur nullo adverbio adiecto. Exemplo sit Ecclesiazusarum versus 776: ὁ Ζεύς σέ γ' ἐπιτρίψειεν.

Vs. 148. — Interpretum observationes haud raro in textum comici irrepsisse, cum metricam aliquam formam induissent, nota res est. Exempla utilia quaedam hoc loco excribam:

δός μοι Φορυτόν, ἵν' αὐτὸν ἐνδήσω σΦόδρα
[ὥσπερ κέραμον, ἵνα μὴ καταγῇ Φορούμενος]. Ach. 928.

τώδ' ἔΦασκε νῷν Φράσειν τὸν Τηρέα
[τὸν ἔποΦ', ὃς ὄρνις ἐγένετ' ἐκ τῶν ὀρνέων]. Av. 16.

οὕτως ὑμᾶς πάντες πρότερον μεγάλους ἁγίους τ' ἐνόμιζον,
νῦν δ' αὖ μανᾶς. Av. 523.

Quo loco quod in codicibus est νῦν δ' ἀνδράποδ' ἠλιθίους μανᾶς, cum languore dictionis arguitur, tum diaeresi post primam dipodiam neglecta, tum — quod ceteris validius etiam et plane invictum est argumentum — metro versus antistrophi.

εἴπερ ποιήσω μηδὲν ὥνπερ Φρύνιχος
εἴωθε ποιεῖν καὶ Λύκις καὶ Ἀμειψίας.
[σκευοΦοροῦσ' ἑκάστοτ' ἐν κωμῳδίᾳ.] Ran. 15.

μεγάλῳ τυΦῷ [καὶ πρηστῆρι
ξυστρέψας καὶ] ξυγγογγύλας. Lys. 974.

τὸ πρῶτον τῆς τραγῳδίας μέρος
πρώτιστον αὐτοῦ βασανιῶ τοῦ δεξιοῦ.
[ἀσαΦὴς γὰρ ἦν ἐν τῇ Φράσει τῶν πραγμάτων.] Ran. 1122.

His locis, qui dudum a criticis sunt indicati, similis est Pluti versus 148, ubi Cario: *ego* — ait —

διὰ μικρὸν ἀργυρίδιον
δοῦλος γεγένημαι [διὰ τὸ μὴ πλουτεῖν ἴσως].

De quibus verbis quicquid statuis, amice lector, cave ne imponi tibi patiaris ab interpretibus quibusdam sive priscis sive recentioribus, qui perhibent adverbium ἴσως uno et altero nostrae

Digitized by Google

fabulae loco [1]) non id valere quod et apud ceteros omnes et apud nostrum constanter valet, *fortasse*, sed: *pariter*, ἐξ ἴσου. Verum autem procul dubio vidit vir doctus qui spuria iudicavit verba cancellis inclusa. Sed quod in eorum locum rescribi iussit verba „πρότερον ὢν ἐλεύθερος", quae leguntur in margine Ravennatis codicis, vereor ne scholion scholio commutaverit. Nam liberum unquam fuisse Carionem, id vix videtur credibile, sed οἰκογενῆ opinor finxit comicus hunc servum tam bene ἀττικίζοντα. Itaque restat, ni fallor, ut lacunam indicemus. Quam si his verbis expleveris e. g.:

ἔγωγέ τοι διὰ μικρὸν ἀργυρίδιον
δοῦλος γεγένημαι ⟨κοὐ κρατῶ τοῦ σώματος⟩,

a poetae mente non nimis longe, ut opinor, aberraveris.

Vs. 226. Idem valet de hoc versu; hic quoque interpretamentum locum vocabuli genuini obtinet. Chremylus ad Carionem *agricolas* ait *rure convoca, ut eorum unusquisque*

ἡμῖν μετάσχῃ τοῦδε τοῦ Πλούτου μέρος.

Ubi pronomen demonstrativum testatur poetam nomine proprio non esse usum, sed aut dedisse:

ἡμῖν μετάσχῃ τοῦδε τοῦ ἀγαθοῦ μέρος,

aut:

τοῦδε τοῦ θεοῦ μέρος,

quod verum arbitror collato versiculo Menandri:

ὦ νύξ, σὺ γὰρ δὴ πλεῖστον Ἀφροδίτης θεῶν
μετέχεις μέρος.

Eodem remedio dudum sanatus est versus 727:

μετὰ τοῦτο τῷ Πλούτωνι παρεκαθέζετο,

ad quem tuendum nihil prosunt quae viri docti congesserunt de *Pluti* et *Plutonis* natura et origine cognatis, utilissima ea et verissima, sed ab hoc loco et ab ipso comico aliena. Scribendum est, ut vidit Kappeyne:

μετὰ τοῦτο τῷ γέροντι παρεκαθέζετο.

Qui locus in mentem mihi vocat Euripidis versum, unde idem

1) Cf vs. 259 et 1080.

Digitized by Google

vitium Bosscher meus — primus ni fallor — exemit. Admeti sunt verba (Alc. 361):

καί μ' οὔθ' ὁ Πλούτωνος κύων
οὔθ' οὑπὶ κώπῃ ψυχοπομπὸς ἂν Χάρων
ἔσχον, —

ubi pro Χάρων scribendum est γέρων. Dictionis pedestris fuisset: οὔτε ὁ Κέρβερος οὔτε ὁ Χάρων μ' ἂν ἔσχεν, sed ornatius alter vocatur nunc *Plutonis canis*, alter *senex manium portitor*.

Et tertius fabulae nostrae locus idem flagitat remedium. Ubi Chremylo „τί δ' ἔστιν, ὦ βέλτιστε;" roganti respondet Iovis sacerdos (vs. 1172 sqq.):

τί γὰρ ἄλλ' ἢ κακῶς;
ἀφ' οὗ γὰρ ὁ Πλοῦτος οὗτος ἤρξατο βλέπειν,
ἀπόλωλ' ὑπὸ λιμοῦ.

Quibus verbis inesse vitium cum numeri testantur invenusti tum pronomen demonstrativum. Non tamen sequar Velsenum versum 1173 delentem utpote versui 968 nimis similem, sed magis etiam illi versui similem reddam; nam quod illic extat hic restituendum censeo:

ἀφ' οὗ γὰρ ὁ θεὸς οὗτος ἤρξατο βλέπειν.

Abiit ΘCOTTOC in ΠΛΟΤΤΟC, dein in Πλοῦτος οὗτος. Fac autem lectori potiorem videri Velseni de hoc loco opinionem, offenso nimirum laxiore vocum τί et κακῶς iunctura, vel sic tamen corrigendus erit versus priusquam abiciatur. Nam si quis versum 968 huic loco adscribere volebat, integrum opinor eum erat adscripturus, non sine causa corruptum. Itaque vel sic insigne praebet exemplum nominis proprii invito poeta textui inserti. Sed ad me quod attinet, quin genuinus hic versus sit utrobique nullus dubito. Saepius enim per hanc fabulam sua verba iteravit comicus; quales locos inter aetatis provectioris testimonia probabilius referat quispiam quam recentiorum audaciae vel socordiae tribuat.

De versu 262 quid statuam dubito. Carionis ad choreutas sunt verba:

ὁ δεσπότης γάρ φησιν ὑμᾶς ἡδέως ἅπαντας
ψυχροῦ βίου καὶ δυσκόλου ζήτειν ἀπαλλαγέντας.

Digitized by Google

Hic suspectum non est futurum *ζήσειν*, quod apud nostrum licet non redeat, — nam versiculum

χωρίς τε θορύβου καὶ Φόβου ζήσεις καλῶς,

qui Aristophani tribuitur apud Clementem Alexandrinum, Antiphani probabiliter vindicavit Meineke [1]), — hac tamen aetate dici quin coeptum sit non est quod dubitemus; extat enim etiam apud Platonem.

Hoc igitur suspicionem non movet. Sed gravius displicet enuntiatum imperfectum; aegre enim desidero adverbium *in posterum* vel simile quid. Proponamne igitur „*τὸ λοιπὸν*" pro „*ἅπαντας*", collato Avium versu: *si quis vestrum, o spectatores, cupit ζῆν ἡδέως τὸ λοιπόν, ad nos veniat* —? Fuit sane cum veri hoc simile ducerem. Nunc abstineo potius, quoniam ne sic quidem ab omni parte placet verborum structura, quae *transitivum* potius aliquod verbum flagitat, hoc fere sensu: *ὁ δεσπότης γάρ φησιν ὑμᾶς ἀπαλλάξειν τῆς πενίας*. Itaque *θήσειν* futurum aliqua ratione comicum hoc loco adhibuisse saepius sum suspicatus, sed probabilem coniecturam quam proferam non habeo, et ferendos potius esse hos versus nunc dixerim, utpote ab ipso poeta minus eleganter tornatos.

Vs. 282 sq. verba coryphaei ad Carionem

πολλὰ μοχθήσαντες οὐκ οὔσης σχολῆς προθύμως
δεῦρ' ἤλθομεν πολλῶν θύμων βίζας διεκπερῶντες,

tacitos praeterire non licet, sunt enim nihili. Chori ducem *παρῳδεῖν* intellegimus, quoniam verbum *διεκπεράν* priscae vel sublimioris est dictionis; sed *thymo* nullus iam est locus, et minus etiam *thymis*, qui pluralis numerus ne in rerum quidem est natura. *Allia* aliudve olus vocem nunc significare temere perhibent scholia; quod neque per se credibile est, neque si verum esset, locum interpretantibus quicquam prodesset. Sed frustra quaero quomodo comicus variaverit nunc id quod poscit contextus: *πολλὴν ὁδὸν μόλις διεκπερῶντες*.

Vs. 368 Blepsidemus ne dubitans quidem quin furtum commiserit sodalis:

1) Aristoph. fr. 899 Antiphan. 330.

Digitized by Google

ἀλλ' οὐδὲ τὸ βλέμμ' αὐτὸ κατὰ χώραν ἔχει,
ἀλλ' ἐστὶν ἐπίδηλόν τι πεπανουργηκότι.

Corrupta haec esse nemo negabit. Coniecit Bergk: ἐστὶν ἐπίδηλόν τι πεπανούργηχ' ὅτι, naturalem verborum ordinem mire perturbans; melius igitur Meineke: ἐστὶν ἐπίδηλον ὅτι πεπανούργηκέ τι. Sic tamen nimis elumbes fiunt numeri. Itaque malo sequi Valckenaerium πεπανουργηκότος conicientem, nisi quod inserta praeterea particula ὡς (∽) versum sic scribendum esse arbitror:

ἀλλ' ἔστ' ἐπίδηλον ὥς τι πεπανουργηκότος.

Verbi εἶναι subiectum est τὸ βλέμμα. Vitii causa hoc loco, ut aliis permultis, extitit iota finale verbi in priscis editionibus ἐκ πλήρους scriptum.

Vs. 386 sqq. Chremylus indignatus Blepsidemi crimina: *falsa sunt ista omnia!* exclamat:

ἀλλὰ τοὺς χρηστοὺς μόνους
ἔγωγε καὶ τοὺς δεξιοὺς καὶ σώφρονας
ἀπαρτὶ πλουτῆσαι ποιήσω.

Integra haec esse etsi suspicor, non tamen praefracte contendam; versum autem 387 nuper fuit qui damnaret, aptum enim esse quod habet R δικαίους, non δεξιούς, sic vero perire metrum et apparere hunc trimetrum e glossematis esse natum. Audio, sed nescio an eo deleto brevior aequo evadat sententia; et cum praeterea incommodi quid habeat μόνους, expectaverim potius huiuscemodi quid:

ἀλλὰ τοὺς χρηστοὺς ἐγὼ
καὶ τοὺς δικαίους εἷς μόνος καὶ σώφρονας
ἀπαρτὶ πλουτῆσαι ποιήσω.

Sed nimis quoniam haec sunt incerta neque — quod iam dixi — persuasum mihi est locum vitium contraxisse, nunc eum non tangerem, nisi de adverbio ἀπαρτί, quod apud nostrum non redit, aliquid videretur observandum.

Quod minime est confundendum cum particula temporali cui cognatum est ἄρτι *modo* (nos: *juist*, *daarnet*). Proprius enim ei est sensus τοῦ ἀπηρτισμένως sive *accurate* (nos: *juist*, *precies*). Herodotus dixit: στάδιοι ἀπαρτὶ χείλιοι et: ἡμέραι ἀπαρτὶ ἐνενήκοντα. Hinc in universum urgendae notioni verborum vel nominum inserviens *plane*, *prorsus*, *omnino* significat; dicitur igitur

Digitized by Google

ἀπαρτὶ πλουτῆσαι ut alibi ἀπαρτὶ προσλαβεῖν, ἀπαρτὶ εἰκός ἐστι, ἀπαρτὶ Φρόνιμος, ἀπαρτὶ ἀλλότρια. Quod vero in annotatione docta prisci grammatici, qui haec omnia collegit olim [1]), legitur additum: „παρὰ δὲ τοῖς κωμικοῖς τὸ ἐκ τοῦ ἐναντίου", id egregie est absurdum ipsisque qui illic citantur comicorum locis manifeste refutatur. Itaque non eidem viro et istiusmodi nugas deberi et doctrinae illas copias quivis intellegit. Nempe peperit illud „ἐκ τοῦ ἐναντίου" socordia exscribentium; glossema est, sed ... stulti hominis glossema. Ille enim dederat: „παρὰ δὲ τοῖς κωμικοῖς τὸ ἄντικρυς", — idque rectissime, nam ἄντικρυς saepe non „ἐκ τοῦ ἐναντίου", *exadverso* valet, sed *plane*, „ἀπαρτί", e. g. in Pluti versu:

βλέπειν γὰρ ἄντικρυς δόξεις μ' Ἄρη,

vel in Avibus: χρησμὸς ἄντικρυς λέγων εἰς τὰς Νεφελοκοκκυγίας.

Vs. 549 sq.:

Chrem. οὔκουν δή που τῆς πτωχείας πενίαν Φαμὲν εἶναι ἀδελφήν.
Paup. ὑμεῖς γ', οἵπερ καὶ Θρασυβούλῳ Διονύσιον εἶναι ὅμοιον.

Respicit h. l. Chremylus dictum Alcaei, vel potius utitur dicto populari, quod novimus ex Alcaei versibus:

ἀργάλεον πενία, κάκον ἄσχετον, ἃ κάκα δάμνης
λᾶον ἀμαχανίᾳ σὺν ἀδελφέᾳ.

Qui versus fortasse testantur nostro loco non temere abiciendam esse codicis Veneti lectionem πενίας πτωχείαν. Accuratius certe Chremyli verbis respondebit Paupertas, si ille dixerit:

τὴν πτωχείαν πενίας Φαμὲν εἶναι ἀδελφήν.

„Fortasse" inquam, haec lectio e Veneto est eruenda. Nam fieri potest ut ipse comicus nunc quoque neglegentius scripserit, verborum autem transpositiones in codice V non sunt rarae; neque magnopere me offendit vulgata lectio. Id vero certum duco, non contrariam ineundam esse viam, quam fuere qui suaderent, ut Paupertatis responsum assimularent verbis Chremyli, scribentes: Θρασύβουλον Διονυσίῳ εἶναι ὅμοιον. Nam de *vivo* Dionysio quam de *mortuo* Thrasybulo multo aptius nunc dicitur (Φατε) εἶναι.

---

1) Anecd. Bekk. p. 418.

Digitized by Google

Hoc autem est quod dicit Chremylus vel ipse comicus: *Hoc scilicet habetis ut cognata censeatis quae sint dissimillima: nonne Thrasybulo assimulatis Dionysium*, tyrannum viro qui patriae suae libertatem asseruit? — Occisus nuper erat Thrasybulus ad Hellespontum, ubi admodum imperiose versatus fuerat praetor multorumque sibi conciverat odia. Quapropter tempestivum vitae finem eum habuisse apud Lysiam perhibet is qui collegam eius et amicum Ergoclem perduellionis et peculatus incusat. Qui sive meras calumnias fudit sive vera falsis commixta, id quidem ex eius verbis luculenter apparet, fuisse inter cives qui perhiberent Thrasybulum Seuthis regis filiam uxorem ducturum, Byzantio potiturum, ab Atheniensibus defecturum fuisse, nisi intercessisset mors. In comici igitur verbis tertium comparationis est τὸ τυραννικόν, quod alter habebat, alter tum cum vivebat habere ab adversariis perhibebatur. Qua viri incluti fama noster iocose usus est in Ecclesiazusis, ubi Praxagora oratores publicos imitata „Thrasybulus" ait „ὠράζεται" sive θρύπτεται, σεμνύνεται. Hoc est τὸ „ἀξιωματικὸν καὶ αὐθαδές," quod etiam Alexidem in eo perstrinxisse docent scholia. Nostro autem loco honorifice de viro nuper vita functo et olim de patria egregie merito loquitur comicus. Quapropter id quod apud Kirchnerum in Prosopographia Attica I p. 479 lego: „*Ludibrio habetur* Thrasybulus paullo post mortem ab Aristophane Plut. 550", calami lapsui deberi suspicor. A vero certe longe est remotum.

Quod vero hic vir doctus ne dubitat quidem quin *Stiriensis* ille *Thrasybulus* libertatis vindex nostro loco commemoretur, id recte fecit procul dubio. Nam reicienda est altera quam scholia praebent huius loci explicatio: „significari virum cognominem et aequalem *Collytensem*," — qui aliunde bene notus est, — „huic fratrem fuisse Dionysium quendam" — quod nomen V° et IV° saeculis Athenis fuit pervulgatum — „μαινόμενον et for„tasse ἰχθυοπώλην". Quae partim e nostri verbis partim e Polyzeli quodam loco videntur fluxisse. Movit autem has turbas, ut recte observavit Hemsterhuys, error ille de anno quo Plutus data est fabula. Nam qui anno 408 datam putabant, — qua de re quamprimum disputabo, — mentionem virorum qui post illum annum inclaruerunt ab ea alienam rati operam dabant „ut in Atheniensium civitate iis nominibus homines

Digitized by Google

„investigarent, quibus et tempus actae fabulae et dissimilitudo „[faciei vel] morum ab Aristophane notata conveniret".

Quo tendunt etiam verba scholii: „καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι σαφέστερον „οἶδεν ἢ κατὰ Δίδυμον", quae loco alieno illata esse statuit Dindorf, Hemsterhuys autem ingeniosius et lenius quam probabilius pro „τῇ Ἰλιάδι" scribebat „Γηρυτάδῃ". Equidem vereor ut in integrum restitui possint verba miserrime corrupta, sed qua de re agatur perspicere mihi videor. Olim huic versui adscriptum fuit: „*etiam in Iliade* saepius homonymos viros com- „memorari, quam rem ab Aristarcho *accurate* esse pervestigatam „*teste Didymo*". Meminimus enim priscam illam controversiam de Pylaemene post mortem filio exequias eunti, quam ἀπορίαν coniectura solvebat Zenodotus, homonymiae ope Aristarchus.

Denique commemoranda est sagax quaedam Kappeynii suspicio. Qui collatis verbis Demosthenis: „olim proditionis damnatos „fuisse Ergoclem Dionysium alios", Xenophontis: „anno 487 „Dionysium quendam et Thrasybulum Collytensem classi Athe- „niensium praefuisse", scholii nostri: „fortasse perstringi Dio- „nysium fratrem Thrasybuli Collytensis", perhibebat illum quem Xenophon commemorat Dionysium Ergoclis causa implicatum fuisse et nostro loco notari. Speciosa profecto argumentatio: fallax tamen. Et Thrasybuli quidem Collytensis nomen, viri multo minus clari quam alter fuerat Thrasybulus, vix huc facit. Cui fratrem fuisse Dionysium, id de suo opinor finxit grammaticus recentior, qui perperam arbitraretur *duos fratres* nunc a comico inter se comparari, Paupertatem enim Mendicitatis sororem modo esse dictam, — licet ea huius loci sit ratio ut omnino fiat absurdus si revera fratrum aliquod par commemorari sumamus. Restat nomen Dionysii. Atqui is quem volebat Kappeyne praetor fuit anno 487, itaque constat eum non biennio ante simul cum Ergocle fuisse damnatum, sed postmodo intentatam ei esse litem quam Demosthenes commemorat, comicum igitur nostro loco respicere eam non potuisse.

Vs. 593 in verbis Paupertatis:

τὸ γὰρ ἀντιλέγειν τολμᾶν ὑμᾶς ...!

non satis perspicio quid sibi velit particula γάρ, non enim cohaerent haec cum iis quae antecedunt. Quapropter suspicor verum esse

Digitized by Google

τὸ καὶ ἀντιλέγειν

vel: τὸ δὲ κἀντιλέγειν.

Confero autem verba Medeae:

ἀλλὰ τῆς ἐμῆς κάκης,
τὸ καὶ προέσθαι μαλθακοὺς λόγους φρενός!

Vs. 631.

τί δ' ἔστιν, ὦ βέλτιστε τῶν σαυτοῦ φίλων;
φαίνει γὰρ ἥκειν ἄγγελος χρηστοῦ τινος.

Vitiosa esse haec verba, quibus coryphaeus Carionem salutat hilari vultu laetisque verbis se adeuntem, non est quod demonstrem. Blaydes proposuit:

τί δ' ἔστιν, ὦ βέλτιστε; τοῖς φίλοις φράσον,

vel: φράζε τοῖς φίλοις.

Lenius et propter γάρ quod sequitur probabilius vHerwerden:

τί δ' ἔστιν, ὦ βέλτιστε; τοῖς σαυτοῦ φίλοις
φαίνει γὰρ ἥκειν ἄγγελος χρηστοῦ τινος.

Quam duriorem tamen esse verborum structuram, certe artificiosam magis quam quae admodum placeat, non negabit, ut opinor. Quapropter suspicor alia ratione locum esse sanandum. Conieci:

τί δ' ἔστιν, ὦ βέλτιστε τῶν πρὸ τοῦ φίλων;

o tu qui optimus es omnium quos unquam habui amicorum. — Sublimiore igitur, si verum vidi, coryphaeus nunc, ut ipse Cario, utitur genere dicendi. Sic Philoctetes Sophocleus novum advenam alloquitur:

ὦ λῷστε τῶν πρὶν ἐντόπων,

Thetis noto Homeri loco filium suum ὠκυμορώτατον ἄλλων dicit, Thucydides operis sui initio bellum Peloponnesiacum ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων vocat. Cuiusmodi genitivi non sunt *partitivi*, sed vicem *ablativi* obeunt, locum enim indicant unde instituitur comparatio.

Vs. 641. — Prima verba uxoris Chremyli ex aedibus evocatae haec sunt:

τίς ἡ βοή ποτ' ἐστίν; ἆρα γ' ἀγγέλλεται
χρηστόν τι;

sic certe habet Ravennas, invitis numeris. In Veneto est ἆρ'

Digitized by Google

ἀγγελεῖ, unde perperam Bergk efficiebat ἆρ' ἀπαγγελεῖ, neque enim aptum huic loco est futurum, neque apud comicos legitur compositum ἀπαγγέλλειν nisi infra vs. 766, τοιαῦτ' ἀπαγγείλαντα, ubi prima manus Veneti tantum non integrum servavit id quod ipse comicus dederat, habet enim τοιαῦταπεγγείλαντα, in ΠΕ autem litteris latere particulam ΓΕ vidit Blaydes, qui restituit τοιαῦτά γ' ἀγγείλαντα. Nostro quoque loco vitiosa quidem est lectio Veneti, sed verum, partem certe veri, indicat; omittit enim particulam γε, quam R et plerique exhibent dittographia natam: αρ(ΑΓ)ΑΓγέλλεται.

Hac igitur particula remota quid scribimus? Me iudice poeta dedit: ἆρ' ἀγγέλλετΕ

χρηστόν τι;

Quid iste sibi vult clamor? numquid felicem nuntium mihi affertis? — Multo minus concinnum est quod edi solet: ἆρ' ἀγγέλλεται, *numquid felix affertur nuntius?*

Vs. 689. *Extinctis lucernis cum silerent omnia in aede Aesculapii,* — sic fere Cario narrat herae, — *clam ego obrepsi aniculae item illic incubanti, quae pultis ollam secum attulerat. Haec ut strepitus aliquid facientem me audivit,*

τὴν χεῖρ' ὑφῄρει.

Ultima haec verba intellegi nequeunt, docta autem et ingeniosa est coniectura Dobraei: ἄρασ' ὑφῄρει. Vocem igitur τὴν χεῖρα interpretamentum ducebat, quod adscriptum fuisset ad illustrandum participium ἄρασα. Praeiverat autem ei Bentley, qui in versu Lys. 799 κἀνατείνας τὸ σκέλος λακτίσαι deleta voce τὸ σκέλος et metrum restituit et ipsam elegantiam dictionis. Et tamen errabat Dobree sic scribens. Nam *feriendi* potius vel *complodendi* verbis participium ἄρας, ἄρασα sic solet addi: ἄρας ἐπάταξα, ἄρας ἔπαισεν, ἐξάραντες ἐπικροτήσατε, ut supra ἀνατείνας λακτίσαι vel apud Homerum 'πλῆξεν ἀνασχόμενος. Quo argumento si quis minus permoveatur, incommodum manet verbum *surripiendi* (ὑφαιρεῖν); nam cur et cuinam ollam subducendam putare poterat vetula?

Itaque praestat redire ad coniecturam Hemsterhusii τὴν χεῖρ' ἐπῆρε (vel ὑπῆρε). *Attollebat manum vetula.*

Si quis *aoristum* ἐπῆρε praeferat, — τὴν χεῖρ' ὑπερῆρε et ἐξῆρε

Digitized by Google

τὴν χεῖρ', εἶτα alii proposuerunt, — non repugnabo equidem; imperfectum tamen minime molestum est et vulgatae lectioni magis simile.

Vs. 765. Aut fallor, aut inter viros doctos nondum satis constat, possitne ferri huius versus lectio tradita:

ἀναδῆσαι βούλομαι
εὐαγγελιά σε κριβανωτῶν ὁρμαθῷ,

an κριβανιτῶν sit scribendum. Quapropter hac de re pauca observare liceat. Quod codices habent si genuinum esset, a nominativo κριβανωτός esset ducendum, cuiusmodi forma ab analogiae parte destituta foret, non enim extat verbum κριβανοῦν (a voce κρίβανον *clibanum* ductum) neque omnino ita formantur verba. Sed vitium peperit νῶτον vox vulgata, et fortasse librarii memoriae inhaerebant versus comicorum qualis in Acharnensibus est fabula:

ἐμοὶ πλακοῦντος τυρόνωτον δὸς κύκλον.

Vera nominis forma ipso illo Acharnensium loco extat (vs. 1123):

καὶ τῆς ἐμῆς τοὺς κριβανίτας ἔκφερε,

aliunde autem ἄρτοι κριβανῖται satis sunt noti, eodemque termino insignia sunt paniculorum nomina in arte pistoria olim usitata: ἰπνίτης, ἐσχαρίτης, σποδίτης, αὐτοπυρίτης, ζυμίτης, χονδρίτης.

Minime igitur dubia est res. Sed Acharnensium versus quem modo attuli aperto vitio laborat, quod quomodo corrigendum sit dubitatur. Cum Acharnenses edebam dubitanter proposui:

ἐκ τῆς σιπύης τοὺς κριβανίτας ἔκφερε,

quod licet meliorem praebeat sensum quam vulgata, vereor tamen ut id ipsum sit quod dederat comicus. Id eliciendum videtur ex Antiphanis fragmento quodam, ubi κριβανίτας ἄρτους homo gulosus verbis cothurnatis celebrat λευκοσωμάτους | ἰπνὸν κατέχοντας ἐν πυκναῖς διεξόδοις | ... μορφὴν κριβάνοις ἠλλαγμένους, | ... οὓς δημόταις | Θεαρίων (pistor celeberrimus) ἔδειξεν [1]). En vocabulum quod quaerebamus, ἰπνός. Apud Aristophanem l. l. legatur:

ἐκ τοῦ δ' ἰπνοῦ τοὺς κριβανίτας ἔκφερε.

Errorem peperit ni fallor glossema superscriptum: τῆς καμίνου ἰπνοῦ.

1) Antiphan. fr. 176.

Digitized by Google

Levem modo tetigimus errorem. Multo graviore vitio laborat initium actus sequentis. Nam postquam Cario cum hera aedes intravit et chorus aliquid saltavit, redit Chremylus cum Pluto, cui videndi facultas est restituta. Cuius prima vox cum sit „*καί*", non multis verbis, ut opinor, opus est ut demonstrem non integrum id esse novi actus initium; neque olim criticos haec res fugit. Mox autem Chremyli prima verba non minus miramur. Nam postquam dudum ad Chremyli aedes perventum est et undecim trimetris lucem Atticaeque solum salutavit Plutus, „*in malam rem abite!*" Chremylus increpat amicos male sedulos, qui molesti ei ... sunt? Non ita, sed qui domum per urbem redeunti molesti fuere modo, nunc vero in scena non adsunt. Tertia dein miros nos habet eius uxor; haec enim ex aedibus progressa dicit:

ὦ φίλτατ' ἀνδρῶν, καὶ σὺ καὶ σὺ χαίρετον.
φέρε νυν, — νόμος γάρ ἐστι, — τὰ καταχύσματα
ταυτὶ καταχέω σου λαβοῦσα,

quae nimis abrupta brevitate non possunt non displicere; nam „*salve!*" postquam dixit, parum apte statim subiungit: „*nunc igitur* (*νυν*) ..." quaeque sequuntur.

Sequitur ut aut conclamatum hunc locum dicamus, aut quaeramus viam qua tribus hisce vitiis succurri possit. Quam cernere mihi videor. Nam aut egregie fallor aut turbatus est versuum ordo et unus ad minimum trimeter intercidit. Actus initium non *Pluti* faciunt verba sed *Chremyli*; qui domum dum properat, etiam pergit increpare molestissimos illos amicos, qui ad suas ipsius aedes pervenire se vix siverint undique circumfusi. Plutus autem *καί ... γε* particulis uti nequit nisi ut *respondeat* quaestioni sibi propositae. Quae postquam mecum perpendi, locum in integrum restituere mihi visus sum sic scribendo:

(Procedunt in scenam Chremylus et Plutus.)

Chremylus.

βάλλ' εἰς κόρακας! ὡς χαλεπόν εἰσιν οἱ φίλοι,
οἱ φαινόμενοι παραχρῆμ' ὅταν πράττῃ τις εὖ.
νύττουσι γὰρ καὶ φλῶσι τἀντικνήμια,
ἐνδεικνύμενος ἕκαστος εὔνοιάν τινα.
ἐμὲ γὰρ τίς οὐ προσεῖπε, ποῖος οὐκ ὄχλος
περιεστεφάνωσεν ἐν ἀγορᾷ πρεσβυτικός!

Digitized by Google

(E domo prodit mulier bellaria afferens.)

Mulier.

788 ὦ φίλτατ' ἀνδρῶν, καὶ σὺ καὶ σὺ χαίρετον.
<ὦ Πλοῦτε δαίμων, ἆρ' ἀνέβλεψας πάλιν;>

Plutus.

771 καὶ προσκυνῶ γε πρῶτα μὲν τὸν Ἥλιον,
ἔπειτα σεμνῆς Παλλάδος κλεινὸν πέδον,
χώραν τε πᾶσαν Κέκροπος, ἥ μ' ἐδέξατο.
αἰσχύνομαι δὲ τὰς ἐμαυτοῦ ξυμφοράς,
775 οἷοις ἄρ' ἀνθρώποις ξυνὼν ἐλάνθανον,
τοὺς ἀξίους δὲ τῆς ἐμῆς ὁμιλίας
ἔφευγον, εἰδὼς οὐδέν. ὦ τλήμων ἐγώ,
ὡς οὔτ' ἐκεῖν' ἄρ' οὔτε ταῦτ' ὀρθῶς ἔδρων!
ἀλλ' αὐτὰ πάντα πάλιν ἀναστρέψας ἐγὼ
780 δείξω τὸ λοιπὸν πᾶσιν ἀνθρώποις, ὅτι
781 ἄκων ἐμαυτὸν τοῖς πονηροῖς ἐπεδίδουν.

Mulier.

789 Φέρε νυν, — νόμος γάρ ἐστι, — τὰ καταχύσματα
790 ταυτὶ καταχέω σου λαβοῦσα.

Versum autem, quem de meo inserui, si ea ipsa verba quae dedisset comicus praebere contenderem, ineptus essem, et fieri potest ut non unus sed plures trimetri interciderint. Sed sufficit id quod proposui, et praestat coniecturae nunc indulgere incertiori quam aut intacta sinere quae sensu careant aut versibus ea quam indicavi ratione ordinatis lacunam post vs. 788 indicare.

Locum in quo modo versati sumus relinquere nondum licet. Nam *Mulieri* haec respondet Plutus:

μηδαμῶς!
ἐμοῦ γὰρ εἰσιόντος εἰς τὴν οἰκίαν
πρώτιστα καὶ βλέψαντος, οὐδὲν ἐκφέρειν
πρεπῶδές ἐστιν, ἀλλὰ μᾶλλον εἰσφέρειν.

Haec tam male cohaerent ut amicus collega Hartman, quocum et de aliis locis obscuris et de Aristophaneis disputare soleo, verba *εἰς τὴν οἰκίαν | πρώτιστα καὶ βλέψαντος* pro spuriis habeat. Nunc tamen — quod raro mihi accidit — adstipulari ei nequeo, fortasse nolo, cum spes sit leni manu vulgatam ita posse corrigi ut neque cetera displiceant neque mendacio utatur Plutus.

Digitized by Google

Nam nunc quod dicit primum se aedes Chremyli intraturum, id falsum est manifeste, paucis enim horis abhinc intrare eum vidimus (vs. 252). Verum mihi videtur:

ἐμοῦ γὰρ εἰσιόντος εἰς τὴν οἰκίαν
πρώτιστ' ἀν κ βλέψαντος,

suspicor autem adscriptam esse καί particulam, ut fieri solet ubi alterum ab altero suspensum est participium, e. g. in huius fabulae vs. 69:

ἀναθεὶς γὰρ ἐπὶ κρημνόν τιν' αὐτὸν καταλιπών,

ubi numeris invitis in codicibus legitur κἄτα λιπών (ΚΑΙΤΑ e ΚΑΙΚΑΤΑ natum). Dein πρώτιστα καὶ ναβλέψαντος quam facile potuerit abire in vulgatam, si praesertim ἀνα scriptum esset ᾶ` (πρωτιστα καὶ `βλεψαντος), id nemo non videt.

Hoc igitur est quod Plutus dicit: *nunc cum aedes hasce primum intraturus sim postquam videndi facultatem recuperavi, non efferri aliquid mihi decet, sed afferre (me) potius.*

Versum 839 post alios frustra tentavi:

αὐχμὸς γὰρ ὢν τῶν σκευαρίων μ' ἀπώλεσεν.

Iustine viri haec sunt verba? an Carionis, cui dabat Meineke σ' pro μ' scribens? Ipsumne autem virum iustum αὐχμῆσαι incultoque adspectu amicos fugasse dicit is qui nunc loquitur, an amicos „cum faece siccatis cadis" abiisse? Nescio. Hoc unum video nihili esse vulgatam; λαβέτω δὲ καὶ ἄλλος!

Versus 885 non minus manifesto laborat vitio. Ubi Iusto viro, qui ridens negavit se sycophantae minas quicquam curare, anulum enim magicum se gerere, a morsibus igitur bestiarum venenatarum tutum esse, Cario:

ἀλλ' οὐκ ἔνεστι συκοφάντου δήγματος.

Haec aut cum Fritzschio ita interpretemur ut litteras „συκοφάντου δήγματος" in anulo legi neget Cario, aut sentientes genitivum ita usurpari non potuisse versum corruptum esse statuamus cum ceteris criticis fere omnibus.

Intercidisse autem vocem ἄκος vel ἀλκήν vel simile quid multi suspicati sunt; et potuit sane Cario dicere e. g.:

ἄκος γάρ ἐστι συκοφάντου δήγματος;

vel: ἀλλ' οὐκ ἀκεστὰ συκοφαντῶν δήγματα,

Digitized by Google

sic tamen sumamus oportet sublimiore eum nunc uti dictione, cuius vestigia nulla hic locus praebet neque admittere videtur. Quod autem alius criticus proposuit:

ἀλλ' οὐδέν ἐστι συκοφάντου δῆγμ' ἔτι,

nullus iam est sycophantae morsus (postquam visum recuperavit Plutus), lenis sane est correctio, sed eiusmodi dictum a proposito est alienum.

Quid igitur? Revocetur vocabulum, quod unum quadrat in hunc contextum, φάρμακον:

ἀλλ' οὐκ ἔνεστι συκοφάντου φάρμακον,

at adversus sycophantas nihil valet iste anulus! — Scorpios et serpentes ut domet vis magica δακτυλίου Φαρμακίτου, at sycophanta quavis bestia maligna est malignior.

Sic alibi apud comicos legimus:

οὐκ ἔστιν, ὡς ἔοικε, φάρμακον μέθης.

et: οὐκ ἔστιν ὀργῆς, ὡς ἔοικε, φάρμακον.

Et Andromachae Euripideae nota sunt verba:

δεινὸν δ' ἑρπετῶν μὲν ἀγρίων
ἄκη βροτοῖσι θεῶν καταστῆσαί τινα,
ὃ δ' ἔστ' ἐχίδνης καὶ πυρὸς περαιτέρω,
οὐδεὶς γυναικὸς φάρμακ' ἐξηύρηκέ πω
κακῆς.

Vitium quomodo natum sit videmus. Hoc quoque loco interpretamentum irrepsit in textum et genuinum vocabulum extrusit:

δήγματος
συκοΦάντουΦάρμακον.

Mene a vobis irrideri! ira percitus retorquet sycophanta: *quin dicitis potius quid agatis istic,*

οὐκ ἐπ' ἀγαθῷ γὰρ ἐνθάδ' ἐστὸν οὐδενί.
Car. μὰ τὸν Δί' οὔκουν τῷ γε σῷ, σάΦ' ἴσθ' ὅτι.
890 *Syc.* ἀπὸ τῶν ἐμῶν γάρ, ναὶ μὰ Δία, δειπνήσετον.
Iust. ὡς δὴ ἐπ' ἀληθείᾳ σὺ μετὰ τοῦ μάρτυρος
διαρραγείης!
Car. μηδενός γ' ἐμπλήμενος!

Ultima verba, quae Iusto (vel Chremylo) continuantur in codicibus, Carioni dedi, particulam γε mutatae personae indicium ratus; multo autem vividior sic fit locus, quam si ab uno homine totus hic versus proferatur. Sed minoris hoc est momenti,

Digitized by Google

neque mentionem huius loci nunc facerem nisi gravius quid addere haberem. Merae enim tenebrae sunt verba „ὡς δὴ ἐπ' ἀληθείᾳ". Quod autem observatu dignissimum: nisi obscuro hoc loco et manifeste corrupto vox ἀλήθεια apud nostrum non invenitur [1]). Itaque non de nihilo est quod suspicor, errori eam nunc deberi. Verum duco:

εἶθ' ἐπ' ἀγαθῷ πᾶσιν σὺ μετὰ τοῦ μάρτυρος
διαρραγείης.

Iusta sic fit oppositio inter Sycophantae verba: ἐπ' ἀγαθῷ ... οὐδενί et ἐπ' ἀγαθῷ πᾶσιν. Particulam εἶθε ita usurpatam habes e. g. in hisce nostri versibus:

εἶθε φαύλως ὥσπερ ηὗρες ἐκβάλοις τὴν ἔνθεσιν. —
εἶθε με πυρφόρος αἰθέρος ἀστὴρ
τὸν βάρβαρον ἐξολέσειεν.

Pergo. Carnium victimarum modo Pluto sacrificatarum, quae in Chremyli culina nunc assantur, sycophanta odorem percipit cenae succulentae promissum habentem. Cui Cario:

κακόδαιμον, ὀσφραίνει τι;

Tum Iustus vir ridens:

τοῦ ψύχους γ' ἴσως,
897 ἐπεὶ τοιοῦτόν γ' ἀμπέχεται τριβώνιον.

Postquam complures nostrae fabulae versus a criticis damnatos Aristophani vindicare studui, non vereor ne insano comici decurtandi studio flagrare videar, si nunc versum delendum esse contendam. Spurius est versus 897. Qui sive e scholio est natus, ut illi quos supra attuli [2]), sive consulto ab interpolatore contextui est insertus, ipsi certe comico imputari omnino nequit. Non enim trito tenuique palliastro amictum esse sycophantam fert ratio, quoniam vestis, qua hactenus in re prospera usus est, non potuit nunc subito evanescere, sed etiamnunc praesto esse ei debuit, ut probo viro est misellum illud vestimentum, in quo multos annos ille alsit. Ex ipsius autem comici verbis luculenter id patet, nam infra sycophanta hac sua veste spolia-

1) Nam Ran. 1244 est *Euripidis*.
2) Vid. pag. 399.

Digitized by Google

tur et Iusti viri pannis laceris induitur [1]). Quod sentientes — et quis non sentiat! — qui proposuere

ἐπεί γε τοῦτ' ἀμφέξεται τριβώνιον,

vel: ἐπεὶ τοιοῦτό γ' ἀμφιεῖ τριβώνιον,

vel: ἐπεὶ τοδί γ' ἀμφέξεται τὸ τριβώνιον,

Carioni versum tribuentes, vitium vitio sanabant. Nam ut concedam tolerari posse mirum hunc enuntiatorum nexum: *frigus olfacit iste, quoniam mox lacera paenula obambulabit*, at forent haec intempestive nimis et plane insulse aperientis consilium, quod risum mox movere non poterit nisi ab inexpectato fiat.

Apage igitur versum absurdum. Quem e *scholio* natum videri modo dixi. Nam aut egregie fallor aut olim interpres aliquis annotavit: „ἐπεὶ οἱ τοιοῦτοι ἠμπείχοντο τριβώνιον", parum opportuno tempore recordatus credo versiculorum Menandri:

καὶ συκοφάντης εὐθὺς ὁ τὸ τριβώνιον
ἔχων καλεῖται, κἂν ἀδικούμενος τύχῃ.

Quos versus nihil valere ad nostri loci lectionem vulgatam tuendam, vix est quod observem.

Non nidorem dapum succulentarum sed frigus Sycophantam naribus suis percipere ridens perhibet Iustus vir. Nihil amplius. Operae autem pretium videtur addere, et aliis fabulae nostrae locis compluribus frigoris mentionem ita fieri ut Lenaeis, non Liberalibus datam esse suspiceris.

Vs. 969. — *Plutus ex quo videndi recuperavit facultatem*, — anus queritur, —

ἀβίωτον εἶναί μοι πεποίηκε τὸν βίον.

Infinitivus εἶναι quomodo possit defendi non video, quapropter errori eum tribuens conieci:

ἀβίωτον ὄντως μοι πεποίηκε τὸν βίον.

Vs. 1036. — Haec quoque vetulae verba:

διὰ δακτυλίου μὲν σὺν ἔμ' ἂν διελκύσαις

corrupta duco. Non tamen eam ob causam, qua alios criticos motos esse video, quod -σαις pro -σειας vix sit Aristophaneum;

1) Vid. vs. 926, 935.

Digitized by Google

nam in ipsa hac fabula redit recentioris aetatis hoc indicium (vs. 1134):

ἆρ' ὠφελήσαις ἄν τι τὸν σαυτοῦ φίλον;

qui versus a criticis tentari non solet, neque quomodo probabiliter mutari possit video equidem. Hac igitur re non moveor. Sed μὲν οὖν particulas, *immo vero*, hinc alienas arbitror. Quid enim? Dixerat vetula: „*dolore contabui!*" Dein Chremylus non ad *illam* sed *secum* vel ad *spectatores* — ut supra multa [1]) —: „*immo computruisse mihi videris*", parum sane urbane, non tamen ita ut sermonis quotidiani fines egrederetur, cui σαπρός *veterem* valebat, ut e crebris locis comicorum cuivis notum est.

Dein vetula quam sit macilenta quo vividioribus etiam verbis exprimat: „*per anulum trahere me possis*" ait, quemadmodum nostrates eum cui tenuis nimis sit facies „cum cuniculis per transennam vesci posse" dicunt eumque qui morbo vel inopia contabuit „e vestimentis suis diffluere". Non vero Chremylo respondentis haec sunt; cuius verba contumeliosa ne audivit quidem anus, non enim irascitur, si vero audivisset et refutare voluisset, alia omnia ad eum refellendum dixisset potius quam haec. Quapropter non dubito quin una littera deleta pro μὲν οὖν scribendum sit με νῦν. Sic autem sponte evanescit optativi terminus novicius, nam ut numeri constent, pro ἄν διελκύσαις iam scribendum est διελκύσειας ἄν. Haec igitur vera mihi videtur versus lectio:

διὰ δακτυλίου με νῦν διελκύσειας ἄν.

Dein Chremylus, ad spectatores nunc quoque conversus:

εἰ τυγχάνοι γ' ὁ δακτύλιος ὢν τηλίας,

nam recte sic habet R, ceteri codices perperam τηλία. *Facile credo, si modo incerniculi sit anulus*, nos: *de ring* (opstaande kant) *van een uitstalbord*. Sed brevius et concinnius sic hunc versum reddideris vernacule: *een ring? zeg liever een hoepel*.

Recte autem in scholiis V δακτύλιος τηλίας sic explicatur: „σανὶς πλατεῖα, ἐφ' ἧς ἀλφιτοπωλοῦσιν", — nam sic olim scriptum fuit; nunc librariorum culpa legitur ἀλφιτοπωλοῦσιν. Quod vitium irrepsit etiam in Suidam, et mox procreavit ab-

1) Vid. vs. 1009—1024.

Digitized by Google

surdum interpretamentum, quod in aliis codicibus legitur adscriptum: „*κάρδοπος*", fortasse etiam alterum, quod non minus est falsum: „*κοσκίνου κύκλον*". Praeterea e Vesparum loco non intellecto [1]) fluxit notula: „*τὸ τῆς καπνοδόχης πῶμα*". Alios denique errores genuit lectio vitiosa *τηλία* (pro *-ας*).

Erant autem *τηλίαι* tabulae rotundae, cardine aliquantum supereminenti cinctae, in quibus institores merces suas in foro proponebant, *incernicula*. Etiam *tesseris ludentes* eiusmodi tabulam adhibuisse non est quod miremur, erat enim huic usui aptissima. Obscurus vero olim fuit interpretibus Eupolidis quidam in Maricante fabula locus, ubi „Hyperboli mater *τηλίᾳ* assimulabatur" et „ipsius Hyperboli ossa *εἰς τηλίαν ἐμβεβλῆσθαι*" dicebantur. At posterior certe notitia errori quin debeatur non est dubium, quoniam *vivo* Hyperbolo ea fabula est data. Priorem autem vitium item duxisse arbitror, dum ab altero grammatico ex alterius commentariis exscribitur, utrobique enim *eundem* Eupolidis iocum respici; quem *bis* in ea fabula ex incerniculo iocum duxisse ad Hyperboli matrem deridendam, quis credat? — Hoc igitur est quod suspicor: Maricantis (non Hyperboli) mater *ἀρτοπῶλις*, quam *γραῦν μεθύσην* Eupolis in scenam produxit, cum vita functa esset sub fabulae exitum, non in urnam sepulcralem sed in vas quod ipsius praebebat ars, eius ossa lecta esse nuntius in scena retulit. Nisi forte — sed nimis hoc nefarium! — filium impium matris ossibus ut talis ludentem finxit Eupolis. Sed de re quae sciri iam nequeat coniecturas cumulare nolim, cum praesertim dubitare liceat an ex *ἐμβεβλήσεσθαι* natum sit *ἐμβεβλῆσθαι* quod praebent scholia, ita ut non *peracta res* narraretur — funera enim a scena comica sunt aliena — sed *minae* agerentur.

Vs. 1080. Ad iuvenem temulentum Chremylus: „*protervum te esse anicula illa*" — sed *puellam* ludicre eam vocat — „*perhibet sibique dicere adagium illud: ‚diu est ex quo validi fuere Milesii'*." — Quibus verbis neglectis puer ebrius, sed in ebrietate mire callidus, ad id quod modo dixit ita redit ut ne dubitare quidem videatur quin „puellae" illius amore senex flagret;

1) Vesp. 147, ubi vid. quae observavi; assentitur mihi Roemer Studien zu Ar. I p. 73.

Digitized by Google

huic concessurum se quod alius quis non facile a se impetraturus fuisset, innatam enim sibi esse capitis cani reverentiam. „*Tu igitur habeas tibi puellam tuam servesque sepulcro*" ei dicit. Et nunc demum intellegens Chremylus quid tandem velit iuvenis: „*οἶδ', οἶδα τὸν νοῦν*" exclamat,

οὐκέτ' ἀξιοῖς ἴσως
εἶναι μετ' αὐτῆς.

In quibus verbis *sciendi* verbum et *fortasse* particulam adversis frontibus sibi pugnare cum contendo, estne qui contra dicat? vix, opinor. Numquid igitur ἴσως vertendum est *pariter*? Apage explicationem fundamento carentem [1]) neque huic loco utilem; nam *ἡ χρὴ χελώνης κρέα φαγεῖν ἢ μὴ φαγεῖν*, aut familiariter aliquo utimur aut non utimur; aut vetulam deserturus est iuvenis aut visere eam perget.

Ergone ferri nequit ἴσως? Fuit cum ita ratus conicerem

οὐκέτ' ⟨αὐτὸς⟩ ἀξιοῖς
εἶναι μετ' αὐτῆς,

et adverbium ἴσως dittographiae deberi contenderem (*ἀξιοΙCΙCω*): *ipse eam aspernaris et hanc ob causam mihi largiris.*

Sed meliora me docuit collatum Lysistratae ad mulieres dictum: *ποθεῖτ' ἴσως τοὺς ἄνδρας* (Lys. vs. 763). Quod nihilo magis est dubitantis aut suspicantis, — nam nimis nimisque apertum est feminarum illud studium, — sed *irridens* adverbio ἴσως et Lysistrata utitur et nunc iuvenis. Item nos: *ik weet best wat je bedoelt: je zoudt haar misschien wel in de steek willen laten!*

Sed id quod iuvenis vetulam ludibrio habens de Milesiis dixit paucis videtur illustrandum prius quam ad sequentia transeamus.

Proverbii loco hoc fuisse dictum de iis quorum flos et robur dudum praeteriisset, apparet collatis chori in Vespis verbis:

ὦ πάλαι ποτ' ὄντες ἡμεῖς ἄλκιμοι μὲν ἐν χοροῖς,
ἄλκιμοι δ' ἐν μάχαις!

Originem autem dicterii ex oraculo *Caribus* socios quaerentibus reddito repetebat Demon historicus in scholiis allatus, ubi alius

1) Vid. pag. 399 sq. de vs. 148.

Digitized by Google

interpres *Polycrati* illud oraculum datum fuisse perhibet. Quod autem scribunt paroemiographi: „etiam Anacreontem hoc proverbio usum esse", id vide ne fluxerit ex antiquiorum grammaticorum verbis male intellectis: „etiam Anacreontem Milesios fortes vocasse" [1]). Et omnino *oraculum* illud non Apollini sed virorum doctorum ingenio deberi satis testantur cum numeri iambici tum Herodoti silentium. Dubium vero manet quo sensu Milesios „fortes olim" dixerit primus huius versiculi auctor. Rectene Athenaeus huc rettulit verba Aristotelis: „Μιλήσιοι ὡς ὑπήχθησαν ἡδονῇ καὶ τρυφῇ, κατερρύη τὸ τῆς πόλεως ἀνδρεῖον" [2]), ita ut *vituperationem et contumeliam* habuerit pristinae virtutis illa mentio? An vitae condicionem temporis fortunaeque inclementia in deterius mutatam indicabat tantum, ut gallica illa: *ils sont passés, ces jours de fête!* vel: *où donc sont les neiges d'antan?* — Multo aptior locis Aristophaneis hic sensus mihi videtur, et suspicari licet non e Branchidarum fano sed e scena Attica desumtum esse dicterium; Phrynichi autem Μιλήτου ἅλωσιν in mentem mihi vocat imitatio Philocleonis τοῦ Φιλοφρυνίχου.

Unum addo. Iuvenis verba proterva non significant „*vetulam* dudum defloruisse", ut facile putaverit quis recordatus dicti Periclei: „Ἐλπινίκη, γραῦς εἶ", sed: „*se* non iam esse strenuum amatorem, licet olim fuerit".

IV.

Addam locos nonnullos, de quorum *interpretatione* aliquid videtur observandum. Incipio a Chremyli ad Plutum verbis (vs. 178):

ἡ ξυμμαχία δ' οὐ διὰ σὲ τοῖς Αἰγυπτίοις;

Anno 391 in Cypro *Euagoras* rex Salaminis ab Artaxerxe defecerat et cum Aegypti dudum rebellantis rege *Acoride* inierat societatem; per triennium autem copiae Persarum ducibus

---

1) Cf. scholia.

2) Vid. Athen. 523, unde fortasse efficitur, ipsum Aristotelem proverbium sic esse interpretatum.

Digitized by Google

Abrocoma Tithrauste Pharnabazo frustra cum Aegyptiis bellarunt [1]). Nempe Acoris *μεγάλους μισθοὺς προστιθεὶς δυνάμεις ξενικὰς ἀξιολόγους ἤθροισεν* [2]). Euagorae autem egregie favebat civitas Atheniensium, eius beneficiis devincta; et quamquam Artaxerxis amici dicebantur Athenienses, — erat enim ipsorum *μισθοδότης*, — praesentissimam tamen operam eos Euagorae et huius sociis Aegyptiis tulisse cum aliunde novimus [3]) tum noster locus luculenter testatur. Quo facilius mox adductus est Artaxerxes ut Antalcidae Lacedaemoniorum duci pacem paranti aurem praeberet.

Nota sunt haec omnia. Quid vero est quod in scholiis ridiculo errore legitur *Amasidis* nomen? Nempe Aegyptiorum regis notissimi nomen hoc natum est ex multo obscuriore *Acoridis*. Hoc autem vitium aliorum mox errorum fuit feracissimum, nam exinde *Psammetichi*, *Xerxis*, *Inari* nomina in scholia ad nostrum locum irrepserunt, unde plane sunt aliena. Quod fusius exponere piget taedetque.

Eaedem res respiciuntur loco, de quo nunc observare quaedam velim, vs. 924 sq.:

οὐδ' ἂν εἰ δοίης γέ μοι
τὸν Πλοῦτον αὐτὸν καὶ τὸ Βάττου σίλφιον.

Paroemiographos proverbia multo plura collegisse quam extiterint nemo non sentit qui hoc agit. Nam permulta dicta, quae, cum in oratione publica vel in scriptore aliquo vel in comoedia egregie placuissent, postea inter litteratos homines saepius sunt repetita, ita solent laudari quasi is, unde ducta sunt, locutionem ex popularium ore desumtam suo operi inseruerit. Cuiusmodi errores ubi ad veterum scripta deperdita pertinent, sentire possumus, certis argumentis arguere non possumus. Melius res cedit in dicteriis quae ex Aristophanis fabulis etiamnunc superstitibus afferuntur. Raro enim accidit ut ne contextum quidem considerantibus satis liqueat utrum ab ipso comico ficta sit quam legimus locutio an antea in ore aequalium

1) Isocrat. IV § 140; cf. Blass Att. Beredsamkeit II² p. 252 sqq.
2) Quae Diodori sunt verba XV 29 (de anno 377/6 scribentis); ubi vid. etiam seqq.
3) Vid. Xen. Hell. IV 8 § 24 V 1 § 10.

Digitized by Google

vixerit. Sic, ut e Pluto fabula exempla proferam, iuvenis verba „*diu est ex quo validi fuere Milesii*" acerbi nihil haberent nisi notum tunc temporis id fuisset proverbium; neque anula queritans „*per anulum me pertrahas*" quin solito ea aetate genere loquendi utatur dubitari potest, nam sic demum in ridiculum detorqueri potuit illud dicterium a Chremylo, *incerniculi* certe anulum ad illud opus requiri perhibenti. Nisi homines — puellae praesertim — nimis tenues, graciles, perticis similes tunc temporis in sermone familiari ita designabantur, fatuus erat Chremyli iocus.

Sed de loco quem supra indicavi quid statuendum? Etiam „*Batti silphium*" notissimum aliquando proverbium fuisse credas, si inspicias interpretum observationes. Quibus tamen minime sum credulus equidem. Non quo negem fuisse unquam qui Aristophanis haec verba imitarentur, — quamquam paucissimos fuisse suspicor nec nisi inter ludimagistros esse quaerendos, — sed ipsum Aristophanem alios nunc sequi, id nego. Nascitur nunc proverbium, — si proverbium hoc videtur dicendum, — non vixit antea. Videamus locum. Ubi Iusto viro ultimum hoc roganti: „*Poteritne fieri ut consilia tua mutes?*" Sycophanta: „*Minime!*" — respondet, — „*non mutabo*",

οὐδ' ἂν εἰ δοίης γέ μοι
τὸν Πλοῦτον αὐτὸν καὶ τὸ Βάττου . . .

Quid addendum? Unum est vocabulum quod, nisi iocari quis velit, potest subiungi: τὸ χρυσίον. „*Nolo, etiamsi ipsum divitiarum deum mihi dones et opes Cyrenaicas*". Quae gradationem quandam efficiunt, quasi Batti thesauri sint αὐτοῦ τοῦ Πλούτου πλουσιώτερόν τι. Facile autem nobis fingimus hoc tempore, quo Aegypti rex mercenarios grandi mercede conducebat, inter Athenienses saepius sermonem fuisse etiam de Cyrenaica, regione vicina et ob divitias incluta, cui Plato leges scribere noluit, „χαλεπὸν γὰρ εἶναι νομοθετεῖν οὕτως εὐτυχοῦσιν". *Laserpitium* autem, divitiarum fons tunc temporis inexhaustus, melius quam cetera quae Libya ferebat Atheniensibus erat cognitum, quippe cuius quotidianus fere in culina esset usus. Nunc autem eam potissimum ob causam commemoratur, quod *aurei* Cyrenaici in altera parte caulem laserpitii ostendebant. Conferenda igitur est haec locutio cum „sagittariis" Persicis et „noctuis" Laure-

Digitized by Google

oticis et avorum nostrorum „equitibus" et quae plura sunt huius generis [1]).

Itaque iocoso quodam linguae lapsu τὸ σίλφιον nunc dicit Sycophanta ἀντὶ τοῦ χρυσίου, in *proverbio* vero tunc temporis fuisse Batti silphium confidenter nego; si fuit unquam, — sed vix id credo — ex ipso hoc comici ioco fluxit illud genus loquendi.

Vs. 904. Ad Sycophantam, qui patriae se amantissimum esse perhibuit, vir Iustus: „*dic igitur, esne agricola?*" — Cui Sycophanta: „*vesanumne me esse putas?*" — Iustus dein: „*mercator igitur?*" Tum ille:

ναί, σκήπτομαί γ' ὅταν τύχω, —

ubi cave ne obtemperes Hemsterhusio invita lingua — quod in tali viro mireris — suadenti τύχῃ [2]). „*Fingo certe*" — ait homo nequam — „*mercatorem me esse, siculi fert res*". Eadem autem in Ecclesiazusis leguntur verba: „ἔμπορος εἶναι σκήπτομαι". Et probe novimus quorsum utrobique respiciatur. Mercatorum commodis leges invigilantes per hibernos tantum menses, quibus nulla erat navigatio, eorum lites (τὰς ἐμπορικὰς δίκας) agi iubebant. Itaque si quis intentatam sibi litem differre volebat, mercatorem se profitebatur: sic non licebat ante proximam hiemem eum in ius vocare [3]). Aut volebat aliquem sine mora damnandum curare: „ἔμπορός εἰμι" aiebat tempore hiberno litem ad magistratum deferens, et brevi rem apud thesmothetas diiudicari oportebat [4]). Demosthenis autem aetate *intra unum mensem* mercatorum lites decerni leges iubebant, sed comicus cum vivebat nondum invaluerat hoc τῶν ἐμμήνων δικῶν institutum.

Nunc qui loquitur quoniam sycophanta est, parum est veri simile, immo credibile omnino non est, eum aliud quid iam cogitare, quod non e re iudiciaria sed e vita communi sit desumtum; in Ecclesiazusis autem, ubi eadem verba iocum praebere supra dixi, non aliter quam nostro loco esse interpre-

1) Vid. ad Nub. 248.
2) Vid. Ran. 945 etc.
3) Vid. Lys. XVII § 5, Hesych. s. v. Ἰμβριος, Polluc. VIII § 81.
4) Demosth. XXXIII initio, [Ar.] Rep. Ath. 59 § 5.

Digitized by Google

tanda, id tantum non certum est. Quapropter reicio id quod scholia perhibent: „*militiae vacationem* mercatoribus fuisse concessam". Cuiusmodi σκῆψις si ulla fuerit, — nam aliud est belli tempore *non adesse* in patria, quod Leocrati illi est exprobratum [1]), aliud tum cum bellum sit gerendum *militiam detractare* itineris mox suscipiendi causa, — sed si ulla fuerit, a nostro tamen loco aliena est; neque Ecclesiazusarum illi loco tam est apta quam cum aliis perhibuit Boeckh [2]). Nam iuvenis, qui causas illic interserit, ut vetulae effugiat amplexus, „*praedem dabo!*" clamat primo; dein: „*iusiurandum interponam, quo excusem causam sonticam!*" — tandem veluti ad incitas redactus: „*at mercatorem esse me aio!*" Haec igitur profert ne *in ius* — id est, in cubile — rapiatur actutum; totus enim nunc est in veteratorum artibus imitandis. Cetera autem cum e lingua iudiciali sint desumta, quidni ultimum quoque sit verbulum? Itaque comicum „*veneris* illam *militiam*" quam crepant illic nihilo magis cogitasse quam nostro loco confidenter statuo.

Vs. 972. — Iratum Sycophantam querula excipit Anus. Itaque improbam eam quoque esse suspicatus Chremylus: „*quid istud est?*" — ait —

ἐν ταῖς γυναιξὶν ἦσθα συκοφάντρια;

„*numquid inter feminas similes exercebas artes atque ille inter viros?*" — „*Minime!*" exclamat illa. Tum Chremylus:

ἀλλ' οὐ λαχοῦσ' ἔπινες ἐν τῷ γράμματι;

De his verbis, quae neque corrupta sunt neque obscura, fortasse tacere poteram. Cum tamen videam olim Brunckium et his annis Blaydesium in iis interpretandis egregie errasse, operae pretium esse suspicor pauca de iis observasse.

Quid igitur? non sycophantarum artibus indulgebas sed iudicum, ita ut in tribunali sederes licet sorte non esses designata? — Haec dicere poterat Chremylus, vel sic satis ridicule fingens feminam veteratoriis artificiis victum quaerentem. Sed pro „ἐδίκαζες" linguae quodam lapsu dicit id quod et iocosum est magis et aridae aniculae convenientius: „ἔπινες". Sic in Eccle-

1) Lycurg. Leocr. § 55 sqq.
2) Staatshaush. I[3] p. 109*a*

Digitized by Google

siazusis Praxagora civitatem pro arbitrio constituens „*sorte*" ait „*in decurias cives distribuam, itaque exinde quivis sciet* λαχὼν ἐν ὁποίῳ γράμματι δειπνεῖ".

Nostri loci verba ita sunt ordinanda: ἀλλ' ἐν τῷ γράμματι ἔπινες, *in littera tua* — i. e. in tribunali tuo — *bibere volebas*, vel *conabaris*, vel etiam *solebas*, οὐ λαχοῦσα sive ἄκλητος, *etsi sorte non esses designata*, legibus igitur invitis.

Absit igitur ut fidem habeamus interpretibus asseverantibus „valet οὐ λαχοῦσ' ἔπινες i. q. οὐκ ἔλαχες ὥστε πίνειν" — quae ne satis quidem intellego, nisi quod *improbitatis crimen* ea nullum habere manifestum est.

Simillimus in Lysistrata fabula est iocus; ubi Myrrhine:

ἐᾶτε πρώτην μ', ὦ γυναῖκες, ὀμνύναι

sive participem fieri τῶν σφαγίων, — sunt autem τὰ σφάγια, per quae illic fit iusiurandum, *urceus vini praestantissimi*. Tunc Calonica:

μὰ τὴν Ἀφροδίτην, οὐκ ἐάν γε μὴ λάχῃς.

Quam autem ab anicula commissam esse fraudem Chremylus suspicari se ludicre fingit, eam a veris iudicibus in veris tribunalibus haud ita raro commissam esse nisi sumimus, acumine caret iocus. Res publica nisi multos habuisset sycophantas, in scena nullos ostendisset comicus: heliastrias — ut ego quoque nova vocabula fingendi licentiae indulgeam — heliastrias mala fraude illuc quo lex non sineret irrepentes Aristophanes non finxisset si nullos heliastas id sibi sumentes novissent tribunalia. Itaque interdum ἐδίκαζον heliastae οὐ λαχόντες, teste nostro loco; leges fieri id vetabant, ne fieri id posset sedulo cavebant, sed — fiebat tamen.

Itaque multum hic locus valere mihi videtur ad recte interpretandos vs. 1166 sq., ubi Cario Mercurium τὸν πολυώνυμον ridens: *utile est profecto multis gaudere cognominibus; hac enim re victum iste sibi invenit:*

οὐκ ἐτὸς ἅπαντες οἱ δικάζοντες θαμὰ
σπεύδουσιν ἐν πολλοῖς γεγράφθαι γράμμασιν.

Quo loco tertium [1]) respicitur nova illa lex iudiciaria, de qua mox quaedam erunt observanda. Adverbium autem θαμά *fre-*

1) Cf. vs. 277 sq. et quem modo vidimus vs. 972.

Digitized by Google

queuter et totus loci tenor efficiunt ut fraudulentum artificium nunc quoque carpi cum Schoemanno censeam, haud dissimile dolo militiam detractantium, qui nomen suum loco alieno albi militum inscribendum curabant, κατὰ σπουδὰς μετενεγράφοντο [1]). Cui interpretationi egregie convenit locutio οὐκ ἐτός, haec enim constanter usurpatur de rebus *in vituperationem* venientibus simulque mirationem moventibus, quarum *causa* certe palam iam esse dicatur, licet vel sic minime videantur laudabiles [2]). Nonnisi Eccl. 245 et Plat. Rep. 568*a* nonnihil discrepant, qui sunt leniter *irridentium*. Itaque sequi nunc non possum Fraenkelium, quem fide dignum saepe expertus sum ducem; hic enim de heliastarum instituto acute disputans probatum ivit non malas quasdam artes nostro loco tangi sed certum morem ipsa lege sancitum: „die Summe von 500 Mitgliedern für jedes „Dikasterion wurde dadurch erreicht dass die einzelnen Heliasten „verschiedenen Sectiones zugleich angehörten; sie war also nur „eine fictive Normirung. Dies ist klar und deutlich bezeugt „in Aristophanes Plutos V. 1164". — Quae res si ita se habuisset, eius ratio nemini obscura esse potuisset, neque *saepe* heliastae sed *omnes semper* dedissent operam ut „multarum essent litterarum"; Carionis autem verba „nunc demum intellego quid boni id habeat" admodum me iudice forent ieiuna.

Itaque hanc mihi ἀπορίαν nisi aut ipse Fraenkel solvat aut unus ex iis quibus probabilis videtur eius sententia, Schoemannum potius sequar.

Vs. 1123. „*Olim neque panis mihi deerat quotidianus*" — Mercurius ait — „*neque bellaria*",

νυνὶ δὲ πεινῶν ἀναβάδην ἀναπαύομαι.

Vetus est quaestio adverbium ἀναβάδην valeatne *sublimem* an *pedibus sursum versus extentis*. Equidem in annotatione ad Ach. 399 observavi utramque in scholiis proferri explicationem, veram autem mihi videri priorem. Quod quoniam video esse qui negent, observare velim nostro loco *sublimem* de Mercurio

1) Cf. Eq. 1369 sq.

2) Sic Ach. 411, 413 Av. 915 Thesm. 921 Plut. 404 fr. 10 Philetaer. 5 Anaxil. 30 Plat. Rep. 414*c*.

Digitized by Google

caelite dictum multo lepidius videri quam si *pedibus* nescio quam ob causam *sursum porrectis* iacere sit cogitandus. Quod socordiae vel etiam superbiae indicium esse poterat, non vero stomachi latrantis.

Vs. 1138. *Domo me recipere quoniam non vis,* — Mercurius ait, — *effer certe aliquid ex aedibus, quo famem meam sedare possim.* Quem etiamnunc irridens Cario:

ἀλλ' οὐκ ἐκφορά

ait: *non licet.* — Ubi essetne substantivi τῆς ἐκφορᾶς nominativus hic singularis an adiectivi ἐκφόρου neutrum plurale, saepius est dubitatum. Non tamen dubia est res. Substantivum ἡ ἐκφορά nunc quoque, ut supra, ubi iuvenem „ἐπ' ἐκφοράν" ad aedes aniculae accessisse perhibuit Chremylus, iocandi praebet materiem. Illic *exequias* significabat, nunc eo sensu quem *in re sacra* habebat usurpatur. Nam in sacris quorum is erat ritus ut sacrificantibus non liceret partem carnium foras efferre, ἐκφορά nulla esse dicebatur. Sic in Theopompi quem scholia afferunt versu nescio cui „εἴσω δραμὼν αἴτησον" iubenti respondetur: „ἀλλ' οὐκ ἐκφορά". Et plane ut noster vocem adhibet quidam apud Euphronem narrans haedum mactatum esse nimis exiguum quam ut a coquo inde detrahi posset quicquam: οὐκ ἦν ἐκφορὰ | Λύκῳ κρεῶν τότε. Hinc apparet nostro loco non esse intellegendum neutrum plurale (τὰ) ἔκφορα, quo adiectivo apud Euripidem utitur nutrix Phaedrae, ἔκφορον πρὸς ἄρσενας συμφορὰν vocans morbum qui sine dedecore coram viris possit commemorari. Active autem ἔκφορος dicebatur *is qui aliquid effert*; sic ad mulieres Thesmophoria obeuntes personata illa femina:

αὐταὶ γάρ ἐσμεν κοὐδεμί' ἔκφορος λόγου,

solae sumus neque adest quae arcana nostra evulgare possit; itemque Socrates apud Platonem: οὐδεὶς γὰρ ἔκφορος λόγου.

Vs. 1151. Mercurius e caelo profugus:

πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ' ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ,

patria est ubicunque est bene, — tragico luctui dicterium tragicum feliciter adaptans, Teucri enim novam patriam petentis verba sua facit, nonnihil tamen mutata. Nam Aiacis fratrem talia magis decebant:

Digitized by Google

ἅπας μὲν ἀὴρ ἀετῷ περάσιμος,
ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς [1]),

i. e. *omne solum forti patria est*, — quae non sunt lucello inhiantis sed se suosque cohortantis ad strenue cum re adversa colluctandum, non enim desperandum esse Teucro duce et auspice Teucro. Nostro vero loco consimiles sunt alii quidam senarioli tragicorum:

τῷ γὰρ καλῶς πράσσοντι πᾶσα γῆ πατρίς [2]),
et: πανταχοῦ γε πατρὶς ἡ βόσκουσα γῆ [3]),
et: πατρὶς δὲ πᾶσα τῷ πένητι προσφιλής,
ἀφ' ἧς τροφήν τε καὶ τὸ μὴ πεινῆν ἔχει,

quod Aristophani tribuitur fragmentum in Stobaei codice Bruxellensi [4]), Euripidi vero recte ut arbitror vindicat vHerwerden.

Cuiusmodi homines longe a Teucro illo distantes et remp. suis ipsorum commodis posthabentes τὴν οὐσίαν πατρίδα ἑαυτοῖς ἡγεῖσθαι optimo iure dicit accusator apud Lysiam.

Vs. 1178 sqq. „*Olim*", Iovis sacerdos ait, — „*cum pauperes essent homines*"

ὁ μὲν ἂν ἥκων ἔμπορος
ἔθυσεν ἱερεῖόν τι σωθείς, ὁ δέ τις ἂν
δίκην ἀποφυγών, ὁ δ' ἂν ἐκαλλιερεῖτό τις
καὶ ἐμέ γ' ἐκάλει τὸν ἱερέα.

Non inutile videtur observare, non opponi h. l. τοὺς θύοντας τοῖς καλλιερουμένοις, — quod absurdum foret, quoniam eorundem est *sacrificare* et *litare*, — sed *gradationem* quandam fieri, quae indicatur particulis καί γε, *atque adeo*. *Modo mercator, qui sospes domum rediisset, hostiam ad templum Iovis Servatoris afferebat, modo reus a iudicibus absolutus; erat etiam qui* (in templo) *cum litaret, me ad se* — i. e. ad cenam quam domi suae instructurus erat — *vocaret*. Nempe melius erat sacerdoti etiam ad lautas dapes invitari quam debitam sibi partem victimarum accipere solam.

(*Continuabuntur.*)

1) Eur. fr. 1034. 2) [Menandr] Monost. 716. 3) Eur. fr. 774.
4) O. Hense de Stob. Flor. Excerptis Brux. p. 35.

Digitized by Google

RUHNKENII UXOR.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

Sunt Villoisoni Epistolae ad amicum suum Chardon de la Rochette, quas numquam vidi; sed Fred. Aug. Wolfius in *Analectis Literariis* I p. 416 excerpsit ea quae sequuntur: „L'état de l'aimable M. Ruhnkenius me fait beaucoup de peine. Il y a peu de savants qui aient eu une âme aussi sensible.

La femme de R. était une chanteuse Italienne, fort belle, fort galante, ce qui a donné lieu à des épigrammes sanglantes de Burmann Second. Une couche la rendit paralytique et lui ôta l'usage de la parole".

Ex his Villoisoni verbis quaedam descripsit Bergmannus in *Supplementis Annotationis ad Vitam Ruhnkenii* p. 36; deinde supervenit Cobetus *Mnem.* 1874 p. 451, sibique visus est ostendisse Villoisonum mirifice omnia miscuisse et confudisse. „Ruhnkenius", inquit, „ut erat elegans formarum spectator nonnumquam formosam cantatricem Italicam, quae non voce tantum quaestum faciebat, hospitio excepit. — Villoisonus quae maritus luserat, uxori imputavit et gravem castamque matronam Leidensem in cantatricem Italicam profligatae pudicitiae convertit".

Est ut dicit Cobetus: Villoisonus omnia mirifice miscuit et confudit, nec tamen minus Cobetus ipse eodem hoc crimine tenetur, cuius alium insimulavit. Iam quoniam Ruhnkenii fama et bona existimatio in discrimen adducta est, operae pretium

Digitized by Google

erit cum cura exponere quae de praeclari viri uxore investigare potui.

Quod Wyttenbachii testimonio prorsus constat, Ruhnkenius, qui natus erat postrid. Kal. Ian. 1723, quadraginta annos natus, itaque anno 1763, uxorem duxit annorum duodeviginti lectissimam virginem Mariamnam Heiermans, quae post unum et alterum annum duas ei filias peperit, quarum *maior* Elisabetha, *minor* autem Maria. Erat Ruhnkenius, ut scribit Wyttenbachius p. 634, — in *Vitae* Editione a. 1821 — non novus in amore et ex iis quae prodidit de Parisino dilectissimi praeceptoris itinere p. 587, liquido intelligimus Herculem illum Musageten aliquando Sirenum cantu delinitum fuisse, cum praesertim illic amicum haberet Thomam Tyrwhittum, „ingeniosissimum elegantiarum iudicem et aestimatorem, Musarum Sirenumque cultum ita iungentem, ut utrisque gratus, utrarumque muneribus frueretur". Nec tamen Leidae talibus moribus vivebatur: illud tantummodo homines vitio dabant, quod professor quadragenarius Academicae gravitatis oblitus virgunculam ducturus erat. Ipse Wyttenbachius hoc crimen, si quidem crimen est, satis illepide excusare conatus est, necdum scire poterat se septuaginta annos natum ipsum quoque tori sociam sibi adsciturum esse sororis filiam Gallienam suam: id quod longe turpius est. Sed fuerunt Burmanni Epigrammata: haec forte vidit Cobetus; sed ego quoque vidi, nam, quod eum fugisse videtur, Bergmannus l.l. p. 63, ea iam publici iuris fecerat. Appellarat, ut scribit Cobetus, Burmannus in mordaci Epigrammate, — sed id quod nobis servatum est, mihi quidem elumbe et valde insulsum videtur — appellarat igitur Mariamnam Italicam cantatricem: primum, mihi crede, nil tale fecit Burmannus; deinde quod Mariamna Italica dicitur in Epigrammate quodam Francico, non multum me movet; nam verum hoc erat. Quid enim? Ruhnkenius „probabiliter" tibia canebat, ut scribit Wyttenbachius p. 549, et Mariamna „probabiliter" canebat, p. 633, „ut ex pulcro ore pulcrior etiam ad aures accideret sonus". Leidae autem illo saeculo rei musicae singularis tribuebatur honos; quin et concentus musici illic Amstelodamensibus meliores esse dicebantur, ut scribit Ruhnkenius ad Wyttenbachium d. 29 Dec. 1793. Nihil mirum

Digitized by Google

est, si matrona Leidensis Italice cantaverit, nam nuper cum patre, qui mercatorum πρόξενος fuerat, quem Consulem dicimus, ex Italiae portu Liburno in patriam redierat et Leidam venerat habitatum. Hinc quod memoriae prodidit P. H. Marron, Ruhnkenii aequalis et quondam discipulus, Vallonum Leidensium sacerdos, cives eam vulgo appellabant *la belle Italienne*, cum praesertim in Italia nata esset. Itaque quod Wyttenbachius, uti coniicio, amico narrarat, id Villoisonus perperam accepit estque iam patefacta fabulae origo. Sic semper fama crescit eundo.

Florentissima domus, nam Mariamna omnibus animi corporisque dotibus inter aequales conspicua erat, stetit per octo annos, nam anno 1771 id accidit quod Wyttenbachii verbis dicam: „Ecce! unius anni proximi fatalis quaedam calamitas illam felicitatem in perpetuum afflixit. Uxor tentatur aqua intercute: minor filia cum vitae periculo aegrotat: e quo vixdum convaluerat, quum uxor apoplexia quassatur, quae loquendi eam facultate, denique visu privat: mox minor filiola et ipsa oculorum sensum penitus amittit, cet. — Paulatim spes eum erigit restituendae uxoris et filiolae, quamquam vana illa; nam exhausto consumtoque omni remediorum usu et experimento, utraque in eadem clade hodieque vivit. — Ruhnkenius sensim sorti assuescit, uxoris filiolaeque cladem integritate et flore maioris filiae compensat", cet. cet. Hic usu venit quod Mahnius prodidit in *Wyttenbachii Vita* de nescio quo viro eruditissimo et in muneris sui officiis obeundis diligentissimo, qui quum iusto serius tenderet in curiam, „Hodie", inquit, „expertus sum quod numquam antea mihi accidit. Legi illam fabulam Milesiam Latine scriptam, quae a Wyttenbachio sub nomine *Vitae Ruhnkenii* edita est, eiusque lectio adeo me cepit, ut non nisi admonitus et vocatus domo exierim in curiam". Hic igitur Wyttenbachius dum tragoedias miscet, *Milesiam fabulam* conscripsit, quum, deficiente memoria, id quod rerum esset tamen potuisset cognoscere ex Ruhnkenii Epistolis, quas Mahnii cura Gandavi a. 1830 editas, etiam nos consulere possumus. Primum de illa clade, qua anno 1771 Ruhnkeniana domus eversa fuit, ita scribit miser pater ad Wyttenbachium d. 4 Febr. 1772: „Uxor mea post diram, qua infestatam scis, apoplexiam hactenus

Digitized by Google

quidem convaluit, ut surgere de lecto et in cubiculo ambulare possit, sed memoriam et linguae usum nondum recuperavit. Filiolae, unicum in his malis solatium, *recte valent*". Deinde per complures annos Ruhnkenius de valetudine suarum prorsus tacet, credo: quamdiu Valckenaerium habuit, quicum de suis rebus confabularetur. Anno demum 1783 d. 27 *Martii*, Mariamna Boschio maximas pro flabello gratias agit, ut intelligamus eam nec mutam nec caecam fuisse, quae non aestate ad muscas abigendas, sed hiberno vel certe verno tempore ad refrigerandum in frequenti hominum coetu flabellum usurpaverit. De eodem anno scribit Wyttenbachius p. 701: „Uxor gravi morbo afflicta, deinde *sanitati* restituta". Convenit fere Ruhnkenius, qui m. Aug. 1783 scribit ad amicum: „Uxor adhuc laborat febri biliosa", et paucis diebus post: Uxor tarde *convalescit*. Soror et filiae *recte valent* et te plurimum salutant". Sed meliora nunciat d. 20 Oct. 1784: „Filiae, *uxor* et soror *recte valent* et te salvere iubent". Quod ad illam sororem attinet, credibile est hanc non Ruhnkenii fuisse sororem, quae ex ultima Pomerania Leidam venerit, sed unicam quam Mariamnam sororem habuisse novimus; hanc suspicor, Heiermansio patre anno 1776 mortuo, ab Ruhnkenio domi suae hospitio receptam fuisse; mox fato functa videtur, nam post d. 17 Maii 1789 nullam eius amplius mentionem reperio.

Filia *minor* semper, uti coniicio, delicatula fuit et parum firma valetudine; hinc nusquam legimus illam Leidae moenia post se reliquisse, nisi forte cum parentibus feriarum tempore Warmondae rusticaretur. Accedebat oculorum vitium prorsus singulare et mihi quidem usque ad hunc diem inauditum: familiares perhibebant, cf. Bergmannus l.l. p. 54, quum puella semper soleret *ἄνω βλέπειν* neque parentes ad vitiosam consuetudinem attenderent, sensim factum fuisse ut palpebrae pupillas contegerent. Gravis morbus est, fere incognitus nostris hominibus, nam medici summo opere curant ne malum tam late serpat. Sed postquam clarissimus collega Straub mihi viam monstravit, inveni olim *ἀγκυλοβλέφαρον* fuisse dictum; etiam *ἀγκύλωσιν* et *πρόσφυσιν βλεφάρων*. Diserta verba sunt Galeni Isag. s. Medic. c. 16 t. 2 p. 391 D ed. Chart.: *προσφύεται δὲ τὰ βλέφαρα ἢ τῷ λευκῷ ἢ τῷ μέλανι ἐξ ἑλκώσεως· καὶ ἐὰν*

Digitized by Google

μὲν τῷ μέλανι προσφύᾳ, τελέως κωλύει τὴν ὅρασιν, ἐὰν δὲ τῷ λευκῷ, ἧττον· καλεῖται δ' ἀγκύλωσις.

Caeca puella etiam ruri paternam domum desiderabat, cuius omnes norat recessus. Contra Elisabetha frequenter Amstelodamum excurrere erat solita, ut per complures dies sive Wyttenbachii, sive aliorum hospitio uteretur, veluti Hoeufftii in area Heemstedana, cf. *Epist.* d. 26 Sept. 1788. Aegrotavit quidem et gravissime interdum, sed mox pristinam valetudinem recuperavit. Fuit cum tota domus paene in nosocomium converteretur, cf. *Epist.* d. 19 Mart. 1788; tamen brevi post erant omnia ad hilaritatem composita totaque domus risu et iocis personabat. Cognosce mihi Ruhnkenii verba in *Epist.* 9 Febr. 1792, quorum verborum Wyttenbachius sponte immemor fuit: „Quidquid aegritudinis feriis Paschalibus Leidam attuleris, *filiarum* mearum discutiet hilaritas. Multum etiam proficient duae famulae, altera tenella genarum mollitudine, altera rubore verecundo, quarum quae sit vernilitas nosti. Veni igitur, ut eadem iocorum tuorum festivitate, qua superiore anno, oblectemur". O si Paulus van Hemert, Horrearius ille, in *Triade Epistolarum* p. 139, hunc locum potuisset cognoscere! Quos fluctus excitasset! Quos cecinisset triumphos!

Sed quum Mariamnae conditio semper in deterius converteretur, sensim paulatimque illi risus et ioca conticuerunt. Germanus quidam, Rinkius nomine, apud Bergmannum l.l. p. 50, qui circa illud tempus studiorum causa Leidam venit, narravit se saepiuscule affuisse, quum Ruhnkenius ex ambulatione cum duobus vertagis post meridianum prandium circa quartam horam domum reversus ad focum sederet et caldam sorberet. Ad Elisabetham, quae matris ad exemplum eximie cantabat tum voce tum *τῷ πολυχόρδῳ*, cum aliae amicae ventitabant, tum adulescentes nonnulli elegantes, qui puellam pulcram quidem, sed indotatam! ambiebant. Sedebat interea Maria et dulci alloquio faciebat quod poterat, ut ne quis recens advena morbum oculorum continuo animadverteret. Matris autem tristis erat conditio, quae hominum congressus fugitabat, metuens, credo, ne in vetula caeca „formosam Italicam" non agnoscerent. Atque hoc maxime modo ultimos vitae annos Ruhnkenius transegit, donec obrepente senectute d. 13 Maii 1795 animam exspiravit.

Digitized by Google

Derelictarum mulierum tristissima sors erat, nam quum hucusque in re satis lauta vixissent, post funus vix quidquam nummorum in arca repertum fuit. Hanc occasionem nacti Curatores Academiae Wyttenbachium invitum propemodum coegerunt, ut Illustri Athenaeo Amstelodamensi posthabito, Leidam migraret et Ruhnkenio succederet; hac enim sola conditione se adigi posse dicebant, ut Ruhnkenianae domui subvenirent. Itaque Wyttenbachius iis morem gessit, quamquam consilii eum perpetuo poenituerit, et Curatores ex auctoritate Senatus Reip. Batavae Ruhnkenii librariam supellecticem bibliothecae Academicae addiderunt pretiique loco vectigal annuum viduae filiabusque quingenos in singulas florenos constituerunt.

Quae deinde de muliercularum sorte cognovi, nec multa sunt et prostant in Epistola, quam Wyttenbachius ad Fr. Aug. Wolfium dedit d. 5 Julii 1805: „Veni Leidam putans gratiam et laudem mihi huius benefacti apud omnes homines paratam esse. Alia omnia expertus sum. Ingratus animus filiarum; nam *mater* quidem *meum beneficium agnoscebat*. Invidia et obtrectatio aliorum. — Neque illud, forte tibi nondum cognitum, praetermittere debeo de familia Ruhnkenii. Minor Ruhnkenia, caeca, obiit 1801 m. Maio: mox maior, Elisabetha, in Galliam profecta nupsit chirurgo militari, iam Leidae sibi cognito, nunc in Normanniae oppidulo medicinam factitanti, nec satis lauta vivere(?) conditione, nec digna vel tanti patris laudibus, vel spe ipsius puellae, quondam formae morumque gratia et procorum frequenti ambitione florentis. Mater, ut muta et caeca, probabiliter valet". Nempe „probabiliter", ut muta et caeca! Cum annua pensione quingentum florenorum! Ceterum quoniam, uti vidimus, Mariamna Wyttenbachii „beneficium agnoscebat", hoc ut plane intelligam, malo credere eam non stricto sensu mutam fuisse, sed quum loqui posset, plerumque, quacumque tandem de causa, linguam compescuisse.

Intervenit biennium nec res miserarum multum mutatae sunt. Post horribilem illam cladem Leidensem, cuius ne nunc quidem memoria obsolevit, Fr. Aug. Wolfius Wyttenbachium rogavit ut rescriberet quomodo ex illa domus suae ruina evasisset et num res suas salvas inde retulisset. Respondit Wyttenbachius, ut solebat, h. e. satis copiose; deinde in fine haec addidit,

Digitized by Google

quae nunc nostra scire interest: „Vetus domus, ubi tu cum Ruhnkenio fuisti, eo mortuo vendita, nunc solo aequata est: vidua, caeca, muta, surdastra, valetudinaria, caeterum nullam vitae commoditatem desiderat et filia sibi non male in Gallia esse scribit".

Hoc maxime modo Ruhnkenianae domus rebus constitutis, nunc conferenda sunt quae scripta sunt in ficticia Epistola Ruhnkenii ad Cobetum *Mnem.* 1877 p. 113: „Dum uxor mea domum servat cum filia *maiore*, nam utraque oculis capta est, uti nosti, et mater ne mente quidem satis constat, equidem deambulare soleo ut corpus exerceam cum filia *minore*". Quin et error itidem perpluit in subscriptione: „Pater mihi hanc epistolam dictavit, sed Graecas literas numquam didici pingere. Ruhnkenia *minor*". Quod apparet, qui haec scripsit, maiorem sororem pro minore posuit et contra, nam Elisabetha patri potuit scribendo adesse, Maria non potuit. Illud quoque perperam, quod scriptor putavit Elisabetham clam matre cum amatore suo in Galliam se proripuisse: supra cognovimus eam iusto matrimonio iunctam fuisse cum illo Mavortis Medicatoris filio. Huius παραράματος causam indagare expeditum est. Memini cum Bakius mihi narrabat Elisabetham inauspicato ex materno amplexu clam omnibus profugisse: idem suspicor Bakium aliquando narravisse ei qui Epistolam ad Cobetum consarcinavit; ipse autem Bakius rem quam per aetatem vix meminisse poterat, uti coniicio, ex Wyttenbachii sermonibus arripuit, qui, quum mulieres odisset, propter quas Amstelodamo Leidam extractus esset, omnia maligne interpretatus est. Illud sequitur Epistolae scriptorem inter veteres Bakii auditores latere.

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. HARTMAN, H. VAN HERWERDEN, A. E. J. HOLWERDA, H. T. KARSTEN,
J. C. NABER, H. J. POLAK, K. G. P. SCHWARTZ, M. C. VALETON,
J. VAN DER VLIET, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.
VOLUMEN UNDETRICESIMUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1901.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

M. T. Cicero, Commentarii rerum suarum sive de vita sua; accesserunt Annales Ciceroniani in quibus ad suum quaeque annum referuntur quae in his commentariis memorantur; utrumque librum scripsit W. H. D. Suringar. 1854. 2 part. 1 vol. 8°. . . . . *f* 8.50.

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 1873. 8°. *f* 7.—.

—— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. 1876. *f* 7.—.

—— Collectanea critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 1877. 8°. . . . . *f* 7.—.

—— Hyperidis Orationes duae ὁ ἐπιτάφιος λογος et ὑπερ ευξενιππου. Editio altera auctior et emendatior. 8°. 1877. *f* 1.50.

—— Observationes criticae et palaeographicae ad Dionysii Halicarnassensis antiquitates Romanas. 1877. 8°. . . . . *f* 3.50.

—— De Philostrati libello περι γυμναστικης. 1859. 8°. . - 1.25.

—— Cornelii Nepotis vitae excellentium imperatorum. In usum scholarum. Editio altera. 1884. kl. 8°. . . . . *f* 0.60.

—— Lysiae Orationes et fragmenta. Edit. tertia, quam curavit J. J. Hartman, 1891. 8°. . . . . *f* 1.20.

—— Xenophontis Expeditio Cyri. Editio quinta, quam curavit C. C. Mauve. 1892. 8°. . . . . *f* 1.20.

—— Xenophontis Historia Graeca in usum scholarum. Editio tertia emendatior. 1888. 8°. . . . . *f* 1.20.

J. J. Cornelissen, Oratio inauguralis. 1879. 8°. . . . . - 0.45.

—— Coniectanea Latina. 8°. . . . . - 0.60.

—— Cornelii Taciti de vita et moribus Iulii Agricolae. 1881. 8°. - 0.75.

—— Opus ide[illegible] 1881. [illegible] 8°. . . . - 0.30.

—— Minucii Felicis Octavius. 1882. kl. 8°. . . . . - 0.90.

H. van Herwerden, Lectiones Rheno-Traiectinae . . . . - 1.50.

Dr. H. T. Karsten, De inkomsten en uitgaven van den Romeinschen Staat. Antiquarische schets. 1e stuk: De Republiek. 1880. 8°. *f* 0.80.

—— Spicilegium criticum. 1881. 8°. . . . . - 0.80.

J. van Leeuwen J. f., Aristophanis Vespae, cum prolegomenis et commentariis. 1893. 8°. . . . . *f* 2.90.

H. W. van der Mey, Studia Theognidea, accessit collatio codicis Mutinensis tantum non omnis. 1860. 8°. . . . . *f* 0.75.

E. Mehler, Luciani dialogi quattuor. Graece. (Timon, Philopseudes, Verae historiae, Gallus). In usum scholarum . . . . *f* 1.90.

Dr. J. S. Speijer, Latijnsche spraakkunst:
1ste stuk. Flexie en etymologie. 2de druk. 1883. . . . *f* 1.90.
2de stuk. Syntaxis. 2de druk. 1884. . . . . - 1.90.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, T. J. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (*f* 56.50) . . . . . *f* 30.—.

—— Nova series scripserunt C. G. Cobet, C. M. Francken, H. van Herwerden, S. A. Naber, W. G. Pluygers, J. J. Cornelissen, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, alii; Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XXIX colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton. 1873—1901. 8°. pro vol. *f* 5.25.

Ex officina typographica et bibliopolio antehac E. J. Brill.

Digitized by Google

292783

MNEMOSYNE.

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. M. Francken, J. J. Hartman, H. van Herwerden, A. E. J. Holwerda,
H. T. Karsten, J. C. Naber, H. J. Polak, K. G. P. Schwartz,
M. C. Valeton, J. van der Vliet, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN UNDETRICESIMUM. PARS I

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1901.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Observationes criticae ad Lucianum, scripsit S. A. NABER .	1— 22.
De Eugammonis Cyrenaei Telegonia, scripsit J. VÜRTHEIM .	23— 58.
De Lucilii Satirarum libro primo, scripsit J. J. HARTMAN .	59— 64.
Ovidius Metam. V, 85, scripsit J. J. H.	64.
Thucydidea (*contin. e T. XXVIII pag.* 61), scripsit I. C. VOLLGRAFF	65— 81.
Ad Aeschylum. De Ioannis Henrici Schmidtii in artem metricam meritis, scripsit CAROL. LOESCHHORN	82— 91.
Ad Charitonem, scripsit S. A. NABER	92— 99.
Ad Horatii Carm. IV, 7. 21, scripsit J. J. HARTMAN	100—104.
Ad Plutarch. Thes. 12, scripsit J. J. H.	104.
Studia Lucretiana (*contin. ex Vol. XXVIII pag.* 72), scripsit J. WOLTJER	105—120.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA quater in anno prodibit Calendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 5.25.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
De Crantoris fragmentis moralibus, scripsit K. KUIPER. . .	341—362.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	362.
De compositione Poenuli, scripsit H. T. KARSTEN	363—387.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	387.
De Aetolorum institutis publicis, scripsit J. BREEN	388—412.
Paralipomena Lysiaca, scripsit H. J. POLAK	413—443.
Ad Aristophanis Aves, scripsit J. VAN LEEUWEN J.F. . . .	444—460.

Digitized by Google

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. Hartman, H. van Herwerden, A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten,
J. C. Naber, H. J. Polak, K. G. P. Schwartz, M. C. Valeton,
J. van der Vliet, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN UNDETRICESIMUM. PARS II.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1901.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Homerica (*contin. ex Vol. XXV pag.* 281), scripsit J. VAN LEEUWEN J. F.	121—140.
Ad Charitonem, scripsit S. A. NABER.	141—144.
De versu quodam Furii Bibaculi, scripsit J. J. HARTMAN.	145—147.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	147.
De tribus locis interpolatis in Evangelio secundum Marcum, scripsit I. C. VOLLGRAFF.	148—161.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	161.
Observationes criticae ad Lucianum (*contin. e pag.* 22), scripsit S. A. NABER.	162—196.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	196.
De Orphei patria, scripsit J. VÜRTHEIM	197—206.
Quo discrimine dei et homines inter se dignoscantur, scripsit J. VAN DER VLIET.	207—208.
Varia, scripsit H. VAN HERWERDEN	209—218.
Ad Catulli Carm. LXIIII vs. 178, scripsit J. WOLTJER.	219—220.

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

NEW YORK PUBLIC LIBRARY
ASTOR, LENOX AND TILDEN FOUNDATIONS

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. Hartman, H. van Herwerden, A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten,
J. C. Naber, H. J. Polak, K. G. P. Schwartz, M. C. Valeton,
J. van der Vliet, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN UNDETRICESIMUM. PARS III.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1901.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Homerica (*contin. ex huius voluminis pag.* 140), scripsit J. VAN LEEUWEN J. F.	221—243.
De Regia observatiuncula, scripsit J. J. HARTMAN	244—246.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	246.
Observationes criticae ad Lucianum (*contin. e pag.* 196), scripsit S. A. NABER.	247—280.
Ad Tacitum, scripsit J. J. H.	280.
Ad titulos Acraephienses, scripsit H. VAN GELDER	281—303.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	303.
Deorum coronae, scripsit S. A. NABER	304—306.
Observationes criticae ad Dionysii Halicarnassensis Antiquitates Romanas, scripsit S. A. NABER	307—340.

Digitized by Google

292784

NEMOSYNE.

HECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

R, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

N, H. VAN HERWERDEN, A. E. J. HOLWERDA, H. T. KARSTEN,
BER, H. J. POLAK, K. G. P. SCHWARTZ, M. C. VALETON,
J. VAN DER VLIET, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM. PARS I.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1902.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
De Crantoris fragmentis moralibus, scripsit K. KUIPER. . .	341—362.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	362.
De compositione Poenuli, scripsit H. T. KARSTEN	363—387.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	387.
De Aetolorum institutis publicis, scripsit J. BREEN	388—412.
Paralipomena Lysiaca, scripsit H. J. POLAK	413—443.
Ad Aristophanis Aves, scripsit J. VAN LEEUWEN J.F. . . .	444—460.

Digitized by Google

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. Hartman, H. van Herwerden, A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten, J. C. Naber, H. J. Polak, K. G. P. Schwartz, M. C. Valeton, *J. van der Vliet, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM. PARS III.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1902.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

M. T. Cicero, Commentarii rerum suarum sive de vita sua; accesserunt Annales Ciceroniani in quibus ad suum quaeque annum referuntur quae in his commentariis memorantur; utrumque librum scripsit W. H. D. Suringar. 1854. 2 part. 1 vol. 8°. . . . . *f* 8.50.

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 1873. 8°. *f* 7.—.

—— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. 1876. *f* 7.—.

—— Collectanea critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 1877. 8°. . . . . *f* 7.—.

—— Hyperidis Orationes duae Ὁ ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ ΛΟΓΟΣ et ΥΠΕΡ ΕΥΞΕΝΙΠΠΟΥ. Editio altera auctior et emendatior. 8°. 1877. *f* 1.50.

—— Observationes criticae et palaeographicae ad Dionysii Halicarnassensis antiquitates Romanas. 1877. 8°. . . . . *f* 3.50.

—— De Philostrati libello ΠΕΡΙ ΓΥΜΝΑΣΤΙΚΗΣ. 1859. 8°. . - 1.25.

—— Cornelii Nepotis vitae excellentium imperatorum. In usum scholarum. Editio altera. 1884. kl. 8°. . . . . *f* 0.60.

—— Lysiae Orationes et fragmenta. Edit. tertia, quam curavit J. J. Hartman, 1891. 8°. . . . . *f* 1.20.

—— Xenophontis Expeditio Cyri. Editio quinta, quam curavit C. G. Mauve. 1892. 8°. . . . . *f* 1.20.

—— Xenophontis Historia Graeca in usum scholarum. Editio tertia emendatior. 1888. 8°. . . . . *f* 1.20.

J. J. Cornelissen, Oratio inauguralis. 1879. 8°. . . . . - 0.45.

—— Coniectanea Latina. 8°. . . . . - 0.60.

—— Cornelii Taciti de vita et moribus Iulii Agricolae. 1881. 8°. - 0.75.

—— Opus idem. In usum scholarum. 1881. kl. 8°. . . . - 0.30.

—— Minucii Felicis Octavius. 1882. kl. 8°. . . . . - 0.90.

H. van Herwerden, Lectiones Rheno-Traiectinae . . . . - 1.50.

Dr. H. T. Karsten, De inkomsten en uitgaven van den Romeinschen Staat. Antiquarische schets. 1e stuk: De Republiek. 1880. 8°. *f* 0.80.

—— Spicilegium criticum. 1881. 8°. . . . . - 0.80.

H. W. van der Mey, Studia Theognidea, accessit collatio codicis Mutinensis tantum non omnis. 1860. 8°. . . . . *f* 0.75.

E. Mehler, Luciani dialogi quattuor. Graece. (Timon, Philopseudes, Verae historiae, Gallus). In usum scholarum . . . . *f* 1.90.

Dr. J. S. Speijer, Latijnsche spraakkunst:
1ste stuk. Flexie en etymologie. 2de druk. 1883. . . . *f* 1.90.
2de stuk. Syntaxis. 2de druk. 1884. . . . . - 1.90.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, T. J. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (*f* 56.50) . . . . . *f* 30.—.

—— Nova series scripserunt C. G. Cobet, C. M. Francken, H. van Herwerden, S. A. Naber, W. G. Pluygers, J. J. Cornelissen, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, alii; Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XXX colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton. 1873—1902. 8°. pro vol. *f* 5.25.

Ex officina typographica et bibliopolio antehac E. J. Brill.

Digitized by Google

292784
THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY.
ASTOR LENOX TILDEN FOUNDATIONS

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. Hartman, H. van Herwerden, A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten, J. C. Naber, H. J. Polak, K. G. P. Schwartz, M. C. Valeton, J. van der Vliet, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM. PARS I.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1902.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
ΝΑΡΔΟΣ ΠΙΕΤΙΚΗ, scripsit S. A. Naber	1—15.
Emendatur Aristotelis *περὶ ἑρμηνείας* c. X § 5, scripsit I. C. V.	15.
Thucydidea (*contin. e T. XXIX p.* 81), scripsit I. C. Vollgraff.	16—33.
Aristophanea, scripsit H. van Herwerden	34—53.
ΟΙΣΟΜΕΝ — ΘΗΣΟΜΕΝ, scripsit H. v. H.	53.
De Argonautarum vellere aureo, scripsit J. Vürtheim. . .	54—67.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	67.
Ad Aristophanis Aves (*contin. e Vol. XXIX pag.* 460), scripsit J. van Leeuwen J.f..	68—89.
Tacitea, scripsit J. J. Hartman	90—120.

Digitized by Google

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. Hartman, H. van Herwerden, A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten,
J. C. Naber, H. J. Polak, K. G. P. Schwartz, M. C. Valeton,
J. van der Vliet, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM. PARS II.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1902.

Digitized by Google

INDEX

	Pag.
Ad Thucydidem, scripsit H. VAN HERWERDEN	121—133.
De Hegione in Terentii Adelphis, scripsit G. E. W. VAN HILLE.	134—136.
Ad Eur. Hipp. 43—46, scripsit MORTIMER LAMSON EARLE . .	136.
Observationes criticae ad Dionysii Halicarnassensis Antiquitates Romanas (*contin. e Vol. XXIX pag.* 340), scripsit S. A. NABER.	137—156.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	156.
Homerica, scripsit H. VAN HERWERDEN	157—168.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	168.
Observatiunculae de iure Romano (*contin. e Vol. XXVIII pag.* 451), scripsit J. C. NABER S. A. FIL.	169—178.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	178.
Homerica (*contin. e Vol. XXIX pag.* 243), scripsit J. VAN LEEUWEN J.F.	179—188.
Tacitea (*contin. e pag.* 120), scripsit J. J. HARTMAN	189—209.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	209.
Ad Aristophanis Plutum, scripsit J. VAN LEEUWEN J.F. . .	210—224.

Digitized by Google

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. Hartman, H. van Herwerden, A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten,
J. C. Naber, H. J. Polak, K. G. P. Schwartz, M. C. Valeton,
J. van der Vliet, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM. PARS III.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1902.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Quis furor?, scripsit J. VAN LEEUWEN J.F.	225—233.
Aristophan. Eq. 504 sqq., scripsit H. v. H.	233.
Observationes criticae ad Dionysii Halicarnassensis Antiquitates Romanas (*contin. e pag.* 156), scripsit S. A. NABER .	234—261.
Plut. Solon. 10, scripsit J. J. H.	261.
Ad Plutarchi Vitam Lycurgi (Cap. XXVII), scripsit K. G. P. SCHWARTZ.	262.
De Amazonibus, scripsit J. VÜRTHEIM.	263—276.
De Matre Magna Pergamenorum, scripsit K. KUIPER . . .	277—306.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	306.
Ad Alciphronis epistulas, scripsit H. VAN HERWERDEN . . .	307—318.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	318.
Observatiunculae de iure Romano (*contin. e pag.* 178), scripsit J. C. NABER S. A. FIL.	319—331.
Ad Thucyd. VII 56, scripsit J. v. L.	331.
Tacitea (*contin. e pag.* 209), scripsit J. J. HARTMAN	332—347.
Ad Horat. Serm. I, 1, 15 sqq. scripsit M. LAMSON EARLE . .	347.
Ad Aristophanis Plutum (*contin. e pag.* 224), scripsit J. VAN LEEUWEN J.F.	348—360.

Digitized by Google

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. Hartman, H. van Herwerden, A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten,
J. C. Naber, H. J. Polak, K. G. P. Schwartz,
M. C. Valeton, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM. PARS IV.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1902.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Ad Lucianum, scripsit K. G. P. SCHWARTZ	361—366.
Paralipomena Lysiaca (*contin. ex Vol.* XXIX *pag.* 443), scripsit H. J. POLAK	367—386.
Ad Plutarchum, scripsit J. J. H.	386.
Tacitea (*contin. e pag.* 347), scripsit J. J. HARTMAN	387—393.
Horapoll. I 55, scripsit J. v. L.	393.
Ad Catulli carmen XXXXVIIII, scripsit P. H. DAMSTÉ. . .	394—396.
Ad Aristophanis Plutum (*contin. e pag.* 360), scripsit J. VAN LEEUWEN J.F.	397—427.
Ruhnkenii uxor, scripsit S. A. NABER	428—434.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA quater in anno prodibit Calendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 5.25.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Digitized by Google

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

M. T. Cicero, Commentarii rerum suarum sive de vita sua; accesserunt Annales Ciceroniani in quibus ad suum quaeque annum referuntur quae in his commentariis memorantur; utrumque librum scripsit W. H. D. Suringar. 1854. 2 part. 1 vol. 8°. . . . . *f* 8.50.

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 1873. 8°. *f* 7.—.

—— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. 1876. *f* 7.—.

—— Coniectanea critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 1877. 8°. . . . . *f* 7.—.

—— Hyperidis Orationes duae Ὁ ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ ΛΟΓΟΣ et Ὑπερ Ευξενιππου. Editio altera auctior et emendatior. 8°. 1877. *f* 1.50.

—— Observationes criticae et palaeographicae ad Dionysii Halicarnassensis antiquitates Romanas. 1877. 8°. . . . . *f* 3.50.

—— De Philostrati libello ΠΕΡΙ ΓΥΜΝΑΣΤΙΚΗΣ. 1859. 8°. . - 1.25.

—— Cornelii Nepotis vitae excellentium imperatorum. In usum scholarum. Editio altera. 1884. kl. 8°. . . . . *f* 0.60.

—— Lysiae Orationes et fragmenta. Edit. tertia, quam curavit J. J. Hartman, 1891. 8°. . . . . *f* 1.20.

—— Xenophontis Expeditio Cyri. Editio quinta, quam curavit C. G. Mauve. 1892. 8°. . . . . *f* 1.20.

—— Xenophontis Historia Graeca in usum scholarum. Editio tertia emendatior. 1888. 8°. . . . . *f* 1.20.

J. J. Cornelissen, Oratio inauguralis. 1879. 8°. . . . . - 0.45.

—— Coniectanea Latina. 8°. . . . . - 0.60.

—— Cornelii Taciti de vita et moribus Iulii Agricolae. 1881. 8°. - 0.75.

—— Opus idem. In usum scholarum. 1881. kl. 8°. . . . - 0.30.

—— Minucii Felicis Octavius. 1882. kl. 8°. . . . . - 0.90.

H. van Herwerden, Lectiones Rheno-Traiectinae . . . . - 1.50.

Dr. H. T. Karsten, De inkomsten en uitgaven van den Romeinschen Staat. Antiquarische schets. 1e stuk: De Republiek. 1880. 8°. *f* 0.80.

—— Spicilegium criticum. 1881. 8°. . . . . - 0.80.

H. W. van der Mey, Studia Theognidea, accessit collatio codicis Mutinensis tantum non omnis. 1860. 8°. . . . . *f* 0.75.

E. Mehler, Luciani dialogi quattuor. Graece. (Timon, Philopseudes, Verae historiae, Gallus). In usum scholarum . . . . *f* 1.90.

Dr. J. S. Speijer, Latijnsche spraakkunst:
1ste stuk. Flexie en etymologie. 2de druk. 1883. . . . *f* 1.90.
2de stuk. Syntaxis. 2de druk. 1884. . . . . - 1.90.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, T. J. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (*f* 56.50) . . . . . *f* 30.—.

—— Nova series scripserunt C. G. Cobet, C. M. Francken, H. van Herwerden, S. A. Naber, W. G. Pluygers, J. J. Cornelissen, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, alii; Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XXX colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton. 1873—1902. 8°. pro vol. *f* 5.25.

Ex officina typographica et bibliopolio antehac E. J. Brill.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MAY 6 1913

Digitized by Google

Digitized by Google

MAY 6 1913

Digitized by Google